This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600054595Y

DAMIANI FUXHOFFER

BENEDICTINI PANNONII

MONASTERIOLOGIAE

REGNI HUNGARIAE

LIBRI DUO

TOTIDEM TOMIS COMPREHENSI.

RECOGNOVIT,

AD FIDEM FONTIUM REVOCAVIT

ET AUXIT

MAURUS CZINÁR,

BENEDICTINUS AEQUE PANNONIUS, ARCHICOENOBII S. MARTINI DE S. MONTE PANNONIAE ARCHIVI, MUSEORUM ET BIBLIOTH. CUSTOS, ART. LIB. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, ACADEM. HUNG. MEMBRUM CORRESPONDENS etc.

TOMUS I.

MONASTERIA

ORD. S. BENEDICTI.

VINDOBONAE & STRIGONII.
CAROLUS SARTORI,
BIBLIOPOLA SEDIS APOSTOLICAE ET PRIMATIS HUNGARIAE.
MDCCCLXIX.

240 h. 53

EMINENTISSIMO

AC

REVERENDISSIMO DOMINO

JOANNI BAPT. SCITOVSZKY

DE NAGYKÉR,

S. R. E. TITULO S. CRUCIS IN JERUSALEM PRESBYTERO CARDINALI,
DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI,
SANCTAE SEDIS APOSTOLICAE LEGATO NATO,

INCLYTI REGNI HUNGARIAE PRINCIPI PRIMATI,
SUMMO ET SECRETARIO CANCELLARIO,
INS. ORDINIS S. STEPHANI R. A. PRAELATO
ET MAGNAE CRUCIS EQUITI,
S. C. ET R. A. MAJ. ACT. INT. CONSILIARIO,
ORDINUM RELIG. PER ECCL. PROVINCIAS
STRIGON. COLOCENS. AGRIENS. ET ZAGRABIENSEM
VISITATORI, ET DELEGATO APOSTOLICO,
ART. LIB. ET PHILOS. NEC NON SS. THEOLOGIAE DOCTORI,

DOMINO BENIGNISSIMO.

Eminentissime Princeps!

ublimis Tuae dignitatis non minus, quam humilis meae conditionis probe quidem conscius, rara tamen Tua benignitate fretus **Eminentiam Tuam** filiali cum fiducia reverenter adpellans, si pateris, paucis morari sustineo.

Quum Fuxhofferii nostri Monasteriologiae, quam is procul ab Archivorum oraculis, procul a necessaria librorum copia iam initio seculi huius conscripsit, nova, eaque castigata editio a pluribus Eruditis deposceretur; iusto desiderio, quoad eius possem, satisfacere quidem festinavi; sed paratum, Deo vires et animum tribuente, ad typos opus intra privatos cellae parietes pluribus de caussis anni spatio et ultra premebam: id potissimum veritus, ne laudabile Institutum S. Stephani, quod impressionem Operis cura sua complexum ibat, sumtus in illud facti merito, sed sero poeniteret.

Sustulit metum, fluctuantemque animum confirmavit Tua, **Eminentissime Domine**, benignitas; dum salutari Visitatoris Apostolici munere apud nos functus, coram frequente Congregationis Pannoniae Benedictinorum corona gratiosissime aperire dignatus es, opellam hanc Tuo aeque, ac ceterorum Ecclesiae hungaricae Antistitum voto exoptari. Quo intellecto facile iam in animum induxi, Lucubrationem hanc, ad fidem documentorum exactam, non tantum prelo tradere: verum etiam, ut illi a puritate historica commmenda-

tae potissimum a Patrono pretium conciliarem, immortali **Tuo Nomini**, propria virtute parto, publice consecrare; aequi TE, bonique consulturum ratus, si eam, cui TE non mediocriter favere expertus sum, supplicum ritu humillime propinavero. Sed et ipse, qualiscunque hic vetulae meae solertiae partus, ad **Tua** genua, **Eminentisime Cardinalis**, sponte sua properat: qui ortum quidem suum mihi, at vitam TIBI se debere certus, gratum animum coram testari gestit, quod ex obscuro suo latibulo Tuo potente nutu eductus, publica tandem luce fruatur.

Erat hoc unum e pluribus, quae **Tua, Eminentissime Princeps**, singularis prudentia, comi gravitate, et paterna prorsus mansvetudine, velut totidem dextre agendi praesidiis stipata, in commune S. Ordinis nostri, et quod hinc redundat, carae patriae bonum partim nova condidit, partim funeri proxima vigori pristino restituit; dum in commissis TIBI per Pium IX. Ecclesiae Christi summum et vigilantissimum Pastorem arduis Visitatoris Apostolici partibus eum TE nobis exhibere dignabaris, ut quem venientem profundo Eminentissimae dignitatis Tuae, supremo in universa Ecclesia gradui contiguae, sensu penetrati non sine anxia quadam, ut res ferebat, sollicitudine excepimus; discedentem tenerrimo filialis pietatis, et devotionis affectu cuncti prosequeremur. Inaestimabilis huius in Congregationem nostram benevolentiae, paternique studii memoriam altius animo demisimus, quam ut eam ulla annorum series, quae Archiasceterium nostrum, Deo propitio, manet, unquam obliterare possit.

Sed haec Annales nostri viderint, et videbunt. Mihi vero nihil est ultra residuum, quam ut TE, **Eminentissime Princeps**, infimis precibus orem, imo obsecrem, ut quodcunque hoc devotissimi obsequii pignus aequo, libentique animo suscipere digneris. Quod ubi fuero consequutus, dulcissimum aeque, ac uberrimum impensae operae

fructum me collegisse gloriabor. Interea Deum totius consolationis precor, ut quidquid, ut soles, grande in Eius honorem, quidquid in S. Ecclesiae, aut civitatis bonum seu modo moliris, seu porro molieris, **Eminentissime Cardinalis**, ille omnium bonorum largitor coelesti benedictione prosequi, et ad optatum finem TE adhuc integro perducere; ac demum ter felice S. Mauri consortio, qui sedem suam in coelis Deo, at aras in terra suas TIBI debet, aeternum TE beare dignetur.

Eminentiae Tuae

In S. Monte Pannoniae, VIII. Cal. Jul. MDCCCLVIII.

servorum minimus
Maurus Czinár,
O. S. Ben.

MONASTERIA

ORDINIS S. BENEDICTI.

„Imperitissimi hominum sine Benedictinis essemus, inquiebat Innocentius XI. Hi non solum per integra secula Sanctae Sedi, et diversis Ecclesiis honori erant: verum etiam patres et conservatores historiae fuerunt. Apud ipsos Monarchae iurium suorum maxima, et gravissima monumenta invenerunt, et scientia, fidesque serie non interrupta instar sacerrimi depositi conservata manserunt eo tempore, quo densissimae nubes totum mundum obscurare velle videbantur."

Clemens XIV. Epistolar.
Part. I. ep. 5.

PRAEFATIO

Auctoris primae Editionis.

Benevolo Lectori.

Ad conservandam Benedictini Ordinis nostri apud posteros memoriam, suasu plurimorum suscepi descriptionem Monasteriorum, quae unquam S. huic Ordini fundata fuerunt in Pannonia. Difficilem suscepi provinciam in hoc positu meo,*) ubi et officio Parochiali defungor; et quod plurimum est, necessariis instrumentis ad perficiendum opus carebam. Aggressus sum nihilominus cum bono Deo, et bonis amicis libros, aliamque necessariam supellectilem sufficientibus, paravi praesentem, quam pro Monasteriorum Benedictinorum notitia sufficere existimavi synopticam et originario-diplomaticam descriptionem.

Postquam praesentem Benedictinorum Monasteriorum Synopsim, utcunque potui, adornassem, tentavi istiusmodi descriptionem etiam aliorum monasteriorum. Finem in eum conquisivi omnia necessaria subsidia: aliquorum S. Ordinum ipsos annales extraxi, et quae pro more annalium per annos, libros, et paginas sparsa de singulo tali regulari domicilio fuerunt, pro commodo legentium in unum coarctavi; ut uno tractu, aspectuque initia, status, et variae cuiusque vicissitudines videri, et legi possent. Non caruit successu proposita intentio mea; et Deo secundante eo producta est Monasteriorum descriptio; ut sub unum conspectum sistere possem omnia regularium domicilia, quaecunque ab ingressu Hungarorum in Pannoniam fundata fuerunt.

Duces secutus sum E. C. Petrum Pázmánum, Archiepiscopum Strigoniensem, et Martinum Szentiványi e S. I., qui conquisitis undequaque documentis Monasteriorum omnium catalogos contexuerunt. Sed, quemadmodum in omnibus etiam artefactis usuvenire solet, ut prima opera nunquam perfecta fiant: ita et hos catalogos in quibusdam redundare, in aliis autem deficere, observatum est. Etiam praesentem meam Monasteriologiam omni errore vacuam, nisi desipiam, propugnare, nec audeo, nec volo. Quamquam enim diligentiam non vulgarem adhibuerim; fateor tamen et Homerum interdum dormitare, et in hoc opus varios chronotaxeos et Geographiae irrepsisse hiatus! quos equidem, si quis eruditior emendaverit, meque erroris monuerit, faciet rem publico gratam, et mihi omnino charam. Occurrunt ex omni S. Ordine Monasteria quaepiam, de quibus ego quidem nihil praeter cassa nomina; alter quispiam vero nanciscetur occasionem, et documenta, me solum facem praeferente, eruderandi eadem.

---

*) Scripsit haec Auctor nondum restituto S. Ordine, procul ab omni Archivo, procul ab omni Bibliotheca in vico Asszófő, ubi tunc Parochum, et Districtus Füredienses ad Lacum Balaton Vicearchidiaconum agebat. Unde non mirum, si eius narratio interdum a vero discrepet. —

Ut autem propositam brevitatem observem, ita totius operis rationem composui; ut originarias, seu fundationales literas, quascunque reperire potui, integras; succedaneas vero quoad continentiam earum cum necessariis suis circumstantiis fideliter reddam. Esset quidem operae pretium, et ad illustrandam historiam patriam perquam utile (more Mabillonii, aliorumque Gallorum Benedictinorum) diplomatarium Monasteriorum Hungariae edere; quod moderno aevo editu facile foret; cum, post abolita plurima Monasteria, omnia eorum diplomata, privilegiaque penes Excelsum Consilium in uno loco conserventur. Deus scit, quid adhuc futurum sit. Ego interea secundum praeconceptam intentionem, et fidem datam prosequar, servato tempore, quo singulus Ordo in Hungaria obtinuit incolatum, et praemissa synopsi regulae cuiusque Ordinis in Hungaria domiciliati, descriptionem synopticam, et originario-diplomaticam omnium omnino Monasteriorum, quaecunque ab ingressu Hungarorum in Pannoniam fundata fuerunt.*) —

*) Promissa hic descriptio per Auctorem reapse absoluta in Bibliotheca nostra inter MSS. conservatur; sed publica lux ei per Archiabbatem Chrysostomum Novák iustis, ut aequum est censere, de caussis negata fuit. —

PRAEFATIO

ad praesentem Editionem.

Postquam omnibus Regni partibus personuisset, Fuxhofferium nostrum in sua Monasteriologia Regni Hungariae, anno 1803 publici iuris facta, persaepe talia propinare, quae recentior aetas pluribus cognitionibus aucta, et accuratiori rerum pervestigationi adsveta respuit; opportunum arbitrabar, Opus, quod ille procul quidem ab omni Tabulario, et Bibliotheca, laudabili tamen conatu et summo labore olim concinnaverat, a naevis purgatum ita sistere; ut et primitivo Auctori, Viro indefesso, et verum pro viribus consectanti vel a fatis honor suus nova editione constaret, et eruditus Lector aut nunquam, aut certe raro frontem caperare cogeretur.

Quapropter eam operae meae, praesenti editioni impensae legem dixi, ut quidquid per veritatem et orationis perspicuitatem integrum sinere liceret, intactum relinqueretur; ubi vero notitiae fidedignae, recentius et purius acquisitae, contrarium iuberent, nova veteribus ita intexerentur, ut non recens adiecta, sed iam olim ex Auctoris calamo fluxisse videantur. Quod dum facerem, e candidi Auctoris voto egisse me credidi, qui ad Monasteriologiae suae Librum praefatus, se necesssariis instrumentis destitutum ad opus accessisse ultro agnoscit: gratumque sibi fore profitetur, si quis hiatus, qui irrepsissent, emendaverit.

Atque hic ego me velut digito monstrari videbar, qui huic non solum Fuxhofferii, sed repetito etiam per plures Eruditos desiderio satisfacerem; postquam anno 1837, et qui eum secuti sunt, idem Tabularium iussu Generalis Capituli Congregationis nostrae omni, qua par fuit, solertia rimabar, ut inde antiquissimi patriae nostrae Monasterii S. Martini de S. Monte Pannoniae sinceram historiam eruerem: hodie vero et illius Archivi, et Bibliothecae curam sustineo. Quibus adminiculis Auctor suo aevo destitutus, non poterat non saepius a vero declinare.

Porro id quoque in praesente operis editione ob oculos versabatur, quid Auctor ipse, si nunc viveret, eumque Archivi et Bibliothecae usum caperet, qui mihi patet; quid inquam faceret, si alteram sui Operis editionem meditaretur. Pronum erat credere, eum non tantum priores naevos correcturum, verum insuper historiam singularum Domuum religiosarum ad praesens usque tempus deducturum, et repudiato vetere Abbatum S. Martini Catalogo, vanisque traditionibus resectis ea de Abbatibus nostris fuisse narraturum, quae e fide dignis Tabularii chartis, et Bibliothecae recentibus Libris vera comperisset.

Gratum igitur Manibus Viri, dum viveret, solertissimi me facturum censui, si id agerem, quod ille si per vitam licuisset, non erat neglecturus, et quidquid de Abbatibus S. Martini, et filialibus: S. Mauritii de Bel, S. Aniani de Tihan, et B. M. V. de Dömölk, puris ex fontibus haustum publica luce non indignum arbitrabar, fideliter inserui. Erunt in his, fateor, quaedam exilia, quae severo, praesertim extero Lectori suis in tenebris relinquenda fuisse videbuntur At is meminerit velim, istud quidquid est opellae, potissimum Pannoniae

Benedictinos, horumque Concives respicere, horumque et illorum gratia potissimum in lucem protrahi; qui etiam secus tenuia et viliora, domestica tamen, sine taedio, ne dicam lubenter, suscipiunt. —

Ubi a sensu Auctoris, prima editione vulgato fuerat recedendum, et diversa, imo contraria ibidem narratis promenda venerant, eum modum tenui, ne Auctor, velut secum ipse fatue litigans in scenam deducatur. Quapropter, citra ullam Refutatoris speciem, simplici narratione, firmis tamen testibus stabilita, rem ita exsequi studui, ut ii, qui priorem Editionem non evolverant, se in hac recente proprios Fuxhofferii sensus legere credant: qui vero praesentem cum priore contulerint, nihil nisi necessario, et solius veritatis amore mutatum fuisse intelligant. —

Quod in recitandis veteribus documentis fidelitatem ad extremos usque literarum apices, praesertim aevi nostri Orthographiae adversos, ut nonnulli volebant, non extenderim, eo metu impulsus feci; ne, dum paucis antiquitatum studiosis rem gratam praestarem, praepostera hac fidelitate maximae Lectorum parti molestiam pariam; et literas ae cum e; t cum c; u cum v, et vicissim permutando, ac toties recurrens i suo puncto spoliando, ipsi perspicuitati non parum officerem. Alioquin si cuius, huius certe Operis ea est conditio, ut cuncta, tentandae quantulumcunque Lectoris patientiae nata, sollicite removeantur. Eam ob rem etiam stili ratio non tam ad classicam illam puritatem, quam ad aevi nostri genium exigenda fuit; ipsa Operis materia, proh dolor! ad sola fere sacrarum Domuum iura, et iniurias restricta. Quibus citra Lectoris molestiam expediendis, placuit receptis apud nos vocabulis, et nostrorum Jurisperitorum phrasibus passim notis uti potius, quam archaeologico tumore facta clara sub Tullianae puritatis venusta larva occulendo, in laboris praemium tandem obscuritatis notam emereri. —

Notitias de primis praesertim Hungariae seculis prolatas, si quis ieiunas dixerit, non adversabor. Caecus enim sim, si id non videam; protervus, si negem. Si quis huius maciei me reum egerit, resistam, et fontium tenuitatem accusabo. Si quis huius tenuitatis culpam in Maiorum nostrorum ruditatem, aut desidiam coniecerit, repugnabo: et illum denique laudabo, qui eius caussam in funestissimis Regni et Monasterii huius fatis quaesiverit; qualia, seu exteri hostis Tartari et Turcae barbariem, feritatem, crudelitatem, seu compugnantium Civium ferocitatem, et utriusque, civilis aeque ac exteri Martis diuturnitatem spectes, vix aliam Europae regionem afflixere. Ferrum apud nos constanter sequebatur ignis, cui charta non resistit. Monasterio, Sec. XVI. per Turcas desolato, Religiosos eius L annis extorres, dispersos, extra patriam potissimum delituisse constat, qui huius generis Scripta, quae salvare poterant, in loco exsilii, quo diem suum quisque obiit, reliquerunt, ad Archivum S. Martini amplius non reversa. Latent illa uspiam tenebris et pulvere pressa, maiore meo, quam Lectorum incommodo; qui, cum nihil magis in votis haberem, quam horum exspectationem non fallere; plurimum operae in exquirendis, quae fors nuspiam erant, in cassum prodegi. Quod quoties animum subit, toties Maioribus nostris succenseo, quod ea, quae nunc perdita dolemus, non eodem cum iurium suorum praesidiis loco reposuerint: quod, si fecissent, imminente periculo, in horum societate ad securum locum delata ab interitu vindicavissent. Nam de Tabularii iurium nostrorum defectu iuste conqueri non possumus. At frustra querimur! Nec restat aliud, quam ut eruditus Lector iacturam hanc nobiscum doleat; et quod damus, tenue licet — quia totum damus, sereno vultu, et pacato animo excipiat.

M. Cz.

LIBER I.

DE ORDINE S. BENEDICTI IN HUNGARIA.

Benedictinos in Hungaria primos inter omnes Religiosos domiciliatos fuisse, notius est, quam ut operose probari debeat. Eos a divo Benedicto fuisse institutos, ipsum nomen praefert. Fuit autem S. Benedictus natione Italus, genere nobilis, Nursiae in Umbria natus anno 480. Patrem, teste Paulo Diacono, Monacho Cassinensi, sec. XII. scriptore, habuit Eupropium, matrem Abundantiam, avum Justinianum: qui puerum liberalibus literarum studiis Romae erudiendum curabant. „Sed cum in eis, inquit S. Gregorius[1]), multos ire per abrupta vitiorum cerneret; ne ipse quoque in immane praecipitium totus iret; relicta domo, rebusque patris, soli Deo placere desiderans, sanctae conversationis habitum quaesivit;" et ut totum se Jesu Christo daret, ad eum locum, qui Sublacus[2]) dicitur, in abditissimam speluncam 14 annos natus se contulit, nemine conscio, nisi Monacho, nomine Romano; qui et secretum tenuit; et pauca, eaque jejuna juveni Anachoretae alimenta subministravit.

In hac eremo ad omnem virtutem instructus, et omnem disciplinam a Spiritu S. edoctus, circa annum 529 Cassinum migravit; ubi Simulacrum Apollinis, quem ibi rustica plebs adhuc colebat, comminuit, aram evertit, lucos succendit. In ipso templo Apollinis Oratorium S. Martini, et alterum S. Joannis Baptistae construxit; atque his praecipuum totius Ordinis monasterium adjunxit; unde mox, aucto sanctorum virorum numero, velut ex fecundissimo alveari, pia examina in universum orbem evolaverunt.

Quia vero rebus omnibus stabilitatem rectus ordo procurat; S. Benedictus, ut noviter fundato suo Coenobio et concepto S. Ordini stabile poneret fundamentum; sub idem tempus,quo Cassinense Monasterium fundaverat, regulam scripsit, quam S. Gregorius Magnus, Pontifex Romanus, Dial. L. II. C. 36. discretione praecipuam, sermone luculentam appellat; seque eandem (anno 595 in Synodo Romana II.) adprobavisse, in privilegio, quod Sublacensi Monasterio concessit, testatur his verbis: „Ego Gregorius Sanctae Romanae Ecclesiae Praesul scripsi vitam B. Benedicti, et legi Regulam, quam ipse sanctus manu propria scripsit.

1) Dialog. L. II. — 2) Distat Româ Ortum versus 7 mill. geogr.; Româ Cassinum inter ortum & meridiem 16 milliar. geogr.

Laudavi eam, et confirmavi in S. Synodo, et per diversas partes Italiae, et ubicunque latinae literae legerentur, praecepi, ut diligentissime observarent, quicunque ad conversionis gratiam accessuri essent usque in finem mundi. Et confirmo duodecim Monasteria, quae ipse sanctus construxit" etc. Idem fecit S. Zacharias Papa Sec. VIII. his verbis: „Ipse sanctus (Benedictus) monachorum Regulam scripsit, quam sanctae memoriae praedecessor noster Gregorius in Libro Dialogorum satis approbat, et laudat: et nos approbamus, et laudamus, et sanctam constituimus et ordinavimus in Dedicatione ejusdem Ecclesiae (Cassinensis), dum ibidem cum tresdecim Archiepiscopis, et sexaginta et octo Episcopis adessemus."

Hac et aliorum quoque Romanorum Pontificum approbatione Regula Benedictina eam celebritatem acquisiuit, ut in pluribus Conciliis definitum sit: Monachos universim ad ejus observationem traducendos esse; id quod jam antea plerique per Italiam sponte amplexi sunt. Nam, cum teste S. Antonino[1]), regula S. Basilii satis intricata, S. Augustini vero multum generalis esset, et ea S. Benedicti singula quaeque clare describat: mirum videri non debet eam prae ceteris et monachis propositam a Patribus, et ab illis citra contradictionem ad eam concessum fuisse. Singulariter etiam, quoad Hungariae monachos in Synodo nationali Strigoniensi anno 1114 sub Laurentio Archiepiscopo Cap. 36. statutum legimus, ut Monachi regulam S. Benedicti omnes sciant, et intelligant.

Synopsis Regulae Benedictinae.

S. Benedictus in exordio suae regulae quatuor ponit genera monachorum. 1-° Coenobitarum, qui in congregatione sub Abbate vivunt. 2-° Anachoretarum, seu Eremitarum, qui postquam in Congregatione longo tempore essent exercitati, ad solitudinem recedebant; ut ibi ad altiorem perfectionis gradum eluctarentur. 3-° Sarabaitarum, qui nullam regulam secuti, suo arbitrio vivebant. 4-° demum Gyrovagorum, qui semper de uno monasterio in aliud divertentes, gulae illecebras quaeritabant. Hos ultimos deterrimos dicit. Quia vero sua monasteria officinas virtutum, et seminaria perfectorum esse vult; duodecim gradus humilitatis, queis ad perfectionem tendatur: et instrumenta bonorum operum, quibus omnem operam locatam vult, praescribit.

I. Officium divinum.

Officium divinum in hunc modum ordinat S. Benedictus: A Calendis Novembris usque ad Pascha octava hora post occasum solis, seu fere tertia nostra matutina surgant. Aestate, id est: a Paschate usque initium Novembris horam incipiendis vigiliis non determinat; sed solum ita omnia vult temperari, ut Laudes dum illucescit, recitari possint. Singulis diebus ad nocturnas vigilias 12 Psalmos assignat ita, ut finitis primis sex Psalmis, Fratribus sedentibus diebus feriatis legantur tres Lectiones, et post quamlibet cantetur Responsorium: dein sex alii Psalmi dicantur cum Alleluja: sequatur Lectio Apostoli e memoria recitanda cum versiculo, et litania, id est: Kyrie eleison, sicque officium nocturnum absolvatur. Contra: Aestate, quia noctes breviores sunt, lectiones omitti jubet, sed ex memoria recitari unam duntaxat, quam breve Responsorium subsequatur. Diebus dominicis maturius surgendum erat, et decantatis sex Psalmis quatvor Lectiones legendae cum suis Responsoriis: tum post alios sex Psalmos itidem quatvor Lectiones; postea tria Cantica ex Prophetis, et quatvor lectiones ex novo testamento cum suis Responsoriis praescripta: tum Hymnus Ambrosianus, et Evangelium diei. In Festis San-

1) Historialis Tit. 15.

ctorum officium peragendum erat, uti die Domini: at psalmi, antiphonae, et Lectiones festo propriae sumebantur. Ad Matutinos, quos nunc Laudes vocamus, uti et pro horis diurnis pius Legislator pro singulis minutatim Psalmos distribuit, eo addito, ut si cui haec ejus distributio non placuerit, aliter ordinet; dummodo singulis septimanis totum psalterium Davidis absolvatur. Orationum nostri aevi, quibus illa aetate officia divina concluderentur, nullum occurrit vestigium[1]).

Distinctum aliquod ab Officio horarum canonicarum orationis genus S. Benedictus non praescribit. Non dubitat tamen fore, ut Monachi sua sponte ad orationem mentalem incumbant, dum dicit: brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex inspiratione divinae gratiae protendatur. Ea de causa finito officio divino omnes ex Oratorio exire debere ait, ne si qui peculiariter velint orare, impediantur; qui vero secretius orant, non in clamosa voce, sed in lacrimis, et intentione cordis orare jubentur; denique universim ita stare unumquemque ad orandum, ut mens concordet voci, memor ejus ex Psalmista: Servite Domino in timore.

II. Labor manualis, et Lectio.

Oratione completa Monachi reliquum diei tempus labori, aut lectioni dabant. Aestate, id est a Paschate usque finem septembris fere ab ortu solis usque horam nostram nonam laborabant: tum duabus horis lectioni vacabant. Post sextam, seu meridiem, surgentes a mensa quiescebant more italorum in lectis suis taciti, ut si quis legere mallet, non turbetur: sed nec quiescentem turbet. Ante horam nostram secundam dicebatur Nona canonica; postea sequebatur labor usque vesperam. Aliis anni temporibus alius erat laboris ordo, sed semper ita comparatus, ut 7, aut 8 horas diei occuparet. Monet etiam S. Benedictus, ut si necessitate loci, aut paupertate ad colligendas fruges cogerentur Fratres, non contristentur: quia tunc vere Monachi sunt, si labore manuum suarum vivant, sicut et Patres nostri, et Apostoli: idem tamen, propter pusillanimes omnia mensurate fieri jubet.

Cum hora esset lectionis, unus, aut duo e senioribus circuibant; ut viderent, an non inveniatur Frater acediosus, dormiens, aut fabulis vacans, qui aliis impedimento sit. Die dominico omnes lectioni vacabant, exceptis, qui variis diurnis officiis fuerunt occupati. Si quis ita negligens, aut debilis fuisset, ut non posset, aut nollet meditari, aut legere; aliud quid utile coactus est agere, ne otio vacet. Infirmis, aut delicatis talis opera injungebatur, ut nec otiosi essent, nec violentia laboris opprimerentur.

Fratres, qui in loco remotiore agebant, quam ut competente hora ad Oratorium comparere potuissent; ibi, ubi operabantur, flexis genibus Opus Dei et pensum servitutis ei debitae peragebant: ita et illi, qui in itinere constituebantur. — Nullus Fratrum sibi opus deligebat; sed injunctum sibi a praeposito exsequebatur. — Artifices non poterant in monasterio artes exercere, nisi Abbas jussisset; quod si quis, pro Scientia suae artis, extollebatur, quasi aliquid videretur monasterio conferre; is ab ejus exercitio prohibebatur. Si quid ex operibus vendendum fuerat, illis, per quorum manus negotium ibat, attendendum erat, ne subrepat avaritiae malum; sed semper aliquanto vilius vendi oportebat, quam a secularibus artificibus poterat obtineri. Patet hinc multos tunc Monachos fuisse opifices, aut intra monasterium ad declinandum otium semet alicui arti addixisse; id, quod nobilissimos Viros, quos

1) Vide: Calmet in S. Regul. S. Bened. Cap. XVII.

a principio semper aluit Ordo Benedictinus, studio humilitatis fecisse constat. Erant hi, uti et ceteri omnes fere laici, nullumque apparet indicium, Benedictum ipsum aliquo clericali Ordine fuisse initiatum. Hoc non obstante tam hunc, quam ceteros diligens lectio, et recte instituta meditatio annuntiando verbo Dei, et convertendis idololatris effecit idoneos.

Si Presbyter, inquit sacra Regula, „in Monasterio se suscipi rogaverit; non quidem ei citius assentiatur: tamen si omnino perstiterit in hac supplicatione, sciat se omnem regulae disciplinam servaturum; nec aliquid ei relaxabitur... Concedatur ei tamen post Abbatem stare, et benedicere, aut Missas tenere; si tamen jusserit ei Abbas; sin alias, nullatenus aliqua praesumat." Horis singulis ita assignantur agenda; ut per hebdomadam solum dominicis, et festis diebus Monachos Sacro Missae sacrificio interfuisse appareat.

III. Alimenta.

S. Benedictus ad quamlibet refectionem duo pulmentaria cocta concedit; ut qui ex uno non possit edere, ex altero reficiatur: addi tamen permittit poma suo tempore, et legumina. In dies una panis libra assignatur: sed potestati Abbatis relinquit addere aliquid; si labor solito major locum habeat. Carnibus quadrupedum, exceptis infirmis, abstinebatur. Potus mensura in diem hemina vini erat, quod tertiae parti unius mediae hungaricae respondet; sed haec quoque prudenti Abbatis arbitrio ex justa caussa nonnihil augeri poterat. „Ubi autem, inquit regula, loci necessitas exposcit, ut nec suprascripta mensura inveniri possit; sed multo minus, aut ex toto nihil; benedicant Deum, qui ibi habitant, et non murmurent."

Refectionis horae in hunc modum disponuntur: A Paschate usque Pentecosten ad sextam, id est: meridie, reficiant Fratres, et ad seram coenent: reliqua aestatis parte diebus Mercurii et Veneris jejunent, usque tertiam, si labores, et aestus sinunt: aliis diebus aeque bis reficiant. Ab Idibus septembris usque Quadragesimam hora tertia reficiant: Quadragesimae tempore vesperi, ita tamen ut reficientes lumine lucernae non indigeant. Per Quadragesimam singularis abstinentia commendatur; sed ut cum Abbatis consilio, et annutu fiat. Ad mensam sedentibus liber praelegatur; et lector non secundum ordinem, sed talis deputetur, qui aedificet audientes.

Monachi sibi invicem ministrabant, singuli per vices coquinariam exercebant; unde patet, quam simplice cibo usi fuerint, quem unusquisque ipsorum parare posset. Maxima infirmorum erat cura. In loco separato, et commodiore manebant, uno ex Fratribus famulante. Carnes infirmis non negabantur, uti nec lavacrum, quoties opus erat. Praescripta a carnibus quadrupedum abstinentia multorum seculorum decursu perseuerauit, quam Hungariae quoque Benedictinis familiarem fuisse id etiam innuit, quod plures Reges Monasterio S. Martini, et aliis piscinas velut ex proposito assignaverint. Imo: Matthaeus Archiabbas anno adhuc 1500, ob debilitatem corporis aegre obtinuit licentiam ter per hebdomadem avium carne vescendi. Praesens quadrupedum ad mensas usus, restituto per Ferdinandum III. anno 1638. S. Ordine inductus fuisse videtur.

IV. Vestes.

De vestitu monachorum Abbatis erat decernere pro diversitate climatis calidi, aut frigidi. „Credimus, inquit S. Benedictus, in regionibus mediocribus sufficere per singulos cucullam, et tunicam; cucullam in hieme villosam: in aestate puram, aut vetustam, et scapulare propter opera: indumenta pedum, pedules, et caligas. De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non caussentur Monachi, sed quales inveniri

possunt in provincia, qua degunt; aut quod vilius comparari potest. Accipientes nova, vetera semper reddant... reponenda in Vestiario propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas, et duas cucullas habere propter noctes, et propter lavare ipsas res: jam quod supra fuerit, superfluum est, et amputari debet."

V. Regimen.

Abbas, qui Monasterium regat, a tota Congregatione, vel saniore parte eligendus, et meritorum, non vero aetatis, aut gradus ratio habenda est. In Hungaria sic electus Regi praesentabatur, a quo confirmatus literas sic dictas Collationales acquisiuit. Electioni Archiabbatum hoc aevo Commissarius regius solet interesse, quo praesente tres eliguntur Candidati; e quibus Rex apostolicus unum denominat.

Porro in electo Abbate sacra regula inter cetera singularem in lege divina doctrinam, discretionem, caritatem, prudentiam et bonum in omnibus exemplum requirit; memoremque semper esse iubet, rectoris animarum se munus assumsisse; sollicite igitur cavendum habere, ne salute animarum sibi commissarum neglecta, majorem rerum temporalium curam gerat, quam expediat. Exigit etiam, ut omnia cum consilio aliorum faciat; si quae minora occurrerint, tantum Seniores; si majora, totam Congregationem consulat; ita tamen, ut ipsius Abbatis sententia standum sit: omnesque illi obediant.

Post Abbatem primas in Congregatione tenuere: Praepositi, vel Decani. In quibusdam Monasteriis, teste S. Benedicto Praepositi a pluribus Abbatibus, eodem ritu, quo Abbates instituebantur; unde illis superbiendi nascebatur occasio; unde plurima mala in Congregationem manaverant; dum se scilicet secundos Abbates existimabant, et obedire Abbatibus nolebant. Quare S. Benedictus potius vult, ut Monasterium sub Abbate Decani regant, singulis 10 Fratribus singuli praefecti; ut sic diuisa auctoritate unus non superbiat. Quodsi vero locus exigeret, aut Congregatio peteret Praepositum, permittit idem Sanctus creari Praepositum, sed ita, ut eum solus Abbas instituat, rationabiliter cum humilitate petitum, et per Abbatem cum consilio Fratrum Deum timentium electum. Cum Decani potissimum dirigendis Fratrum laboribus manualibus fuerint instituti; his studio literarum permutatis, officium eorum desiit; relicto in Abbatis adjutorium uno, qui subsequis Seculis in omnibus Monasteriis Prior audiebat. Non desunt tamen Coenobia, quae hodieque post Abbatem Decano subsunt.

Reliqua S. Regulae seu ad morum honestatem, seu ad rectam domus gubernationem, et singulorum utriusque vitae felicitatem pertinentia, non vacat singillatim percensere. Egregia ea sunt, et ipso effectu optime probata, qui in ejus celerrima per omnem Europam propagatione, et XIII. seculorum hodieque vigente statu elucet. Sufficiat ad ejus commendationem addere, quod plurimi ex Ordine S. Benedicti, ubi hanc regulam professi sunt, summi Pontifices, Cardinales, aliique summae dignitatis Viri prodierint, quorum numerum, licet varii Scriptores magis affectum suum erga Institutum proprium, quam veritatem sequuti, varie sistant; e sensu tamen Hefteni, Monasticarum disquisitionum Libro 2° conspicuo, sequentia sat tuto describi possunt:

Romani Pontifices (exceptis Camaldulensibus, Cistercitis, et Coelestinis, eandem regulam professis: item Antipapis) 35, e quibus 10 in Sanctorum numerum relati, educationem sui huic Regulae debent.

Cardinales S. Rom. Ecclesiae eodem modo: 198.

Patriarchae: 51.

Archiepiscopi: 564.

Episcopi ultra 4000. Item: eidem Regulae semet submiserunt:

Imperatores: 4.

Imperatrices: 12.

Reges: 40.

Reginae: 51; e quibus 18 sanctae.

Principum liberi: 146.

Principes, Duces, Marchiones, Comites ultra 240.

Erant praeterea, suntque Ordines religiosi quam plurimi, qui licet non Benedictinorum nomine venirent; tamen secundum Regulam S. Benedicti vixerant. Tales hodie sunt Mechitaristae Viennae Austriae et alibi, qui hanc S. regulam profitentur, et ad literam observant. Praeterea 12 equestres ordines, iique celeberrimi numerantur, qui sub eadem regula pro decore, et incremento Sanctae Dei Ecclesiae fuere instituti.

De numero eorum, qui S. Benedicti legem professi Sanctorum Catalogo adscribi meruere, nihil certi asseri potest. Sunt, qui 35 millibus contenti sunt; contra, sunt alii, quibus iam seculo XVII. nec 50 eorum millia suffecerunt. Id unum constat, tantum eorum esse numerum per totum orbem terrarum, ut nec approximando quidem subduci possit.

SECTIO I.

MONASTERIUM S. MARTINI DE S. MONTE PANNONIAE.

Consentientibus omnibus tam domesticis, quam exteris Scriptoribus inter Monasteria Regni Hungariae primum fuit illud S. Martini de sacro Monte Pannoniae Ordinis S. Benedicti. Condi illud coeptum est a Geysa Duce, qui postquam suasu Consortis suae Saroltae, fors etiam politicis rationibus inductus, posita idololatria christianam religionem suscepisset; sacrum hoc domicilium, velut christianae pietatis a se susceptae documentum, aedificare aggressus est circa annum 996. Quanquam vero morte praeventus ad fastigium educere haud potuerit, et filius ejus S. Stephanus opus a patre inchoatum absolverit; ita tamen eo adhuc vivente monasterium et Ecclesia videntur accommodata fuisse; ut jam tunc in id sacra colonia evocari, et in hac a Monachis officia divina celebrari potuerint.

Ecclesia.

Ecclesiam ipsam, num a fundamentis struere coeperit Geysa Dux, an veterem instauraverit, nulla certa monumenta produnt. „Verisimile est, inquit Inchofer, hoc monasterium templo jam olim dicato, sed denuo instaurato fuisse additum. Certe temporibus Caroli Magni, postquam is primum templum, quemadmodum alibi diximus, Hungaris (Avaribus) iam bonam partem ad fidem adductis Dei Genitrici fundasset, alterum vel non longe a primo quocunque tandem numero.... divo Martino locasse, constans est opinio: quippe quem non nesciebant in Pannonia natum, a Geysa Pannoniae Patronum dubio procul adoptatum; cuius etiam auspiciis Carolus Magnus Hungaros (Avares) bono eorum devicisset. Huc facit, quod Chartuitius hoc monasterium iuxta cuiusdam Praesulis sancti fundum constructum narret: ut iam insignem aliquam memoriam Martini ibi fuisse credamus, a qua et locus Montis sacri nomen obtinuerit diu, antequam hoc monasterium recens constructum esset.“[1])

Porro figura exterior Ecclesiae antiquitatem simplicem, et monasticum ritum prodit. Initio huius seculi non erat in ea videre cultum frontispicii, aut fastigiatas turres: tota moles planam lapidum sectorum compositionem, et duas turriculas ligneas, unam supra principalis portae spatium, alteram supra sanctuarium erectam ostentabat, in quibus campanae paucarum

1) Annal. Eccl. Hung. ad ann. 999.

librarum pendebant. Majorum turrium nec vestigium adest. Fenestrae ejusdem ritus et aevi angustae, et in altitudinem porrectae, ad Sanctuarium, et ad introitum Ecclesiae praegrandes visebantur. At inde ab anno 1832 plures fenestrae tam angustae, quam grandes disparuerunt: turriculas vis venti jam antea dejecit; et occidentalem Ecclesiae ingressum turris 24 orgias alta, inferne quadrata, lapidibus sectis vestita, superne rotunda, 16 Columnis lapideis summum ambulacrum sustentantibus instructa ornat, e cuius vertice crux duplicata rutilat.

Quod interiorem Ecclesiae structuram attinet: ea per totum nec pseudogothica, nec neogothica, eo minus longobardica, aut longobardo-graecanica est dicenda: sed ex omnibus participat aliquid, ut adeo si partem anteriorem recens eductam excipias; reliquum diversis seculis, inde fors a Carolo Magno usque Seculum XIV. surrexisse videri possit, uti id pluribus artis peritis reapse visum fuit. Partes ejus praecipuae sunt: Capella sub Sanctuario, Sanctuarium elevatum, Navis, Alae duae, Capella S. Benedicti, et ea B. Mariae Virginis.

Eum ornatum, qui in celebriora Germaniae, Galliae, Angliae etc. templa, velut insigne ejus aevi in Deum pietatis monumentum profusa liberalitate collatus cernitur, adeo ut ipsam Architecturae artem fere suffocaverit, hic frustra quaesieris. Navis alis suis longe altior 5 fenestris, superne semicircularibus, ceterum angustis, lucem a meridie haurit. Columnae in veteri Ecclesiae parte 8 numerantur, arcubus gothicis, rectius germanicis, mutuo nexae. Ordo in columnis anonymus, cui similis in Ecclesia S. Georgii in Bocherville ad Rhotomagum Galliae Seculi XI. medio structa visitur. In Capitellis pro Acantho folium quercus: nonnunquam sine foliis forma adeo simplex, ut opus deproperato surrexisse videatur. Columnae fasces e pluribus columnis compositos efficiunt, quod in stilo germanico familiare. Fasces hi alii 13, alii 16, et 18 columnis inaequaliter crassis constant; quorum amplissimus circumducto filo 15 pedes metitur: ceteri 12½. — Postes et arcus ostii Capellae B. Mariae V. molesto labore ornantur, uti et vicinae huic Cellulae ostium, quae olim Ostium Ecclesiae videtur constituisse, per quod ad Ecclesiam ex Arce aditus patebat, ne Religiosorum quies turbetur. Catacumbae arcus similes sunt iis Ecclesiae. Sanctuarii tholus semicircularis ornamenta, in formam stellae multis radiis distinctae, aut reticuli composita, exhibet.

Ascenditur ad Ecclesiam ex occidentali atrio ab utroque Portae latere gradibus marmoreis 19; sub dio positis, 10 longis. Porta 10′ lata, 14′ alta occidentem non plene aequinoctialem respicit. Prima templi 7½ orgias lati pars ad orgias 11 plana procurrit: inde Solum Ecclesiae 8 gradibus elevatum ad Sanctuarium usque 6° metitur, ad quod propter Capellam, nunc Catacumbam dictam 13 gradibus marmoreis ascenditur. In hoc Ara major simplicissima, sola tumba et tabernaculo ligneo deaurato absolvitur, et circumiri potest. Sed a tergo surgunt vastae Columnae quatvor marmoratae cinerei coloris, conveniente trabeatione coniunctae, altis Sanctorum Stephani, et Ladislai regum Statuis interstinctae. Medium, sub ingente fenestra rotunda, Statua S. Martini (sine equo) tenet, uti pauperi partem Chlamydis tribuit. Picta imago hoc in altari nulla. Ad latus Evangelii sedes Archiabbatialis sub Baldachino, more in Ecclesiis cathedralibus recepto constituta.

Altaria minora praesto sunt 5: quae liberalitate Chrysostomi Archiabbatis primo huius seculi decennio, aut brevi post istud pro ligneis marmorea surrexerunt. Illud B. Mariae Virginis defectu sufficientis spatii columnis caret; verum icone Deiparae 600 fl. Rel. a Pictore Viennensi Lampi parata gaudet. Ara Catacumbae columnis aeque ac icone picta destituta, solam Ser-

vatoris e Cruce pendentis sculptam imaginem exhibet. In hac Capella Sec. XVI. Generalia Ord. S. Benedicti Capitula celebrari consveverunt: quapropter singulorum arcuum absides annulis ferreis hodieque provisi visuntur, e quibus lampades, obscurum locum collustrantes, olim pendebant.

Alae templi sinistrae fornix cubilia sustentat, quorum angustae et humiles fenestrae in muro navis Ecclesiae excisae, acceptum ex ista lumen transmittunt. Haec S. Stephanum pietati peculiarius vacantem biduo triduove inhabitavisse, vetus fert traditio, nec ab aevi, nec a S. Regis moribus absona. Religiosos Benedictinos tecta ecclesiarum olim incoluisse vel Ecclesiae Deakiensis, Tyrnavia meridiem versus 4 milliaribus dissitae, structura, Sec. XIII. opus, clare demonstrat: et Dömölkini quoque Patres Benedictinos: Anselmum Maracskó, Bonifacium Lancsics, et Emericum Mákóczy, circa annum 1730, adeoque récente satis aevo, priusquam Abbas ejus Loci, Odo Koptik, Vir in paucis gnavus, Monasterium exstruxisset, antiquae Ecclesiae tectum incoluisse, et inde in 16 possessionibus curam animarum exercuisse constat.

Una harum fenestrellarum, quae cellis illis exilem lucem suppeditabant, nunc quoque conspicitur: reliquas tres totidem imagines, donum Augustissimi Archiabbatiae Restauratoris, gloriosae memoriae Francisci Imperatoris, Hungariae Regis tegunt; quarum, quae summae Arae propior, Christum in Jordane, altera eundem puerum, in templo docentem: remotissima vendentes et ementes e templo ejicientem sistit; omnes Scholae venetae debentur. Quod ibi suspensae sint, ubi eas pendere stilus fabricae, et alia adjuncta indignantur, eo factum est, quod ob enormem altitudinem alibi locum non repererint; et cum Personae, quas sistunt, ea sint magnitudine pictae, ut humanum modum excedant; nisi ab oculo juste removeantur, magis ad inutilem stuporem, aut risum ciendum, quam ad pietatem et devotionem excitandam idoneae videantur.

Ala ecclesiae dextra, quam S. Emerici Ara terminat, ad portam Cryptae, in qua Presbyteri ad initium usque Sec. XVIII. sepeliebantur, duos lapides sepulcrales, et his incisas duorum Abbatum S. Martini effigies exhibet. Harum ea, quae meridiem aspicit, Abbatis Siffridi est, jurium monasterii sui, dum vixit, tenacissimi: opposita Ladislaum II. sistit, e celebri tunc per Hungariam familia Czudar progenitum. Hujus epigraphe est: „Anno Domini MCCCLXXII. in die S. Martini obiit Abbas Ladislaus, dictus Cudar.“ Parum encomii; sed nec historia docet eum plus meruisse. Alterius inscriptio rotundatis mirabiliter characteribus sic sonat: „Anno Domini MCCCLXV. V. Idus Martii Sigfridum Abbatem coetus fratrum tumulavit, istud qui Claustrum laudabiliter repavit“ (forte pro: reparauit). Ubi notandum: diu creditum fuisse, sub lapide hujus Ladislai inquietum illum Uladislaum Poloniae Ducem, Abbatiae S. Martini Gubernatorem quiescere; qui error e superficiali epigraphes lectione ortus chronotaxim huius Wladislai inextricabilibus difficultatibus objecit.

Capellam sub Sanctuario Ecclesiae sitam, nunc Catacumbam, de qua nonnulla supra jam attigimus, eo tempore, dum Ecclesia S. Martini fine Seculi X. aedificabatur, summo in honore habitam fuisse, inde licet conjicere, quod — quamuis suo situ maximos novae ecclesiae obices posuerit; diruta vero magnam sectorum lapidum quantitatem, secus ex longinquo advehendam fuisset praebitura; — tamen diruta non fuerit, sed potius totius ecclesiae structuram ei accommodari placuerit. Quo factum, ut a tribus Capellae hujus lateribus, quibus ecclesiam contingit, terra ad 3' fuerit elevata, id quod octo gradus intra Ecclesiam contra Architecturae praecepta erigi exigebat, ne altitudo Sanctuarii baseos, nunc etiam 13 gradibus supra solum ecclesiae sibi vicinum elevata, et ab-

normis, plane enormis, et monstruosa evaderet. Eam igitur insigni aliqua religione consecratam, et summa veneratione per illius aevi mortales cultam fuisse, dubium non est.

Ingressum ad Capellam hanc ostia duo, ab utroque graduum Sanctuarii latere, politis postibus marmoreis, et clathris ferreis deauratis conspicua praebent. Altitudo Capellae 9'. Aram alibi attigimus. In muro quatuor Zotheculae visuntur diversae magnitudinis: harum, quae arae proxima est, cornu Epistolae respicit, et baptismo serviisse videtur: ceterae sacris paramentis recondendis fortasse destinatae. Fenestra 2½' longa, vix 8" lata prope sinistrum ostium adest. Sub Sanctuarii gradibus est Zotheca, rubro marmore vestita, subjectum habens scabellum aeque marmoreum, veluti sustentandis intra eam sedentium pedibus destinatum. Hic S. Stephanum Regem, dum sepositis tantisper regni curis hoc in Monasterio devotioni, quod crebro faciebat, vacavisset, sedentem sacrosancto Missae sacrificio interfuisse, vetus est traditio. — Quapropter hanc sedem non tantum fidelis Populus catholicus, sed etiam a sacris nostris alieni, qui Sancti hujus in civilem Hungariae Constitutionem merita noverunt, profunda cum veneratione contemplantur. Ibidem sub hac ipsa sede S. Stephani Placidus Lendvay Archiabbas anno 1699 defunctus: sub ara Martinus Rummer itidem Archiabbas, prioris Praedecessor, requiescunt.

Portae, quae ex monasterio ad Ecclesiam aditum pandit, nomen speciosae, nec immerito adhaesit. Ex hujus limine 7 gradibus e polito marmore rubro, mollium stratorum experte, caesis descenditur; quos secundum muri ecclesiae latitudinem oblique sectam stipat marmorea basis, tenues columellas 20 pulcra serie sustentans. Columellis altitudo 5½', diameter 4": capitella omnia deaurata. Porta e ligno durissimo, polita, auro apte distincta. Arcus 5, Columellis insistunt, congrue deaurati semicirculares. Portam hanc intuitu typi architectonici, portae principalis Ecclesiae S. Stephani Viennae, vulgo Riesenthor, modulum splendidum jure dixeris. Semicirculus arcu intimo, et superliminari comprehensus, S. Martinum, vestem cum paupere partientem exhibet.

Vetus Ecclesiae frons anno 1828 et sequentibus novam, eamque digniorem faciem acquisivit. Scilicet in locum muri, qui moenium more oblique eductus ecclesiam a ruina tueri videbatur, dirigente opus Joanne Bapt. Packh primatiali Architecto, inter continuas trepidationes feliciter diruti, surrexit turris, quae ecclesiae longitudinem pluribus orgiis auxit. Turris haec sui generis, ab omnibus aliis, ubi ubi conspicuis plurimum differt. Profundo ob solum instabile fundamento nixa, e superficie terrae, infimo ecclesiae solo novem pedibus humiliore prodiens, supra hoc 24 orgiis eluctatur, ea soliditate structa, ut non tantum semet adversus rabiem ventorum tueri, sed ecclesiam quoque a ruina praeservare possit. Hunc in finem cum hac fortissimis vinculis ferreis connexa, muros intus e tegulis, extus e lapide arenario Strigoniensi crassitie 5' usque 7' obtinuit. Inferiore sui parte usque templi fastigium, et nonnihil ultra prismatis formam refert; e cujus quatuor lateribus, quod orienti obversum est, desinente ecclesiae tecto magnam partem tegitur. Baseos prismatis latera extus 6⅓ orgias singula metiuntur. Ultra tectum ecclesiae prismati nobilibus formis architectonicis terminato insistit Cylinder, quem peristylium 16 Columnis lapideis 16½' altis constans circumdat. Peristylium hoc iis, quibus vastos terrarum tractus isthinc conspicuos lustrare placet, commodum ambulacrum sustentat. Istud septo e 96 urceis lapideis architectonicis, quos 16 columellae totidem Columnis peristylii verticaliter respondentes interstinguunt, et sertum marmoreum constringit, eleganter munitur. Hactenus gradibus, si 16 scalae rectae gradus ad campanas du-

centes demas, in cochleam dispositis, satis commode ascenditur. Supra Cellam peristylio conclusam eminet alia rotunda, cui tholus e lamina ferrea imminet. Idem tholus externe cupulam sphaericam exhibet, crucem versus nonnihil compressam. Superior Cella grandibus 8 fenestris in circulum dispositis provisa est, quarum duae portarum instar ad ambulacrum (vulgo Gallerie) educunt. Cupula illa hemisphaerica cupro tecta, maxima sui parte deaurata duplicatam crucem auratam, aurato globo insistentem, vasto terrarum tractui conspicuam ostentat: ut memineris lumen verae fidei ex hujus montis culmine late olim per nascens Regnum Hungariae arduis Religiosorum sacri hujus loci laboribus effulsisse.

Reliqua turris hujus ornamenta non vacat recensere: at fascia ecclesiae portae imminens nequit praeteriri. In hujus medio visitur Religio throno insidens, ad cujus dextram S. Stephanus diploma anni 1001 Anastasio, primo hujus loci Abbati tradit. Huic adstant Comites Regis: Poznan, Cuntius; post hos tres Religiosi habitu Benedictino. Diploma nonnihil evolutum, literis aureis exhibet: Praedicate. 1001. Ad sinistram throno proximus adstat Franciscus Imperator, Hungariae Rex, Archiabbatiae Restaurator, diploma restitutionis tradens Chrysostomo Novák denominato Archiabbati. Huic adstat Palatinus Regni, Archidux Josephus: tum pari intervallo Ladislaus Kollonics, Archiepiscopus Colocensis, ad reducendum et in pristina sua Jura et Bona restituendum S. Benedicti Ordinem eotum per Regiam Majestatem nominatus Commissarius, et Joannes Somogyi de Medgyes, Regni Hungariae Procancellarius, antea Status Consiliarius, qui in restituendo S. hoc Ordine plurimum laboravit. Hos sequuntur tres Religiosi. Diploma hoc pariter aureis literis exaratum tenet: Docete. 1802. Media inter utrumque Religio, utriusque Regis pietatem probat. Effigies Regis Francisci, Palatini, Chrysostomi, et Procancellarii verae sunt; sed errore artificis, qui Ladislaum cum Leopoldo confudit, factum est, ut non Ladislaus, qui hic munere Commissarii fungebatur, sed Leopoldus Kollonics, Archiepiscopus Strigoniensis, jam anno 1707 defunctus exprimeretur. — Materiam operi plumbum stanno mixtum praebuit. Effinxit, et fudit Andr. Schróth Strigonii Sculptor primatialis. Similem fasciam reliqua duo turris latera, sed tantum vitibus et lauris ornatam opere gypsato exhibent, eo fine, ut si olim lubuerit, his facile abrasis, effigies Personarum de Archiabbatia insigniter meritarum inseri possint. Porro turris superiore sui parte ideo rotundis tantum membris constat, ut immanem hic non raro saevientium ventorum vim facilius elidat. Inventor formae, et Architectus erat Joannes Bapt. Packh: idem, qui Basilicae Strigoniensis, quam Alexander Rudnay Cardinalis, Primas Regni tertia hujus Seculi decade moliebatur.

Si fata Ecclesiae hujus, omnium, quas Hungari unquam moliti sunt, antiquissimae quaeras, paucis habeto: Initia eius, ut jam dictum est, ignorantur. Circa annum 1000 per Sebastianum Archiepiscopum Strigoniensem dedicata, seditione Vathaiana, quae Andream I. regio throno illocavit, combusta, seculo sequente sub Abbate Davide anno 1137 „restaurata, meliorata, et amplificata“ est ita, ut denuo dedicanda videretur. Munere hoc Felicianus Archiepiscopus Strigoniensis, praesente Rege, plurimisque optimatibus functus est. Idem factum Abbate Uria, quem Rex Andreas II. anno 1225 in dedicatione cum Regina et ingenti primorum Regni numero praesens, testatur Ecclesiam hanc restauravisse, et auxisse. Sacra haec functio per Briccium Vaciensem Episcopum, Georgio I. Episcopo Jaurinensi coram Rege, et Legato apostolico Acontio sibi Jus hoc in cassum asserente, peracta fuit. — Sequioris aevi incendia, uti Sec. XVI. Gubernatore Fejérkövy, et Archiabbate Paulo Baranyay de

Eöchen, tum Sec. XVII. Archiabbatibus Placido Magger, et Aegidio Genesy solum tectum videntur consumsisse; quo restituto nova Consecratio non fuit instituta. Nihilominus muri ultimo incendio, a feritate Turcarum, Duce Karamustafa Viennam petentium profecto, adeo debilitati sunt, ut ad antevertendam ruinam eos Benedictus Archiabbas circa annum 1730 ferro constringere fuerit coactus: quo factum, ut terraemotibus anni 1763 et 1810 utcunque restiterint. Denique accedente anno 1830 turri firmata, et pluribus orgiis in longum aucta est; et ita terminata, ut nihil amplius augmenti acquirere possit.

Vestiariam Ecclesiae hujus supellectilem et amplam semper, et pretiosam fuisse, dubium non est; quam non obstante insigni Monasterii dotatione, prisco praesertim aevo pii Reges liberaliter auxerunt. Ita S. Ladislaus magnum diversi generis indumentorum sacerdotalium numerum in suo diplomate adducit, quorum permulta auro intexta, seu uti tunc usus tulit, aurifriso parata erant, „Pontificum et Abbatum ordinibus congrua.“ In his, cetera inter, duae Cappae, seu Pluvialia bullis aureis variata, unum margaritis comptum, septem aurifriso circumdata; in una pectorale aureum smaldo paratum. Idem Rex huic Ecclesiae novem Capsas cum altaribus donavit, „quarum duae auro paratae, quatuor argenteae, duae osseae. Quatuordecim cruces, quarum decem aureae lapidibus pretiosis optime comptae, una argentea: vigintiquatuor calices, quorum tredecim aurei, tres gemmis parati: quatuor thuribula, unum ex integro aureum“; Candelabra; naviculas thuriferas, cum cochleari aureo, varia vascula, urceolos, pelves, aspersoria, Scutellas, Catinos, Scyphos, omnia argentea idem diploma enumerat. [1]) Quamdiu his gavisa fuerit Ecclesia, non constat. Calicem aureum in thesaurario Ecclesiae Cathedralis Nitriensis, anno circiter 1822 exstitisse certum est; qui se olim ad hanc Ecclesiam S. Martini pertinuisse, encausto, sigillum Conventus S. Martini hujus exhibente, margini baseos afferruminato, sincere confitebatur. [2])

Sacram Ecclesiae supellectilem singulari cura conservari solitam fuisse inde conjicere licet, quod angustissimis Archiabbatiae reditibus, utpote initio Seculi XVII., dum non de nova comparanda, sed de vetere duntaxat conservanda licuit cogitare, complures Casulae, et pluvialia attalicia, id est: e solida materia sericea intexto auro confecta enumerentur in Inventario, quod Georgius Himmelreich, disperso Conventu, Archiabbatia potitus propria manu conscripsit, dum ornatum Ecclesiae, per Stephanum Szuhay Agriensem Episcopum, olim Tutorem suum securitatis ergo apud Lazarum Henkel civem Viennensem depositum recepit. Ex his, teste Chrysostomo Archiabbate, usque sublatum anno 1786 S. Ordinem unum Pluviale, et 9 Casulae supererant, pro decente ejus aevi more ita longae, ut justae staturae viro ad talos pertigerint. Ceterum Conscriptio rerum, exstincto Archicoenobio per Commissarium Regium anno 1786 instituta docet, tunc quoque hic eam Supellectilem sacram in aureis et argenteis vasis et candelabris, sacrarum item vestium splendore et numero praesto fuisse, ut eorum pretium, et copia cuique alii cathedrali Ecclesiae ornandae suffecissent. Horum nonnulla inter egentiores Ecclesias distributa: cetera, sub hasta venumibant: unde 32086 fl. summa conflata fuisse videtur; eo quod Augustissimus Archicoenobii Restaurator, alienatae Supellectilis ecclesiae titulo, tantundem renumerari clementissime jusserit. Gratus animus exigit, ne hoc loco sileatur illustris Familiae Lovászianae pietas, quae S. Ordinem serius aut citius restitutum iri non

[1]) Capsa 2. A. — [2]) Istum, cum pluribus forte aliis clenodiis Stephanus Fejérkövy S. Martini Gubernator, securitatis ergo Nitriam, ubi tunc ut Episcopus degebat, optima fide transtulerit: a cuius obitu, cum, disperso Conventu, nullus esset, qui repeteret: Ecclesiae Nitriensi addictum fuisse, facile creditu est.

dubitans, venui expositam, sic dictam Monstrantiam, ne perfidorum manibus polluereturur, 2000 fl. cum intentione eandem S. Ordini, quandocunque demum restituendo, reddendi procuraverat, et anno 1802 reapse tantidem reddidit, licet majoris aestimaretur. — Pari in S. Ordinem istum caritate Casula prae omnibus aliis aestimata, quam Augusta M. Theresia Hungariae Regina ultimis vitae suae annis propriis manibus eleganter ornatam, velut singulare in S. Martinum Confessorem devotionis, et in Archicoenobitas benevolentiae documentum Ecclesiae donaverat, reversa est. Utinam et epistolium, quo Clementissima Domina hoc suum donum comitabatur, superesset! — Hactenus de Ecclesia; nunc Monasterium videamus.

Monasterium.

Monasterium S. Martini per Geysam Ducem svasu S. Adalberti, fine Sec. X. aedificari coeptum, isto autem, anno 997 e vivis sublato, per S. Stephanum eius filium ad perfectionem perductum, pro more eorum temporum verisimiliter tribus ambitibus, utpote orientali, meridionali, et occidentali absolvebatur, ita ut hi cum Ecclesia figuram quadratam, aut ab ea parum abludentem effecerint. Igitur spatium, quod nunc hic nomine Quadraturae venit, occupabat. Quas vicissitudines tot seculorum lapsu perpessum fuerit, non satis liquet. Furente adversus omne sanctum rebelli Vatha, integrum non mansisse, dubium non est. Per Davidem, Uriam, et Siffridum Abbates restauratum fuisse constat; quod Seculis XII. XIII. XIV. factum est. Mathiae Corvini Regis aevo eandem monasterii partem fuisse restauratam credimus, indicio lapidis, muro inferioris ambitus prope Capellam S. Stephani inserti, qui annum 1486 exhibet. Ductu lateris, Ecclesiae contigui reperta sunt aliquot ab hinc annis fundamenta e secto lapide, singulis cubis 6—10′ cubicos continentibus, quae Geysae Duci merito attribuas. Quapropter primaevum illud monasterium quocunque fato deletum; et quod nunc vetustissimum novimus, adaequate in primaevi illius loco non surrexisse tenendum est.

Aegidius Karner Archiabbas, initio Sec. XVIII. novum Archicoenobii aedificium forma heptagoni educere, et 7 turribus ornare intendebat; sed vix manu operi admota, Posonium ad Regni Comitia evocatus, ibidem obiit. E quatuor turribus, huius plani ductu absolutis, duas venti vis dudum prostravit: supersunt duae tam rudi opere, ut mirum sit, Virum hunc in ornanda porta speciosa, et Catacumbae introitu adeo aestheticum hic adeo sibi ipsi dissimilem comparere.[1]) Merito igitur displicuit successoribus idea Karneriana; continuatoque eo tractu, quem inchoaverat, a systemate eius recessum est. — Quindecim ab obitu Aegidii annis evolutis Benedictus Archiabbas latus monasterii, ut nunc est, boreale, et orientale, uti et aedes hospitum meridiem spectantes potissimum a fundamentis erexit: latus vero, cuius partem veteris monasterii latus meridionale efficit, nonnihil reformavit, et occidentem versus 10 orgiis produxit. Quod ab huius extremo fine occidentem spectante, aquilonem versus aedificium continuare, et fors cum borealis tractus extremo fine coniungere intenderit, prostantes ex absoluto hoc muro, iuxta legem artis, dentatim versus eam partem tegulae (Germanis Schmatzen) praeconcepti murorum ductus indices, anno adhuc 1830 arguebant; quo murus ille decussis prostantibus tegulis coaequatus, et alba calce tinctus fuit.

---

[1]) Informes turres cupro tectae fuisse dicuntur; quod suppresso S. Ordine scandulis permutatum fuit.

Benedictus, terminato, ut videtur praesente monasterio, marmori quadro, inferiori Quadraturae muro inserto hoc memoriale incidi iussit: „A memoria hominum ad annum usque 1734 hic fuit ingressus in Refectorium gradibus... quatuor situm profundius, quod occidentem versus, ubi nunc praelatura est, protendebatur, et capacitas totius monasterii hoc exiguo quadro continebatur, usque dum Dei adjutorio sensim ad ampliora exaedificatum fuisset. L. I. XST." (Laudetur Jesus Christus.)

Educti, iussu Benedicti Archiabbatis, aedificii pars, quae in extremo borealis tractus fine, Capitulo, et quod huic subiectum erat, museo theologico, hisque praefixae turri campanas maiores sustentanti locum praebuit, ipsis centum annis perduravit: et licet totus ille tractus aestate continuis pluviis fatigata surrexerit; firmissime tamen cohaerebat, arena ad mortarium Comaromio ex Danubio advecta coagulatus, ita ut summis viribus ad eum disiiciendum opus fuerit. Etenim pars illa, anno 1823 solo aequata Bibliothecae, praecipuo loci huius ornamento, locum cedere coacta est, Capitulo ad novas aedes inter hanc, et Ecclesiam translato. Cetera hactenus manserunt; quibus quod augmentum, quae mutatio in regiae huius Fundationis decus immineat, modulus dirigente supramemorato Architecto Joanne Packh, in flore aetatis violenta morte, scelerata manu, sublato confectus, eleganter monstrat. Idem praestant ichnographiae singulorum tractuum, per eundem paratae. Istae in Archivo domestico: ille in Bibliotheca conservatur. Sed ea tempora vivimus, quae vix remotam spem admittunt, ut, quae modulus contracta magnitudine ideae instar exhibet, in vera extensione sua unquam contemplemur; aut in usum intentum convertamus.

Bibliotheca.

Iniecta mentio Bibliothecae monet, ut ad eam parumper subsistamus. Monasterium S. Martini, utpote Regulam S. Benedicti profitens, vi sui instituti, carere bibliotheca nunquam poterat. Istud eo fidentius asseritur, quod notum sit, primum in eo totius Hungariae ludum apertum fuisse literarum, quas ibi se puerum condidicisse S. Maurus Quinqueecclesiensis Episcopus, S. Stephano regi coaevus, testatur. S. Ladislaum eam 72 voluminibus ecclesiastici potissimum, deinde rhetorici et poëtici argumenti auxisse, diplomatice constat. Inter cetera tres Catones, duo Donati, Lucanus, Invectivae Ciceronis, Psalterium gallicanum, hebraicum et graecum nominantur; non obscuro indicio, praeter classicos auctores latinos, etiam linguas sacras, imo et gallicam isthic tractari consuevisse; aut certe aliquos Religiosos Gallos non defuisse, quales soli Monasterium S. Aegidii de Simighio, ab eodem hoc Sancto Rege fundatum incolebant, ex eo S. Aegidii Galliae illuc deducti.

De ulteriori Bibliothecae huius per singula secula statu nihil adferri potest, quam quod sinistro monasterii per Hungaros duce Vatha, tum per Tartaros, demum per Turcas exusti, et direpti fata hanc quoque afflixerint; secuta vero Archicoenobii anno 1786 abolitione, reperta librorum collectio Bibliothecae regiae Universitatis hungaricae illata fuerit. Restituto post annos 16 S. Ordine, gloriosae memoriae Restaurator Franciscus pro suo iustitiae studio, libros quoque restitui iussit; verum, cum ex variis abolitis Monasteriis libri eodem delati magnum duplionum, imo decuplionum numerum peperissent, ideoque plures eorum durante abolitione vendi necesse fuerit; ii tantum poterant restitui, qui sortem venditionis effugerunt. Unde factum est, ut ex ablatis 4249 Voluminibus non plura, quam 757 volumina redierint: inter quae Bullarium romanum; Mansi Collectio Conciliorum; Alberti Magni opera; et Biblia gallica, edente Sacy, praecipua. Resolutum clementissime venditorum libro-

rum pretium Archiabbas Chrysostomus in subsidium belli obtulit.

Atque hoc erat initium praesentis bibliothecae anno 1802; quae iam hodie ultra 76000 Voluminum numerat. Incrementum hoc maxima parte parato aere, potissimum e sublatis ineunte Seculo hoc Germaniae Monasteriis acquisivit: dum Chrysostomus eruditionis fama celeber Archiabbas, occasione usus, solerte opera P. Romani a S. Venantio Carmelitarum Discalceatorum tunc Prioris Viennae degentis, tum Ivanicsii Budensis Antiquarii Bibliopolae adiutus, nullis sumptibus pepercit, ut quamplurimis optimae notae libris, non tam raritate, quam utilitate sua commendatis, eam ex omni argumentorum genere ditaret. Reliquum, illo ob grandaevam aetatem ad honorificam quietem reposito, Paulus Horváth Abbas S. Aniani de Tihan, et totius Congregationis Regens, ceterique in munere successores utplurimum perfecerunt; exceptis, quae aut a Membrorum S. Ordinis huius obitu, aut alienorum in hunc benevolentia interdum accesserunt.

Divulgata enim Chrysostomi Archiabbatis, augendae Archicoenobii penus literariae promtitudine, complures viri in ecclesiastica dignitate constituti, cum viderent in S. Monte Pannoniae libros in pretio, et amore haberi; bibliothecas suas Archicoenobio, alii dum viverent tradiderunt, alii testamento legaverunt. Ita Georgius Frank, Canonicus Jaurinensis, Abbas Mellei Fontis, Vicarius et Caussarum Auditor Generalis Capitularis, Philosophiae et Theologiae Doctor, anno 1804, 136 varii argumenti opera selecta in 323 voluminibus donavit, adiuncto epistolio huius tenoris: „Nota Illustritatis Vestrae eruditio, sacratiorum literarum amor, et bonas artes provehendi studium non minus, quam Illustritatis vestrae regimini subjectorum creditam sibi juventutem scholasticam in amoeniori literatura erudiendi fervor non aliud praesagiunt, quam nobile S. Martini sacri Montis Panoniae Coenobium, quod suis in primordiis Hungariae, qua late patet, fidei lumen intulit, novissimis his temporibus eruditionis celebritate Patriam nostram ornaturum, et in praecipuum optimarum artium, et sacrarum scientiarum emporium evasurum. Haec mente revolvens, unaque existimans, in nullos meliores, utilioresque usus bibliothecae meae partem converti posse, delectos ex ea, ac hos inter quosdam non passim obvios... in praedicti Coenobii proprietatem transituros libros, una cum advoluto eorum indice submittere praesumo.“ [1]) Vir iste communi existimatione praeclarus, anno ab hac donatione 18-° Jaurini obiit.

Hunc imitatus est Joannes Ev. Schober, Electus Episcopus Serbiensis, Abbas B. Aegidii de Simighio, Collegiatae Ecclesiae Posoniensis ad S. Martinum Praepositus Major, olim Societatis Jesu Presbyter, cum singulari grati animi sensu memorandus: qui suam librorum collectionem 1470 Operibus in 3200 circiter Voluminibus, selectis omnino, et venuste compactis, insignem, Archicoenobio anno 1809, citra ullum onus legavit. Tertius, qui similiter benevolum suum in Bibliothecam hanc animum testari cupiebat, erat Michaël Antonius Paintner, Electus Episcopus Noviensis, S. Caes. et R. Ap. Maiestatis ad Exc. Cancellariam Regiam Hungarico-Aulicam Referendarius, Praepositus de Rátóth, et S. Adalberti de Jaurino, antea Districtus literarii Jaurinensis Superior Studiorum et Scholarum Director regius etc. Sed huius pia intentio effectu caruit. Testamento enim, quo, cetera inter Bibliothecam suam, ultra 4000 Operum, in 6506 voluminibus numerantem, Coenobio S. Martini anno 1825 legavit, ob defectum externarum, ut aiunt, solennitatum

[1]) Fasc. 70. ac.

omni vigore destituto, post leves velitationes juridicas pretio ea, sed eo moderatiore a Ven. Capitulo Jaurinensi obtenta isthuc migravit, quod de sincera defuncti eam donandi mente ultimum usque vitae articulum constanter eadem, nullus eorum, quorum id intererat, dubitare potuerit.

Anno 1834 Michaël Berghoffer El. Episcopus Serbiensis, Canonicus et Praepositus Major Jaurinensis, Abbas S. Georgii Mil. et Martyris de Gottál librariam collectionem suam pariter testamento, sed magis efficace, Archicoenobio, cum onere singulis mensibus duo Sacra lecta celebrandi, reliquit. Hoc pio legato 1263 Opera in 2302 voluminibus accesserunt. Denique Josephus Job Parochus in Mauer, Dioecesis Viennensis Presbyter, 400 circiter varii argumenti opera erga unum Sacrum lectum annue absolvendum legavit.

Accesserunt praeterea libri a defunctis S. Ordinis membris relicti: e quibus potissimum memoratu dignus venit saepe laudatus Chrysostomus, qui restituto S. Ordine, Quinqueecclesiis ad S. Martinum 7273 Opera secum attulit, ab eius obitu Bibliothecae illata. Tum Tobias Mollik, SS. Theologiae Doctor, et SS. Dogmatum primum Agriae, dein in R. Scientiarum Universitate Budae, denique in Seminario Jaurinensi Professor: item Collegii Jaurinensis Ord. S. Benedicti Superior, et R. Archigymnasii Localis Director, anno 1823 defunctus: qui non tantum praeclaros theologici ordinis auctores plurimos possedit, verum ipse quoque dogmaticam Theologiae sectionem pluribus eruditis operibus typo excusis ditavit. Postea in plurimis aliis literalia subsidia conquirendi amor enituit: quos inter Chrysologus Körmendy, R. Gymnasii Comaromiensis Director, et Residentiae Superior; Raynerius Eder, Gymnasii Posoniensis Professor; Adalbertus Bresztyenszky Abbas S. Aniani de Tihan, AA. LL. et Philosophiae Doctor, Matheseos in R. Academia Jaurinensi multis annis Professor; Marianus Kuesera, R. Academiae Prodirector, Collegii Jaurinensis Superior; Leander Stanke, AA. LL. et Philosophiae Doctor, Philosophiae in R. Scientiarum Universitate Hungarica Pestini Professor publicus, cujus praematurum obitum recente adhuc luctu prosequimur; denique Bonifacius Maar, Philos. Doctor, XXX. annorum decursu Historiarum publicus Professor, qui dum edendae patrio idiomate Historiae universali operam daret, cholerae morbo succumbens, IV. millia voluminum reliquit: quae non tantum interno pretio literario, sed ut plurimum externa etiam forma, qua nitent, lectorem alliciunt. Denique Gymnasio Posoniensi ab Ordinis Benedictini administratione abstracto, plura voluminum millia Collectionem hanc auxerunt.

Quod Bibliothecae figuram attinet: ea duobus Oecis, formam inversae literae T exhibentibus, rite mutuo connexis absolvitur: quorum rectus, et nonnihil major, anno 1824 per Architectum Viennensem J. Engel, cuius opera Princeps a Lichtenstein ordinarie uti solebat; alter transversus et figurae ovalis, per Joannem Packh Architectum primatialem Strigoniensem anno 1832 structus est. Qui cum a duabus tantum fenestris, iisque septemtrioni obversis lumen acquireret, supra fornicem, et tectum adplicitae sunt 16 fenestrae situ verticali, totidemque specula plana, quae lucem e summo ad Oecum derivant. Oecum exteriorem, seu minorem ornant 16 Columnae ordinis Jonici marmoratae capitellis ligneis auratis: interiorem similes 20. Hae utrobique ambulacrum aeque marmoratum sustentant, per quod ad 66 superioris tractus scrinia accessus patet. Reliquum ornatum praebent: 1.° picturae in laqueari, Minervae scilicet, et Veterum in Oratoria, Poëtica, aut aliis artibus aut scientiis insignium. 2.° Protomae aliquot Hungarorum de patria bene meritorum, subscriptis nominibus: octo anonymae. 3.° Statua S. Stephani Fundatoris, et Francisci I. Regis, ut

Restauratoris Monasterii. Tam hae, quam illae, uti et Genii artium in Oeco majore, et figurae in frontispicio lapidi profunde incisae opus sunt Josephi Klieber, in Instituto polytechnico Viennae Sectionis plasticae Caesareo-regii Directoris. 4-° Solum marmore rubro albo interstincto symmetrice constratum. 5-° Scrinia omnia, et Januae omnes eiusdem coloris, ex ceraso, politae, ornamentis ex architecturae legibus desumtis provisae. Contra Clenodiis antiquariis, puta Codicibus manuscriptis, aut primis artis typographicae incunabulis fere destituitur ; id quod recens huius Collectionis initium satis excusat. Certe inde ab anno 1802 in singula huius generis volumina mille et ultra florenos effundere, prudens oeconomia non permisit. Non tam pretiosis, quam utilibus libris conquirendis operam dari placuit, prout scilicet non avara quidem, sed nec prodiga manu publicis oneribus admensi Archiabbatiae reditus, et iniquitas temporum sinebant. Adsunt tamen duo Codices e seculo ut videtur XIV., quorum unus membranaceus non inelegans, Sacram Scripturam utriusque foederis continet. Adsunt etiam 155 Opera inde ab anno 1468 usque 1500 impressa, inter quae Biblia sacra Basileae annis 1470 et 1490, alia item Venetiis anno 1483 edita; tum Sanctorum Augustini, Hieronymi, Thomae, Bonaventurae etc. nonnulla opera eminent.

Latera bibliothecae stipant utrinque conclavia, in quibus boream versus Collectio iconum, seu Pinacotheca, et Dactyliotheca: austrum versus ea Conchyliorum, vegetabilium, mineralium, numorum, et aliarum antiquitatum conservatur. Harum quoque initia ineunte seculo praesente jacta sunt; sed insignia singularum incrementa sibi Thomas Archiabbas vendicat, cui Pinacotheca praesertim et Numismatica, quidquid spectabile possident, soli debent. Numismatica quidem collectio hungarica mox post sublatam Societatem Jesu a Stephano Kaprinay emta priore iam seculo exstitit, eaque aureis praesertim numis dives: verum haec, non Budam, quo cetera, sed Viennam ablata, hodieque ibidem seorsim custodiri dicitur. — Omnibus his Collectionibus una cum bibliotheca custodiendis deserviunt aedes 16° longae, 13° latae, 5° altae, occidentalem Archicoenobii angulum occupantes.

Tabularium.

Duplex Tabularium, seu prout passim apud nos audit, Archivum in S. Martino locum habet: unum domesticum, quod nostrorum jurium omnis generis praesidia complectitur; alterum, quod Regnicolarum Contractus, potissimum perennes, testamenta, diplomata nobilitatis etc. fidei Conventualium plenae securitatis caussa concredita custodit; unde Archivum hoc regnicolare, et Conventus noster, Locus credibilis, alias authenticus dicitur. Talia loca prioribus Regni seculis plurima fuere. At serius eorum numerus partim lege Regni, partim desolatione Monasteriorum et Capitulorum cathedralium multum est imminutus. Antiquissimus S. Martini Conventus (rectius Capitulum) honore Loci credibilis usque ad sui dispersionem, quae Seculi XVI. fine accidit, gavisus est; quem, licet postliminio iam anno 1638 fuerit restauratus, tamen non prius, quam anno 1723 in Conventu Regni totius una cum vetere suo Sigillo recuperavit, cuius epigraphe sic sonat: S. Capituli S. Martini de Sacro Monte Pannoniae. O. S. B. — Hodie praeter Capitula Ecclesiarum metropolitanarum et cathedralium, atque Capitulum Ins. Eccl. Collegiatae Posoniensis, 5 duntaxat Conventus Religiosorum hac praerogativa gaudent, utpote: S. Martini noster, S. Adriani de Szalavár, S. Crucis de Lelesz, S. Joannis de Jászó, et S. Michaëlis de Csorna. His accedit imaginarius Conventus S. Benedicti de juxta Grón; cuius, utpote non exsistentis, Con-

ventuales per seculares Sacerdotes quodammodo supplebantur. Inde a 6 annis omnis tam Capitulorum, quam Conventuum hoc nomine agendi facultas ad solam instrumentorum literariorum ex Archivis expeditionem restricta est.

Archiva haec olim nec Protocollis, nec scriniis, nec Fasciculis quidem distinguebantur, sed promiscue singulis horum inseri solebant Literae, seu illae Abbatiae S. Martini, seu aliorum Regnicolarum jura tuerentur. Istud eo consilio locum habuisse videtur, ut, imminente praesertim periculo, eandem curam salvandis Literis Regnicolarum adhibere cogerentur Conventuales, quam suis propriis, velut maximi pretii thesauro, summam impensuros nemo poterat dubitare. Status iste anno 1768 Benigno Decreto Regio cessavit, quo Conventus S. Martini Chartas regnicolarum ex Archivo suo domestico eximere, distincto Protocollo inscribere, seorsimque deinceps conservare jussus est. —

De antiquis utriusque huius Archivi, olim, ut dictum est, uniti fatis, cum ipsum de se obstinate taceat, parum certi novimus. Detrimenta non mediocria passum fuisse, sicut certum est; ita mirum non est, si memoriam eorum repetamus, quae huic Asceterio inde a seditione Vathaiana, medio Sec. XI. in sacras personas, et loca Deo vero dicata saeviente, usque ad sui abolitionem anno 1786 decretam sinistra evenerunt. Deesse enim nobis non pauca S. Stephani, et primorum Hungariae Regum diplomata inde conjicimus, quod Regum, qui Andream I. sequuti sunt, Chartae non raro antiquas donationes regias memorent, quarum documenta non adsunt. Quid? quod nec praedii, P a n n o n i a dicti, cui Monasterium S. Martini insidet, possessionem instrumento, S. Ladislai actatem praecedente, docere possimus. Initio Sec. XIII. et postea U r i a s Abbas S. Martini, augendis et conservandis loci huius juribus natus, Archivum hoc pluribus Summorum Pontificum aeque ac Hungariae Regum solennibus literis auxit; quibus ab indomita Tartarorum rabie salvandis qua ratione consuluerit, nescimus quidem: at, quum hi Monasterium teste Rogerio per ipsum Uriam fortiter defensum expugnare nequiverint, salvum ab iis mansisse, dubio vacat, eo magis, quod Decreta Regum, Rescripta Pontificum, literae Judiciales et alia, quae illam regni catastrophen praecesserunt, hodieque praesto sint.

A clade Mohacsiana propinquante Turca periclitabantur in sacro Monte omnia, et in his Tabularium; cuius securitati consulturus Matthaeus de Tholna Archi-Abbas, illud cuiusdam Alberti Tarcsy, nobili genere nati, fidei commisit. Qui cum id anno 1558 integrum reddidisset, Conventus, communi eius aevi calamitate inops, in grati animi tesseram, vineam eius in Szent-Márton a consveto nonae et decimae onere in perpetuum immunem, obtento desuper Ferdinandi I. Imp. et Regis privilegio, pronunciavit. Ubi postea idem Archivum, infuso in Hungariam anno 1593 turcico exercitu delituerit, nullo certo auctore liquet. Viennae tamen asylum reperisse inde licet conjicere, quod teste Georgio Himmelreich, initio Sec. XVII. Archiabbate omnis S. Martini supellex pretiosa Viennae apud Lazarum Henkell,[1]) praedivitem Civem fuerit deposita. Unde verisimile videtur, eandem providentiam potiore ratione ad servandum Tabularium extensam fuisse. Potius profecto paramenta et vasa sacra, quae adridente fortuna serius denuo parari poterant, quam jurium loci praesidia nullo aere, nullo auro am-

1) Huius viri honorifice meminit Decreti II. Mathiae Imp. et Regis Artic. 54., quod in summa necessitate pecuniam suam ad certas fodinas mutuo dederit, ita, ut „si praesente pecunia non subvenisset, eae cum irrecuperabili damno totius regni desolatae fuissent.“ Idem articulus eum, aut eius posteros et heredes indemnes praestari jubet quidem: an tamen id factum sit, Artic. 46. 1622 in dubio relinquit.

plius parabilia fortunae aleae committi decebat, et oportebat. Quemadmodum autem Archiabbas Georgius pretiosa illa se Vienna integre recepisse, et accurate conscripsisse ait, ita suum Archivum indidem revocavisse videtur, ex quo et ipsum Archiabbatiae jura egregie tuitum, et eius e vestigio successorem, Mathiam Pálffy ex eodem Archivo arma ad evincendam suam immunitatem adversus Synodum provincialem anni 1638 sumsisse constat.

A restaurato per Ferdinandum III. Imp. et Regem Conventu S. Martini, Tabularium isthoc non in Conventu, sed incursantis Turcae metu, securitatis ergo, intra munimentum Jaurinense servabatur, ubi etiam Archiabbates eotum ut plurimum degebant. Et, licet Nicolaus Bercsényi, Francisci Rákóczy copiarum Dux initio Sec. XVIII. Archiabbatem in S. Martino jusserit residere; ut tamen Archivum, et alia pretiosa Jaurini, loco a confoederatorum impetu securo manerent, non tantum indulsit, sed ultro svasit. Quo tumultu feliciter sedato, decennio post Benedictus Archiabbas, postquam Turca procul retruso nulla ei extra Monasterium suum degendi caussa suppetebat: quo legi Tridentinae de Residentia obsequeretur, ordinariam sedem in S. Martino fixit; eodemque et Archivum ipso suae dignitatis initio transtulit. Cuius usum ut sibi faciliorem redderet, vetera documenta, quibus probandi vim inesse censebat, in LXXII. Capsas digeri, hisque singula notato Capsae, ad quam pertinerent, numero, et currente litera inseri; denique, ut antiquis Chartis eorumque sigillis parceretur, cauta et fideli manu in libros transscribi fecit; ne ea, nisi per Judicium in lite postularentur, e suis Capsis protrahi necessum esset.

Redactum hac ratione in meliorem ordinem Tabularium, anno 1759 insignibus documentis literariis 28 diminutum fuit, quae, velut publicum Regni statum tangentia, mandato Ludovici Comitis de Batthyány, Regni Palatini, Ladislaus Barinay de Monostor, Exc. Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici Consiliarius, et Cancellariae Director in universali Archivo regni (exigente id Caroli III. Regis Decreti II. Art. 45.) deponenda, Posonii e manibus Danielis Somogyi de Medgyes, Ven. Conventus S. Martini Prioris percepit. — Abolito deinde 4ª Decembris anni 1786 per Josephum II. Imp. Archicoenobio, Archivum eius domesticum altissimo jussu mox ad Excelsam Cameram R. Hungarico-Aulicam Budam migravit. Contra Regnicolare anno primum sequente Jaurinum ad ejatis Capituli Archivum pariter Regnicolare translatum est, ita ut in distincto scrinio depositum, et plene separatum servaretur; ut si sublatum nunc Conventum olim restitui contingeret integrum ei facili negotio redderetur. Eadem providentia etiam ad domesticum extensa fuit.

Non cassam fuisse providentiam, eventus docuit. Anno namque 1802 Archicoenobium S. Martini, justitia et pietate Glor. Record. Francisci II. Roman. Imperatoris, et Hungariae Regis Apostolici, totius Regni voto clementer restauratum, quum jure postliminio in integrum fuisset restitutum, Loci quoque credibilis honorem, authenticum Sigillum, Archivum regnicolare et domesticum recepit. Utriusque tunc traditio parum negotii facessivit. Non ita translatio; quae, praesertim illius domestici, Budâ ad S. Martinum singularem curam in muniendis adversus noxam documentis deposcebat. Haec Danubio quidem citra diuturni attritus et conflictus mutui noxias vices committi poterant: sed perfido elemento thesaurum credere merito displicuit. Currus igitur adhibiti, qui totum quidem perire momento non sinerent; at, quin complura, tenuioris praesertim moduli sigilla cerea plus minus per iter quatridui paterentur, nonnulla etiam confringerentur, evitatum non fuisse, dolemus. — Ceterum, quod paucis exsulibus contigit, Archivo domestico sedecim annorum exsilium Budae

profuit eo nomine, quod ab Exc. Camerae R. homine insignes documentorum suorum Extractus obtinuerit, qui, quod olim Capsarum digestor improvide neglexit, alphabetico Praediorum, Possessionum, et quorumvis aliorum objectorum ordine, et chronologica serie accurate digesti, singularum Chartarum Capsam et huius literam, sub quibus in Archivo reperiuntur, designando, Archivarii in exquirendis pro re nata documentis laborem alias molestum magno temporis et operae compendio in jucundum convertunt.

Universum Archivum domesticum tribus cumulis constat, quorum primus originalia Acta vetera ab anno 1001 usque finem fere Seculi XVII. continet. Alter Acta pariter vetera, sed tantum transsumta: originalia vero ab anno circ. 1700 usque 1802, quo Archicoenobium hoc revixit, in Fasciculis 86 complectitur. Tertius et postremus Acta recentiora comprehendit Fasciculis 90, quae inde ab anno 1802 Archivo illata fuerunt. Pretium ab antiquitate primus tantum cumulus obtinet, cuius 72 Capsae[1]) 2540 documenta numerant. Ex his integris sigillis gaudent 1224. In membrana exarata sunt 737. Humore adeo vitiata, ut legi nequeant 55. Lacera 87. — Bullae Summorum Pontificum 138. Decreta Regum praeter Mandata judiciaria sunt 228. Hungarico idiomate scripta sunt 307. Germanico 9. — Antiquissimum, quod adest, hungaricum, annum 1553 praefert; cetera maximam partem Seculum XVII. peperit. Denique trium primorum Regni Hungariae seculorum instrumenta literaria numero CCLXX possidemus, quorum V ad seculum primum; XXV ad sec. secundum; reliqua CCXL ad tertium pertinent. Cunctis, velut inter stellas luna minores, praefulget Diploma S. Stephani, primi Hungarorum Regis et Apostoli, anno 1001 scriptum, et Monasterio huic nostro traditum; quod non tantum ut fortissimum jurium nostrorum praesidium, verum etiam ut insignem sanctissimi Regis reliquiam sacram cum universo Regni Clero et populo catholico proni veneramur.

Tricollis Pannoniae.

Montem Pannoniae ab oriente accedentibus in justa distantia tres colles apparent, quorum unus, boream respiciens, ipsum monasterium et Ecclesiam vertice sustentat, ab ima valle rivi, Belae IV. Regis aevo Pannosi, nunc vulgari idiomate Pánzsa dicti mille circiter orgiis dissita prope ad 80 orgias Vienn. assurgens. Huius situm, cum monasterio communem, quem in globo terraqueo occupat, Longitudinis gradus 15° et 25′ a meridiano Parisiensi; Latitudinis vero 47°, 33′ determinant. — Alterum collem, isto nonnihil altiorem Capella B. M. Virginis ornat, sub qua Archicoenobitae isthic vita functi sepeliuntur. Medius inter hos, utroque aliquantum altior in montem Calvariae formatus est; unde tres cruces cum duabus Statuis lapideis, ea nempe Matris Dolorosae, et dilecti Discipuli ostentat. Ab his collibus ob veterem loci celebritatem et sanctitatem saepe sacer tricollis totus Mons audit, quem Regni Hungariae Insignibus fuisse olim insertum, non deerant, qui dixerint; nescio, an et crediderint. Ceterum licet eo tempore, dum tricollis quiscunque ille demum in eo Insigni locum obtinuit, de nostro tricolle nec cogitatum fuisse, fere certo asseri possit; si tamen in memoriam revocemus, primam Crucem, signum redemptionis nostrae, dum Hungari Christum colere coeperunt, ex isto tricolle rutilavisse, et Apostoli decus in S. Stephanum, potissimum ex Religiosorum huius tricollis incolarum apostolicis laboribus fuisse derivatum: fatendum est, nullum alium, praeter

1) Quod recurrentes in decursu huius operis identidem Capsae, et nonnunquam Fasciculi se ad isthoc Archivum referant, nemo non videt.

S. Martini tricollem magis idoneum exsistere, cui Crux duplicata in Hungariae Insigni decentius, et convenientius infigeretur.

Mons iste Pannoniae, geognostice spectatus, nec inter originarios, nec inter secundarios referri meretur: nihil enim est aliud, quam congeries arenae, fors ventis orientalibus allatae, limo rarissimis intervallis conspicuo. Nullus in eo lapis praeter arenarium, et hunc plerumque friabilem, aut brevi aëris externi influxu fatiscentem. Aqua prope verticem nulla; in verticali tamen a culmine 30 circiter orgiarum Vienn. distantia puteos ad XVI, et ultra perticarum profunditatem effossos fovet, qui aquam salubrem moderata mensura suppeditant. In hoc aquae defectu a memoria hominum ex puteo in foro Oppidi S. Martini sito aqua fere per 600 perticas clitellarie promovebatur; sed cum istud aucto sensim Archicoenobitarum numero, saeviente praesertim hieme, et viis nivium copia, vel glacie impeditis, plurimis periculis et summis difficultatibus obnoxium evasisset; imo hortum quoque monasterio vicinum aquae defectu laborantem nonnihil juvare placuisset: anno 1840 Archiabbas Thomas magno sumtu paratam machinam hydraulicam procuravit, quae aquam per tubos ferreos ex puteo 62 perticis humilius sito per 400 perticas ad monasterium protrudit.

Non minorem molestiam creabat, creatque lapidum utilium defectus, qui ad quosvis usus e longinquo petuntur. Ecclesia S. Martini primitus e quadrato lapide calcareo coaluit: Monasterium quoque ex eodem saxi genere surrexisse, fundamenta circa ecclesiam hodieque latentia, occasione aquaeductus ferrei, in area orientali depositi, effossa probant. Unde tanta moles advecta sit, non constat; certe tota Jaurinensis Provincia, si arenaceum demas, saxo caret. At Vesprimiensis circa Zircium, Bakonybél, et alibi, uti et Strigoniensis circa Tatam lapide calcareo huius speciei abundat. — Nam praedium Keresztur, duobus tantum milliaribus a Monte nostro remotum, partim justo molliorem, partim nimis durum, et rigidum lapidem propinat: a quo, uti is nunc est, Lapicidae manus et ferrum abhorret.

Tantus lapidis idonei defectus caussa fuit, quod viae ad monasterium ducentes ita olim fuerint comparatae, ut citra vitae periculum iter carpento per huius montem institui raro potuerit. Ea nempe via in angustis vallibus, imo voraginibus fuerat vehiculis assignata, quam delabentes ex lateribus montium aquae sibi ipsis paraverant: quam proinde singuli imbres, aut resolutae nives exeso molli solo, penitus corrumpebant. Non raro ingentes terrae moles diuturnis pluviis, aut rigido gelu a reliquo monte una cum arboribus avulsae ad viam ruebant, quod vice quadam praetervecto Archiabbate Chrysostomo, vix ad 30 perticas distante, accidit.

Igitur anno 1830 neglecta via profunda, quae sub Monte B. Mariae Virginis sursum tendebat, illa, quae nunc Jaurino venientes excipit, in aperto montis latere magno sumtu parari coepit, adnexo canale lapidibus strato 6 et ultra pedes lato, qui aquam citra detrimentum viae devehat. Huic similis, sed magis ad legem exacta, sequente anno structa est, in opposita montis parte, detracto ad 10 orgiarum altitudinem montis latere, quo veteris viae abyssus compleretur.

Solum montis S. Martini arenam plus minus argilla mixtam continere, iam supra dictum est. Terra haec fere tota vitibus, intermixto legumine, solano, zea, et oleribus consita est; quae inter eminentes arbores fructiferae cum alias, tum efflorescentiae inprimis tempore amoenum oculo, in quodcunque latus evaganti spectaculum praebent: ita, ut tunc in medio horti voluptuarii te degere existimes. Eodem faciunt vicina promontoria Ravazd, Ács, Nyul, Baráti utrumque, et Csanak ab occidente: item Pázmánd, Saág et Nyalka ab oriente,

et septemtrione pleraque silvis coronata; quorum tria haec S. Martino contigua; illa ubi occipiunt 1200 orgiis remota Jaurinum versus ad sesqui milliare procurrunt.

An plaga haec, et nominatim terra S. Martini vitem sub adventu Hungarorum, aut saltem S. Stephani aevo aluerit, certo doceri nequit. Diploma huius Sancti de decima vinearum Comitatus duntaxat Sümeghiensis loquitur. Diploma S. Ladislai enumeratis, quae tunc ad Monasterium hoc pertinebant, praediis, 88 Vinitores, et 74 Vineas, velut recapitulando memorat: sed ubi locorum hae Vinitorum mansiones, aut vineae sitae fuerint, non definit. Abbas Urias anno 1226 vinum in solo Ravazdiensi tunc Ruazd, procreatum mensae abbatiali addixit; cuius situs quum maturandae uvae longe sit eo deterior, quem nonnullis S. Montis Pannoniae collibus natura tribuit, verisimile fit, hos prius jam vitibus consitos fuisse.

Non parvum huic monti decus inde quoque accessit, quod teste Anonymo Belae Regis Notario, Cap. 50. Arpadus, magnus ille Hungarorum dux, postquam ad eius pedem e fonte Sabariae[1]) cum suis bibisset, eum conscenderit; et immensum, qui se hinc spectandum exhibet, terrarum tractum contemplatus, visa pulcritudine terrae, tantopere fuerit delectatus, ut eius pro se, et suis occupandae cupidine tactus, illico ad debellandos, qui eam tenebant, Slavos et Pannonios festinaverit. Et profecto copiosa sunt, quae oculum sereno coelo aut cominus invitent, aut eminus alliciant. Super tractu collium vitiferorum plagam coeli ab occasu hiemali usque aestivalem terminantium eminet Nivalis Austriae, Germanis: Schneeberg 19 milliaribus geogr. distans, item catena montium Soproniensium. Sequuntur montes Carpathici ad Hamburgum Austriae, tum Posonienses, cum Capella B. V. M. in Monte, arce, et Calvaria Posoniensibus, ad 10 milliaria dissitis, item arce Vörösk ad 15. Demum montes Nitrienses cum reliquiis veteris Abbatiae de Zobor; postea Barsienses, et Honthenses cum monumento Koharyanae in Archiducem Josephum, Regni olim Palatinum devotionis in vertice montis Szitnya ad Schemnicium, 17 milliar. remoto, et oculo armato conspicuo. Hos excipiunt montes Comaromienses, Strigonienses, Albaregalenses cum suo minace monte Csóka, et Vesprimienses, qui Jaurinensibus optice contigui, circulum concludunt. Item ex unico monasterii latere, Orienti obverso, ultra 80 partim praedia, partim pagos, oppida, et urbes spectare licet; e quibus Comaromium, Tata, Szöny, Kisbér, Érsekujvár, Bábolna, praecipua. E latere monasterii boreali Jaurinum, et Ovarinum cum adsitis pagis, praediis, et Fabricis: insula vero Cituorum tubo optico adspecta unius instar urbis vastae comparet; oculo frequentiorum vicorum turres, licet a se mutuo etiam pluribus milliaribus distantes ad exiguum spatium contrahente. Comitatus hinc conspicui sunt: Jaurinensis, Mosoniensis, Soproniensis, Posoniensis, Nitriensis, Barsiensis, Honthensis, Strigoniensis, Albaregalensis, Comaromiensis, et Vesprimiensis.

Longe majus, quam ab Arpadi ascensu Pannoniis fatali, Monti Sancti Martini decus inde accedit, quod ab antiquo jam sacri, jam sancti axiomate gaudeat. Certe jam Chartuicius, antiquissimus scriptor domesticus ex aevo Colomanni Hungariae Regis ipsi S. Stephano fere coaevus, ubi monasterii huius meminit, haec habet: „iuxta fundum Sancti Praesulis in loco, qui Sacer mons dicitur, ubi S. Martinus, dum adhuc in Pannonia degeret, orationis sibi locum assignaverat, in titulo ipsius monasterium construere coepit.“ Et Decretorum S. Ladislai Regis Liber II. in

1) Sabariam etiam ad radicem Montis Pannoniae tunc exstitisse, mox infra demonstrabimus.

Corpore Juris hungarici sic incipit: „Temporibus piissimi Regis Ladislai omnes nos regni Hungariae Optimates in Monte Sancto conventum fecimus," sub quo hic Montem Pannoniae intelligendum esse, constanter creditum est. Serius tamen solius sacri epitheton usus probavit, quo inde ab Arpadiana Regum Periodo constanter usque hodie decoratur.

Si quaeras, unde et quando venerabilis haec compellatio coeperit; respondeo, id ante S. Stephani aetatem vix accidisse: secus enim iste in suo diplomate anni 1001 illum pariter hoc honore dignari non intermisisset; qui tamen eum ibi simpliciter montem supra Pannoniam situm appellat. Censeo igitur morem hunc sensim apud fidelem populum invaluisse: seu quod primae Sacrae Aedi a coepta Hungarorum conversione locum praebuerit; seu quod primi ex Monasterio huic aedi Sacrae adnexo Religiosi ad praedicandum Evangelium missi, sanctitate morum prae ceteris excelluerint: unde pronum erat montem dicere sacrum, in quo sancti degerent. Juvat hanc in rem adferre e Thuroczio, praeclarae Societatis Jesu Presbytero, quae de S. Martini Monasterio praedicat: „Haec, inquit, illustrissima Domus est, in qua primum in Hungaria aperta literarum palaestra auditae sunt Musae patriae latinum loqui, ex qua velut e Seminario quodam diviniore ad gubernandum Ecclesiarum clavum transferebantur Praesules; in qua formabantur Apostoli, crescebant Martyres, exercebantur Doctores, vivebant Sancti."

Ceterum opinioni, quae hunc insignem titulum S. Stephano antiquiorem, et inde a primis Ecclesiae christianae seculis derivatum vult, vehementer non repugno: tantum noto, eum tunc non a Christi, sed ab idolorum cultoribus monti huic inditum fuisse. Etenim puerilem aetatem agebat S. Martinus, dum teste Chartuicio montem hunc precandi gratia frequentabat. Quis autem sibi persvadeat, eum illa aetate ideo tantum montem ascendisse, in quo precetur, quia mons erat? — Necesse igitur est, exstitisse hic aliquod templum, sacellum, aut quocunque nomine veniens devotionis in Coelites monumentum; quo invitatus et allectus puer Martinus Montem precationis caussa frequentabat. Quod si ita se habuit, poterat mons ipse iam tunc, imo longe antea populi religione fuisse consecratus, et inde sacer dictus; id quod etiam singularis eius per vastos terrarum tractus conspicui situs confirmat; cum notum sit, veteribus in more positum fuisse, ut Fana in locis editioribus, et promontoriis struerent: ut quamplurimorum mortalium oculis paterent; apud quamplurimos memoriam et metum Deorum excitarent. Tale fanum hoc in monte stetisse, quod devotus puer frequentabat, facile credi potest; minime autem Aedem christiana religione consecratam. Constat enim S. Martini patrem tunc primum advertisse, filium ad sacra christiana adspirare, dum iste iam Ticini in Italia educaretur; quem ut in sancto suscipiendi baptismi proposito impediret: effecit, ut militiam sequi cogeretur. Quod si aedes, quam in Monte hoc puer Martinus coram oculis patris sui frequentabat, christianis fuisset sacris dedicata; longe prius sancta filioli intentio Patri, fervido idolorum cultori, suboluisset; quam iste in tenera aetate illi eximere minime neglexisset.

Locus natalis S. Martini Episcopi Turonensis.

Postquam aliud agendo locum natalem S. Martini Episcopi attingere coacti sumus; ordo rei postulat, ut quae ad novum hoc, et profecto illustre S. Montis nostri decus stabiliendum faciunt, iam ex proposito exponamus.

Veteres S. Martini Episcopi biographi, uti Sulpitius Severus, et Gregorius

Turonensis; ille sancti Viri discipulus, iste in episcopatu successor, scribunt eum Sabariae Pannoniarum natum fuisse. Si unicam Sabariam tunc Pannonia habuisset, sicut nunc unicam habet; omnis ulterior de loco natali S. Martini quaestio evaderet inutilis: verum cum eo tempore Pannonia duas Sabarias, 14 milliaribus geographicis mutuo distantes habuerit, quarum una eaque nobilior, tunc colonia romana, nunc oppidum episcopale, hungaris Szombathely, germanis Steinamanger: altera minus celebris, ad pedem montis, qui nunc Pannoniae, aut S. Martini dicitur, exstiterit; et neuter supra laudatorum Auctorum innuat, quam Sabariam e duabus intelligat: alibi circumspiciendum, et aliquid exquirendum est, quod nos doceat, utri earum Sanctus iste primam lucem debeat. Cuius quidem rei notitiam, sicut in exteris scriptoribus frustra quaesieris; ita in vetustissimis, quae supersunt, Patriae nostrae documentis sufficientem et maxime fidedignam nanciscaris. Sane

Chartuitius, Sec. XII. ineuntis Scriptor, S. Stephano Regi paene coaevus, ubi de monasterio S. Montis Pannoniae per S. Stephanum exstructo agit, locum natalem S. Martini his verbis attingit:... „quia Pannonia beatissimum Martinum apud se natum gloriatur, cuius etiam meritis vir Christo fidelis.. ex hostibus victoriam reportavit, nihil de rebus eorum in suos usus convertit; sed ex Dei amantium consilio, iuxta eiusdem sancti praesulis fundum, eo loco, qui sacer Mons dicitur, ubi Sanctus Martinus, cum in Pannonia degeret, precari solitus erat, sub eius nomine monasterium construxit, possessiones et reditus sufficientes ei attribuens.“ Notum autem est e Sulpitio Severo, S. Martinum in Pannonia nonnisi puerilem aetatem exegisse, et adhuc impuberem ad Italiam Ticinum fuisse translatum. Igitur locum, in quo tunc degebat, adeo vicinum sacro Monti Pannoniae oportet statuere, ut eum S. Martinus, adhuc puerulus, commode adire precationis gratia potuerit.

Quamvis vero Chartuitii textus de solo habitationis S. Martini, et non de nativitatis eiusdem loco sonare videatur; verba tamen: „iuxta eiusdem sancti praesulis fundum“ satis indicant, fundum, penes quem hoc monasterium erectum est, eiusdem sancti praesulis, id est S. Martini, dum in terris agebat, patrimonium fuisse, utpote a patre suo hereditate ad eum devolutum, in quo iste degebat, sobolem procreabat; in quo Martinus natus, primam vitae epocham exegit. Unde nulla est ratio, cur eum alibi natum, alibi educatum adstruamus. Quodsi dicas, Chartuitium per fundum eiusdem Praesulis, non fundum eius patrimonialem, sed fundum Ecclesiae S. Martini, ante S. Stephanum exsistentis intelligere, nihil moror. Cum enim teste Inchoffero Carolus Magnus devictis Avaribus Ecclesiam honoribus S. Martini, Pannoniae Patroni, cuius auspicio pugnam decretoriam iniit, in loco eius natali aedificaverit; Monasterium S. Martini in S. Martini loco natali stare necesse est.

Et reapse fidem illam, quod S. Martinus ad radicem sacri Montis Pannoniae natus fuerit, primis huius regni seculis obtinuisse, docet solennis donatio Comitis Valferi de anno 1157, quae cetera inter haec habet: „In Loco, qui dicitur Quizun (nunc Güssing) monasterium aedificavi, quod Monasterio S. Martini in S. Monte Pannoniae ob reverentiam et sanctitatem ipsius loci, et propter Beati Martini patrocinium, cuius nativitate in eodem Loco habita Pannonia gloriatur, in obedientiam tradidi.“ Haec verba tam clare nobis favent, ut nulla explicatione indigeant. Tenemus igitur S. Martinum aut in Monte Pannoniae, aut certe in contiguo huic loco natum fuisse.

Videor mihi videre Lectores frontem caperare, quod hac ratione Sulpitii Severi, gravissimi Auctoris, de Sabaria, velut S. Martini loco natali relationem nihili pendi

existiment; cui tamen, velut sancti Martini discipulo et familiari, fidem hac in re negare omnino temerarium esse censent. Recte hoc illi: sed nec nos perperam. Tenemus enim cum Sulpitio Severo S. Martinum Sabariae Pannoniarum natum fuisse; sed non illo Sabariae oppido, quod in Comitatu Castriferrei situm hodiedum exsistit, et Episcopo Sabariensi sedem praebet; verum illo Sabariae oppido, quod nunc sub hoc nomine non amplius exsistit, sed adhuc tempore primorum Hungariae Ducum et Regum usque ad Belam IV. ad pedem Montis Pannoniae sub nomine Sabariae exstitit. Quapropter testimonia Chartuitii, et Comitis Valferi Sulpitio Severo minime contradicunt; sed tantum, quod ille non satis determinavit, pressius determinant.

Porro Sabariam hanc reapse exstitisse, et S. Monti Pannoniae vicinissimam fuisse, Anonymus Belae Regis Notarius diserte ostendit, dum iter Arpadi per Pannoniam anno 897 (iuxta Katona Hist. crit. Ducum) susceptum describens sic loquitur: „Dux autem Árpád, et sui milites sic eundo, iuxta Montem S. Martini castra metati sunt, et de fonte Sabariae tam ipsi, quam eorum animalia biberunt. Et montem ascendentes ex visa pulchritudine terrae Pannoniae nimis laeti facti sunt, et inde egressi usque ad Rabam et Rabuceam venerunt, Sclavorum et Pannoniorum gentes et regna vastaverunt, et eorum regiones occupaverunt.“[1]) Si castra juxta Montem S. Martini, seu montem Pannoniae metati, sitim aqua e fonte Sabariae hausta levabant, et ex eodem equos suos potabant, Sabariam prope eundem Montem exstitisse necesse est. Testimonium huius vetustissimi Auctoris domestici summi est ponderis. Cum enim eo tempore scripserit, quo Sabaria ista adhuc exstitit, locum eius alio, quam reapse exstiterit, transponere non poterat.

Conforme huic, sed Sabariae huius situm adhuc evidentius exhibens praesto est documentum Belae IV. Regis Hungariae, qui Monasterii S. Martini precibus motus omnes eius terras per Magistrum Albeum, Archidiaconum Nitriensem erectis novis metis designari, et Literas desuper expediri fecit. In his Literis per Capitulum Jaurinense authentice transsumtis haec leguntur: „Mons sacer Pannoniae, in quo situm est Monasterium Beati Martini, habet per circuitum ipsius montis terram... Conterminales autem villas habet: Hymud, quae alio nomine Nelka dicitur, Tapan... Torjan... Deinde protenditur terminus eius usque Sabariam, ubi dicitur natus S. Martinus, et ibi in Valle media est fons sacer, qui vocatur Caput Pannoniae, qui cum aliis fontibus facit rivulum sub Ecclesia S. Willibaldi, et vocatur Pannosa, et inde descendit usque ad Villam Éch.“ Enumeratisque praeter nunc adductas aliis sex villis, utpote: Ruozd, Éch, Nul, Hag, Ság, Poznan iunctim cum Semiensuka, subjicitur: „Notandum vero est, quod omnes praedictae Villae sunt sitae prope ad pedes sacri Montis Pannoniae.“

Verba huius textus abunde docent omnia, quae probare intendimus. Docent enim primo: S. Martinum Sabariae in Pannonia natum fuisse, id quod Sulpitius Severus pariter affirmat. Deinde: Sabariam, in qua natus est S. Martinus, non in Comitatu Castriferrei, sed in Comitatu Jaurinensi prope ad pedem S. Montis Pannoniae sitam fuisse, et quidem inter Villas Tarján et Éch, quae praedia Monasterium S. Martini sub his iisdem nominibus Tarján et Écs hodieque possidet. Horum situs Sabariae situm eum determinat, qui cum situ hodierni territorii S. Martini congruit; prout id in mappa Comitatus Jaurinensis videre licet.

---

1) Cap. 50.

Quamvis ea, quae hactenus adduximus, ad propositum sufficere videantur; non potest tamen silentio praeteriri, Sabariam hanc non tantum prope ad Montem Pannoniae sitam fuisse: verum certo respectu, nobis nunc ignoto, ipsum Monasterium et Ecclesiam S. Martini ad eius gremium pertinuisse. Istud inde patet, quod in Bullis Summorum Pontificum, scilicet: Paschalis II. de anno 1103, Alexandri III. 1175, Urbani III. 1187, Innocentii III. 1216, Gregorii IX. 1232, quibus Ecclesias Abbatis S. Martini Jurisdictioni spirituali obnoxias confirmando enumerant, semper primo loco Ecclesia S. Martini in Sabaria occurrat, et quidem inter Ecclesias intra physicos Jaurinensis Dioeceseos limites constitutas, sub titulo S. Martini sola: claro indicio, hanc cum principali Ecclesia in Monte Pannoniae sita eandem esse; secus enim sequeretur, principalem hanc Ecclesiam solam Abbatis Jurisdictioni obnoxiam non fuisse; quod et recto ordini, et historiae huius Ecclesiae repugnat.

Porro supramemorati Magistri phrasis: „in qua dicitur natus S. Martinus," innuit communem eo tempore fuisse hanc de natalibus S. Martini opinionem. Si enim fuissent, qui eius patriam ad aliam illam Sabariam referrent, id ille utpote Vir in dignitate ecclesiastica constitutus ignorare non potuisset. Qui cum praeterea in hoc documento per Regem „Vir utique circumspectus, providus, et discretus" laudetur, rem dubiam Literis, nomine Regis expediendis, pro certa inserere veritus, aut nulla, aut hac, vel simili phrasi usus fuisset: in qua nonnulli, aut in qua multi dicunt natum S. Martinum. Cum igitur irrestricte loquatur, universalem illius temporis omnium hominum hac in re persvasionem expressisse merito censeri potest. Sane:

Hunc in modum censuit Comes Josephus Garampi olim ad Aulam Caesareo-Regiam Viennensem Nuntius Apostolicus, a singulari rerum diplomaticarum cognitione, et omnimoda dexteritate, dum viveret, celeberrimus. Qui dum in itinere per Hungariam constitutus anno 1776 Monasterium S. Martini invisisset: exhibitum sibi documentum isthoc tanti aestimavit: ut eius copiam sibi expetierit spondens, se inde Romae, ubi aeque Sabaria Castriferrei natalis S. Martini crederetur, hunc Sabariae nostrae asserturum. An fidem liberaverit, nullo certo auctore constat: fecisse tamen inde licet conjicere, quod Celsissimus Princeps Ludovicus Altieri olim Nuntius Apostolicus, nunc Cardinalis tituli S. Mariae de Portico, anno 1845 Monasterium S. Martini invisere dignatus, sermoni de S. Martino ad pedem S. Montis Pannoniae nato, tanquam rei sibi iam antea notae, benigne annuerit.

Communis haec fidelium persvasio, nemine contradicente, tamdiu regnabat, quamdiu nostra haec Sabaria florebat. Florebat autem usque ad annum 1242, quo per saevientes nativa feritate, et studio vindictae in Uriam aevo illo huius Monasterii Abbatem accensos Tartaros solo aequata fuit. Usserat enim hos supramodum, quod arcem S. Martini, quam strenuus Abbas Urias, olim Andreae II. Hungariae Regis in cruciata expeditione armorum socius egregie defendebat, nulla ratione capere potuerint. Itaque infecta re abire coacti, subjectum hoc Monasterio oppidum cum pluribus aliis eiusdem villis deleverunt. Ab hoc tempore nulla huius Sabariae seu in Summorum Pontificum bullis, seu in Regum Hungariae literis occurrit mentio. Et quamvis nequeat dubitari, Uriam omnium Abbatum, quos Monasterium hoc septem seculorum lapsu venerabatur, solertissimum nihil neglexisse, quod ad restauranda ocius Monasterii Bona expediens videretur, primum tamen impopulati loci, quem Sabaria occupabat, certum documentum de anno 1350 exsistit; ex quo liquet, oppidum non sub nomine Sabariae, sed sub eo Zenthmárton surrexisse; quod hodieque S. Martinus vocitatur. Voluerint indubie Majores nostri

hac mutatione memoriam S. Martini amplius honorare. Si tamen vetus Sabariae nomen retinuissent, nobis nunc in determinando et evincendo natali eius loco non esset laborandum.

Hac nominis mutatione inducta, posteaquam omnis huius nostrae Sabariae memoria tractu plurium seculorum disperiisset, solaque Sabaria Castriferrei omnibus nosceretur; quia Sulpitio auctore notum erat, S. Martinum Sabariae natum fuisse: in defectu alterius Sabariae, utpote dudum deletae, et, pro eius temporis geographicarum cognitionum statu, nulli mortalium cognitae, necesse omnino erat, nativitatem S. Martini ad eam Sabariam referri, quae sola tunc exstitit; sola nota fuit. Unde facile explicatur, quomodo factum sit, ut Seculi XV., et qui hos secuti sunt hungaricarum rerum scriptores honorem natalium magni huius sancti hodiernae Sabariae unanimiter tribuerent. Exstincta enim Sabaria illa, et de facie terrae deleta, insuper omnibus iis, quae de ea literis commissa erant, obscuro Archivi, nulli fere usque finem seculi XVIII. pervii, carcere delitescentibus aliud fieri non poterat. Scite hanc in rem dici potest: Cum Paulus Kinisi, insignis ille Sec. XV. heros in Zaladiensis Comitatus vico, Budavár dicto primam lucem viderit; si hunc vicum de facie terrae cum suo nomine deleri contingeret; elapso seculi spatio neminem omnino fore, qui eum in arce Budensi natum non dicat, quae Hungaris Budavár audit.

Simili prorsus ratione Sabaria Castriferrei, nunc civitas episcopalis, patria S. Martini dici, et credi coepit. Quo facto non poterant deesse, qui erecto in honorem Sancti huius, ut putabant, concivis olim sui, pietatis monumento, fidem hanc posteris confirmatam tradere niterentnr. Inde Capella S. Martini honoribus in suburbio dicata, cuius meminit Paulus Gregorianez in suo Breviario rerum hungaricarum, quod medio Sec. XVI. conscripsit. Haec forte successu temporis aucta, nunc per Patres Ordinis Praedicatorum tenetur, qui eam a Georgio Draskovic Jaurinensi Episcopo anno 1638 cum onere curae animarum obtinuerunt. Quod hi Patres Ecclesiaene, an monasterii muro insignibus literis inscripserint verba: Hic natus dicitur S. Martinus, utcunque sustineri potest. Istud enim, quamvis erronee, bona tamen fide facere poterant. At quod, si verus est rumor, vicinum Ecclesiae puteum ostentent, et huius aquis S. Martinum baptisatum fuisse asserant, non belle agunt. Historia enim docet, eum nondum baptisatum Pannoniam deseruisse, et semel tantum ad suos, dum iam in Sacris Ordinibus fuisset constitutus, reversum fuisse; qua occasione matrem suam Christo lucri fecit. Igitur tam dicta inscriptio, quam putei ostentatio parem fidem merentur.

Ceterum permirum cuivis videri oportet, quod dum innumeras per omnem, qua patet, christianum orbem, et imprimis per Regnum Hungariae Ecclesias in honorem S. Martini aedificatas fuisse notum sit; tamen Sabariae Castriferrei non principalis aliqua, sed solummodo tenuis illa extraurbana in vico ei obtigerit; manifesto indicio, eos, quorum erat Ecclesiis Patronos assignare, priscis temporibus minime dubitavisse, gloriam natalis loci huius Sancti illi Sabariae minime competere. De priscis quidem temporibus iam vidimus, id stante adhuc nostra Sabaria secus fieri nequivisse. At ratione recentiorum quoque temporum, quibus iam universalis error hac in re videtur obtinuisse, inde id confirmatum accipio: quod exstructa a fundamentis nostro hoc aevo Ecclesia cathedrali, dum ei S. Martinus, tanquam fovendae Sabariensium, Concivium olim, et velut Contribulium pietati ac devotioni maxime opportunus Patronus commode tribui poterat, hoc tamen factum non sit; sed nova Ecclesia Beatae Mariae Virgini visitanti fuerit dedicata, cuius titulum vetus Ecclesia in eodem loco per Georgium Széchenу anno 1665 erecta

gessit: antiquior autem aeque B. Mariae Virginis, sed in Coelos assumptae honoribus fuerat consecrata.[1]) Profecto Sancti huius, Apostolis Christi jure comparati Antistitis gloria, toto orbe latissime propagata et alte fulgens merito postulabat, ut in loco suo natali majore honore habeatur, quam quem expertus est. Neque dubium videtur, eundem condigno honore minime frustratum fuisse, si opportunis ad eius memoriam digne celebrandam temporibus firmiter creditum fuisset, tantum Ecclesiae lumen eo loco vitam ingressum fuisse.

Contra factum est, quod fieri decebat in nostra olim Sabaria; ubi Carolus Magnus, devictis et subjugatis Avaribus, tamquam in loco eius natali Ecclesiam eiusdem Sancti honori exstruxit,[2]) cui seu vetustate corruptae, seu hostili hungarorum gentilium impetu prostratae, Geysa Dux, et eius filius S. Stephanus novam eodem titulo superstruxerunt, quam in excelso positam vicinus Populus fidelis devotionis caussa hodieque sedulo frequentat. Eadem de caussa ipse Mons Pannoniae iam sanctus, jam sacer dictus: inde Sanctitas loci, cuius S. Stephanus meminit, dum eius fundamento Abbati S. Martini jus praeferendae Capellae, solis Episcopis proprium, soli ex Abbatibus concessit. „Ante neminem, inquit, Abbatem Capella incedat, nisi ante Patrem eiusdem Monasterii propter reverentiam, et sanctitatem ipsius loci, moreque Episcopi in Sandaliis Missam celebret.“[3]) Eandem Sanctitatem loci memorat Comes Valferus, ob quam fundatum a se in monte Güssing monasterium, se Coenobio S. Martini subjecisse, et in obedientiam dedisse profitetur. Fontem, e quo singulare hoc Sanctitatis loci encomium in Montem S. Martini derivatum est, nuspiam omnino felicius, quam in nativitate S. Martini, Pannoniae Patroni, sub cuius signis Carolus Magnus Avares, S. Stephanus Hungaros rebelles perdomuit, reposueris.

Expositis hactenus opinionis nostrae fundamentis, restat, ut ea, quae in contrarium adduci solent, breviter expendamus. In his primum est, quod nullus veterum Geographorum usque Anonymum Belae Regis Notarium Sabariae ad Montem Pannoniae sitae meminerit. Verum est, sed facilem explicatum patitur. Cum enim Sulpitius non dicat plus, quam S. Martinum Sabariae Pannoniarum[4]) natum, poterat Sabaria haec fuisse vicus, aut oppidum ita exile, ut aut illis Auctoribus non fuerit notum, aut minus dignum visum sit, quod in volumine, praecipua duntaxat Pannoniarum loca exhibente, spatium occupet. Sane, vix 100 locorum ab illis ad nos pervenit memoria, quae in utraque Pannonia collocaverunt. Atqui tanta regio, a Vienna usque Belgradum per totam Hungariam transdanubianam, Slavoniam, Croatiam etc. quod nihil praeter 100 illa oppida, nullum minus celebre oppidum, nullum vicum aluerit, quis sibi persvadeat? Quis in descriptionibus totius Orbis terrarum pagos, vicos quaerat? Accedit, quod Sabariae huius ille fuerit situs, ut ab utraque via romana, quarum una penes ripam Danubii, altera vero ab Arrabone versus aliam Sabariam tendebat, aequaliter distans eo facilius potuerit ignorari, quod ob viciniam oppidorum, commercio et opibus clarorum, similem horum celebritatem nancisci nequiverit. Igitur ex silentio veterum Geographorum non consequitur, Sabariam Montis Pannoniae non exstitisse: cuius exsistentiam antiquissimi Scriptores domestici, et Bullae Pontificum romanorum aperte docent.

Sed cur, inquies, si duas tunc Sabarias habuit Pannonia, Sulpitius eam, in

---

[1]) Schönwisner: Antiqu. Sabar. L. 8. Cap. 7. — [2]) Inchoffer: Ann. eccl. ad ann. 999. — [3]) Dipl. S. Steph. 1001. — [4]) Ita Codices antiquissimi, et Editiones optimae. Serius inepta manus „oppido“ intrusit. Sed nec hoc rei nostrae obest.

quà natum S. Martinum noverat, pressius non determinavit? — Mihi videtur Sulpitius unam tantum Sabariam, nobilem illam Coloniam romanam novisse, quae in operibus geographicis eius aevi sola fuit conspicua. Fuisse enim Sulpitium virum probum, semel quidem incaute in fide lapsum, sed serio, et diu poenitentem, imo et inter Sanctos numeratum, bonis artibus excultum, in vita eius reperio; sed rerum geographicarum, praesertim peregrinarum notitia claruisse nuspiam legitur. — Fors jam eotum ea fuit Gallorum hominum sors, quae hodiedum obtinet: ut Auctores, cetera praeclari, ubi exteram geographiam attigerunt, saepiuscule labantur. Felix Sulpitius, quod nihil falsi dixerit; feliciores nos, quod, si reapse illam nobilem tantum Sabariam novit, S. Martinum Sabariae nobili Romanorum Colonia natum non pronunciaverit. Quod si fecisset; iustissimam caussam nostram non veritate, sed errore suo prostravisset.

Quaerunt alii: „quo fundamento poterat Chartuitius, septem seculis ab obitu S. Martini remotus asserere, hunc ad Montem Pannoniae natum fuisse?“ Respondeo: traditione perpetua Christianorum, monti huic vicinae regionis incolarum. Traditionis huius filum sic habeto: Nascitur Martinus ad montem, quem nunc Pannoniae dicimus, parentibus gentilibus, patre Tribuno militum, partis eiusdem montis domino; ibidem infantiam et primam pueritiam exigit, puer in monte precatur: circa decimum aetatis annum Paviam, seu Ticinum ad Italiam mittitur educandus. Omnia haec, licet non obscura, talia tamen sunt, ut, si omnem, quam deinde vixit, aetatem extra Pannoniam egisset, quamcunque magnas res patrasset, Pannonii eius Concives audivissent forte Martinum magna agere; sed Martinum hunc, suum esse concivem, apud eos natum alii dubitassent, alii ignorassent. Verum quid fit? Comparet Martinus exactâ militiâ jam baptisatus, et sacris Ordinibus initiatus, in Pannonia; locum suum natalem, et parentes idololatras invisit; matrem ad Christi fidem convertit, patris obstinationem frustra impugnat; Episcopos arianae haeresi addictos insectatur, fidem catholicam imperterritus propugnat; pro fide publice virgis caeditur, carcere clauditur, vitae periculum adit. Atque his rebus ita apud suos, quos olim ethnicus puer reliquit, innotuit: ut, quaecunque postea fama de eo ad Pannonias seu ex Italia, seu ex Gallia attulit, concives eius et horum vicini scirent, a suo haec Martino agi. Denique moritur Martinus, et totus Occidens christianus singularem Viri sanctitatem celebrat; aris, templis eius patrocinio dedicatis devotionem in eum suam testatur. Idem indubie faciunt cives parvae Sabariae; et si templum non possunt, sacellum, Capellamve pro viribus erigunt. Poterat sane istud pietatis monumentum miserandis Pannoniae secutorum 4 seculorum fatis procumbere; at notitia publica e mentibus fidelium huius regionis evelli amplius non poterat. Carolus Magnus subactis Avaribus initio Seculi IX. S. Martino Ecclesiam teste Inchoffero in eius loco natali e fidelibus loci, aut traditione scripta non procul Arrabone, ubi pugna commissa fuisse dicitur, erigit; quam mox per Hungaros gentiles destructam Geysa Dux fine Seculi X. instaurare incipit; filius vero S. Stephanus adjecto monasterio S. Martini absolvit. Tam Caroli Magni, quam Geysae, et Stephani molimina e sensu vigentis tunc inter Christianos regionis huius de natali loco S. Martini persvasionis, et fidei, fors aevo illo etiam scriptis Majorum firmato, surrexerunt; quam fidem deinde Chartuitius S. Stephano Regi fere coaevus in huius vita ad memoriam posterorum transmisit.

At: „cur, inquiunt alii, S. Stephanus nullam huius tam insignis rei mentionem suo diplomati, anno 1001 Monasterio S. Martini dato, inseruit?“ Quamvis res in vulgus notae, qualis ista tunc

erat, diplomatibus celebrari non soleant: nihilominus si non claram mentionem, allusionem certe video in illis verbis huius diplomatis: „Ante neminem vero Abbatem Capella incedat, nisi ante Patrem eiusdem Monasterii, propter reverentiam et sanctitatem ipsius loci, moreque Episcopi in sandaliis Missam celebret.“ Quae verba, ut jam supra dictum est, nisi de sanctitate loci per nativitatem S. Martini acquisita sumas, rectum ex illis sensum non elicies; nisi dicas S. Stephanum desperavisse, pari sanctitate Religiosos in quocunque alio Monasterio unquam repertum iri; id quod S. Rex facere neutiquam poterat, postquam teste Chartuitio Astrici, et Bonifacii Abbatum, nec non ceterorum Monasterii Montis ferrei Religiosorum sanctissimam conversationem propria experientia longe prius edoctus est, quam hoc diploma emanavisset.

Denique universalis fere hodie, licet erroneae opinionis, quae post deletam una cum nomine per Tartaros hanc Sabariam sensim invaluit, sufficiens ratio superius data est. Hic tantum illud addere juvat, quod clari aliquot historici, uti Katona, Fessler etc., quibus fundamenta sententiae nostrae innotuerunt, natalem S. Martini Sabariae S. Montis Pannoniae restituerint.

Pannonia Provincia et Civitas.

Pannoniae nomen jam Augusti Caesaris aevo clarum nostra adhuc aetate nonnunquam, sed fere stilus ligatus pro tota Hungaria usurpat; licet vetus Pannonia, Danubio terminata partem tantum praesentis Hungariae, eamque minorem effecerit. In origine nominis explicanda eruditam alii, alii ridiculam, omnes inutilem operam posuerunt. Sunt, qui, cum apud Appianum, Arrianum, aliosque graecos auctores vidissent Pannoniam Paeoniam, et Pannonios Paeones dici, literam i facile in n mutari potuisse rati, illud a Paeonia, Macedoniae regione; alii a Pannone Rege, omnibus alicuius fidei historiis ignoto; alii a radice slavica Pán, quod dominum, et per Catexochen Deum denotaverit; alii a silvestri graecorum et romanorum deo Pan; alii a panis ubertate, a panno alii; denique non deerat, qui illud a Monte S. Martini derivaret: attributo huius vertici fano dei Pan, cuius vicini cultores, Pannones, tum propagato dei huius cultu etiam remoti; donec sensim tota regio, cultui Pan devota, Pannonia compellaretur.

At quis, quaeso, sanus poterit ad hanc quaestionem serio animum advertere, cui quidem notum fuerit, Dionem Cassium, historicum accuratissimum, et perspicacissimum, bis Consulem, Praetorem, et quod ad rem plurimum facit, Pannoniae Superioris Praesidem iam ante 1500 annos scripsisse, certam huius nominis originem non posse assignari? En eius verba: „Post Africae Praefecturam.. Pannoniae superiori praepositus fui: unde haec, quae scribo, explorata mihi sunt. Nomen autem Pannonibus inditum est ex eo, quod tunicas manicatas e vestimentis in pannos more indigenarum patrio scindant, et consuant, atque inde sibi nomen sumant. Verum sive ea est nominis ratio, sive alia, certe quidam Graeci, veritatis ignari Paeones eos vocaverunt: quod ipsum quidem etiam nomen antiquum est, non tamen istius populi, sed eius, qui ad montem Rhodopen, et Macedoniam maritimam habitat. Quapropter hos ego Paeonas; istos Pannonios nominabo, sicuti et ipsi sese, et Romani eos appellant.“ Jure hic dubitavit Cassius. Quis enim credat barbaros Pannonios, antequam Romanis subderentur, liberae patriae suae nomen a voce latina pannus indidisse? Inditum autem a Romanis fuisse verisimile non est; cum teste Dione non tantum Romani eos hoc nomine, sed etiam illi sese ita mutuo compellaverint. Si Pannonia a cultu dei Pan in nostro monte coepto, et subinde ad reliquum regionis hinc Savum, inde Mon-

tes Cetios usque propagato nomen suum traxisset, novum ei, et non mediocre decus accederet; sed, quum istud sana mente serio asseri nequeat, huic supersedentes, ad id, quod magis est expeditum, ad assignandam scilicet eius rationem, cur Mons S. Martini una Mons Pannoniae audiat, transeamus.

Hanc denominationem monti Pannoniae non a tota Pannoniae Provincia, sed ab oppido, primorum Hungariae Regum, forte et Ducum Palatiis, et Comitiis Regni celebri, aeque nomine Pannoniae veniente adhaesisse, e diplomatibus eorundem, aliisque antiquissimis documentis facili negotio deducitur. Jam S. Stephanus in suo diplomate anni 1001 aliquid huius innuit, dum se monasterium S. Martini in monte supra Pannoniam sito consummavisse memorat; quae verba, si per Pannoniam totam Hungariam intelligas, sanum sensum non recipiunt: bene vero si terrenum aliquod, aut oppidum, Pannonia vocatum, ad eius radicem situm admittas. Omnem autem hac in re dubitationem tollit S. Ladislaus, qui in suo diplomate praedia Monasterii S. Martini confirmando enumerante [1]) haec habet: „Primum praedium est Pannonia, ubi monasterium situm est;" quo tempore praedium non desertum locum, uti hodie fit, sed generatim alicuius possessionem, vicum, villam, oppidum designavisse notum est. Ex illis S. Ladislai verbis discimus primum: Locum sub hoc monte positum, Pannoniae nomen gessisse; deinde: ipsum sacrum Montem, in quo monasterium stabat, et hodie stat, ad Fundum, Pannoniae nomine venientem, pertinuisse.

Fundum hunc, seu Praedium Pannonia dictum, non fuisse hominibus vacuum, sed civitatem non infimi gradus sinu suo complexum fuisse inde colligitur: quod S. Ladislaus in Sacro hoc monte Comitia celebraverit, ad quae omnes regni Proceres convenerunt, uti id in ipso legum tunc latarum corpore continetur. Minus prolixe illo aevo Hungari deliberaverint, quam seculo praesente id fieri experti sumus; attamen aliquot hebdomadibus facile opus erat; quarum spatio, si Optimates, defectu aedium in campo patente sub tentoriis degere oportuisset, sane alium locum celebrandis Comitiis magis idoneum commendavissent. Huius igitur montis aliquod latus altioris gradus Civitatem ornavisse, facile conjicere licet.

Istud eo confirmatur, quod teste Chronico Jerosolymitano [2]) Colomannus Rex anno 1096 Legatos Ducis Lotharingiae, Godefridi Bouillon, liberum cruciato exercitui per Hungariam transitum postulantes, in Palatio suo Montis Pannoniae honorifice exceptos, per dies octo liberalissime habuerit, acceptumque a colloquio, cum ipso Duce ad castellum Cyperon habito, Obsidem Balduinum Ducis fratrem, secum ad idem palatium deduxerit. Aderat igitur eo tempore in sacri Montis latere palatium regium, et quidem nobile, ad quod Rex Legatos deduci jusserit; quod in loco inhospito et aut hominibus vacuo, aut sola tantum rustica plebe habitato stetisse, credere non possum. Cui regionem hanc propriis oculis lustrare datum est, non mirabitur, Reges in hoc monte aliquod anni tempus exegisse; cuius vicini colles parte ab una, vernis praesertim diebus, Paradisum aemulantur, et e quo parte ab alia ad Austriam usque 10—17 milliaria remotam, et ad duodecim Comitatus Hungariae amoenus prospectus patet, atque ultra 100 partim praedia, partim pagi, oppida, et civitates conspiciuntur. Certe Arpadus quoque celeber Hungarorum Dux, partem Pannoniae hoc ex monte conspicatus, ita eius amoenitate captus est: ut illico ad eam armis occupandam animum

[1]) Caps. 2. A. — [2]) Katona: Hist. crit. Reg. Hung. T. 3. p. 46.

adjecerit. [1]) Ego vero, eadem de caussa, etiam Arpadum montem hunc in divisione occupatarum armis terrarum, ductu secundae legis Hungarorum fundamentalis instituta, sibi retinuisse, et in eo palatium gustui suo conforme exstruxisse ausim opinari; quem fundum deinde hereditate acquisitum pronepos eius Geysa Dux Monasterio S. Martini donaverit. Unde porro haec Civitas Pannoniae nomen acquisiverit: an eadem cum Sabaria, an distincta, qua montis parte sita, quando exstincta? [2]) omnia ignorantur. Id unum certum: in loco, quem Marsilius in suo Prodromo ad Danubium Pannonio-mysicum, et Timon Imag. ant. Hung. L. 1. Cap. 6. Civitati Pannoniae assignant, antiquissima nostri Archivi documenta villam Fizeg, serius Fizegth, tandem Fizegtheö, sine ulla Pannoniae mentione statuere; cuius Populis Bela IV. consentiente Abbate S. Martini libertatem, et proprium judicatum impertitus est, manente obligatione tertiam partem tributi de portu Danubii B. Martino solvendi, et quatuor eius molas ibidem permittendi. Emporium hoc bello turcico Sec. XVI. Comaromiensi arci adscriptum fuit, nec amplius recuperatum: tandem desolatum sub eodem adhuc nomine Praedium est Comitum Zichy juribus obnoxium, ad ripam Danubii Comaromium inter et vicum Almás conspicuum; in cuius terreno vallum romanum ad 1000 et ultra orgias protensum e via regia cernere licet. In diplomate S. Stephani Fizeg inter villas, Ecclesiae tempore dedicationis donatas, secundo loco visitur.

Favores Regum Hungariae erga S. Martinum.

Quam liberales erga Monasterium S. Martini fuerint Reges Hungariae, produnt eorum diplomata, quae licet cautissime semper fuisse custodita, et imminente periculo, securitatis caussa, ad vicinae Austriae Ordinis Benedictini Monasteria translata constet; evitari tamen non potuit, ne pauca aliqua interirent. Adsunt tamen plurima, partim originalia, partim ex his sub fide Conventuum aut Capitulorum regni publica, patrio more, integre descripta.

Primum in his locum sibi Literae a S. Stephano primo Rege, sigillo et monogrammate provisae deposcunt, quarum tenor sequens est:

„In nomine Domini Dei summi Stefanus superna providente clementia Ungrorum Rex. Credimus, et vere scimus, si locis divino cultui mancipatis potestates, atque honores adaugmentaverimus, id non solum laude humana praedicandum, verum divina mercede remunerandum. Quocirca omnium sanctae Dei Ecclesiae fidelium nostrorumque praesentium atque futurorum sollers comperiat intentio, quod nos interventu, consilio, et consensu Domini Anastasii Abbatis de Monasterio S. Martini in Monte supra Pannoniam sito ab genitore nostro incepto, quod nos per Dei subsidium ob animae nostrae remedium pro stabilitate regni nostri ad finem perduximus, talem concessimus libertatem, qualem detinet Monasterium Sancti Benedicti in monte Cassino, quia propter orationes sanctas fratrum ejusdem Monasterii consiliante Domno Anastasio praescripto Abbate et jugiter adjuvante confortati, et laureati sumus. Singulare namque suffragium, quod per merita Beati Martini in pueritia mea expertus sum, memoriae posterorum tradere curavi. Ingruente namque bellorum tempestate, qua inter Theotonicos et Ungaros seditio maxima excreverat, praecipueque, cum civilis belli ruina urgerer volente Comitatu quodam

[1]) Anon. C. 50. — [2]) Ultima eius, quod sciam, occurrit mentio anno 1233. Unde procul dubio per Tartaros deleta, eidem cum Sabaria fato succubuit. Caps. 28. C. —

nomine Sumigiense paterna me sede repellere, quid fluctuanti animo consilii darem? quaque me verterem, tanta tactus verecundia astantibus ducibus videlicet Poznano Cuntio Orchio doño quoque Dominico Archiepiscopo votum vovi S. Martino, quod si de hostibus interioribus, et exterioribus ejus meritis victor existerem, supranominati comitatus decimationem de omnibus negotiis, praediis, terris, vineis, segetibus, vectigalibus, vinumque hospitum, quod in praediis eorum excresceret, ne parrochiano Episcopo pertinere videretur, sed magis Abbati ejusdem Monasterii sub testimonio praefatorum Ducum multorumque comitum absque ulla mora subjugarem. Dumque post cogitatum victoria potirer, quod animo revolveram, operis efficacia complere studui. Nec dum enim episcopatus, et Abbatiae praeter ipsum locum in regno Ungarico sitae erant. Quod si, vos fideles! licuit in quo vôlui loco episcopatus et abbatias statuere, an non licuit cuipiam loco quod volui ut facerem? Et ne adhuc Ecclesia S. Michaelis vacua esse videretur, vel Episcopus parrochianus injurias, querimoniasve in collectione decimarum pateretur, ei curtem quae vocatur Cõrtou cum hominibus eidem pertinentibus tradidi. Quod si ipse contra mea Statuta quid inique agere vel adquirere voluerit, ante Deum judicem vivorum & mortuorum in die judicii se contendere mecum sciat. Adhuc autem subjungens dico, sit idipsum Monasterium ob omni inquietudine semotum, habeantque monachi post transitum sui cujusque Abbatis alium Abbatem securiter eligendi, et a quocunque velint Episcopo consecrandi eum: sitque illis licitum ordines accipere quovis loco, et a quocunque Episcopo. Ante neminem vero Abbatum capella incedat, nisi ante Patrem ejusdem monasterii, propter reverentiam & sanctitatem ipsius loci, moreque Episcopi in sandaliis missam celebret. Praecipimus itaque sub testificatione Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, seu aliquis homo magnus sive parvus de jam fato monasterio aliquomodo se intromittere in mancipiis, terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis[1]) sine concessione Abbatis ejus monasterii audeat. Quod qui fecerit, componat centum libras auri optimi, medium Camerae nostrae, ac medium praefato monasterio, suisque rectoribus, maledictionisque perpetuae vinculo aeternaliter feriatur. Quod ut verius credatur, hanc paginam manu propria roborantes sigillari iussimus.

Signum dom. Stefani incliti Regis.



Dominicus Archieps Vicecancerarius fecit.

[1]) Placitum hoc aevo varie sumebatur. Cetera inter iudicium, cui Abbas praesidebat, item quamvis praestationem, aut exactionem significabat. Vide: Du Cange Glossar. 1846.

Anno dominicae incarnationis MI. Indictione XV., anno Stephani primi regis ungrorum secundo hoc privilegium scriptum, et traditum est. — Hae sunt nominatae villae in dedicatione Ecclesiae ab Archiepiscopo Sebastiano, et a Comite Ceba: Piscatores, Fizeg, Balvanis, Temirdi, Chimudi, Wisetcha, Vuosian, Murin, Curtou, Wag, tertia pars tributi de Poson in omnibus rebus sive praesentibus, sive futuris."

Originale isthoc diploma ad aevi sui orthographiam alioquin exactum, plurimis etiam contractionibus literarum est impeditum, quibus hic abstinuimus; cum non externam eius faciem, sed internum duntaxat tenorem communicare placuerit. Ceterum fidelissimum eiusdem ectypon (vulgo Facsimile) Serenissimo quondam Archiduci Josepho, Regni Palatino, anno 1835 transmissum fuit, quod lithographice multiplicatum Stephanus Horváth Operi periodico Tudományos Gyüjtemény mox inserendum procuravit.

Primum est istud diploma in Regno Hungariae cum subscriptione nominis Regii, et e novem a S. Stephano datis in apographo adhuc residuis, unicum, quod in autographo superest. Ob reverentiam et subscriptionem S. Regis manu sua factam, et ne ob crebriorem explicationem, et complicationem vitium accipiat: extensum in theca sub vitro custoditur.

Quamvis prioribus seculis tanta huius diplomatis fuerit auctoritas, ut emergente de iuribus Abbatum S. Martini cuiusvis generis in eodem contentis lite per supremos terrae Principes, aeque ac Summos Pontifices, eorumque Legatos secundum eius tenores fuerit judicatum; tamen serius partim ignorantia, partim obtrectandi pruritus ei nonnullos adversarios conscivit. Hos inter Dominicus Mansi, in historica Theologiae sectione non inceleber, in Notis suis criticis ad Raynaldi Annales ecclesiasticos ad annum 1232 nro XXIII., sicut omnium primus, ita miserrime lapsus comparet. Verba eius sunt: „Constitutionem hanc, (diploma istud, tunc per Gregorium IX. Summum Pontificem transsumptum intelligit) Stephano I. Hungariae regi adscriptam, in lucem proferendam fuisse ab Annalista, libens ego quidem admiserim; sed monendi simul erant lectores, nequid fiderent scripto suspicionis pleno, et prorsus apocrypho. Quid enim est illud, quod Stephanus rex scribit: se scilicet ab Anastasio Abbate confortatum et laureatum esse? Phrasis etiam illa ab eius aetatis moribus abhorret: Parochiano Episcopo. Denique Stephanus I. anno 1001 jam decesserat, ut ex Pagio in Critica ad annum 997. 3. discimus." Ita Mansi. Ridicula haec nobis: praesertim postremum de Stephani I. obitûs anno: Pagii potius, quam Mansii error; ex quo compererit, Geysae Duci in baptismo nomen Stephani fuisse impositum, et hunc Stephanum 997 obiisse; cui diploma nostrum tribui falso credidit.

Anno 1779 Benzur, Civitatis Posoniensis Senator, anonymam ad amicum epistolam germanico idiomate typis vulgavit, in quam solerter omnia congessit, quaecunque ad venerandi huius documenti fidem labefactandam, aut plane evertendam idonea existimavit. Occasionem homini praebuit Sententia Tabulae regiae anno 1774 tertiam partem nauli posoniensis, fundamento donationis S. Stephani hoc diplomate comprehensae, Archicoenobio S. Martini addicens; cuius exsecutione per Repulsionem a Magistratu ejate impedita, et caussa ad amicam transactionem devoluta, bonus vir hoc suo nisu videtur Archiabbatis et eius Conventus fiduciam erga unicum caussae suae praesidium labefactare intendisse; ut eo faciliores in vota Senatus, Populique Posoniensis, occasione instantis Transactionis experiretur. Sed factum ei male vertit. Nam Transactio anno sequente, citra ullum ad Anonymi dubia respectum, dictae Sententiae conformiter coaluit: Anonymus autem plu-

rium Eruditorum solidis lucubrationibus, nominatim: ea Ignatii Battyányi, tunc Praepositi Majoris Capituli Agriensis, et mox eodem anno 1780 creati Episcopi Transsilvaniae; tum Antonii Gánóczy Capituli Magnovaradinensis Lectoris; denique Chrysostomi Novák, tunc Theologiae Professoris, dein Abbatis S. Mauritii de Beel, et Archiabbatis S. Martini egregie confutatus obmutuit. Sed ad propositum redeamus.

Quam benevolum se S. Ladislaus erga Monasterium S. Martini exhibuerit, docet eiusdem diploma, cuius exordium sic sonat: „Divinum firmet Nomen, quod scripsimus Amen. Quamvis homo omnia, quae possidet, a Deo habet, tamen id quod habet, Deo praebere non dubitet. Etenim, si Christo, a quo multa habet, et pauca porrigere dubitat, et illud quod possidet perdit, et aeterna remuneratione, ut absconsor unius talenti carebit... Qua vero remuneratione ne privaremur; Beatissimus Rex Stephanus, suique successores Reges, Duces, Pontifices, Comites, ceterique Religiosi homines, et Ego Rex Ladislaus Monasterium S. Martini supra Montem Pannoniae situm, prout Regia vis concessit, multis condonavimus opibus. Unde vero, ne per violentiam aliquorum, vel fraudem, seu per negligentiam aliquid depereat, Ego Rex Hungariae Ladislaus, consilio omnium Regni mei Primatum curavi dinumerari, ac commendare huic chartae scriptum, et ut propter antiquitatem negligentiae non daretur, jussimus, ut ad memoriam posteris per succedentia tempora observaretur.“ Sequitur Elenchus vasorum et vestium sacrarum, quorum potiora superius, ubi de pretiosis Ecclesiae huius agebatur, adducta sunt. Post haec enumeratis Libris recensentur Praedia et Villae, partim a S. Ladislao, partim ab aliis donatae hac serie: „Primum Praedium est Pannonia, ubi Monasterium situm est. Secundum Praedium est Ruohti, quod dedit Rex Ladislaus pro redemtione animae suae, et silvam unam, quae vocatur Hasság. Tertium praedium est Himudi nomine villae appellatum. Quartum praedium est, quod vocatur Lazy. Quintum praedium est Vuosian, eodem etiam nomine villae appellatum. Sextum praedium est Weihna, eodem etiam nomine villae appellatum. Septimum praedium est, quod dedit Karci, nomine cuius nuncupatur locus. Octavum praedium est, quod a Colono accepit vocabulum Weinic, et quoniam ibi Piscatorum copia sunt, ad auxilium eorum dedit Rex Ladislaus lacum unum, qui vocatur Erecu, et terram parvulam de pastura boum: Regalis Praestaldus quorum judex Peder Calvus. Nonum praedium est, quod dedit Gurcu licentia Regis, & partem prati, quod est intra terminum alterius villae Regalis, Praestaldus quorum vocatur Graba. Decimum Praedium est, quod vocatur Fizeg super ripam Danubii in condescensu ipsius fluminis in Danubium, a quo sibi locus sumsit suum vocabulum; juxta quod praedium est insula una, et usionale, de quo usionali tertia pars contingit Ecclesiam Beatissimi Martini, duae vero partes conferuntur ad Monasterium Beatissimi Petri. Undecimum praedium est, quod vocatur Almás. Duodecimum praedium est, quod a Colono sibi nomen accepit Tiimurdi. Tredecimum praedium est, quod vocatur Dinna. Quartum Decimum praedium est super Tisciam in introitu Kenesa in supradictum fluvium, ad quod est lacus, qui nominatur Miruth, quem dedit Rex Salamon; Regalis Praestaldus fuit Zoloca. Quindecimum praedium est intra silvam Szeles, quod dedit Rex Ladislaus ad pasturam porcorum cum triginta mansionibus subulcorum, et trecentis Porcis. In his vero supra dictis Praediis nullus hominum habet potestatem, praeter Abbatem ipsius Sanctae Ecclesiae. Cetera autem loca, quae habet commixta cum populis ista sunt: Est unus locus, ubi dedit Rex Ladislaus Ductores navium, et mansiones: Regalis Praestaldus quarum Kuca. Alius

locus, quem dedit Ruohti. Tertius Budrug, in quo Rex Ladislaus dedit lacum cum sex mansionibus Piscatorum, et portum, ac telonium ipsius mercati. Quartus Bata. Quintus Funoldi, Tupei, Tordi, Kereshegy, Cletii, Higmogos, Copulci. In his duobus locis Rex Ladislaus dedit viginti Mansiones servorum: Tuhrics, Balvanis, Fen, Bagag, et Wag, in quo loco habetur Pomarium valde bonum, duo lacus, et silva determinata. Capellae vero eiusdem loci sanctissimi septem sunt. Molendina ipsius loci sunt septem. Centum triginta et una Mansiones Ministrorum ad omnia genera operum debita praeter vineas, et aratra. Centum quadraginta familiae servorum, triginta mansiones Piscatorum, Octuaginta octo mansiones Vinitorum, Centum triginta octo Coccorum, Pistorum, Tornatorum, Artificum, Aurificum, Fabrorum, Pastorum, Lotorum, Pelliparionum, et ad alia omnia genera officiorum ..." [1])

Quo animo Bela II. fuerit in Ecclesiam S. Martini, pariter diplomate suo testatum reliquit his verbis: „Ego Bela Rex Hungariae, Croatiae, Dalmatiae, secundum divinam dispositionem, audiens a Regni nostri Primatibus tam Episcopis, quam Comitibus, non solum Avos meos, sed proavos et abavos Reges, et duces multa contulisse sanctae Ecclesiae B. Martini pro defensione regni in pace et in bello, consilio salutis admonitus disposui quaedam ad utilitatem et honorem ipsius Ecclesiae apponere; volens, ut alii, S. Martinum ante summum Judicem animae meae Defensorem habere... ab Archiepiscopo Feliciano, aliisque Episcopis admonitus, ut Lex sancta jubet, sponsam Dei dotare, eidem Ecclesiae ad sustentationem Fratrum ibidem Deo servientium septem naves saliferas liberas contuli... Praeterea concessi eidem tertiam et decimam partem tributi de Fuk, et totius Comitatus Posoniensis." Idem eodem diplomate Judicatum regium, et donationem cujusdam Hoda confirmavit; et alio terram quandam inter Roz (Ravazd) et Tarjan occasione dedicationis Ecclesiae, per Davidem Abbatem restauratae, S. Martino donavit. [2])

Geysa II. quidem S. Martinum de suo non ditavit: sed partim aliorum donationes lubentissime admisit, et confirmavit; partim per praedecessores suos Reges Hungariae S. Martino ablata restituit. Singulare hanc in rem, uti et sinceritatis seu aevo illi communis, seu personae Regis propriae testimonium praebet huius diplomation in haec verba: „In nomine Sanctae Trinitatis, et Individuae Unitatis. Ego Geyza Rex Hungariae.. notum facio omnibus tam posteris, quam praesentibus, quia ego instituta Sancti Regis Stephani a Rege Colomanno, et filio suo Rege Stephano subtracta restitui, judicans melius esse factis illius obtemperare, quam aliquid Ecclesiae Dei subtrahere. Ille tertiam partem de Usonibus, qui caperentur in Geurin, S. Martino concesserat: Isti, quasi hoc nefas esset, subtraxerunt. Ego autem tertiam partem illam nolo ulterius subtrahi, sed plenarie deinceps constituo dari. Hujus secundae institutionis Testis est, Macharius Archiepiscopus, Zachaeus Episcopus, Belus Dux, Culcey Comes, Gercon Comes, Paulus Warnoldus Comes, Cadar Comes, et alii Comites." [3]) Chartula haec una illarum est, quae docent complura S. Stephanum Monasterio S. Martini donavisse, quorum in huius diplomate anni 1001 nulla fit mentio.

Andreas II. Rex enata inde lite, quod Abbas Urias, suis privilegiis inhaerens, Ecclesiam S. Martini per Briccium Vaciensem, Jacobum Nitriensem, & N. Scenensem Episcopos, contradicente coram Rege, et Accontio S. Sedis Legato, Jaurinensi Episcopo Gregorio, consecrari procuraverit: cum negotium hoc ad Summi Pontificis notitiam perferendum esse crederet: Diplo-

[1]) Caps. 2. A. K. — [2]) Caps. 9. K. 13. F. — [3]) Caps. 26. E.

ma S. Stephani, et quae huc faciebant, Bullas Clementis III., et Innocentii III., quae scripta originalia periculis viarum exponi nolebat, auctoritate sua transsumi, et Transsumpta haec consecrantium Episcoporum sigillis, et sua bulla aurea munita Romam ad Honorium III., adjuncta sua facti relatione, Uriae Abbati favente, expediri procuravit. [1])

Idem alia occasione, diploma S. Stephani ad preces Abbatis Uriae confirmaturus, sic praefatur: „Privilegia Regum felicis memoriae tanto efficacius conservari promerentur, quanto misericordius ab eis erogata Deo indefesse servientibus ex ipso rerum argumento evidenter esse edocentur. Dilecti igitur, ac fidelis nostri Orcz Abbatis de Monte S. Martini in Pannonia favorabili petitioni benigne condescendentes Privilegium B. Stephani Regis tanto clementiori affectu... duximus corroborare ... quanto evidentius in opportunitatibus nostris nos adjuvari feliciter quotidie sentimus. Unde, quia B. Rex Stephanus illam Ecclesiam speciali praerogativa dilectionis in omnibus amplexus est, tantae praerogativae, quam ex longa antiquitate possidet, derogare minime volentes, sed ut Jus exigit, eundem locum, quem integro affectu specialiter diligimus, ampliare satagentes, quidquid est in authentico B. Regis, in posterum perpetuo confirmamus." [2]) Iisdem fere verbis in confirmatione Diplomatis S. Ladislai, S. Martino dati utitur; ubi cetera inter etiam S. Ladislaum Ecclesiam S. Martini speciali praerogativa dilectionis in omnibus amplexum fuisse testatur. [3]) Alibi autem de Abbate Uria haec habet: „Noster fidelis Uros, Abbas Ecclesiae S. Martini de Pannonia, quem attendentes meritorum praerogativa ceteros praecellere, et servitiorum continuata longaevitate pluribus praeeminere, quia nec importune postulans, nec ambitiosis insistens precibus nostram praesentiam adiens a Nobis humiliter postulavit..." [4]) Nimis longum foret cuncta in medium adferre, quibus sive dictis, sive factis Rex iste suam in Monasterium S. Martini propensionem testatam reliquit.

Huius filius Bela IV. patrem imitatus, „Privilegium, inquit, Populis Monasterii S. Martini de S. Monte Pannoniae ab ipso Sancto Rege Stephano pie, et salubriter ab antiquo concessum, ex specialis dilectionis favore, quo praedictum Monasterium S. Martini prae ceteris Monasteriis, et Ecclesiis Regni nostri amplexamur, ad quosdam alios ejusdem Monasterii Populos extendentes, Villam Dyenos (nunc Dénesd) in Chyllonköz (Csallóköz) exsistentem, a Jurisdictione Comitis... Posoniensis... duximus eximendam." [5]) Idem alibi: „Cum, inquit, dictum Monasterium (S. Martini) praecipuum sit inter alia Coronae nostrae Monasteria; ideoque specialiori amore et honore inter cetera confovendum." [6]) Idem erat sensus Ladislai IV. [7])

Andreas III. in diplomate, quo possessiones Taap, et Sz. Miklós S. Martino donavit, his verbis utitur: „Monasterium B. Martini de Sacro Monte Pannoniae, cujus intercessionibus nobis cuncta prospere suffragari sentimus, velimus merito regali favore, gratia, et donatione amplexari." [8]) Quae donatio, licet effectum suum sortita non fuerit; benevolum tamen regis in Monasterium S. Martini animum satis declarat. Notum enim est, Regis huius Decreta ea tantum vigorem retinuisse, quibus confirmatio a Carolo Rege accessisset; quod huic non obtigit.

E secunda Regum Hungariae Periodo, quam mixtam dicimus, ad propositum facit Decretum Sigismundi Regis, quod cum totum S. Benedicti Ordinem in Hungaria respiciat, Coenobium S. Martini non excludit. „Subditorum, inquit

---

[1]) Caps. 31. G. — [2]) Caps. 34. G. — [3]) Caps. 1. Z. — [4]) Caps. 4. B. — [5]) Caps. 41. M. — [6]) Caps. 4. K. — [7]) Caps. 47. G. — [8]) Caps. 1. H.

iste, nostrorum commodis invigilare tenemur: praesertim Abbatum & Monachorum Ordinis S. Benedicti, quorumlibet Monasteriorum Regni nostri, qui inter ceterorum Ordinum monachos ac Fratres in ipso Regno augmentati, sicut jubar salutaris luminis vulgo, ac populo seculari, ut in rectitudinis via et luce procedat, praeclara praebent exempla, et regularissima devotione divina officia complendo peragunt: non etiam Gastrimargia, aut illecebra ipsorum regulam inquinare videtur; sed Coelibatus et parsimonia prae et cum ceteris virtutum Insigniis ordinem eorum adeo solempniter decorare cernitur, quod nos ad ejusdem Ordinis... prosecutionem favorabilem mente fervida anhelamus." [1]) Decretum, cuius hic pericopen dedimus, intuitu legalis sui valoris eiusdem est quidem indolis cum eo Andreae III.; mentem tamen Regis de Ordine S. Benedicti sufficienter ostendit. [2])

Wladislai II. Regis decretum, cum magni momenti epocham Ordinis Benedictini complectatur, integrum fere describere, bona lectoris venia, lubet; quod tale est: „Nos Wladislaus Dei Gratia Rex Hungariae et Bohemiae... Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit, universis, quod cum summo, ac constanti studio pro nostra erga intemeratam fidei sanctae religionem devotione et zelo eo semper animum nostrum direxerimus, in optatisque, et votis, ut par erat, id assidue habuerimus, ut Ecclesiae Dei, maxime vero Coenobia Abbatialia Ordinis S. Benedicti in hoc regno nostro antiquitus fundata, quae licet priscis temporibus frequentia fratrum ejusdem ordinis pulcerrime exornata in laudem Dei Christi, fideliumque pro salute floruerint, postea tamen sive per incuriam Patrum eorundem, sive alio quocunque judicio Divino labefactata, et in ruinam quandam luctuosam collapsa erant, nostra hac tempestate reformari, atque restaurari possent; atque fratribus rursus decenter in incrementum laudis Divinae exornari atque ampliari, sicuti et quemadmodum nostrae erga eum ordinem affectionis devotio in parte effectum etiam ope Divina sortita esse visa est. Volentes igitur ordinem ipsum, qui longe jam a suo vigore decesserat, priori suo statui restituere, ejusque reformationi, ut par est, .. opitulante Divina clementia operam dare, et ad hoc ipsum etiam Sanctissimum Dominum nostrum Julium II. Pontificem maximum inducere, eidemque supplicare, ut voto in hac parte nostro salutifero satisfaciat, ad id singulari universorum Patrum Abbatum in generali Capitulo eorum in Coenobio S. Martini Sacri Montis Pannoniae proxime celebrato constitutorum intercessione apud nos accedente, et hoc ipsum omnibus etiam Dominis Praelatis, et Baronibus, atque Proceribus et cunctis regnicolis nostris a nobis supplici, parique voto expetentibus et desiderantibus, universas gratias et libertates, ac privilegia, quibus Ordo ipse S. Benedicti antea fuit ex Indulto Summorum Pontificum, sive etiam Divorum Regum, nostrorum scilicet praedecessorum et nostra etiam gratia gavisus est, et fuit, eidem Ordini, et Patribus Abbatibus restituimus, innovavimus, et roboravimus, et inter alia, ut ipsi de medio eorum, gremio scilicet Conventuum amodo Abbates in Ecclesias Abbatiales eligere, praeficere, vita et moribus, ac religiositate praeditos; et sic nobis, quarum Patroni sumus, et similiter aliis Patronis aliarum Ecclesiarum ad id consentiendis praesentare; utque non religiose et minus honeste viventes cognita prius ut consvetudo ordinis est rerum experientia, praehabitaque salutari admonitione tales castigare, imo si opus fuerit Abbatia sua privare,

[1]) Caps. 33. R. — [2]) Tripart. Part. 2. Tit. 14. §. 17. 26. —

et deponere, loco eorum idoneos, et meliores eligere, et praeficere, non venientes etiam ad Capitulum eorum generale, ac quoquo modo rebelles et inobedientes vel si eximere ab ingressu Capituli sese procurarent, vel reformationi seu unioni constituendae contrariarentur, similiter auctoritate Apostolica, nec non Juris Patronatus nostri, et Capituli, condigna poena afficere: Ecclesias etiam eorum ab eis utcunque alienatas, et apud manus alienas seu alterius Ordinis habitas, prout juris ordine poterunt, recuperare, et reacquirere possint, et valeant; non habentes vero habitum dejicere, et privare, ac contra eos agere, et si aliter fieri nequit, etiam auctoritate Dioecesanorum vel Apostolica valeant. Ut autem ipsa religio possit perpetuari, et stabiliri, annuimus, et permittimus, ut unam unionem de potioribus sex vel octo saltem Ecclesiis, ubi et in quibus certus numerus fratrum manere possit, instar partium Italiae vel Alemaniae, aut ex his unam aliam colligendam constituere, et caput ipsius unionis Abbatiam, seu Abbatem S. Martini Sacri Montis Pannoniae pro tempore constitutum, tanquam Primatem omnium aliarum Ecclesiarum Abbatialium, prout et quemadmodum hactenus fuit, est, et perpetuo tanquam immediate Apostolicae Sedi subjacentem, et privilegio montis Cassinensis gaudentem, haberi volumus semper et praefici, accedente ad id authoritate, et gratia Sanctissimi Domini nostri, Domini Julii Papae moderni, ad quem pro hac vice literas dedimus, et oratoribus nostris specialiter efficiendum commisimus, ita tamen, quod idem Matthaeus Abbas cum Reverendissimo Domino, Domino Cardinale Rhegino amico et compatre nostro charissimo, ac Protectore Regnorum nostrorum apud Sedem Apostolicam ratione Ecclesiarum Sexardiensis, et Pechwaradiensis concordet, et vita comite ipsius Domini Cardinalis pensionem duorum millium florenorum persolvat. Neminem etiam alium, praeter ordinem, ipsas Ecclesias habere volumus; sicque tandem post exspirationem hujusmodi arendae ad ordinem et unionem praefatam ipsae Ecclesiae et Abbatiae, ut par et justum est, devolvantur et redeant. Imo restituimus, renovamus, roboramus, unionemque ipsam fieri et constitui, et omnia etiam alia, quae ad Ordinis reformationem, augmentationem, et perpetuam durationem et permansionem fore dignoscentur, et pertinere videbuntur, etiam quae hic expressa non haberentur annuimus, et permittimus, concedimusque, et roboramus salvis juribus Dioecesanorum remanentibus, harum nostrarum quas secreto sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur in pendenti communiri fecimus vigore et testimonio literarum mediantibus. Datum in Castro nostro Thata in festo Visitationis Beatissimae Virginis Mariae. Anno Domini millesimo quingentesimo decimo. Regnorum nostrorum Hungariae anno vigesimo, Bohemiae quadragesimo." [1]) Hoc, et pluribus aliis eiusdem Regis decretis, Abbatibus S. Martini titulus Archi-Abbatum, et Ordinis S. Benedicti per Hungariam, et Partes sacrae coronae adnexas perpetuorum Praesidentum accessit. Prioribus enim seculis Praesidentes in generali Capitulo libere per Abbates congregatos eligebantur ad triennium, seu usque proximum Capitulum; in quo iterum quidem eligi poterant, sed hoc raro factum fuisse videtur.

Ex ultima Regum Periodo singularem benevolentiae affectum in Archiabbatiam, totumque S. Benedicti Ordinem testatum fecit Ferdinandus III. Imperator, Hungariae Rex, dum Familiam benedictinam temporum iniquitate dispersam in Regno Hungariae ad pristinum statum reducere, et postliminio restituere intendens, initium

---

[1]) Caps. 13. C.

in reducto Archicoenobio fecit, et Diplomati restitutorio sequentia inseri jussit: „Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis, Quod nos pio, et peculiari, quem erga Ordinem S. Benedicti gerimus affectu inclinati, tum vero consideratis amplissimis meritis, laboribus, et fructuosa non sine sanguinis effusione impensa opera; quam in hoc nostro Regno Hungariae jam inde a temporibus S. Regis Stephani et Apostoli in convertenda, et adducenda ad christianam fidem ex errore gentilitatis natione hungarica indefesso studio praestitit: videntes hunc Ordinem injuria temporum pene totaliter defecisse, ad honorem Dei, laudemque et gloriam postliminio eundem reducere, ac quasi denuo fundare instituimus sperantes fore, ut horum Christi servorum reditus, ac iterata in regnum introductio non modo cedat ad ornamentum Ecclesiae, quam instar ordinatae castrorum aciei diversis Ordinibus et agminibus ornari, et terribilem inimicis reddi convenit: verum etiam confidentes horum precibus, et pio labore, quo ex coecitate gentili lumen verae fidei complures Hungarorum aspexerunt, iisdem haeresum labe infectis ad reductionem in gremium S. Matris Ecclesiae, veraeque, et avitae Religionis non modicum profuturam. Cui piae nostrae intentioni exsequendae opportune sese obtulit Archiabbatia S. Martini S. Montis Pannoniae ... quem locum cumprimis ab hoc Sacro Ordine cultum, et in quo maxima pietate, et vitae sanctitate hic Ordo floruit, Deusque Optimus Maximus, et S. Martinus Regni Hungariae Patronus peculiari devotione et honore veneratus fuit." (pro: colebatur). [1])

Maria Theresia Regina Apostolica Danieli Somogyi Archiabbati S. Martini, eiusque successoribus titulum Reverendi, alias e statu ecclesiastico tantum Episcopis per Reges, et eorum Cancellarias tribui solitum impertita est; [2]) vi cuius Archiabbates ab eo tempore vulgo Illustrissimi audiunt.

Denique insignem favorem et tantum ei S. Stephani Regis comparabilem S. Martino exhibuit gloriosae Memoriae Franciscus tunc II. Romanorum Imperator, dum abolitam Archiabbatiam anno 1802 clementissime in integrum restituit. Eius hanc in rem diploma sic incipit: „Memoriae commendamus... Quod Nos pro paterna cura et sollicitudine Nostra, qua promotioni cultus divini, et rectae Juventutis educationi, ac institutioni benigne prospectum esse volumus, Ordinem Benedictinorum (cui nihil ex iis subtractum esse volumus, quae Liberalitas Protoregis Divi Stephani pro meritis contulit) in percharo Regno nostro Hungariae in integrum restituendum, adeoque Eum in plenum Archi- et Abbatiarum suarum, actuque praeexsistentis fundi instructi Possessorium cum omni illo Jure et Privilegio, sicut tempore suppressionis anno 1786 praefuerat, adeoque Capitales etiam Summas Eidem ablatas cum pretio venditarum medio tempore realitatum, Librorum item, et sacrae Supellectilis una cum literalibus Documentis reponendum benigne decreverimus ..." [3])

Atque haec de favoribus Regum apostolicorum; quae non ita intellecta sunto, quasi horum tantum, quos adduximus, peculiarem gratiam, et clementiam, aut in iis duntaxat, quae in medium prolata sunt, S. Martinus expertus fuisset: exceptis enim perpaucis, ceteri pro ratione temporis, quo sceptrum Regni tenebant, alii largius, parcius alii eundem beneficiis ornavere.

Favores Summorum Pontificum.

Concordi benevolentia cum Regibus Hungariae Abbatiam S. Martini complexi Summi Pontifices, concessa ab illis privi-

---

[1]) Caps. 45. Ff. Num. 1. — [2]) Fasc. 79. Num. 36. — [3]) Fasc. 14. a. —

legia confirmarunt partim, partim nova iis addiderunt. Horum primus Paschalis II. anno 1103 bullam ad Abbatem S. Martini expedivit, in qua sequentia leguntur:

„Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei. Dilecto Fratri Petro Abbati Monasterii S. Martini in monte supra Pannoniam siti, ejusque legitimis successoribus in perpetuum. ... Secundum praeceptum Beatae memoriae Stephani pii Regis per praesens privilegium confirmamus atque statuimus, ut nulli Comitum, nulli Episcoporum, nulli cuiquam alii de rebus, quae jam dicto Monasterio collatae sunt, et concessae, vel in posterum canonice conferendae, liceat minuere, vel auferre, vel ablatas retinere. Obeunte vero te, nunc loci illius Abbate, vel quocunque successorum tuorum nullus ibi eligatur violentia, vel aliqua subreptionis astutia, sed quem fratres communi consensu elegerint, vel pars fratrum sanioris consilii ... Decernimus etiam, ut nulli Episcoporum liceat in jam dicto Monasterio ordinationes facere, seu publicas missas celebrare, nisi ab Abbate invitatus fuerit, vel in Ecclesiis Monasterio subjectis Sacerdotem excommunicare, vel ad Synodum vocare, aut Abbates, vel Monachos. Decimae vero, quas piae recordationis Stephanus Rex ab Ecclesia S. Michaelis emit, et aliae concessiones, quas pro tuitione patriae, pro Statu Regni, pro augmento fidei Beato Martino concessit, firmae, et illibatae permaneant. Datum Beneventi per manus Gualterii Diaconi Cardinalis anno Dominicae Incarnationis M. C. III. et quarto anno Pontificatus Dom. Paschalis II. Papae. Sexto Idus Decembris. Indictione XI.“ [1])

Eundem affectum iisdem fere verbis loquuntur Bullae Pontificum: Alexandri III. anni 1175, et Urbani III. anni 1187, quorum prior non tantum loci huius privilegia Praedecessoris sui Paschalis exemplo confirmavit; verum etiam Breve apostolicum ad Archiepiscopos et Episcopos Hungariae direxit huius tenoris:

„Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis per Ungariam constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Ad vestram non dubitamus audientiam pervenisse, quanta sanctae memoriae Rex Stephanus Monasterium S. Martini de Pannonia donaverit libertate, et quae illi temporibus felicis recordationis Paschalis Papae et nostro privilegia Apostolica sedes indulserit, agnovistis. Quia igitur, quanto libentius vultis Apostolicum auxilium obtinere, et in vestris celerius postulationibus exaudiri; tanto propensius Loca, quae Sacrosanctae Romanae Ecclesiae specialiter Juris exsistunt, in suo vos convenit Jure tueri, eorum libertates custodire eo attentius illibatas. Igitur Universitati Vestrae per Apostolica Scripta mandamus atque praecipimus, quatenus praescripto Monasterio, vel pertinentiis ejus non inferatis molestiam, nec ab aliis permittatis inferri: sed libertatem, quam Rex praefatus concessit, et Sedes Apostolica confirmavit, inviolabiliter observetis, et observari ab aliis faciatis; ita quod querela super hoc ad audientiam nostram perferri non debeat; nec Vos de contemtu, deve negligentia indignationem oporteat Sedis Apostolicae formidare. Datum Tusculani. Nonis Januarii.“ [2]) Porro:

Clementis III. Bulla anni 1188 id peculiare habet, quod praeter favorem Pontificis etiam eum Regis Belae commonstret. Tertium huius nominis intelligo, qui supra descripta faventium S. Martino

---

[1]) Caps. 39. J. — Haec Bulla omnium ad Monasterium S. Martini datarum, quarum Archivum Archicoenobii huius 138 numerat, antiquissima iam meminit Sabariae, in qua Ecclesiam S. Martini sitam esse testatur his verbis: ... „eidem monasterio confirmamus ... in Episcopatu Jaurinensi Ecclesiam S. Martini in Sabaria.“ Confer, quae supra de loco natali S. Martini attulimus. — [2]) Caps. 35. A.

Regum serie non laudatus, hoc loco melius memorari visus est. Bullae huius cetera inter haec sunt verba: „Religiosis votis annuere ... officium nos invitat suscepti regiminis, et ordo videtur exigere caritatis: dignum est etiam, et omnino conveniens, ut obtentu charissimi in Christo Filii nostri Belae Illustris Hungariae Regis, qui pro vobis sollicite satis nos, et attente rogavit, per indulgentiam Apostolicae Sedis vestrum Monasterium speciali debeat praerogativa gaudere. Eapropter dilecti in Domino Filii, precibus ejusdem Regis, cui sicut Catholico Principi, et Christianissimo Regi secundum Deum pro suae devotionis fervore prompta volumus voluntate deferre, clementer inducti, et officii nostri debito provocati Monasterium vestrum ... sub B. Petri, et nostra protectione recipimus ... statuentes, ut quascunque possessiones, quaecunque bona idem Monasterium in praesentiarum ... legitime possidet .. firma vobis, vestrisque successoribus, et illibata permaneant: libertates quoque, jura, et dignitates praedicti Monasterii, a S. Stephano Rege eidem .. concessas, et ab aliis etiam Regibus indultas, et usque ad tempus Illustris memoriae Geysae Regis servatas ratas habemus, et firmas, easque salvis Romanae Ecclesiae, et Legatorum ejus institutionibus perpetuis temporibus illibatas manere sancimus .... Illud autem Privilegii praesentis auctoritate statuimus, ut nemini liceat Abbatem, vel Monachos ejusdem Monasterii suspendere, interdicere, aut excommunicare, vel ad speciales Synodos convocare, nisi Romano Pontifici, vel Legato ab ejus latere destinato. Chrisma vero, oleum sacrum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes Monachorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, a quo vultis, recipiatis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit, et gratiam Sedis Apostolicae, atque communionem habuerit. Cum autem generale interdictum terrae fuerit, liceat vobis clausis januis, exclusis excommunicatis, et interdictis, non pulsatis campanis suppressa voce divina officia celebrare. Si quae igitur in futurum ecclesiastica, secularisve persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo, tertiove commonita, nisi praesumtionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat; atque in extremo examine districtae ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi. Quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. — Datum Laterani per manum Moysi, sanctae romanae Ecclesiae Subdiaconi vicem agentis Cancellarii V. Idus Mart. Indictione VII. Incarnationis Dominicae anno 1188. Pontificatus vero Domini Clementis Papae III. anno secundo." [1])

Innocentii III Bulla de anno 1216 eadem continet; sed iste, quod nullus Pontificum ante eum praestitit, libertatem Cassinensem S. Martino a S. Stephano datam diserte his verbis exprimit: „Praecipimus autem ne quis populum ad Monasterium vestrum, vel ejus Ecclesias accedere, aut ejus beneficia, quae voluerint ex charitate largiri, prohibere praesumat: sed ea Monasterium ipsum gaudeat libertate, qua gaudet Monasterium Cassinense, sicut a Praedecessoribus nostris eidem Monasterio est indultum." [2])

Huius in Cathedra S. Petri successor Honorius III. anno 1225 cum Innocentio III. totidem fere verbis plene concordat. Verum cum solertissimus jurium

[1]) Caps. 36. Ji — [2]) Caps. 31. G. ult. loco.

suorum defensor, eius temporis Abbas S. Martini Urias certo nosse cuperet, in quo Libertas Monasterii Cassinensis consisteret, ad huius preces idem Honorius Papa Privilegium S. Zachariae Summi Pontificis anni 742, cui libertas Cassinensis innitebatur pro S. Martino transsumtum Abbati Uriae, ut videtur, Romae, aut certe in Italia ea de caussa moranti tradidit, ex quo ad nostram rem faciunt sequentia: „Honorius Episcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis Filiis .. Abbati et Conventui Monasterii S. Martini de Pannonia salutem, et Apostolicam benedictionem. — Cum in Privilegiis vobis ab Apostolica Sede concessis fiat mentio Libertatis Privilegii Cassinensis Ecclesiae, humiliter Fili Abbas cum multa precum instantia postulasti, ut Privilegium ejusdem Cassinensis Monasterii, cujus Transscriptum dilecti Filii .. Abbas et Conventus ipsius ad quorumdam Fratrum nostrorum preces nobis sub suis sigillis miserunt, annotari misericorditer faceremus. Nos itaque hujusmodi precibus inclinati, de Fratrum nostrorum consilio Transscriptum ipsius de verbo ad verbum praesenti paginae jussimus annotari, cujus tenor est talis:

„Sanctissimo Patri Domino suo et Benefactori praecipuo Domino Honorio Dei Gratia Sanctae Romanae et Apostolicae Sedis summo et universali Pontifici. Stephanus licet immeritus Ecclesiae Cassinensis Minister et ejusdem Ecclesiae Conventus, humilem commendationem cum pedum osculo. — Veniens ad nos Urias Venerabilis Abbas S. Martini de Pannonia Literas Dominorum .. Albanensis et Tusculanensis Episcoporum, et Venerabilis Cardinalis S. Adriani nobis attulit, ut Privilegium quoddam a Zacharia Papa felicis memoriae Praedecessore vestro Ecclesiae Cassinensi indultum sibi transscribi fideliter faceremus; quorum nos precibus annuentes illud de verbo ad verbum per manus Philippi Notarii nostri transscribi fecimus fideliter, quod vestrae Sanctitati transmittimus, nostris Sigillis munitum, cujus tenor talis est:"

„Zacharias Episcopus Servus Servorum Dei omnibus Ecclesiae Catholicae Filiis salutem, et Apostolicam benedictionem .... Praeterea corroboramus, ac in perpetuum confirmamus eidem dilecto Filio, ejusque successoribus in omni Conventu Episcoporum et Principum superiorem universis Abbatibus sedem, et in consiliis et judiciis priorem sui ordinis omnibus sententiam proferre pro reverentia tanti loci ... ut supradictus locus dignitate, vigore, ac honorificentia praecellat omnia monasteria, quae constructa vel construenda sunt; Abbasque ejusdem loci celsior, ac celebrior exsistat omnibus Abbatibus eandem Regulam tenentibus. Defuncto autem Abbate ex sese ipsa Congregatio secundum sanius consilium Sapientum & saniorum Fratrum sibi Abbatem eligat, et Apostolicae Sedis Pontifici firmandum et consecrandum exhibeat: nec aliter ibi Abbas constituatur, aut aliunde illic intromittatur, nisi forte ex se aliquem tanto regimini idoneum non habuerint, & ob id saniori consilio extraneum sibi elegerint. Insuper autem praesenti Privilegio supra dictum locum una cum omnibus sibi pertinentibus Ecclesiis et possessionibus .. roboramus, atque ut nullius alterius Ecclesiae, nisi Romani Pontificis ditionibus submittatur, auctoritate Apostolica interdicimus; ita ut nisi ab Abbate, vel Praeposito fuerit invitatus, Missarum solempnitatem nullus Episcopus celebrare praesumat in eisdem possessionibus: quod a praesenti prima Indictione irrevocabiliter, et in perpetuum stabilimus retinendum, et cum Dei timore servandum. Statuentes insuper Apostolica censura, sub Divini judicii observatione, et validis atque atrocioribus anathematis interdictionibus, ut nullus unquam qualibet dignitate aut potestate praeditus praesumat eidem Monasterio vel omnibus ejus possessionibus

vim inferre, vel aliquid de his aliquo modo auferre, vel alienare; sed et nec pacis, nec barbarico tempore ibidem aliquam jacturam, aut molestiam inferre, dum perempniter illud firma stabilitate decernimus sub ditione sanctae Romanae Ecclesiae permanendum ... Concessimus etiam hoc Apostolico Privilegio, ut pro oblatione vel ordinatione Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum & Altarium consecratione crismaeque (chrismatis) acceptione in quibuslibet ejusdem Monasterii possessionibus quemcunque voluerint Episcopum invitandum. Ympnum (hymnum: Gloria) quoque angelicum in Dominicis et festivis diebus concedimus in Missarum solempniis decantandum: In oris (horis) vero diurnis et nocturnalibus signum in Ecclesia pulsandum. Simili modo licentiam damus et corroboramus in praefato Monasterio et in omnibus ejus Ecclesiis per totum orbem terrarum constructis fontes benedici, et sacrum Baptisma celebrari, et non solum ibi, sed et in his quoque, quae a modo in possessionibus praedicti Coenobii praesentibus vel futuris temporibus Ecclesiae aedificandae sunt, remota scilicet cujuscunque Episcopi interdictione. Addimus etiam, ut nullus Episcopus prohibeat christianum populum ingredi ad easdem Ecclesias, vel in eisdem de suis rebus aliquid afferre, ut solet fieri religione pia. Observari quoque hanc nostram jussionem volumus, quod nullus Episcopus in jam dicto Casinensi Coenobio, et in omnibus ejus cellulis per totum orbem terrarum constructis decimas tollat, Sacerdotem excommunicet, vel ad Synodum provocet. Simili etiam modo licentiam damus eidem dilecto Filio, ejusque posteris Abbatibus Monachorum Synodum congregandi, et quemcunque Clericum voluerint cum suis substantiis suscipere ad habitandum in omnibus Casinensis Monasterii possessionibus, sive Presbyter sit, aut Diaconus, vel cujuslibet ecclesiastici Ordinis, et nullius Episcopi timere contradictionem. Et liceat eidem Religioso Petronaci, [1]) ejusque posteris, et eorum Praepositis in perpetuum judicare praedictas Ecclesias, curtes, et possessiones per totum Orbem terrarum, et omnem in eisdem possessionibus degentem Clericum ad officium promoveri absque personae secularis potestate, et cujuslibet Episcopi prohibitione .... Scriptum per manus Leonis Notarii et regionarii atque scriniarii Camerae Romanae Ecclesiae. In mense Januarii per Indictionem supra scriptam propriam, datarum duodecim Calendarum. Marciarum Aquini per manum Benedicti Episcopi Sanctae Silvae Candidae Ecclesiae, et Bibliothecarii Sanctae Sedis Apostolicae, Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Zachariae Summi Pontificis, et universalis Papae in Sanctissima Sede Beati Petri Apostoli primo, in mense Martio, indictione suprascripta. Datum Tibur Idibus Maji, Pontificatus nostri anno nono. Nos Egidius Domini Papae Subdiaconus et Capellanus hoc Transscriptum de originali Privilegio de verbo ad verbum fideliter sumptum, diligenter fecimus auscultari, et auscultatum sigillo nostro roborari fecimus in testimonium & cautelam." [2])

Post Honorium III. Gregorii IX. et hunc, usque Reservationum epocham, sequentium aliquot Pontificum favores potissimum in tuendis adversus iniquos Bonorum Coenobii huius Invasores enituerunt; quorum Bullis hic inserendis partim vitandi taedii gratia, partim ideo supersedetur, quia iustas caussas tueri non tam favoris, quam iustitiae argumentum videtur.

Verum evoluto Reservationum, quod totum Seculum XV. absumsit, aevo, Ju-

---

[1]) Petronax iste fuit Abbas Cassinensis, qui dirutum olim per Longobardos Cassinense Monasterium sub Gregorio III. Papa restauravit, mox ab huius successore Zacharia praesente privilegio donatum. — [2]) Caps. 68. D.

lius II. ad preces Wladislai II. Regis Hungariae, Abbatiae S. Martini jura, et privilegia universa, olim a Summis Pontificibus, et Hungariae Regibus acquisita singillatim enumerando innovavit, approbavit, et confirmavit; novumque adiecit, vi cuius Abbas eius iam Abbas Generalis, iam Generalis Capituli Praesidens in eius Bullis, potissimum anno 1506 datis, vocitatur. Hunc sequutus

Leo X. anno 1514 prolixa bulla magno verborum apparatu idem praestitit, et Primatum tam honoris, quam jurisdictionis Archiabbatum S. Martini uberius declarando, et super ceteros benedictinae Professionis per Hungariam Abbates extendendo, tam praeclare de S. Martino meruerat, ut bulla haec istius Monasterii Palladium merito appelletur: cuius vis in solidata anno 1833 coram Curia romana, et eius temporis Exc. Dicasteriis episcopali Archiabbatum Jurisdictione insigniter enituit. Non abs re videtur eam, licet prolixam, totam dare.

„Leo Episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Regimini universalis Ecclesiae meritis licet imparibus superna dispositione praefecti ad singula Orbis Ecclesias et Monasteria, ut nostris praecipue temporibus votivis in Spiritualibus et temporalibus proficiant incrementis, Pastoralis Officii partes libenter convertimus, et his, quae in illorum favorem et commodum a diversis Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, nec non Regibus et aliis Principibus concessa fuisse dicuntur, ut firma perpetuo et illibata persistant, cum a Nobis petitur, Apostolici adjicimus muniminis firmitatem, et alias desuper providemus, prout Catholicorum Regum, et aliarum Personarum humilium pia vota deposcunt, et Nos in Domino conspicimus salubriter expedire. — Sane pro parte carissimi in Christo Filii nostri Uladislai moderni Hungariae Regis illustris, et dilectorum filiorum Matthaei Archi-Abbatis, et Conventus Monasterii S. Martini in S. Monte Pannoniae Ord. S. Benedicti Jaurinensis Dioecesis exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod dudum, postquam B. Stephanus, primus Regni Hungariae Christianus Rex, qui munere Legationis de latere functus fuisse dicitur, et Hungaros ad fidem Christi convertit, pia devotione ductus, Monasterium praedictum, quod inter alia dicti Regni Monasteria insigne existit, fundaverat, ac sufficientibus bonis, et proventibus dotaverat, illudque, ac illius Abbatem, Conventum, Monachos, Jobbagyiones, Colonos, Servitores, et Subditos quam pluribus privilegiis, libertatibus, praeeminentiis, immunitatibus, gratiis, et praerogativis decoraverat, et munierat, ac successive Idem, sive aliqui Romani Pontifices aut Reges dicti Regni inter alia respective statuerant, ordinaverant, et decreverant, quod dictum Monasterium aliorum ejusdem Ordinis in toto Regno praedicto Monasteriorum Caput existeret, et qui illi praeesset, Archiabbas vocaretur, et ante eum deferri posset quoddam Insigne Capella nuncupatum, quo aliis Abbatibus dicti Regni uti nequaquam liceret. Et quod ejusdem Monasterii Archiabbas Abbates aliorum Monasteriorum omnium Ordinis et Regni praedictorum convocare, et Capitulum de Triennio in Triennium celebrare, ac in illo reformationes ac statuta licita et honesta facere et concedere, ac duos Monachos dicti Monasterii, qui magis idonei viderentur, ad aliquam Studii Generalis Universitatem mittere, et illi inibi studere possent. Quodque Monasterium ipsum et illius Monachi privilegiis dilectorum filiorum Congregationis Monachorum Montis Cassinensis, alias Congregationis S. Justinae Ejusdem Ordinis gauderent; Idemque Monasterium, et illius Abbas, et Conventus, et singuli Monachi, Plebani, Presbyteri, Jobbagyiones, sive Coloni, Servitores et Subditi hujusmodi nulli Archiepiscopo aut Episcopo dicti Regni, sed immediate in Spiritualibus

Sedi Apostolicae, et Romano Pontifici subjecti esse deberent; et ad Judicium trahi, excommunicari, suspendi, et interdici nequirent, nisi de Romani Pontificis pro tempore existentis speciali Mandato; nec etiam Rectores, sive Plebani Ecclesiarum parochialium, et Presbyteri Locorum sive villarum et oppidorum dicti Monasterii ad Synodum per quoscunque Locorum Ordinarios vocari, et compelli possent: Nullusque Archiepiscoporum et Episcoporum contra voluntatem Abbatis, et Conventus dicti Monasterii in eodem Monasterio, sive aliis Ecclesiis parochialibus eidem Monasterio subjectis Divina celebrare valeret, ipsisque Abbati, et suis Monachis a quocunque Archiepiscopo, aut Episcopo Sacros Ordines usque ad Sacerdotium inclusive, ac iisdem et dictis Rectoribus Chrisma et Oleum sacrum pro eorum Parochianis recipere, et habere liceret; et, ut decedente Archiabbate Conventus dicti Monasterii de gremio ipsorum si idoneus reperiretur, alioquin de gremio Monachorum alterius Monasterii Abbatem eligerent; et nullus sive magnus sive parvus cujuscunque conditionis, status, et praeeminentiae existeret, contra libertates, immunitates, gratias, et privilegia praedicta auderet quovis modo contravenire, alias Omnipotentis Dei indignationem incurreret. Et Gejsa, ac B. Ladislaus, Bela, ac clarae memoriae Sigismundus, et successive plures alii, et Uladislaus modernus praedictus, Hungariae Reges, praemissa confirmaverant, adjicientes etiam respective, quod nullus Comitum, Vicecomitum sive alius Princeps dicti Regni, et Comitatuum ejusdem, se et suis Successoribus duntaxat exceptis, Jobagyiones, Colonos, Servitores et Subditos dicti Monasterii, contra illius Archiabbatis et Conventus voluntatem ratione cujuscunque criminis, delicti, contractus, et debiti vocare ad judicium non valerent. Felicis recordationis Zacharias, Honorius, Paschalis, Gregorius tertius, Alexander tertius, Clemens, Urbanus, Joannes, Innocentius, Benedictus 12mus, Julius 2dus, et nonnulli alii Romani Pontifices, Praedecessores nostri, praedicta, et alia quaecunque privilegia, libertates, gratias, et immunitates, ac indulta per Reges Hungariae, ac alios tam Spirituales, quam temporales Principes, dicto Monasterio, et illius Abbati, Monachis, et subditis concessa respective approbaverunt, eaque, et multa alia de novo concesserunt."

„Statuerunt quoque et ordinaverunt, quod ejusdem Monasterii Archiabbas ad instar Episcoporum cum Infula, baculo, chirothecis, annulis, sandaliis et aliis Insignibus pontificalibus Divina celebrare, Ordines minores suis Monachis conferre, et illi eos ab ipso recipere, et calices ac paramenta pro Divinorum usu in eodem Monasterio benedicere et consecrare; nec non Capitula triennalia et annalia indicere, caeteros Regni et Ordinis praedictorum Monasteriorum Abbates Exemtos, et non exemtos ad Capitulum convocare, et venire recusantes ad veniendum authoritate Apostolica etiam sub Censuris, et poenis ecclesiasticis, ac aliis juris remediis compellere. Et, quod Archiabbas dicti Monasterii Caput, et primus Praesidens Capituli hujusmodi esse deberet, et esset, ac Visitatores eligere, et deputare, ac per deputatos, vel per se ipsum reliquorum Monasteriorum hujusmodi Abbates visitare, procurationes ab eis recipere, eorum crimina, et defectus cum consilio Deffinitorum corrigere, et emendare: Statuta, et Constitutiones pro reformatione dicti Ordinis Personarum, et Locorum condere, et expensas necessarias tam pro negotiis Capituli, quam totius Ordinis cum consilio, et moderatione Diffinitorum eorundem Abbatibus ipsis imponere, et per Censuras exigere. Et obeunte dicto Archiabbate Fratres ipsius Monasterii ad alterius electionem, prout per dictum Stephanum Regem exstiterat ordinatum, procedere libere, et licite possent, prout in Ejusdem B.

Stephani Regis ejus manu propria subscriptis, et diversis Romanorum Pontificum, moderni Uladislai praefati, et aliorum Regum praedictorum desuper confectis Literis dicitur plenius contineri. Et, quamvis Archiabbates, Conventus, et Monachi Monasterii S. Martini hujusmodi, qui pro tempore fuerunt in usu, seu possessione, vel quasi privilegiorum et indultorum praedictorum a tempore fundationis Monasterii, et illorum, Concessionum, Confirmationum atque approbationum respective ultra quadringentos annos exstitissent; tamen cum propter varietatem, & malignitatem temporum Monasterium praedictum nonnullorum Laicorum tyrannide occupatum per septuaginta annos et ultra Abbate caruisset, ac illius numerus Monachorum, qui a tempore fundationis usque ad tempus occupationis ejusdem magnus erat, ad quatuor aut sex reductus, et Cultus divinus quasi in toto diminutus fuisset, et ipsum Monasterium in Spiritualibus, et temporalibus magna sustinuisset detrimenta; praefatus Uladislaus Rex ruinae et desolationi dicti Monasterii compatiens, et zelo devotionis accensus, suorum Praedecessorum inhaerendo vestigiis, Monasterium praedictum, quoad potuit, in pristinum statum restituit, ac de consensu omnium Praelatorum, Baronum, et Nobilium dicti Regni omnia et singula privilegia, libertates, gratias, et immunitates a suis praedecessoribus et aliis illi concessa ante plures annos innovavit et reintegravit. Et ne ulterius Monasterium ipsum ad Laicorum manus perveniret inter alia de Praelatorum, Baronum, et Nobilium praedictorum consensu, ut vacante dicto Monasterio S. Martini illi per Electionem Canonicam de Archiabbate provideatur; et quod ceterorum dicti Regni Monasteriorum hujusmodi Abbates ad Triennale aut annuale Capitulum directe vel indirecte quovis quaesito colore venire recusantes, aut absentiam et impedimentum procurantes Regiminibus et Administrationibus Monasteriorum suorum privati sint eo ipso, et alii idonei eorum loco per Archiabbatem dicti Monasterii S. Martini pro tempore exsistentem praeficiantur, statuit, decrevit, et ordinavit. Nec non statuta licita et honesta pro Reformatione ipsius Ordinis per Archiabbatem pro tempore exsistentem facta et facienda quantum in Eo fuit approbavit et confirmavit. Et de Bela a triginta tribus annis citra per Laicos occupatum, in quo nullus interim Monachus resederat, ac Cultus divinus fuerat in toto exstinctus; ac de Beel ejusdem Ordinis Zagrabiensis, et Vesprimiensis Dioecesium Monasteria Juris patronatus ipsius Regis eidem Monasterio S. Martini, et illius Archiabbati pro tempore exsistenti perpetuo subjecit, atque submisit: nec non Jus Patronatus, ac omne Jus, quod in illis sibi et suis Successoribus, Hungariae Regibus, competebat, et competere poterat, in dictum Monasterium S. Martini et illius Archi-Abbatem transtulit; ac voluit, quod idem Archiabbas dictis de Bela et de Beel Monasteriis de Abbatibus aut Prioribus prout ad divini Cultus, et Ordinis incrementum magis pertinere cognoscet, provideat, ac competentem numerum Monachorum secundum qualitatem locorum ponat, pro cujus piae voluntatis exsecutione, et divini Cultus augmento ac Religionis decore dictus Matthaeus Archiabbas in S. Martino ultra quadraginta, et post subjectionem hujusmodi in de Bela Monasteriis praefatis tredecim Monachos introduxit. Et sicut eadem petitio subjungebat, si statueretur et ordinaretur, quod ex nunc de cetero in perpetuum Archiabbas dicti Monasterii S. Martini pro tempore exsistens ipsius, ac de Bela, et de Beel Monasteriorum Monachos, et eorum singulos in quibusvis Casibus Sedi Apostolicae non reservatis absolvere, et cum eis dispensare, nec non Statuta, Constitutiones, et Ordinationes pro reformatione Ordinis hujusmodi licita et honesta cum

consilio Diffinitorum condere, et ea pro varietate temporum immutare, minuere, et illis addere, quae postquam edita, et immutata fuerint, dicta auctoritate Apostolica confirmata esse censeantur, et ad acceptandum et observandum hujusmodi Statuta et Ordinationes, Abbates, Priores, & Monachos aliorum Monasteriorum Ordinis et Regni praedictorum exemptos praeterquam per Sedem praedictam, et non exemptos eadem authoritate etiam sub Censuris et poenis ecclesiasticis, et aliis Juris remediis compellere; nec non pro Rogitibus et Negotiis Capitulorum et Monachorum duntaxat dicti Ordinis et non alias unum, duos, aut tres ex dictis Monachis in Notarios seu Tabelliones creare, et Monachi in Notarios creati Officium hujusmodi inter Personas dicti Ordinis duntaxat exercere: Quodque Monasterium S. Martini et illius Archiabbas et Conventus praefati, eorum privilegiis semper salvis remanentibus omnibus et singulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, facultatibus, indulgentiis, concessionibus et indultis Congregationi Montis Cassinensis alias S. Justinae hujusmodi, et illius Monasteriis et personis a Romanis Pontificibus etiam in Conciliis generalibus et ipsis Conciliis a sede praefata, tam ante, quam post fundationem dicti Monasterii S. Martini in genere vel in specie quomodolibet concessis, et pro tempore concedendis, et quibus ipsa Congregationis huiusmodi Monasteria, et illorum Abbates, Conventus, et Personae quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri et gaudere libere, et licite possint. Quodque decedente pro tempore Archiabbate praefato Fratres dicti Conventus Monasterii S. Martini infra sex dies, si Archiabbas in ipso Monasterio decesserit, a die illius obitus; si vero extra, a die habitae obitus ejusdem notitiae computandos, sub Excommunicationis latae sententiae poena eo ipso incurrenda, a qua praeterquam in mortis articulo nisi per Romanum Pontificem absolvi nequeant, ad futuri Archiabbatis juxta privilegia praedicta electionem canonicam adhibitis etiam aliquibus ad Simoniae sordes pellendas, et ad ipsius electionis actum in cordium securitate expediendum modo et forma opportunis procedere debeant. Profecto ex hoc instauraretur in dicto Regno in Locis dicti Ordinis prostrata Religio, allicerentur multi probi Viri ad vitae monasticae Sanctimoniam, cresceret divinus Cultus, aliasque Monasteriorum eorundem et Personarum in illis Domino famulari affectantium statui in Spiritualibus, et temporalibus prospere et salubriter consuleretur."

„Quare pro parte Uladislai Regis, et Matthaei Archiabbatis, ac Conventus praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut omnibus et singulis privilegiis, Libertatibus, Immunitatibus, exemptionibus, praerogativis, Concessionibus, Gratiis, Statutis, Ordinationibus, Decretis, Indulgentiis, facultatibus et indultis Monasterio S. Martini, et illius Archiabbati pro tempore existenti, Conventui, Monachis, Plebanis, Presbyteris, Colonis, Servitoribus et subditis praedictis per singulos praefatos et quoscunque alios Romanos Pontifices, praedecessores Nostros, ac Stephanum et alios Reges et Principes quoquomodo concessis, et super eis confectis Literis, ac in eis contentis, et inde secutis Robur Apostolicae Confirmationis adjicere, et ea omnia de Novo concedere, illaque caetera subjuncta hujusmodi statuere et ordinare, aliasque in praemissis providere de Benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Matthaeum Archiabbatem, ac Conventum praefatos, et eorundem Conventus singulares personas a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis et Interdicti, aliisque ecclesiasticis Sententiis, Censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel caussa latis, si quibus quomodolibet innodati

exsistunt, ad effectum praesentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati ex certa nostra scientia, ac Apostolicae Potestatis plenitudine, omnia et singula privilegia, Immunitates, Exemptiones, Praerogativas, Concessiones, Gratias, Statuta, Ordinationes, Decreta, Indulgentias, Facultates, et Indulta Monasterio S. Martini, et illius Archiabbati pro tempore exsistenti, ac Conventui, Monachis, Plebanis, Presbyteris, Colonis, Servitoribus et Subditis praedictis per praefatos; et quoscunque alios Romanos, ac Guidonem, et Petrum Tituli Sancti Cyriaci in Thermis Presbyterum Cardinalem, et alios Pontifices praedecessores Nostros, Concilia, Sedis Apostolicae Legatos, ac Stephanum et ceteros Reges et Principes a tempore Fundationis ipsius Monasterii S. Martini, et praefatum Uladislaum Regem modernum usque in hunc diem concessa, eorundemque tenores, ac si de Verbo ad Verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, singulas desuper confectas Literas, et in eis contenta, ac inde secuta quaecunque Auctoritate Apostolica Tenore praesentium approbamus, innovamus, et confirmamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere, et inviolabiliter observari debere decernimus: supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in iisdem. Et nihilominus potiori pro cautela ea omnia et singula de Novo, prout per Romanos Pontifices et Reges praefatos, Concilia, Legatos Sedis Apostolicae praedictae, ac alios Principes concessa, et ordinata fuerunt, de novo concedimus; eaque, ac etiam quod ex nunc perpetuis futuris temporibus Archiabbas dicti Monasterii S. Martini pro tempore exsistens vestes, ac alia Ornamenta ecclesiastica ad usum divinorum in dictis S. Martini ac de Bela et Beel Monasteriis benedicere, ac dictos Monachos et eorum singulos in quibusvis casibus dictae Sedi non reservatis absolvere, et cum eis dispensare; nec non Statuta, Constitutiones, et Ordinationes pro reformatione Ordinis hujusmodi licita et honesta condere, et ea pro varietate temporum immutare, minuere, et illis addere, quae postquam edita et immutata fuerint, dicta Auctoritate Apostolica confirmata esse censeantur, et ad acceptandum, et observandum hujusmodi Statuta, Constitutiones, et Ordinationes Abbates, Priores, et Monachos aliorum Monasteriorum Ordinis, et Regni praedictorum, praeterquam a Sede praedicta, Exemptos et non Exemptos eadem Auctoritate etiam sub Censuris et poenis ecclesiasticis, et aliis juris remediis compellere; nec non pro Rogitibus et negotiis Capitulorum et Monachorum duntaxat dicti Ordinis, et non alias, unum, duos, aut tres ex dictis Monachis in Notarios seu Tabelliones creare, et Monachi in Notarios creati Officium hujusmodi inter Personas dicti Ordinis duntaxat exercere. Quodque Monasterium S. Martini, et illius Archiabbas et Conventus praefati eorum privilegiis semper salvis remanentibus, omnibus et singulis privilegiis, Immunitatibus, Exemptionibus, Facultatibus, Indulgentiis, Concessionibus, et Indultis Congregationi Montis Cassinensis alias S. Justinae hujusmodi, et illius Monasteriis et Personis a Romanis Pontificibus etiam in Conciliis Generalibus, et ipsis Conciliis, ac Sede praefata tam ante, quam post fundationem dicti Monasterii S. Martini in genere vel in specie quomodolibet concessis, et pro tempore concedendis, quorum tenores ac si de Verbo ad Verbum insererentur praesentibus pro expressis habentes, et quibus ipsa Congregationis hujusmodi Monasteria, et illorum Abbates, Conventus et Personae quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, - uti, potiri, et gaudere libere et licite possint et debeant in omnibus et per omnia perinde, ac si Privilegia, Immunitates, Exemptiones, Facultates, In-

dulgentiae, Concessiones, et Indulta eidem Congregationi concessa, dicto Monasterio S. Martini, et illius Archiabbati, Conventui, et Personis specialiter concessa fuissent; et quoad hoc de gremio ipso sint, et esse censeantur."

„Quodque decedente pro tempore Archiabbate praefato Fratres dicti Conventus Monasterii S. Martini infra sex dies, si Archiabbas in ipso Monasterio decesserit, a die illius obitus: si vero extra, a die habitae obitus ejusdem notitiae computandos sub Excommunicationis latae sententiae poena eo ipso incurrenda, a qua praeterquam in mortis articulo nisi per Romanum Pontificem absolvi nequeant, ad futuri Archiabbatis juxta privilegia praedicta electionem canonicam procedere debeant forma et ordine infrascriptis. Videlicet: postquam Archiabbas ipse decesserit, et mors illius ad notitiam Fratrum Conventus Monasterii S. Martini hujusmodi pervenerit, Prior ejusdem Monasterii, et si ille negligens fuerit, tunc alius quicunque ex Monachis in Sacerdotio constitutis, zelum ordinis habens, statim reliquos dicti Monasterii S. Martini Monachos more solito ad locum Capituli consvetum convocet, et convocati in unum conveniant, sub simili poena, et ibidem Prior, aut alius qui eos convocaverit, ipsos sic convocatos in charitate Jesu Christi moneat, et requirat, eisque sub Obedientiae, et si necesse fuerit, etiam excommunicationis poena mandet, ut singulis diebus, infra quos electio Archiabbatis fieri debet, conventualiter Missam de Spiritu Sancto in eorum Ecclesia decantent, et singuli ex eis, qui Presbyteri sunt, singulas de eodem Spiritu S. Missas celebrent, et Conversi ejusdem Monasterii Sacramentum Eucharistiae sumant, et devotas ad Deum, ut Electoribus ipsis ad eligendum dignum Pastorem gratiam subministret, preces effundant; et divinis hujusmodi expletis ad eligendum Archiabbatem in locum consvetum singulis diebus, donec Abbas per eos canonice sit electus, conveniant; et ubi convenerint, Prior praefatus, vel alius Monachus, qui alios ad Electionem hujusmodi convocaverit, ut praefertur, in manibus Monachi se ibidem sequentis Senioris audientibus et intelligentibus ceteris, alta, et intelligibili voce juret in hac forma librum Evangeliorum ambabus manibus tenens: Ego N. N. juro et promitto Deo Omnipotenti, S. Mariae, S. Martino, S. Benedicto, et Sanctis omnibus totius Curiae coelestis eum eligere in Archiabbatem, quem judicavero et credidero juxta meam Conscientiam futurum Monasterio S. Martini et toti Ordini S. Benedicti in Spiritualibus, et temporalibus utiliorem, nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero promissione, timore, favore aut donatione alicujus rei temporalis, seu prece, per se, vel alium seu alios qualitercunque directe vel indirecte pro se aut alio electionem procurare. Ita me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia. Idemque et sub eadem forma juramentum praestent caeteri omnes electioni hujusmodi interessentes in manibus Prioris seu alterius Monachi supradicti, quibus peractis ad ipsius electionis actum secundum canonicas sanctiones, et Regularia dicti Ordinis Instituta procedant, et ea sic celebrata, qui in Archiabbatem electus fuerit, auctoritate Apostolica confirmatus esse censeatur, et Administrationem tam in Spiritualibus, quam in temporalibus dicti Monasterii S. Martini habeat eo ipso: teneatur tamen infra sex menses a die electionis Annatam et alia Jura Camerae Apostolicae sub simili Excommunicationis latae sententiae, et privationis a Regimine et Administratione dicti Monasterii S. Martini poenis persolvere cum effectu."

„Si quis vero per simoniacam pravitatem (dando, promittendo, vel recipiendo pecunias aut bona cujuscunque generis, seu Officia, vel beneficia, aut promissiones, et obligationes) commissam: sive terrores, minas, intercessiones, favores

aut potentiam quorumcunque directe, vel indirecte, per se, vel alium seu alios quomodocunque et qualitercunque adhibitas etiam in duarum partium vel omnium Monachorum unanimi concordia, etiam per viam assumtionis unanimiter nemine discrepante, etiam sine scrutinio in Archiabbatem dicti Monasterii S. Martini electus fuerit, vel assumtus, aut se eligi, vel assumi procuraverit; non solum hujusmodi electio vel assumtio nulla sit eo ipso, et eidem sic electo vel assumto administrandi in spiritualibus et temporalibus jus seu facultatem non tribuat; sed etiam contra sic electum, vel assumptum de Simoniae labe a quocunque Monacho, qui eidem electioni interfuerit, sive a quocunque alio Monacho dicti Ordinis opponi et excipi possit, sicut de vera et indubitata haeresi: Ita, quod a nullo pro Archiabbate habeatur, quin imo ipse sic electus a priori suo et alio quocunque honore, Monasterio, dignitatibus et Officiis, quae tunc obtinebit, eo ipso absque alia declaratione privatus existat, et ad praedicta omnia et singula perpetuo inhabilis et infamis habeatur, et sit; nec hujusmodi electio per aliquam gratiam, et dispensationem, aut etiam Monachorum dicti Monasterii obedientiam, sive canonicam novam electionem ullo unquam tempore teneat. Liceatque omnibus, et singulis, ac Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, Clericis, Castrorumque, terrarum, Civitatum, oppidorum, Villarum, et possessionum Officialibus, Jobagyionibus, Colonis, et Subditis dicti Monasterii, ac etiam Abbatibus, Prioribus, Monachis et Conventibus aliorum Monasteriorum Regni, et Ordinis praefatorum a talis Electi obedientia impune quandocunque discedere, et etiam auxilium brachii secularis contra eum implorare, Archiabbatique Successori Canonice electo eundem perpetuis carceribus, ubi dies suos lugeat, mancipare. Monachi autem cujuscunque status, gradus, et conditionis exsistant, si talem simoniace elegerint, sive assumserint a suorum exsecutione Ordinum perpetuo sint suspensi. Aliae vero Personae, quae directe vel indirecte consilio, favore, auxilio, aut quovis alio quaesito colore per se vel alium seu alios hujusmodi Abbatis canonicam electionem turbaverint, molestaverint, aut impediverint, vel contra canonice electum alium intruserint, vel intrudi procuraverint; seu Abbatiam hujusmodi quovis alio modo pro se sive alio occupaverint, vel detinuerint, aut occupare et detinere procuraverint; hujusmodi Personae si ecclesiasticae fuerint, etiam si Archiepiscopali vel Patriarchali praefulgeant dignitate, a suorum exsecutione Ordinum absque alia declaratione eo ipso sint suspensi: seculares vero, et etiam Personae ecclesiasticae inferiores Episcopis, quacunque praefulgeant dignitate, etiam si Duces, Comites Palatini, aut Barones fuerint, similiter eo ipso absque alia declaratione tam occupatores, et detentores, quam illi, cujus vel quorum nomine hujusmodi Monasterium occupatur, et detinetur, majoris Excommunicationis Sententiam incurrant, eisdem eadem authoritate tenore praesentium statuimus, decernimus, et ordinamus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac Monasterii S. Martini, et Ordinis praedictorum juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consvetudinibus, et quibusvis specialibus vel generalibus reservationibus etiam in favorem vel commodum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, de S. Martini, de Bela et de Beel Monasteriis praedictis in genere vel in specie per Nos et Sedem praefatam etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque fortioribus, efficacioribus et insolitis clausulis irritantibus, et aliis decretis pro tempore factis, et fiendis; nec non omnibus illis, quae praedecessores nostri, et Reges praefati in singulis eorum Literis praedictis voluerunt non

obstare, ceterisque contrariis quibuscunque."

„Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, approbationis, innovationis, confirmationis, Decreti, Suppletionis, Statuti, et Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemtare praesumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud S. Petrum. Anno Incarnationis dominicae Millesimo quingentesimo quartodecimo. — Kal. Junii. — Pontificatus nostri Anno Secundo." [1]) Subscripti sunt sub signatura CCCL. in dextro membranae latere: B. de Rizonibus. Sberona. B. de Mātua. Iu. Peruschis. A Draccho (?). [2]) In sinistro latere: Evangelista. m. pr. —

In hac Bulla exhibenda — ne pauca, quae adhuc supersunt, fila sericea, grave sigillum plumbeum sustentantia, intra scribendum periclitarentur; — usi sumus eius Transscripto, per Josephum Comitem Garampi olim Nuntium Apostolicum probato; qui non tantum de Transsumti cum Originali plena concordia, verum etiam de ipsius Bullae originalis authentia testimonium praebuit hoc tenore: „Josephus Comes Garampi, Dei et Apost. Sedis Gratia Archiep. Berytensis, et Episc. Montis Falisci, et Corneti. SS. D. N. Pii divina Provid. PP. VI. Praelatus domesticus, et Solio Pontificio Assistens: Ejusdemque et S. Sedis Apost. apud Augustam Aulam Caes. Reg. Apostolicam cum Facultatibus Legati de Latere Nuntius. — Universis, et singulis praesentes Literas inspecturis notum facimus, et testamur, praesens Transsumtum fuisse a Nobis diligenter collatum cum Literis Apostolicis in Membrana exaratis, ac Bulla plumbea S. Me. Leonis PP. X. munitis, quae ex Tabulario Insignis Archimonasterii S. Martini in Monte Pannoniae Nobis exhibitae fuerunt; quas examinavimus et autographas recognovimus atque in nulla sui parte vitiatas, aut corruptas; idemque Transsumtum cum iisdem literis autographis plene concordare. In cujus rei fidem idem Transsumtum manu nostra subscripsimus ac sigillo nostro obsignavimus. Datum Viennae in Austria die 8. Novembris, anno Domini 1776. — Pontificatus SS. D. N. Pii PP. VI. anno secundo. — Josephus Archiepiscopus; Episcopus Montis Falisci, et Corneti: Nuntius Apostolicus. — Franciscus Corazza. S. N. Cancells."

Non est silentio praetereundum Rescriptum Clementis XIV. Summi Pontificis ad Danielem Somogyi Archiabbatem anno 1768 datum, quod sic sonat: „Dilecte Fili salutem, et apostolicam benedictionem! Tua erga nos, ac apostolicam hanc Sedem observantiae, fidei, ac pietati consentanea omnino sunt laetitiae significationes, ac gratulationis officia a Te literis filialis devotionis ac obsequii plenissimis ob nostram ad Divi Petri Cathedram evectionem Nobiscum peracta. Nos et grato animo eas excepimus, et de nostra invicem paterna in Te, gregemque tuae curae commissum caritate persuasum esse cupimus; quod reipsa intelliges, si opportunitatem benignitatis nostrae prolixius declarandae suppeditaveris. Interim confidimus Te de nobis in dies praeclarius meriturum non intermissis tuis, tuique Gregis precibus pro divinis praesidiis imbecillitati nostrae in gravissimo munere, cui impares omnino sumus, impetrandis. Demum apostolicam benedictionem Tibi, dilecte Fili, tuoque Populo peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam sub annulo Piscatoris die 22 Julii anno 1769. Pontificatus nostri anno 1°." [3]) Quae benignitatis declaratio ne in nudis verbis subsisteret; idem Pontifex, ad pre-

---

[1]) Caps. 34. Z. — [2]) Huius nominis literae mediae sunt ambiguae. — [3]) Fasc. 76. 28.

ces Archiabbatis, eodem adhuc anno Danieli Somogyi, ejusque in Archiabbatia successoribus facultatem Doctores in Philosophia et Theologia ex suis Religiosis creandi est impertitus.[1])

Talibus Rescriptis Pontificiis decursu seculi praesentis variis occasionibus acquisitis Monasterium S. Martini pluribus gaudet, e quibus vere paternus in illud Summorum Pontificum animus elucescit.[2]) Ex his illud, quo Gregorius XVI. anno 1841 ad nuntium de obitu Thomae Archiabbatis, et electione Vicarii in Spiritualibus, et Caussarum Auditoris Generalis Conventualis per Conventum facta respondet, coronidis instar adferre juvat:

„Gregorius P. P. XVI. — Dilecti Filii Religiosi Viri salutem et Apostolicam Benedictionem. Tristes a Vobis accepimus Litteras, ex quibus scilicet intelleximus, Dilectum Filium Religiosum Virum Thomam Kovács Abbatem Vestrum Generalem gravi nuper morbo confectum Nonis Januarii ab hominibus demigrasse. Nos quidem in luctu isto vestro eam cepimus partem, quam reverentia defuncti Abbatis erga Sedem hanc Apostolicam, et nostra in eum singularis caritas postulabant. Nec praetermisimus ejusdem animam nostris etiam sacrificiis et precibus Deo suppliciter commendare, ut indulgeat illi, quidquid humanae labis adhuc habuerit expiandum. Ab ipso autem Clementissimo Domino per Jesum Christum Filium suum omni, qua possumus, humilis orationis contentione postulamus, ut vestris, nostrisque annuens votis cunstos Vos, resque vestras suo praesidio foveat, ac tribuat propitius per gratiam suam, ut eum istic novum Abbatem constituere valeamus, qui in Religiosa vestra Congregatione verbis juxta, atque exemplis sanctissimae Benedicti Patris Regulae custodiam tueatur, atque in omnibus Abbatiae Locis ad Cleri disciplinam, ad catholicae juventutis institutionem, ad tutelam sanae doctrinae, ad decorem divini cultus, ad totius denique gregis salutem indesinenter advigilet. Interea gratias Vobis persolvimus pro Libello Personarum et Locorum Abbatiae descriptionem exhibente, quem vestris ad nos Litteris adjungere voluistis. Ac nostrae in Religiosam Familiam vestram studiosissimae benevolentiae pignus sit Apostolica Benedictio, quam ex intimo corde depromptam Primoribus istius Coenobii, Vobisque omnibus, Dilecti Filii Religiosi Viri, et universis, qui ad Abbatiae jus pertinent, Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur. — Datum Romae apud S. Petrum die 24 Martii Anni 1841. Pontificatus Nostri Anno Undecimo. Gregorius PP. XVI.“ [3])

Praerogativae Monasterii S. Martini.

Ubi favores Summorum Pontificum, et Hungariae Regum recensuimus, quibus utrique inde a prima Regni origine Monasterium S. Martini prosequebantur, singularium quidem praerogativarum eidem collatarum meminisse oportebat: at, quia istae ibi sparsim duntaxat, nec omnes adnotantur; non videtur superfluum, earum praecipuas in unum collectas oculo subjicere, et ubi opus videbitur, breviter illustrare. Igitur:

Monasterium S. Martini, virtute Stephanei diplomatis eam Libertatem, qua tunc illud S. Benedicti in Monte Cassino gaudebat, consecutum, id juris acquisivit: ut, sicut tempore dati diplomatis Abbas Cassinensis, licet non esset ordinatus Episcopus, tamen ordinariam Iurisdictionem spiritualem in suis oppidis, villis, prae-

[1]) Caps. 18. Ll. — [2]) Fasc. 54. Act. Recent. — [3]) Fasc. 54. Gg. — Nomen Sanctissimus Pater sua manu subscripsit.

diis legitime exercuerat; ita et Abbas S. Martini similem Iurisdictionem in Possessionibus ad Monasterii S. Martini proprietatem pertinentibus potuerit exercere; quam reapse usque sui sublationem, anno 1786 secutam, semper exercuit, et cum Archiabbatia anno 1802 restitutam hodieque exercet.

Quemadmodum autem Monasterium Montis Cassini ordinariam Iurisdictionem spiritualem in Dioecesim Cassinensem, juxta plurium Summorum Pontificum effata, ea de caussa obtinuit, quod S. Benedictus, eiusque discipuli Religiosi Dioecesim illam, ad idololatriam relapsam, ad Christi fidem reduxerint; ita Monasterium S. Martini eandem Iurisdictionem in suo territorio separato ideo acquisivit, quia primi eius incolae Benedictini sub Geysa Duce et S. Stephano in conversione Hungarorum, ante omnes alios Benedictinos, et solertissime laboraverunt. Quem eorum in propaganda vera Religione zelum S. Stephanus remunerari cupiens, hanc eis Libertatem, aevo illo pari de caussa passim tribui solitam, est impertitus. Quod cum teste S. Stephano eo tempore factum sit, quo nulli episcopatus in Regno Hungariae siti erant; id ita praestitum est, ut Possessionem huius Monasterii ex nulla Dioecesi exscindi, et sic ab alicuius Episcopi praehabita Iurisdictione avelli oportuerit; sed facta prius Territorii huius separatione, singulis Episcopis suae Dioeceses fuerint assignatae. Quare sicut primus Episcopus Vesprimiensis iuste conqueri non poterat, quod Archidiaconatus Papensis non eius, sed Iaurinensi Dioecesi fuerit attributus: ita nec Iaurinensis primus Episcopus aegre ferre poterat, separatum hoc Territorium Monasterio S. Martini, et non eius Dioecesi per S. Regem fuisse attributum: ea praesertim seculi felicitate, quando sancta Deo animas lucrandi cura Sacrorum Antistites magis, quam extendendae potestatis suae cupiditas distinebat.

Ex hactenus dictis sequitur, Monasterium S. Martini vero vocis sensu Exemptum dici nequire. Cum enim, juxta Fagnanum et alios Iuris ecclesiastici Doctores Exemptio praeviam subjectionem supponat: ubi non praecessit subjectio, non potest sequi exemtio. Exime profecto, si potes, captivum e carcere, qui ibi nunquam fuit; aut obolum ex bursa, qua nunquam concludebatur! Atqui Monasterium S. Martini cum toto suo territorio, quod tunc habuit, nec Iaurinensis, nec ullius alterius Episcopi, aut Archiepiscopi, ut supra vidimus, potestati subjectum fuit; ergo nec ab illorum potestate eximi poterat. Non ergo Exemptum, sed native immune, et Archiabbas non Exemptus, sed Monasterii native immunis Ordinarius in defectu brevioris expressionis optime diceretur. Huius generis Monasteria, quorum hodieque in Helvetia, et Italia nonnulla supersunt, Stilo Curiae romanae: Nullius (intellige: Dioeceseos) nuncupantur; quorum Abbates Benedictus XIV. in Opere suo: de Synodo dioecesana L. III. Abbates tertiae speciei nominat. — Cui subit mirari, Archiabbatem S. Martini Episcopo non subjici, legat Ven. Bedae Presbyteri historiam ecclesiasticam Gentis Anglorum; ubi Libro III. Cap. 4.° post Columbani Abbatis, et Presbyteri apostolicos in convertenda Pictorum Septemtrionalium Gente labores haec reperiet: ... „perplurima monasteria, per discipulos ejus et in Britannia, et in Hibernia propagata sunt, in quibus omnibus idem monasterium insularum, in quo ipse (Columbanus) requiescit corpore, principatum tenet. Habere autem solet ipsa insula Rectorem semper Abbatem Presbyterum, cujus Juri et omnis provincia, et ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter exstitit, et Monachus." Scripsit haec Beda circa annum 730.

Ex hac potestatis episcopalis praerogativa, totidem Corollariorum instar plurima jura derivantur. — Quapropter Archiabbas S. Martini Ecclesias Territorii sui Curionibus sacris pro arbitrio providet: sacram sedem Consistorialem ad normam dioecesanarum plene constitutam habet, in qua consveta huic foro iudicia celebrantur: Vicarium in Spiritualibus, et Caussarum Auditorem Generalem constituit, quem sede vacante Ven. Conventus e Conventualibus eligit: Literas dimissorias ad Sacros Ordines promovendis ad quem vult Episcopum directas tribuit: Minores Ordines ipse confert: Presbyteris Iurisdictionem pro Sacro tribunali impertitur: in promulgationibus ad matrimonium requisitis dispensat: Facultatibus romanis e sacra Dataria obtentis ad dispensandum in gradibus vetitis ad contrahendum matrimonium & cetera in iis contenta utitur: Altaria, campanas, calices consecrat: Vasa sacra alia, et Ecclesias benedicit; verbo: omnia, quae sive voluntariae sive contentiosae Iurisdictionis sunt, perficit in separato suo Territorio, sicut quivis Episcopus in sua Dioecesi,

Cum potestate spirituali in Clerum, et Populum etiam externa quaedam decora, et praerogativae accesserunt Archiabbati, quae communiter Abbatibus pure monasticis non competunt. Hac de caussa, rem divinam solemniter peragens ad summam aram induitur, de qua et paramenta sumit: sub Infula pileolum nigrum retinet: septima Candela utitur; praeterea: Reverendi axiomate ex parte Caes. regiae Majestatis, adeoque vulgo: Illustrissimi titulo, uti Episcopi Hungariae, honoratur.

Memoratu dignum circa hanc Iurisdictionem occurrit, quod non tantum Conventu integro, et Archiabbatia salva, sed etiam illo disperso, et Archiabbatiae solo tantum titulo superstite, per Commendatarios Archiabbates fuerit exercita. Insigne rei huius indicium extremis jam dispersi Conventus temporibus reliquit Georgius Himmelreich Canonicus Iaurinensis, et S. Martini Archiabbas, dum anno 1623 a Nuntio Apostolico pro se, suisque Parochis et Sacellanis recedentes ab haeresi absolvendi, et Fratres extra praescripta tempora ordinari procurandi Indultum petiit, et obtinuit. [1]) Aliud simile indicium adest in Synodo Provinciali Hungarica, anno 1611 Tyrnaviae celebrata, inter cuius Decreta Cap. 5. haec leguntur: „Archidiaconus invigilare .. debet, tanquam rationem Deo redditurus de Parochiis sibi commissis. Eas igitur inprimis juxta Statuta Tridentini Concilii annis singulis visitare tenetur; sicut et Dominus Archi-Abbas, ac ceteri Praepositi, quibus munus visitandi incumbit.“ Eadem occasione huic Archiabbati imponitur, ut Decreta huius Synodi, quamprimum impressum eorum exemplar perceperit; in congregatione subjectorum sibi sacerdotum publicet, et explicet. [2])

Hinc patet, non recte sensisse illum, qui historiae Archicoenobii huius ignarus, jurisdictionem spiritualem Monasterii S. Martini, qua in Clerum et Populum suum pleno jure potitur, antea quidem exstitisse; verum disperso circa medium Sec. XVI. Conventu, et vacuo Monasterio, per non usum exspiravisse; nec amplius revixisse; adeoque postremis tribus seculis sine fundamento juris exerceri, temere asseruit; et eo loco asseruit, qui non evertendis, sed tuendis Regnicolarum juribus olim clementissime fuerat constitutus. Qui, cum recte meminisset in Ecclesiis S. Sedi Apostolicae immediate subiectis ad amissionem Exemptionis centenariam Praescriptionem requiri; illum non usum arbitrarie ultra 100 annos extendit; cum

---

[1]) Caps. 66. LII. — [2]) Péterffy: Conc. Hung. II. pag. 202. 215.

tamen ex authenticis Archivi S. Martini documentis evidenter pateat, Conventum Religiosis Fratribus constantem anno 1588 [1]) exstitisse, et anno 1638 [2]) per Ferdinandum III. Imperatorem, et Hungariae Regem postliminio fuisse instauratum; unde 50 duntaxat vacantis Conventus anni emergunt. Imo, cum ab anno 1588 usque 1593 Religiosi nullam fugiendi caussam habuerint: epochae huius initium ad annum 1593, quo Sinan turcicarum copiarum Dux Iaurinum versus cum ingenti exercitu tendebat, secure defigi potest; quo facto 45 tantum anni remanent, quorum decursu Conventum S. Martini non exstitisse e vero asserere licet. Sed non meminit bonus Vir tumultu bellorum Praescriptionem non currere; et desolatae injuriâ temporum Ecclesiae jura non emori; sed tantum quiescere; et hac restaurata suapte resurgere. „De mortuis quidem nihil nisi bene“: verum Manibus eius bene precati, in re tanti momenti veritati potius, quam proverbio litare maluimus.

Pro iis, ad quorum partes non pertinet, antiquiorem Ecclesiae disciplinam scrutari, et qui ordinariis tantum hierarchiae gradibus adsveverunt, adiectum esto: occurrere aliqua loca inhospita et deserta in Ecclesia, quae dicuntur Nullius Dioecesis non eo sensu, quod separata sint a Dioecesi vicini Episcopi, et Praelatum habeant jurisdictione quasi episcopali gaudentem; sed in sensu longe diverso, nempe: quod in ea, utpote deserta, et inhospita nullus finitimus Episcopus jus aliquod sibi asseruerit; ideoque nulli dioecesi fuerint attributa. Ex quo autem haec loca inhospita inhabitari incipiebant; „secundum disciplinam eorum temporum immediate Sedi apostolicae subjiciebantur: eratque in potestate novorum incolarum pro iis, quae sunt Ordinis, quemlibet Episcopum accersere.“ Constructis deinde Ecclesiis, seu Monasteriis Pontifices romani „Presbyteros, seu Abbates deputarunt, qui illis praeessent, et jurisdictionem loco Episcoporum in Clerum et Populum exercerent.“ [3])

Quum igitur hi Abbates jurisdictionem quasi episcopalem habeant in locis, in quibus suam jurisdictionem Episcopi antea haud exercebant; non est mirum, quod distingvantur ab aliis Abbatibus, qui talem jurisdictionem in suo Territorio antea per Episcopos exercitam, deinde ab his avulsam, et in Monasterium translatam obtinuerunt. Iam vero Monasterium S. Martini, aeque Nullius Dioecesecos, suum territorium separatum pariter, etsi non in terra inhospita, et desolata, tamen in terra, quod caput rei est, Episcopo carente, et nulli Dioecesi attributa [4]) obtinuit; unde ad priorem Locorum Nullius Classem, ipsi S. Bernardo, Exemtionum hosti acerrimo probatam [5]) pertinet; et omni eatenus, quasi in jus alienum involavisset, invidia carere debet.

Altera Monasterii S. Martini praerogativa est, quod inde ab anno 1500 eius Abbas fuerit totius S. Ordinis Benedictinorum per Hungariam et Partes S. coronae adnexas Archiabbas, et Praesidens Perpetuus. Postquam scilicet Concilium Lateranense IV. anno 1215 cetera inter decrevisset, ut Monasteria Benedictinorum exemplo Cisterciensium in Congregationes

---

[1]) Caps. 38. Cc. — [2]) Caps. 45. Ff1. — [3]) Thomassin. de vet. et nova Eccl. disc. T. 1. p. 1. L. 3. C. 37. n. 2. — Fagnan. in Cap. 3. num. 16. de Paroch. — [4]) Erat quidem Pannonia eotum aliquatenus Archiepiscopi Salisburgensis, et Laureacensis juribus obnoxia: sed jura haec per concessam S. Stephano a Pontifice episcopatus in Hungaria erigendi, et Archiepiscopum intra Regnum creandi potestatem exspiraverunt. Territorium separatum S. Martini jam anno 1001, ut tale, exstitit: finitima autem huic Dioecesis Jaurinensis primum circa annum 1009, una cum Vesprimiensi, et Quinqueecclesiensi, erecta fuit. Pray: Specimen. Hier. Hung. I. 309. et alii. — [5]) Cherier: Enchirid. Juris eccl. 1855. T. 1. §. 166, ubi de Exemtionibus agit, ita disserit, ac si S. Bernardum omnes exemtiones damnasse credidisset. Non nescisse puto, fuerat quod scire necesse: sed bene quod scivit, dissimulasse puto. Vide S. Bernardum: De Consider. L. III. Cap. 4.

semet uniant, et eorum Abbates, aut his non exsistentibus, Priores singulis trienniis Capitulum in capaciore aliquo Monasterio celebrent, ad quod singulorum Monasteriorum Abbates aut Priores convenire oportebat, — in singulis huiusmodi Capitulis generalibus [1]) eligebatur futuri Capituli generalis Praesidens, cui deinde in plurium Abbatum Visitatorum, aeque in triennium tantum electorum concursu Visitatio Monasteriorum in puncto regularis observantiae, et statûs facultatum incumbebat. Hac ratione iam unius, iam alterius Monasterii Abbati honor praesidendi obtigit: qui usus usque Sec. XIV. finem circiter perduravit. At cum inde ab anno fere 1400 Abbatibus regularibus utplurimum Abbates Commendatarii, seu Gubernatores ex Ordine ecclesiastico, aut Religiosi quidem, sed aliam a Benedictina regulam professi adversus ius, et aequum fuissent substituti; qui neglecta, et Prioribus commissa disciplinae monasticae cura, solis proventibus Monasteriorum inhiabant: utque hos pro sua parte augerent, numerum Religiosorum cum detrimento cultus divini imminuebant, Fratrumque intertentionem fere ad mendicitatem usque restringebant; non poterat evitari, quin labefactatâ regulari disciplinâ status monasticus a salutari sua destinatione excuteretur.

Quapropter Wladislaus II. Hungariae Rex, malo huic mederi cupiens, recepta a Thoma Bakócz de Erdeöd, Archiepiscopo Strigoniensi, Monasterii S. Martini ultimo Gubernatore Abbatia, Matthaeum de Tholna, Dioecesis Quinqueecclesiensis Clericum in minoribus Ordinibus constitutum, Notarium suum, Abbatem S. Martini nominavit: singulis Monasteriis jus vetus Abbates e suo gremio eligendi restituit; Matthaeo per Conventum ad decem personas redactum, cui non Prior, sed Custos praeerat, unanimiter electo, totius Ordinis S. Benedicti in Capite et membris reformandi, et Capitula generalia, sub Abbatibus Commendatariis suapte extra usum posita revehendi obligationem imposuit. Item Abbates quosvis, etiam Exemptos, si refractario animo reformationem non reciperent, aut alias gradu suo indigni Capitulo generali viderentur, deponendi, et alios e gremio S. Ordinis substituendi facultatem, suffragante in omnibus Julio II. Pontifice, impertitus est. Cumque videret eundem Matthaeum arduo hoc munere strenue, et intrepide fungi: metueretque ne fors reddita Capitulis generalibus Praesidentes libere eligendi facultate aliquis lenior, et respectibus humanis cum detrimento reformationis obnoxius Praesidens eligatur, sicque negotium hoc in cursu bene coepto sistatur; adstipulante supra fato Pontifice, [2]) Matthaeum Abbatem S. Martini Archiabbatem, et Praesidentem in generalibus Capitulis Ordinis Benedictini per Hungariam Perpetuum declaravit: praerogativamque hanc etiam ad Successores extendit. Quo facto Archiabbas S. Martini, Primas, et Caput omnium Monasteriorum sui Ordinis in Hungaria, et Partibus S. Coronae adnexis exsistentium evasit. Ceterum seu honor, seu onus istud aetatem non longam tulit. Secuta enim mox post cladem Mohacsianam Coenobiorum desolatione Capitula generalia intercidere, solo titulo rei superstite, quo Archiabbates S. Martini hodieque ornantur. Non raro tamen Archiabbates auctoritatem suam, titulo huic conformem, ubi res poscebat, etiam altissimo Loco fecerunt conspicuam. Ita Gerardus Simoncsics Archiabbas anno 1687 ab Imperatore Leopoldo obtinuit, ut reales sui Ordinis Abbatias deposita moderata taxa redimere, et S. Ordini reincorporare possit. Quod cum ipse defectu pecuniae facere non posset; facultatem tribuit Monasteriis Ger-

[1]) Caps. 35. O. — [2]) Caps. 40. B. — [3]) Caps. 61. S.

maniae idem faciendi: [3]) quo pacto complura Monasteria, uti: S. Stephani de Telki, S. Adriani de Zalavár, S. Aniani de Tihan per eadem redemta fuere, et actu florent. Idem serius Benedictus Sajghó crebro, sed semper in cassum tentabat. [1])

Tertiam Monasterium hoc praerogativam eam tenet, quod eius Abbates Archiabbates nominentur. Hic quidem titulus ei cum dignitate Praesidentis Perpetui, seu Abbatis Generalis, simul accessit. Nihilominus, si stricte ex usu magis recepto sumatur, non tam ad Praesidentiam Perpetuam, quam ad Jus patronatus in Abbatias, quae nexum filiationis cum Monasterio S. Martini fovent, referri deberet. Ita Raphaël, Abbas S. Martini iam Sec. XII., dum nulla adhuc Capitula generalia Benedictinorum in Hungaria celebrabantur, in fundationalibus literis Monasterii B. M. V. de Quizen (Güssing) Archiabbas appellatur, quia Fundator Valfertus illud Monasterio S. Martini in Obedientiam tradidit, seu ut nunc dici solet, adfiliavit ita, ut Abbatis et Monasterii nunc dicti Religiosorum unanimi electione Abbas in eodem Obedientiae loco praeponatur. [2]) Sed Monasterio Güssingensi mox in munimentum converso, cessante filiatione, titulus quoque Archiabbatiae cessavit; quem Sec. XVI. renatum, nunc tres Abbatiae filiales reales, utpote: S. Aniani de Tihan, S. Mauritii de Beel, et B. M. V. de Dömölk; duae autem titulares: S. Crucis de Telki, et S. Margarethae de Bela tuentur.

Quarta huius Loci praerogativa est, quod eius Archiabbas filialibus his Monasteriis cum consilio, non requisito consensu, Conventualium Abbates libere praeficiat, eis literas donationales desuper impertiatur, et altissimam Confirmationem procuret. Titulares Abbatiae usque ad sublationem Archiabbatiae, seu annum 1786 conferri solebant.

Quinto loco ea praerogativa memorari meretur, quod in publicis Regni Comitiis inter Excelsos Proceres immediate post Episcopos votum et sedem habuerit Archiabbas, uti et

Postremo, quod ad haec ultima usque tempora Nobiles Praediales in Füss etiam ex ignobilibus creaverit, qui per hoc nonnullas Nobilibus regni proprias immunitates acquisiverunt. Unde Inclitae Sedis praedialis Nobilium de Nagy- et Kis Füss Supremus Comes perpetuus, et Collator audiebat.

---

[1]) Fasc. 85. 2. 3. — [2]) Caps. 18. R.

Series Abbatum Monasterii

S. Martini de S. Monte Pannoniae.

I. Anastasius.

Primus huius Monasterii Abbas noscitur Anastasius, qui iam Seculo X. ad exitum vergente S. Stephano adhuc Duci eximia praestitit servitia. Quae licet historia eius aevi non explicet; prorsus tamen singularia fuisse ex ipso S. Stephano discimus; qui in suo diplomate supra recitato diserte profitetur, se ingruente bellorum tempestate, cum civilis belli ruina urgeretur, consiliante Domno Anastasio Abbate, et jugiter adjuvante confortatum, et laureatum esse, id est: victoriam de Comite Sümeghiensi Cupa, Rebellium Duce reportavisse. Qui historiam eius temporis probe novit, facile intelliget, victoriae huius fructum insignem, et Hungaris inaestimabilem non tantum e servata per eam S. Ducis vita, et dignitate, quam unice subditorum suorum bono impendit; verum etiam inde metiri oportere, quod fundatus per Ducem Arpadum hungaricus in Europa status, hoc Stephani triumpho fuerit solidatus.

Consiliis Anastasii, bello hoc tam felice successu coronatis, Stephanum postea quoque in rebus arduis eius opera usum fuisse; et hunc in primi Hungarorum Regis, et Legislatoris sanctiones, regni firmamento et Civium prosperitati latas non parum contulisse, ambigi nequit. Ex eiusdem Abbatis in iuvenem Regem, et patriam meritis egregius fructus etiam in Monasterium S. Martini, et quidem per concessa huic diplomate regio, quod supra dedimus, peculiaria Iura et Immunitates promanavit, quae Anastasii, et Religiosorum, eotum hic degentium, virtuti non minus, quam posterorum ad sanctam conversationem et solidae pietatis studium excitandorum conatui deberi non est dubium. Nihil sane pio Fundatori magis in votis esse poterat, quam ut in principe hoc totius regni Asceterio porro quoque similes eorum educarentur, quorum opera lumen fidei cum christianis moribus Hungariae adfulsit. Sic enim suum copiosi sudoris opus perennaturum sperabat, si, quod ardens Religionis studium sollicite fundaverat, conspicua insignis sanctitatis exempla confirmaverint.

Quapropter ne eorum, quae ad tuendam vitam natura exigit, defectu anxii, temporalia quaerendo a spiritualibus abstraherentur; voto ante bellum civile nuncupato conformiter, totius Comitatus Simeghiensis decimas de omnibus praediis, villis, terris, vineis, segetibus, vectigalibus Monasterio donavit. Episcopo autem Vesprimiensi, cuius Iurisdictioni spirituali iste Comitatus subiiciendus erat, translati ad S. Martinum Decimarum iuris titulo, curtem Cortou dictam (Karáth, iuxta alios Sümeg) tribuit. Et quamvis tanti terrarum tractûs decimae, et Praediorum prius iam loco huic donatorum reditus abundanter sufficere viderentur; adhuc occasione Dedicationis Ecclesiae decem Villas, utpote: Piscatores (fors Halászi), Fizeg, antea celebre emporium,

nunc Praedium Iuris Comitum Zichy inter Almás et O-Szöny: Balvanos, Temirdi nunc Tömörd. Chimudi hodie Nyalka ad pedem Montis Pannoniae, Wisecha, Vuosian modo Varsány, Murim, Curtou, Vág nunc Deáki, et tertiam partem tributi de Posonio in omnibus rebus praesentibus atque futuris regia prorsus liberalitate addidit. Deinde

Ut Religiosi divino servitio quieti vacarent, unaque huic Coenobio peculiare decus, et dignitas accederet, eandem illi concessit Libertatem, qua Monasterium S. Benedicti in Monte Cassino eo tempore fruebatur: e qua spiritualem Abbatum S. Martini in Clerum et Populum Iurisdictionem ordinariam citra omnem Episcoporum aut Archiepiscoporum influxum in separato Monasterii Territorio hodieque exerceri solitam fluxisse, iam supra attulimus. Concessit etiam usum Pontificalium cum Sandaliis, quod hoc aevo rarissimum adhuc erat: item ut ante nullum alium Abbatem Capella incedat, seu sacrum quoddam tentorium cum paramentis ad peragendum ubicunque Missae Sacrificium necessariis: ut scilicet, ubi luberet, etiam in aliena Dioecesi, per iter, sacram rem peragere posset. [1]) Quo facto Abbas S. Martini primatum honoris inter omnes Regni Abbates adeptus est: id, quod viam stravit ad altiorem gradum, quem initio Sec. XVI. acquisivit: dum totius Ordinis S. Benedicti per Hungariam, et Partes adnexas Archiabbas, seu Abbas Generalis et Praesidens Perpetuus, per S. Sedem Apostolicam, interventu Regis Wladislai II. declaratus, etiam Iurisdictionis Primatum super ceteros Regni Abbates obtinuit.

Tam benignum in se optimi Regis animum, quem singuli saepe laudati Diplomatis apices spirare videntur, experti primi huius Monasterii Patres, nullam occasionem neglexerunt, gratum vicissim animum demonstrandi: id quod non tam verbis, quam operibus optime se praestaturos persvasi erant. Igitur cum probe nossent, Stephanum curarum suarum summam in eo posuisse, ut quo ocius totum suum regnum videret christianum: duplicata virium contentione in efferae gentis conversione operabantur, et cunctas Sancti Regis intentiones totis viribus secundabant. Ita dum cetera S. Ordinis Benedictini Coenobia singula binos ad praedicandum sub directione S. Gerardi Evangelium e suo gremio mississent: istud Monasterium quatuor, utpote: Leonardum, Concium, Philippum, et Henricum eodem scopo expedivit: quorum duo postremi mox Archidiaconorum dignitatem sunt consecuti. [2])

At ceteri, qui seu ob fractam aetatem, seu alia de caussa laboribus apostolicis fungi nequivere, intra claustra Monasterii non solum Proselytis Hungaris vigore disciplinae monasticae, et omnigena morum probitate, sanctae conversationis exemplum praebebant, et fervidis precibus pro incolumitate Regis, et novelli regni prosperitate Coelum fatigabant: verum etiam apertis pro eius aevi more, per Carolum Magnum Imperatorem in Germaniae, et Galliae Asceteriis inducto, et usque Stephani aevum laudabiliter conservato, Ludis literariis praeerant: in quibus iuventus bonis artibus imbuta, et in Religione rite instituta, posita feritate mitesceret: Ministri Religionis iuxta cor Dei pararentur, qui olim episcopalem gradum consecuti gregem Domini verbo et exemplo pascerent: alii vero in humiliore gradu constituti, Christi legem rudi populo secundum scita Evangelii diligenter expli-

---

[1]) Sec. XIII. habuit Ecclesia S. Martini servos, qui Sacriferi dicebantur. Horum obligationis cetera inter erat, Abbati equum dare ad portandam Capellam, quem iste redux ex itinere restituere tenebatur. Caps. 28. G. — [2]) Vita S. Gerardi apud Battyányi.

carent. Ita S. Maurus se puerum in Monasterio S. Martini literarum studiis operam navavisse, in conscripta SS. Andreae et Benedicti Martyrum vita memorat.

Anastasio Abbate, Sebastianus eiusdem Monasterii monachus, vir non mediocri sapientia, et insigni religione ac pietate conspicuus, teste Chartuitio, Archiepiscopus Strigoniensis creatus est. Is, postquam Ecclesiam S. Martini circa annum 1000 solemniter dedicavisset; non longe post utriusque oculi usum amisit. „Ne vero, inquit Chartuitius, novellus grex pastoris gubernatione destitutus a recto itinere deflecteret, et aberraret: Romano Pontifice assentiente, Astricum Colocensem Episcopum . . . in ejus locum Rex substituit. Triennio inde evoluto Sebastianus ex Dei benignitate recuperavit visum, et Pontifice Romano approbante, Astricus cum Pallio rediit ad suam Colocensem Ecclesiam; Sebastianus Strigoniensem gubernandam recepit."

Quamdiu Monasterio S. Martini praefuerit Anastasius, et an Maurum, an alium quem sine medio nactus fuerit successorem, non constat.

2. S. Maurus. (1030-1036.)

Hunc vitae innocentia, et solida virtus sincerae humilitati innixa primo ad Abbatis, deinde ad Episcopi dignitatem provexit. Accidit scilicet, ut S. Stephanus Coenobium S. Martini, quod saepe alias solebat, invisurus filium secum duceret Emericum. Quibus cum Religiosi longo agmine obviam prodiissent, Stephanus innuit filio, ut eos decenter honoraret. Qui reverenter exceptus et consalutatus, singulis oscula, sed non eodem numero: quibusdam nempe singula, aliis plura, uni Mauro septem est impertitus. Pater a tergo, quod erat, considerans, mox Sacris pro more peractis caussam discriminis exquirens, comperit stupens ex filio, iuxta virtutis continentiae gradum in singulis inaequalem, in Mauro maximum, oscula fuisse distributa.

Quo comperto, licet nihil a filio temere dici nosset, certiorem tamen rei notitiam cupiens, paucis post diebus ad Monasterium duobus tantum adscitis comitibus revertitur; Fratrumque vigilias observans clam, advertit, absolutis precibus nocturnis illos, quos Emericus pluribus osculis honoravit, solos remansisse, et reliquum noctis orando consumpsisse. Accedit hos S. Rex, et comiter salutat; qui regiam Maiestatem reveriti eundem, violato silentio nocturno, quod sacra regula severe prohibet fieri, vicissim affantur, praeter Maurum, a quo nullis blanditiis, nullis minis responsum extorquet. Malebat quippe urbanitatis potius, quam religiosae disciplinae legem violare.

Postera die Rex Mauri virtutem uberius cogniturus, in publico Fratrum Conventu (Capitulum dicimus) multa Mauro coram objicit, ab homine religioso, imo a viro bono prorsus aliena. Qui nullius eorum sibi conscius tacebat, Deum conscientiae testem et innocentiae vindicem mente rogans, in eoque uno suam omnem collocans fiduciam. Quo facto Rex rara viri virtute collaudata, eum ab omnibus ei obiectis immunem declaravit, et ad altiora subsellia provehere apud se constituit. [1])

Fuisse Abbatem, antequam Quinque-ecclesiensem Episcopatum adiisset, ex vita SS. Andreae, et Benedicti discimus, quam se brevi, sed veraci commentario in Episcopatu, et provecta aetate scripsisse ipse profitetur. Nec mirum, si Coenobitae Pannonii virum, cuius insignes virtutes, et inprimis humilitatem, patientiam, et angelicam puritatem suspexerant, quemque

[1]) Vita S. Emerici apud Schwantner.

pio Regi iisdem nominibus acceptissimum noverant, Patrem sibi praefecerunt.

Quo anno seu Abbatiam S. Martini, seu Episcopatum Quinqueecclesiarum adierit, auctores variant. Tutissimum videtur, quod eruditissimus Koller in sua Historia Episcopatus huius statuit, eum scilicet anno 1030 Abbatem creatum; anno dein 1036 Episcopatum adiisse. Idem e sagaci diplomatum, et aliorum documentorum combinatione concludit, eum usque annum 1070 duravisse; adeoque persecutioni Vathaianae superstitem, anno 1047 Andream Regem cum duobus aliis, qui letum evaserunt, Episcopis coronavisse; anno circiter 1064 vitam SS. Andreae et Benedicti scripsisse; coronationi Salomonis Regis, Quinqueecclesiis iteratae, interfuisse. In diplomate Fundationis Monasterii S. Aniani de Tihan, quod suam originem Andreae I-° Regi, ad saniora reverso debet, anno 1055 cum Benedicto Archiepiscopo, Clemente et Nicolao Episcopis, Lazaro Abbate, et 10 Comitibus, ac quatuor aliis sic subscriptus legitur: „† Signum Mauri Episcopi."

Obiit igitur Maurus circa annum 1070, et ob eximias, quibus, dum viveret, eminuit, virtutes titulo Sancti honoratus est. Memoriam eius Martyrologium benedictinum ad diem 4 Decembris recolit. In romano quidem nulla eius mentio: verum, agente Excell. ac Illustr. Domino Joanne Scitovszky Quinqueecclesiarum Episcopo, serius Celsissimo Principe Primate, et Cardinali S. R. E. Presbytero renuntiato, sanctitas eius anno 1848 per S. Sedem apostolicam agnita, publicusque et ecclesiasticus cultus X. Idus Augusti eiusdem anni per Pium IX. Summum Pontificem confirmatus est.

Sicut Antecessores S. Mauri in Abbatia S. Martini, si quos praeter Anastasium habuit: ita et Successores eiusdem usque annum 1090 adhuc latent. Istud eo minus mirum videri debet, quod Episcoporum huius Seculi memoria maximam partem solo diplomatum regiorum vehiculo ad nos delata sit, quibus eorum nomina subscribi solebant; Abbates autem S. Martini, quamvis in suo Territorio quasi episcopalem Iurisdictionem exercuerint, subscribendis tamen diplomatibus perraro fuerint adhibiti. Quum igitur nec Episcoporum Hungariae Seculi XI. continuam seriem teneamus, frustra eam Abbatum exspectaveris.

3. Petrus I. (1091-1103.)

Abbas iste in documento fundationali Abbatiae S. Aegidii de Simighio per S. Ladislaum Regem fundatae, anno 1091 „Dompnus Petrus Abbas S. Martini" subscriptus legitur. [1]) Is, ut illis, quae Monasterio S. Stephanus, et S. Ladislaus liberaliter impertiti sunt, stabilitatem procuraret, pro eius temporis more a Paschale II. Summo Pontifice postulavit, ut Monasterium S. Martini in Monte supra Pannoniam situm sub tuitionem romanae Ecclesiae susciperet. [2]) Quam prompte Pontifex votum hoc impleverit, iam superius inter favores Romanorum Pontificum videre licet. Data est Bulla anno 1103; unde Petrum adminus 13 annis praefuisse, sat tuto conficitur.

4. Deda (1117 circ.)

De huius Abbatis regimine nihil aliud constat, quam quod eius tempore Jobbagyio Vesprimiensis nomine Acha quatuor homines cum vinea et molendino Ecclesiae S. Martini donaverit; cuius rei testes in documento [3]) nominantur: Ananias

---

[1]) Fejér: Cod. dipl. T. 1. p. 471. — [2]) Caps. 39. I. — [3]) Caps. 6. A.

Jaurinensis Canonicus, Chiva Presbyter Basilicae S. Benedicti, huius Clericus Phinta, et regius Judex Lithvics. — Cum donatio haec Stephano II. Rege, et Ambrosio Episcopo Jaurinensi facta memoretur: Dedam hunc inter annum 1115 et 1118 viguisse, colligitur. Quando coeperit, aut desierit, non liquet.

5. David. (1131-1151.)

Comitis Henrici Scines (fors. Szines) frater, claritate natalium, et eximia virtute, Optimatibus regni carissimus „combustam divino judicio Ecclesiam S. Martini studioso labore, et impensis reparavit, melioravit, et amplificavit. Quae dum per Felicianum Archiepiscopum in consortio plurium Episcoporum solenniter consecraretur, per hos Rex (Bela II., qui Monasterium hoc orationis gratia frequenter visitabat, [1]) ad dotandam, ut lex sancta jubet, sponsam Dei admonitus, Ecclesiae S. Martini se jubente, et praesente consecratae, ad sustentationem Fratrum ibidem Deo servientium septem naves saliferas ea cum libertate contulit, ut ab ipso salis fodinae loco usque ad Montem Pannoniae, tam per aquam, quam per terras nemo de iis tributum exigere, vel alia damnifica exactione audeat eas attentare, aut infestare.“ [2])

Eadem occasione, consecratae anno 1137 Ecclesiae tertiam, et decimam partem tributi de Fok, et totius Comitatus Sümeghiensis; tertiam vero partem tributi totius Comitatus Posoniensis tam in magnis, quam in parvis in omni loco, ubi tributum sive tunc exigebatur, sive secuturis temporibus exigi contingeret, idem Rex largitus est; Judicatum quoque regium, vi cuius Abbas S. Martini, et eius populi per neminem, nisi per propriam Regis personam possent in quocunque negotio iudicari, innovavit, et firmavit. Denique donationem cuiusdam Hoda, qui eadem die consecrationi Ecclesiae cum Rege interfuit, super terra Nulos, et Szeleus (Szőlős) propria voluntate factam ratihabuit, et confirmavit. Proposuit nempe sibi optimus Rex tota mentis intentione Monasterium S. Martini super Monte Pannoniae situm specialius, quam cetera diligere, venerari, eiusque sollicitudini devotius invigilare propter illam eximiam reverentiam, quam Praedecessores eius, S. Stephanus et alii eidem pro statu regni exhibere consveverunt, ut ipse testatur. Fejér Cod. dipl. Tom. 2. p. 110.

Sed et Geysae II. Regis propensam in suum Coenobium voluntatem expertus est David. Anno enim circ. 1148 tertiam partem Usonum, de Jaurino per S. Stephanum donatam, sed per Colomannum et Stephanum II. subtractam, eius decreto, uti supra pag. 36 uberius relatum est, recepit. [3]) Subtracti huius beneficii caussa fuisse videtur, quod Colomannus Rex aquas quoque ad peculiaria Principis iura, sicut auri et argenti mineras, pertinere censuerit. Cum horum Husonum, uti plurium aliorum per S. Stephanum collatorum nulla in huius diplomate, quod actu exsistit, occurrat mentio: iure opinari licet, eos alio, et quidem fundationali diplomate, quo caremus, fuisse comprehensos.

Davidis Abbatis affinis, Comitis Henrici conjux anno 1146, spe sobolis destituta, inito cum marito suo consilio propinquos et amicos suos Regni Primates convenit; quibus commune consilium aperiens rogavit, ut suggererent Regi Geysae, quatenus permissione et licentia ipsius, praedium nomine Chutus (Apáthi in Comitatu Zaladiensi) cum omnibus appertinentiis voveret, et traderet Ecclesiae S.

---

[1]) Fejér: Ibid. Vol. 2. p. 110. — [2]) Caps. 13. F. — [3]) Caps. 26. E. — Macharius in decreto hoc nominatus testis, epocham eius annis 1146, et 1149 concludit, quibus Ecclesiae Strigoniensi praefuit.

Martini supra Montem Pannoniae. Qui petitioni acquiescentes, et bonum desiderium approbantes, Regem aggressi inclinaverunt, et fieri debere, [1]) quod petebant supplicantes impetraverunt. Accepta igitur regali licentia praedium supradictum B. Martino donavit, secundum metam antiquius undique congestam, ut „post mortem, inquit, nostram abque omni perturbatione, sit sub ipsius Ecclesiae Abbatis providentia, et procuratione. Sunt autem haec, quae ad ipsum Praedium pertinent: Tria aratra cum quinque mansionibus quindecim hominum, 100 oves, triginta porci cum subulco. Equatia vigintiquatuor equorum et equarum cum mansione trium hominum, quinque vineae cum quinque mansionibus in villa, quae dicitur Rady. Debitum vero servitii, quo alii homines Ecclesiae occupantur, ab his nostris hominibus prorsus exclusimus, videlicet: ut nec vinum ducant ad Monasterium, nec farinam ad praebendam fratrum, nec aliquid cogantur laborare, nisi, quod ad agriculturam, vel ad colendas .. vineas pertinet. In suscipiendis etiam aut dimittendis liberis hospitibus, qui volunt terram inhabitare et colere, Dominus Abbas hujus loci habeat potestatem, qui tamen proficisci debent ad exercitum, et Regis expeditionem, sicut fecerunt nobis viventibus. Praeterea quosdam, qui nobis fideliter serviverunt, manumittimus, et tali libertate donamus, ut post obitum nostrum ubicunque, vel cuicunque voluerint, liberaliter serviant, videlicet: Kiszodi, Forcus, Johannes, Thidirch, Mendus, Helena. Haec omnia testimonio multorum Regni Optimatum, Episcoporum et Comitum, aliorum quoque Nobilium, quorum nomina subscripta sunt, sic ordinata, et regalis impressione sigilli sic confirmata, sic roborata sunt, ut nullus injustus Heredipeta, sive justitiae inimicus audeat machinari ad haec infringenda. Quod si quis obstinatae mentis nec Deo, nec sanctae Ecclesiae reverentiam exhibens, molitus fuerit fraude, et violentia horum aliquid sibi vendicare, maxime vero de illis loquor, qui propinquitate etiam fuerant conjuncti in seculo; si quis, inquam, hoc irritum facere voluerit: judicium Dei sine misericordia veniat super illum, nisi resipuerit, hic et in aeternum. Anno dominicae Incarnationis 1146 regnante glorioso Geysa Rege Secundo. Scripta, recitata, et confirmata sunt haec praesentibus nobilissimis Regni testibus, quorum haec sunt nomina: Macharius Archiepiscopus, Joannes Quinque-ecclesiensis Episcopus, Zachaeus Geuriensis Episcopus, Belus Comes Palatinus et Banus, Joannes Comes, Acus Comes, Dionysius Comes, Julianus Comes, Alexander Heidricus Comes, Deda, Anto, Petrus, Magister Ducis Ladislai, de Centurionibns vicinis Ceh Henricus, Cherbela.“ [2]) Donationis huius Documentum fere totum dare placuit, eo quod tam modum, quo tunc donationes Ecclesiis fiebant, quam relationem servorum erga dominos praeter alia illustret.

Praedium hoc cum pluribus aliis vicinis possessionibus Abbatia S. Martini ad annum usque 1535 pacifice possedit, spiritualem quoque Jurisdictionem ordinariam desuper exercens; quo tempore ob difficultatem administrandi cum Possessionibus Nagy Ács et Nagy Baráti in parte, Kulesod autem et Kismegyer integris, auctoritate Ferdinandi I. Regis Hungariae cambiatum est, quae tunc ad Praeposituram Thurocziensem pertinebant; sed huius Conventu disperso per Cameram regiam administrabantur. [3]) Notari meretur in Cambii huius authentico instrumento Archiabbatis Michaëlis clausula: „Jurisdictione duntaxat illa spirituali, quam de Plebanis Parochialis Ec-

---

[1]) Observa phrasim! — [2]) Caps. 5. Hh. — [3]) Caps. 33. Q.

clesiae dictae Possessionis Hegymagas Apáthy antea habuimus, salva semper Nobis et Ecclesiae nostrae remanente:" qua sibi Jurisdictionem in Parochum non suae amplius Possessionis, ergo nec sui territorii reservare conatus est. Quo istud iure fecerit, obscurum est. Summi enim Pontifices tale Jus sacrum Monasterio S. Martini in proprium territorium, cuius temporalis dominus erat, aut olim acquisitione legitima futurus fuerat, concesserunt; sed in territorium, per illud alienatum, et sic ab eius proprietate avulsum nunquam concesserunt. Quod si fecissent, et talis clausula in omni Bonorum commutatione, seu Cambio valuisset: Monasterium hoc repetitis identidem Cambiis successu temporis Jurisdictionem spiritualem super tota aliqua Dioecesi, imo super toto Regno obtinere potuisset; quod absurdum est. —

Anno itidem 1146 alia donatio locum habuit. Scilicet Hospes, nomine Furco, qui primo adventus sui tempore „Almo Duci studio servitutis clericalis adhaesit, post ejus autem discessum Archiepiscopo Seraphino, serius Vespgensis (Vesprimiensis) Ecclesiae Pontificibus: Matthaeo, Hene, Martyrio, Petro, et Paulo usque ad senectam memoriter, et jocunde servivit," cum consensu Regis Praedium in That: Curiam scilicet, tres vineas, pratum et agros: item si filia sine herede decederet, praedium in Wamma S. Martino legavit. [1]) Ex hoc documento patet, post Matthaeum II. etiam Hene (fors Henric) et Martyrium fuisse Vesprimienses Episcopos, quorum solers Róka in suis Episcopis Vesprimiensibus non meminit.

6. Raphaël. (1151-1157.)

Eodem anno, quo Martirius Archiepiscopatum Strigoniensem obtinuit, Raphaël Abbas electus, et benedictus „mandatum accepit Geysae Regi, ad colloquium cum Duce Austriae totius Regni caussa proficiscenti 40 marcas argenti mutuo subministrandi. Qui cum se nihil argenti habere dixisset, Heinricus Comes Curialis, Dispensatorem Abbatis, nomine Oggucz minaciter aggressus effecit, ut iste Posoniûm abiens, hic Praedium quoddam vendiderit, et conflatas 20 Marcas Regi miserit. Pro quibus serius Abbate debitum reposcente Rex terram cujusdam Udvornici cum duabus mansionibus ad Ecclesiae S. Martini ovile vicinis assignavit. At Udvornici post aliquot dies facto in unum Conventu ob eam rem in festo S. Stephani tumultuantes, terram illam ab Ecclesia abstrahere nitebantur. Quapropter Abbas Regem adiens rogavit, ut aut purum pretium Ecclesiae redderet; aut, quod dedit, fortius stabiliret. Igitur Rex Udvornicos repulit, et memoratam terram per manus Odonis, filii Bethlehem, Episcopi, Ecclesiae S. Martini perpetuo possidendam tradidit, et cautione chirographi a Barnaba Notario conscripti, regioque sigillo signati firmiter sancivit." [2])

Anno 1152 Mulier quaedam nomine Margarita, eidem Ecclesiae pro sui sepultura selectae duas familias: Ehudi et Seka cum 8 bobus, 10 vaccis, et 100 ovibus; item duos Pulsatores, et unum liberum hominem cum aliis tribus capitibus, qui singulis annis in festo S. Michaëlis 12 ulnarum tapetem dictae Ecclesiae persolvere tenerentur; Abbati vero Raphaëli auream catenam pro celebrandis 1000 Missis; Fratribus autem dicti Coenobii tres familias ad serviendum testamento, privilegialiter sub sigillo Regis Geysae II. confirmato, legavit. [3]) Similiter Geysa pro redemtione animae suae ante biennium hominem quemdam e suis Udvornicis nomine Sculvata cum filiis suis

[1]) Caps. 6. B. — [2]) Caps. 31. X. — [3]) Caps. 38. A.

ad officium piscationis Ecclesiae S. Martini donavit. [1])

Demum anno 1157 Comes Valfertus e stirpe Volfgeri illius, qui sub Geysa Duce, S. Stephani patre Hungariam cum Fratre Hedrico, et 300 phaleratis dextrariis ingressus pro fidelibus servitiis montem Giscen (Güssing) et insulam Danubii circa Jaurinum obtinuit, in hoc deserto monte „ex gratia Regis Geysae, et omnium principum, & procerum Hungariae, voluntate item, et auxilio Hervasii [2]) Episcopi Jaurinensis sub titulo Beatae Mariae Virginis, ob incrementum, et decorem totius christianitatis, et salutem animarum tam propriae, quam omnium Consangvineorum suorum praesentium, et succedentium Monasterium aedificavit, quod suis pertinentiis adornatum ex gratia et praecepto Regis et omnium totius Regni Primatum assensu approbante, maxime autem ex voluntate, et adiutoria benedictione praefati Episcopi Parochiani Monasterio S. Martini in S. Monte Pannoniae ob reverentiam et sanctitatem ipsius Loci, et propter B. Martini patrocinium, cujus nativitate in eodem loco habita Pannonia gloriatur; quemadmodum in aliis terris regularis disciplinae gratia ad majora Monasteria plerumque constitutae sunt Obedientiae, in Obedientiam [3]) tradidit ita, ut Archiabbatis S. Martini et totius ejusdem loci Conventus cum filiis Ecclesiae unanimi Electione Abbas in eodem Obedientiae loco praeponatur." Plurimas deinde terras circa Monasterium et alibi, nominatim: Praedia Podgrad, Csegge, Giormoth ad quotidianam Fratrum sustentationem adsignavit. [4])

Hac ratione Coenobium S. Martini titulum et honorem Archicoenobii, uti et eius Abbas cum Archiabbatis prima vice acquisivit. Sed iste filiali hoc Monasterio per Andream II. in Castrum converso, et cum appertinentibus terris Comiti Demetrio donato, mox evanuit. Qui, cum in nullo documento a Rege, aut Summo Pontifice profecto, sed tantum fere ab uno hoc Fundatore datus recurrat: cumque, quod summum est, Archiabbatis titulus, prout is Abbatibus huius Loci Seculo XVI. accessit, longe ampliorem dignitatem secum ferat, quam per unius filialis Abbatiae subiectionem acquiri possit: Raphaëlem hunc Archiabbatibus adnumerare non placuit. Ceterum fatendum est, Monasteriorum Germaniae Abbates, quibus aliquod Hungariae Coenobium deposita juris armorum taxa Seculi XVII. fine, aut XVIII. initio redemtum subest, dum de eorum erga haec Monasteria relatione sermo est, iam Patres Abbates. iam Archiabbates compellari. —

Denique Raphaële Abbate Adalbertus, Regis Geysae II. ad Rogerium Siciliae Regem „Venerabilis Martirii Archiepiscopi cunctorumque Regni Primatum decreto" Legatus, antequam iter ingrederetur, testamentum condidit, et S. Martino Praedia Philes, Druc, Svesla, et Heulichin cum Jac, uti et omnes libros suos cum omnium Regni Procerum, suorumque Consanguineorum, et Regis consensu legavit, si eum in hac legatione mori contingeret. Qui cum Raphaëlem in huius testamenti contextu Archiabbatem vocet: patet, Legationem hanc post annum 1157 locum habuisse. [5])

7. Raynaldus (1157-1176.)

Quo maiorem iuribus Ecclesiae suae firmitatem conciliaret, Bullam ab Alexandro III. Summo Pontifice anno 1175 impetravit, qua Pontifex nullas novas im-

[1]) Caps. 31. Y. — [2]) Gervasius, in cuius Dioecesi eo tempore iste locus erat. Ab anno 1778 ad Sabariensem pertinet. — [3]) Nunc Abbatiam filialem dicimus. — [4]) Caps. 18. R. — [5]) Caps. 7. B.

munitates tribuit: sed eas tantum, quae utique iam plurimae, et maximae aderant, cultiore latinitate confirmavit.[1]) At eodem anno huius Pontificis Bulla ad Archi- et Episcopos Hungariae data exsistit, praecipiens, ne Monasterium S. Martini in Libertatibus ei a S. Stephano Rege, et Sede apostolica concessis turbent, nec ab aliis turbari sinant. Vide supra pag. 41. — Idem Raynaldus iudicio coram Legato Alexandri III, Gualtero, Jaurini anno 1176 celebrato cum Andrea Colocensi, Miculino Jaurinensi Episcopis, Gregorio Praeposito Albensi, et Prodano Electo Episcopo Zagrabiensi vocatus interfuit: in quo de finibus Dioecesis Zagrabiensis, Adalberto item Archiepiscopo Salisburgensi, et Henrico Praeposito Berchtesgadensi agebatur.[2])

8. Similis. (1180-1187.)

Nulla re clarus, quam quod circa finem regiminis, sive nullo Praedecessoris exemplo, sive quod malim, arduis temporum adiunctis ita svadentibus, confirmationem privilegiorum ab Urbano III. Summo Pontifice ei, quam Alexander III. Raynaldo impertitus est, persimilem obtinuerit.[3])

9. Petrus II. (1188-1190.)

Obtenta per Similem iurium Ecclesiae suae confirmatione non contentus, mox in aditu dignitatis novam a Clemente III., interventu Belae III. Regis procuravit; in qua facultas Chrisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, seu basilicarum a quocunque Episcopo, Sedis apostolicae communionem habente, accipiendi diserte expressa est.[4]) — Petrum hunc Farlati in suo Illyrico sacro[5]) anno 1190 ad Archiepiscopalem Sedem Spalatensem translatum fuisse docet, ubi usque annum 1196 duraverit: cui Thomas Archidiaconus Spalatensis assentitur.[6])

10. Joannes I. (1190-1204.)

Singularis trium postremorum Abbatum in confirmandis Ecclesiae suae iuribus conatus, et promtus totidem Pontificum in eorum vota animus instam suspicionem ingerunt, Jura Monasterii huius potentes nacta fuisse adversarios; id quod etiam historia eius temporis comprobat. Notum enim est, Archiepiscopum Strigoniensem Jobum I. ad Clementem III. Summum Pontificem recurrisse, ut Abbatem S. Martini ad exhibendam ei reverentiam, et impendendam obedientiam compellat. Quo facto Pontifex anno 1191 pro more Sedis apostolicae, quae iuxta usum in talibus iudicare consvevit, Abbati praecipit, ut Archiepiscopo Strigoniensi reverentiam, et obedientiam impendat, quam Praedecessores eius, illius Praedecessoribus consveverant exhibere;[7]) quo quidem sapientius nihil poterat iis rerum adiunctis responderi.

Quamvis enim Pontifex noverit Abbatem S. Martini ab omni Archi- et Episcoporum Jurisdictione vi privilegiorum, quae ipse triennio prius solenniter confirmaverat, plene liberum esse; quia tamen contrarius usus vigorem privilegii enecat: nulla Juris communis facta mentione, vi cuius Abbas Archiepiscopo teneretur obedire, ad usum provocat tam acute et subtiliter, ut nec Archiepiscopus

---

[1]) Caps. 68. A.— [2]) Ritterus apud Kercselich: hist. Eccl. Zagrab. l. p. 34.— Fejér: Cod. dipl. T. 2. p. 193. — [3]) Caps. 45. Q. — Praeter hanc aliam similem ab Alexandro III. in Abbatiae aditu anno 1180 consecutus est. — [4]) Caps. 36. Ii. — [5]) Tom. 3. p. 222. — [6]) Katona: Hist. crit. 4. p. 374. — [7]) Battyányi: Leg. eccl. 2. 283. — Bulla hac Rmus Cherier: Enchir. Jur. eccl. T. 1. p. 262. ad probandam Archi-Abbatiae S. Martini, respectu Archiepiscoporum Strigoniensium subiectionem utitur. Qua in re, quo successu versatus fuerit: singulari libello, iam ad prelum parato, proxime uberius declarabitur. —

offendi potuerit. Mandat nempe obedientiam talem, qualem Praedecessores Praedecessoribus exhibuerunt; et cum illi his nullam exhibuerint, mandat nullam.

Nullam autem fuisse exhibitam, ipse Archiepiscopus suo facto docere videtur. Si enim per Praedecessores obedientia fuisset exhibita: Archiepiscopus in usu Jurisdictionis in Abbatem S. Martini fuisset constitutus; quam si Petrus, aut Joannes Abbates huius temporis, obedientiam veterem detrectando, subterfugere conati fuissent, Archiepiscopus non Romam recurrere, sed e praescripto Canonum eosdem tanquam refractarios censuris ecclesiasticis ad parendum compellere potuisset. Quod cum non fecerit: palam est, eum omnimodam Abbatis S. Martini a sua Jurisdictione exemtionem tacite agnovisse; ideoque eiusdem sibi subiiciendi votum ad Summum Pontificem propterea detulisse, quia eum uni huic parere noverat.

Ceterum si Abbas non ratione subiectionis, haec enim non aderat; sed quacunque, seu convenientiae, aut humanitatis ratione obedientiam Archipraesuli debitam denegavit, quam non raro etiam superiores inferioribus exhibent: profecto humanitatis officium neglexit. Excusari tamen potest, quia facile hoc aevo expertus fuerit, huius generis obedientiam, quae ex sola reverentia, et humanitatis sensu processit, ab adversa parte pro canonica sumtam, in usum tractam, et quaesita occasione velut stricto iure debitam, exactam fuisse. Quo in casu prudentis est, praeposterae humanitatis legem migrare potius, quam ius Ecclesiae legitime acquisitum prodere.

Quid porro hac in re sit actum, non constat. Illud certum: Abbatis S. Martini priorem immunitatem non obstante Rescripto pontificio salvam perstitisse. Istud vel inde patet, quod anno 1247 Archiepiscopus Strigoniensis, Stephanus de Vancha, conquestus fuerit apud Innocentium IV. adversus Abbatem S. Martini, quod eum processionaliter non recipiat, nec in sua Ecclesia permittat cum Pallio celebrare. Cumque in Bulla Bonifacii IX. Papae anni 1400, quae Abbatias Archiepiscopo Strigoniensi subiectas enumerat, ea S. Martini non reperiatur,[1]) Stephanum hunc pariter frustra laboravisse colligitur, si sub praetextu usus pallii (ut cuidam[2]) videtur) potestatem super Abbatia S. Martini Romae quaesivisset.

Joannes hac in caussa victor, in alia, propriam dignitatem respiciente miserabiliter succubuit. Cum enim adversus Emericum Regem cum Andrea tunc Duce, cui plurimi Optimatum adhaerebant, conspiravisset: Emericus magnae auctoritatis, et potentiae virum ad officium reducere non valens, apud Sedem apostolicam remedium quaesivit. Quapropter Innocentius III. Breve ad eum dedit huius tenoris: „Abbati S. Martini. Ex literis, quas carissimus Filius noster in Christo Henricus Hungariae Rex illustris ad Sedem apostolicam destinavit, Nobis innotuit, quod contra Serenitatem regiam cum Nobili Viro Andrea Duce fratre ipsius temere conspirasti, cui etiam adhuc diceris adhaerere. Cum igitur felicis recordationis Coelestinus Papa Praedecessor noster sub poena excommunicationis universis in Ungaria constitutis curavit inhiberi, ne dicto Duci contra salutem regiam consilium darent aliquod, vel Juvamen: Nos tibi, quem publica fama contra ipsius Praedecessoris nostri prohibitionem, ut dicitur, venisse demonstrat, Salutationis alloquium denegantes ad nostram duximus praesentiam evocandum, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus usque ad Festum Exaltationis S. Crucis proxime venturum nostro te conspectui repraesentes, ad ob-

---

[1]) Péterffy: Conc. Hung. II. p. 288. — [2]) Cherrier: Enchir. Jur. eccl. I. 262. Edit. 4. —

jecta sufficienter, et rationabiliter responsurus." [1]) Dicta Romae caussa convictus, et Abbatia privatus, anno 1233 post Priorem Henricum legitur: „Joannes quondam Abbas, nunc Praepositus praescripti Monasterii B. Martini." Nec amplius de illo quidquam occurrit. [2])

11. Benedictus. (1026.)

Deposito Abbati Joanni, sub cuius regimine Decani Monasterii officium gessit, suffectus, nulla re alia nobis innotuit, quam quod occasione cuiusdam fassionis per Sacerdotem Poussa in Conventu S. Martini celebratae cum Ottmaro Decano, Farcadino Cantore, Moyse Custode, Hexmone (fors Heymone) Comite Ecclesiae, Petro et Heus Sacerdotibus, eiusdem Ecclesiae Jobbagionibus, Luca et Jodo filiis Ecclesiae, qua Abbas interfuerit. [3])

12. Urias. (1206-1244.)

Urias, magnum Loci huius nomen, ex Abbate Tihaniensi Abbas S. Martini creatus est anno 1206. Andreae II. Regi Hungariae in paucis carus ea in tractandis gravibus negotiis dexteritate claruit, ut etiam papali delegatione saepius fuerit honoratus. Is cum primo statim aditi regiminis tempore advertisset, Cassinensis Monasterii iurium sufficientis notitiae defectu Jura Monasterii S. Martini ignorari, et neglecto eorum usu sensim pessumire: Nuntium expedivit ad montem Cassinum, qui de libertatibus et privilegiis celeberrimi huius Monasterii sciscitaretur, quae diplomatis Stephanei virtute S. Martinus communia cum eo habuit. Haec Abbas Cassinensis Petrus Comes dictus, bulla sua signata, sine mora Uriae misit, reducique Nuntio literas addidit, quibus consvetudines, et constitutiones Cleri et Populi sui descripsit. Cetera inter: „Habemus, inquit, Sacristam nostrum, qui Oeconomus noster est, et judicat, et discutit totum Clerum et Populum nostrum de Spiritualibus.... Habemus et Praepositos, et Archipresbyteros nostros in civitatibus, et in castellis nostris, qui similiter discutiunt populum nostrum de omnibus spiritualibus, et possunt collata a nobis potestate dare in eos Sententiam sive de Matrimoniis, sive de divortiis.... Si autem aliqui non contenti essent nostro Judicio; si vellent, Sedem apostolicam appellarent. — Denique excepto Romano Pontifice, nullus Patriarcha, nullus Archiepiscopus, nullus Episcopus in nostris quidpiam Juris habet." [4])

Vix Nuntius cum sua documentorum sarcina ad S. Martinum reversus est: dum ab Adenulpho Cassinensi Abbate, et universo Conventu Urias per literas certior factus est, ibidem memoriam Conventus S. Martini singulis annis in festo Conversionis S. Pauli solenniter celebratum iri; unaque requisitus, ut paria redderet. Quo facto inter insignes has Ordinis Benedictini familias spiritualium bonorum communio, seu uti stilus monasticus fert, Confraternitas enata est. Literae hae miras mutui amoris fraterni expressiones continent. [5])

Emergente anno 1211 circa terram quampiam in Sala (Sélye Comit. Poson.) cum Comite Camerae, nomine Cath, lite, Berchtoldus Electus Archiepiscopus Colocensis, qui se alibi iudicem et Defensorem huius Monasterii appellat, [6]) hac in caussa per Andream II. delegatus Judex, dum eam secundum allegata per litigantes testimonia decidere nequiret, hos ad sortem divini iudicii per candens ferrum cognoscendi direxit. Quae sors, cum in

---

[1]) Balluz. Innoc. III. Epist. I. 7. — [2]) Caps. 48. D. — [3]) Caps. 51. R. — [4]) Caps. 35. F. — [5]) Caps. 35. E. — [6]) Fuit etiam per Innoc. III. in lite cum Episcopo Vesprimiensi delegatus Judex. Pray: Spec. Hier. II. 50.

Abbatem Uriam cecidisset, iste suum hominem Budam misit; qui candens ferrum coram Capitulo Budensi, ad evincendum Jus Monasterii, praescripto more nudis manibus exciperet. Fecit iste, quod iussus erat: et dum tertio die manus fuissent fasciis suis exsolutae, mundus et illaesus repertus est; sicque Abbas divino iudicio terram recuperavit, cuius limites iisdem Bertholdi adiudicatoriis una cum serie divini iudicii per dictum Capitulum relata inserti sunt. [1]) Ritum in iudicio ferri candentis observatum vide: Fessler Gesch. Ungarn's. I. 717.

Anno 1213 Andreas Rex bello contra Gubatos, seu Ruthenos occupatus, cognitionem caussae inter Abbatem Uriam, et civiles Posonienses vertentis „nobilissimae Gertrudi Reginae, Bertholdo Colocensi Archiepiscopo, ejus fratri, et universis Principibus commisit," qui visis privilegiis Ecclesiae S. Martini, ei totam terram villae Sztara, et Udvores, et titulo compensationis damnorum 35 Marcas adiudicarunt. Sententionalibus literis Bertholdus Colocensis ante Strigoniensem insertus est. [2]) Regina eodem anno nefario ausu interfecta.

Maiorem tempestatem Robertus Episcopus Vesprimiensis iam anno 1212 ratione decimarum Simeghiensium excitavit, cuius componendae provinciam Innocentius III. Papa huic Berchtoldo commiserat. [3]) Quo non proficiente Urias anno 1215 ad Concilium oecumenicum per eundem Pontificem evocatus, Episcopo quosdam suos Conditionales in Comitatus Simeghiensis villis Fais, et Gyirki, uti et de praedio Dominici de Megy a solvendis Monasterio solitis decimis retrahente, totiusque Comitatus Simeghiensis decimas sibi, tanquam Dioecesano Episcopo deberi, aut certe quartam earum partem pro fabrica ad reparandas Ecclesias; item decimas novalium et animalium, aut sui occasione visitationis intertentionem (Canones procurationem appellant) praetendente: — Caussam suam coram Pontifice, exhibito ei S. Stephani diplomate, et Bulla Paschalis II. Papae adeo prospere tuitus est, ut quoad Decimas Simeghienses ab omni Episcopi eatenus impetitione fuerit absolutus; Episcopus autem inhibitus, ne seu suos, seu alienos homines ab iis S. Martino solvendis audeat impedire.

Porro quarta Decimarum pars aeque Uriae adiudicata, sed sic, ut Episcopus visitans Ecclesias reparare non teneatur, et titulo Procurationis quotannis Calendis Januarii 10 Marcas a Monasterio percipiat. Verum adversus hoc tributi genus Prior, et Conventus S. Martini, libertatem et exemtionem suam praetendentes, coram Honorio III. Papa fortissime quidem, sed frustra protestati sunt; asseverantes, se id nunquam recepisse, nec unquam recepturos. [4]) Petebat praeterea Episcopus certas Capellas in villa Subulcorum, et S. Ladislai per Uriam citra consensum Episcopi erectas destrui, et solo aequari: quod quidem Pontifex non admisit; at Jurisdictionem spiritualem in iis, uti et in Köröshegy, et Toppey, exceptis adscriptitiis monasterii in iisdem Parochiis exsistentibus Episcopo addixit; et omnia haec data ad Uriam bulla explicuit, omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius indignationem interminatus, si quis huic definitionis paginae ausu temerario contrairet. [5])

Nihilominus anno 1217, defuncto Pontifice Innocentio III., et Uria Regem Andream ad terram Sanctam cum exercitu comitante idem Robertus, seposito Dei, et Petri ac Pauli Apostolorum metu, tempore utendum ratus, adversus pontificiam sanctionem, Religiosos, et Ecclesias Monasterii in sua Dioecesi exsisten-

[1]) Caps. 37. I. K. — [2]) Caps 41. F. — [3]) Katona: Hist. crit. V. 144. — [4]) Fejér: Cod. dipl. T. 3. V. I. 258. — [5]) Caps. 31. L.

tes indebitis exactionibus affligebat, Parochianosque ad solvendas illi Decimas non compellebat. Quapropter Prior et Conventus ad Honorium III. Summum Pontificem pro remedio recurrerunt; qui datis ad Episcopum gravibus literis firmiter praecipiendo mandavit, ut ab Ecclesiarum gravaminibus omnino desistat, Parochianosque illos, ut Decimas debitas solvant, iuxta quod eidem a Sede apostolica est iniunctum, compellere non omittat. Quod si facere neglexerit, idem Pontifex Abbatibus de Varadino (Pécsvárad) Sexard, et Cicada committit, ut convocatis partibus caussam audiant, et appellatione remota fine debito decidant; quodque decreverint, faciant per Censuram ecclesiasticam firmiter observari. [1]) Similes lites ratione decimarum coram variis Episcopis, Abbatibus et Praepositis, tanquam Sedis apostolicae delegatis Judicibus, ipsoque Jacobo Praenestino a Latere Legato ventilatae, at semper in favorem Monasterii S. Martini decisae sunt.

Harum una e praecipuis eodem tempore, quo illa cum Episcopo Vesprimiensi coepit, cum Archiepiscopo Strigoniensi Joanne viguit, Decimas Capellae S. Mariae in Sala (Deáki Com. Poson.) usurpante. Qui cum coram delegato Judice, Vesprimiensi Episcopo, tunc excommunicato [1]) respondere recusasset: Urias Breve Pontificis Innocentii III. obtinuit, quo Episcopo Jaurinensi, Abbati Tihaniensi, et Archidiacono Rabensi committitur, ut convocatis Partibus caussam decidant, ita, ne monasterium dispendium iniuriosum incurrat. Si vero decidere nequirent, caussam instructam Romam ad Concilium expediant. [2]) Haec etiam lis iustum, et pro Monasterio prosperum exitum nacta est. Quod ut adversus iurium suorum hostes firmius muniretur, Urias Romae in Concilio Lateranensi IV. agens, occasione usus ab Innocentio III. Papa omnium Bonorum, privilegiorum et immunitatum confirmationem obtinuit, quam deinde domum reversus per Andream II. Regem transsumi procuravit. In huius confirmationis bulla illud occurrit singulare, quod hic Monasterium S. Martini supra Pannoniam situm, prima vice ad Jus et proprietatem Sedis apostolicae nullo mediante pertinere dicatur; et quod ea huic tribuatur libertas expresse, qua gaudet Monasterium Cassinense. Facile id praestare poterat Pontifex, eo quod utrumque e diplomate S. Stephani nullo negotio deducatur, quod Urias ad vindicandas Ecclesiae suae Decimas Sümeghienses in ipso originali Romae coram iudicio, quod nunquam antea factum est, exhibuit; et occasione usus, per Pontificem fidedigne transsumendum curavit. [3])

Redux Roma Urias anno 1216 pratum Milartó (nunc Melyér) in Füss Joanni Comiti pro tertia parte praedii Ronka coram Capitulo Jaurinensi tradidit; cui actui praeter eum, Primus Decanus, Henricus Custos, Silvester Subdecanus, Vitalis Sacerdos, Thomas Diaconus, et Jobbagiones Comites Curiales S. Martini interfuere. [4]) Unde patet: 1-eo tempore, imo paucorum annorum spatio Officium Prioris cum eo Decani [5]) alternavisse. Hoc enim anno Decanus erat nomine Primus, et iam sequente, quo Urias ad terram Sanctam profectus est, Priorem, non Decanum contra Episcopum Vesprimiensem Romae patrocinium quaesivisse vidimus. Anno 1233 iterum Priorem videbimus; at iam 1234 Decanus comparet Henricus, qui priore anno Prior fuit: at post annum 1321 soli Priores sunt conspicui.

---

[1]) Caps. 30. C. — [2]) Caps. 37. B. — [3]) Caps. 45. P. — [4]) Caps. 34. W. — [5]) Abbate Uria domi, aut prope agente, Decani; contra longe, dinque, puta, in terra Sancta cum Rege, Romae in Concilio, et saepe alias, aut in Monte Cassino morante, Priores locum habuisse videntur; maiore agendorum sphaera maiorem honoris titulum postulante.

2-° Licet Monasterium cum Ecclesia hoc tempore combustum olim, et funditus destructum fuerit: Conventum tamen Religiosorum exstitisse, et eum satis frequentem, Officium Subdecani innuit, quod in maioribus tantum Asceteriis locum habuit. In eodem documento Urias cum Fratribus suis fassioni interfuisse dicitur, quos inter Sebastianus Abbas memoratur; hunc proinde ultimum Monasterii B. M. V. de Güssing Abbatem fuisse, et hoc, iuxta Honorium III. Papam [1]) per Belam III. [2]) in castrum conversô, ad S. Martinum remeasse, verisimile est.

Reversus ex Palaestina cum Rege Urias anno 1219 ad restaurandam Ecclesiam et Monasterium S. Martini „pridem antea combustum, et funditus destructum" se accinxit, quod sexennii decursu citra ullum a Rege sive oblatum, sive petitum subsidium consummavit. Consecrationi Ecclesiae anno 1225 interfuit Rex cum secunda coniuge, Jole, Orientis Imperatoris Petri [3]) filia; Episcopis, et Magnatibus plurimis per Uriam invitatis. Qua occasione ad nullius petitionem, sed solius Dei nutu provocatus Rex, tum ob remedium animae suae, tum quia Monasterium hoc illi, et Reginae, aliisque Magnatibus, et Nobilibus „maximas expensas, et honores fecisset; tum quia ratio Juris, et aequitatis exigeret, et ad officium incumberet Patroni in Consecratione Monasterium dotare, et maxime, cum in reaedificatione hujus monasterii in nullo juvisset Abbatem," triginta Mansiones Udvornicorum cum tota terra sua, quovis loco magis utilitati Ecclesiae congrueret, firmiter dare promisit. „Verum Abbas, et Conventus se potissimum piscibus egere dicentes, humiliter, et subnixa prece institerunt, ut . . terram Ginou (Gönyö), cujus tertia pars utique ad Monasterium pertinebat," S. Martino totam assignaret; quod et factum est. [4])

Pro Consecratione Ecclesiae Urias nec vicinum Episcopum Jaurinensem, Gregorium, nec Archiepiscopum Thomam, sed Briccium Vaciensem Episcopum provido consilio invitavit. Ne vero Episcopus Jaurinensis propter ignorantiam crederet, sibi fieri iniuriam, Urias Regi ad S. Martinum cum Accontio Legato Pontificis tendenti obviam profectus, in villa Hene tria privilegia: unum scilicet S. Stephani, alia duo Summorum Pontificum Clementis III. et Innocentii III. Legato exhibita publicari fecit, quibus cetera inter continebatur, quod oleum, Chrisma, et consecrationes altarium et basilicarum a quocunque mallet, Episcopo reciperet. Episcopus autem Jaurinensis nihilominus se opposuit, cui Jus commune alleganti Abbas respondit, Consecrationem per ipsum fieri non debere; nec cessavit uti iure suo dicens, quod Juris exsecutio nemini faciat iniuriam. Et reapse per Episcopum Briccium Vaciensem, Joannem Nitriensem, et Episcopum Scenisen (sic) Ecclesiam suam fecit consecrari. — Haec totidem fere verbis refert Andreas II. in literis suis ad Honorium III. datis, quibus memoratarum Bullarum et diplomatis S. Stephani accurate descripta exemplaria sub sua bulla aurea adiunxit; eo, „quod haec Romam tum ob Episcopi Jaurinensis contradictionem, tum propter alias caussas deferri oportebat:" Originalia vero tanti itineris periculis exponere providus Urias merito vereretur. [5])

Porro Honorius III. Papa, cognita caussa, non tantum factum Uriae adversus Episcopum non improbavit, verum etiam, ut a similibus impetitionibus Abbatem tutiorem praestaret, eodem adhuc anno 1225 Privilegium Montis Cassinensis, quod iste

---

[1]) Caps. 7. F. — [2]) Caps. 7. H. — [3]) Timon: Epit. chron. ad annum 1213. — [4]) Caps. 1. F. — [5]) Caps. 31. G. De hoc Andreae Regis favore iam pag. 36 et 37

a Zacharia Papa olim obtinuit, per Stephanum Abbatem Cassinensem sibi in authentico Transsumpto substratum, itidem pro S. Martino transsumsit: ut sic Abbates huius Asceterii concessis ei privilegiis, et immunitatibus ex certa scientia libere, et intrepide fruerentur; praestoque esset clypeus, quo se adversus emergentes identidem eorum adversarios tuerentur. [1]) Eodem fere tempore aliud privilegium Innocentii III. Papae Monasterio Montis Cassinensis datum anno 1208, pro S. Martino per Roggerium tituli S. Eusebii Cardinalem Presbyterum, Vitalem Decanum, totumque Conventum, ac Stephanum Abbatem Cassinatum suis bullis signatum obtinuit. Huius privilegii praecipuum caput est, quod iam in Zachariae Papae bulla continebatur: ut videlicet Monasterium, et omnia ad ipsum pertinentia pleno iure quieta semper, et ab omni iugo mortalium libera, sub solius S. Romanae Ecclesiae iure, ac perpetua defensione consisteret. [2]) Opportune factum. Nam Archiepiscopi Strigonienses inde a Jobo, qui Petrum II. aut certe Joannem I. infestabat, ius suum ad S. Martinum extendere nitebantur. Unde satagens rerum suarum Urias nihil pensi habuit, „usque ad Montem Cassinum personaliter laborare" (verba sunt Stephani eiatis Abbatis) ubi nova arma adversus eorum conatus se acquisiturum sperabat.

Dum sic spiritualibus iuribus conservandis insudat vir solertissimus, non minorem curam Bonis temporalibus, sive procurandis, sive conservandis impendebat. Ut enim his consuleret, donationes a S. Ladislao, et aliis Regibus S. Martino factas per Andream Regem confirmari; bullam Gregorii IX., privilegia et Possessiones Loci huius enumerantem transsumi et ratam haberi; litem de terra Vág inde a temporibus Geysae II. Regis magna partium contentione agitatam feliciter terminari; donationes a piis fidelibus factas, uti et recuperationes Bonorum iniuria temporum direptorum, emptiones item et permutationes in utilitatem Ecclesiae suae factas per eundem Andream Regem roborari in forma privilegii procuravit. [3])

Inter Bona Gregorius IX. primo loco in dicta bulla enumerat Ecclesias, et quidem hac serie: S. Martini in Sabaria, S. Vilibaldi (Ravazd), S. Jacobi, S. Mariae in Fizegtő (penes Almás), S. Adalberti in Vosian (Varsány), S. Crucis in Eremo (Keresztur), S. Mariae in Sala et Vág (Sélye, Deáki), S. Martini in Keőröshegy, S. Salvatoris in Tord, S. Martini in Toppej, S. Ladislai in villa custodum porcorum, S. Martini in Digna (Dinnye), S. Ladislai in Almás, universim: tredecim. Deinde villas: Ruozdi (Ravazd), Torján, Viloch (Illak), Milk (Nyilka, Nyalka), Saag, Semian (Selyemsuk), Ilbeő (Őlbő), Chonuch (Csanak), Ecchy (Ács), Hecce (Hecse), Szazlou, Weinuc (Vének), Fizegtő, Olup (Alap), Luzan, Teneu (Tényő), Corcu, Scava, Sala, Wazian (Varsány), Wene (Vénye), Fűs, Sz. Kereszt, Lázy, Krailca, Sceuleus (Szőlős penes Bársonos erat, cuius dimidium ad Templarios pertinebat), Digna (Dinnye), Temurd, Fonold, Zidhig, Tepej, Merene, Cutus, Cholon, Hygmogoz (Hegymagas), Chopolchi (Kopolcs), Scigvechfő, Tunez, Bálvános, Bagad, Batha, Budrug cum appertinentiis, parte silvae Selez iuxta villam Custodum porcorum, ac parte in villa Néma vocata cum Ecclesia omnium Sanctorum (Mindszent). Item Villam Renke (Ronka), Praedia: Chichou (Csicsó), Gamas, Sokrou (Sokoro, unde montes S. Martino vicini hodieque hoc nomine veniunt), Catl, Capella S. Jacobi in villa Viche (praedium nunc iuris Eszterhaziani ultra Lázi), Villa Udvorcs civilium

[1]) Caps. 68. D. — [2]) Caps. 30. K. — [3]) Caps. 1. Z. — 4. B. C. 68. F. et passim.

de Nitra, villa Billa, civilium de Zulugageur (Szolgagyór), universim: 53 recenset. Enumeratas Ecclesias non omnes fuisse exemptas, et Jurisdictioni Abbatum ordinariae plene subiectas, patet e Clausula, quae in Bulla Innocentii III. anni 1216, aeque ac in hac Gregorii IX. per Andream Regem anno 1234 transsumta sic sonat: „Salva Sedis apostolicae auctoritate, ac in Ecclesiis non exemptis dioecesanorum Episcoporum canonica ratione.“ [1])

Constitutus in Italia Urias de revehenda vetere Monasteriorum Ordinis Benedictinorum in Hungaria disciplina diligenter egisse videtur. Compererit ex eo Pontifex, non obstante Concilii Lateranensis IV. Decreto, Capitula generalia non celebrari eo, quod illi, qui his praesidere debuissent, non videbantur aliquam habuisse potestatem renitentes cogendi, ut compareant. Quapropter Uria adhuc in Italia morante Breve Pontificis Honorii III. anno 1225 ad Archiepiscopos Strigoniensem et Colocensem fuerat expeditum, quo Abbatibus de Várad Quinqueecclesiensis, et de Bolcz Chanadiensis Dioecesis mandatum esse significatum fuit, ut Capitulum ad Monasterium de Madocsa Colocensis Dioecesis eodem anno celebrandum indicant: ad quod omnes Abbates, et Priores, qui Abbates non haberent, exemptos aeque, ac non exemptos, qui huiusmodi Capitula celebrare non consverunt, convenire, per ecclesiasticam censuram sublato cuiuslibet contradictionis, et appellationis impedimento, dummodo istud canonicum non sit, compellant. Advocatis deinde duobus Cisterciensis Ordinis vicinis Abbatibus procedant in celebratione Capituli, Deum habentes prae oculis iuxta Constitutionem Concilii Lateranensis per Innocentium III. anno 1215 celebrati, eadem censura facturi ea firmiter observari, quae in eo Capitulo provide fuerint ordinata. [2])

Porro idem Breve iubet Capitula non triennalia, uti Concilio placuit, sed annua in singulis provinciis celebrari, ut, quae statuta fuerint, facilius memoria teneantur, et serventur; concessa eis, qui ad praesidendum anno futuro fuerint ordinati, facultate convocandi Abbates, et Priores Abbate carentes, et rebelles cogendi appellatione postposita. Quodsi tamen constituti in eodem Capitulo Visitatores, aliquos Exemptos Abbates censerent deponendos, id Sedi apostolicae habebant nuntiandum; in ceteris iuxta formam a Concilio praescriptam procedendo. Quapropter praedictis Archiepiscopis mandat Papa praecipiendo, ut Rectores Monasteriorum suorum, quos Visitatores e suis locis amovendos denuntiaverint, sublata omni contradictione et appellatione amovere non differant, nisi minus sibi Jurisdictionis in eos relinqui velint, quam hactenus habuerint, et actu habeant. [3])

Redux Roma Urias, anno 1226, enumeratis, quae in bonum huius Monasterii egerat, veluti ultimae voluntatis expressione de nonnullis bonis acquisitis partim ad luminaria Monasterii, partim ad sustentationem Fratrum et Pauperum disposuit; quam dispositionem Andreas Rex ratihabuit, et confirmavit. Juvat eam propriis Uriae verbis totam dare. „Notum sit, inquit, omnibus has literas inspecturis, quod Ego Uros dictus, Abbas S. Martini de S. Monte Pannoniae, vicesimum Annum gerens in Administratione, licet indignus, tamen laborans, et desudans in aedificiis monasterii, et officinalium domorum, quae combusta, et destructa totaliter erant, reaedificandis satis proficiens, similiter et in pluribus negotiis, et caussis requirendis, et promovendis, cum consilio, et auxilio ac consensu Fratrum meorum, plus quam omnes Praedecessores mei, qui fuissent a tempore S. Stephani Regis, sicut apparet per privilegia et praedia, quae sunt acquisita vel

[1]) Caps. 68. F. — [2]) Caps. 35. O. — [3]) Ibidem. —

emta, vel recuperata tempore nostro, scilicet privilegia, quae acquisivimus pro libertatibus et immunitatibus, et conservandis rebus Ecclesiae. Privilegium Domini Innocentii III., et confirmationem ejusdem super privilegio S. Regis Stephani, et sententiam definitionis super Decimis Comitatus Simighiensis, et privilegium Honorii Papae III., et confirmationem ejusdem super privilegiis montis Cassini S. Benedicti, in quibus declarantur, et confirmantur libertates Ecclesiae nostrae, et privilegia, quae obtinuimus ab Illustrissimo Rege nostro Andrea super confirmationibus et renovationibus privilegiorum scilicet S. Stephani Regis, B. Ladislai, et bonae memoriae Geysae, et Belae Regum super omnibus possessionibus Ecclesiae nostrae, et villis, et praediis, et molendinis, quae requisita, vel emta, vel donata fuerunt tempore nostro, quorum nomina haec sunt: In Szala villa Molva, et duae villae Clericorum, et villa Stara, et villa Nova, et villa de Odvory, et villa de Precha, et villa de S. Cruce, et villa de Elbeő, et villa de Sceleus, et villa de Sokorou, et villa de Catl, et terra de Barsonyus, et villa de Pethend, et terra de Wynar, et praedia de Néma, de Asvantü cum tribus molendinis, de Chichou, et Gamas, et in Hegimagos, et in silva Seliz; haec omnia verius sunt empta, quam acquisita, vel donata. Praeterea super Decimis Simighiensibus, quas reddere nolebant, et contradicebant et Templarium, et Hospitalarium et villarum suarum et Albensium Canonicorum similiter in Comitatu existentium, similiter latinorum Albensium et etiam Byssenorum, et populorum Vesprimiensis Episcopi. Sed quia super his omnibus acquirendis retraxeram aliquos proventus, qui debebantur ad mensam Fratrum meorum pro piscibus emendis, ex consensu eorundem, scilicet de Preche, de Knesa, et de piscina Miroth de eodem loco, et de Batha, et de Budrug, et de Piscatoribus de Sala, restituere curavi, et superaddere ad mensam dictorum Fratrum redditus de Sala de quinque villis, de tributis, de Decimis cum omnibus appendiciis suis, similiter et de praediis Fysu, et de Ecclesia cum omnibus appendiciis suis, ut de cetero nulli Successorum meorum fas sit, vel audacia retrahendi de his, quae ad mensam Fratrum, vel sustentationem infirmorum cum consensu cmnium fratrum, et fidelium Jobbagionum, et maxime ex consensu Domini mei Illustrissimi Regis Andreae ex antiquis et novis meis temporibus acquisitis stabilivi. Praeterea similiter ad luminaria monasterii tam per noctem, quam per diem ad decorem domus Dei assignavi proventus temporales Ecclesiarum, scilicet: S. Mariae, et S. Villebaldi, et S. Martini de Pannonia, et S. Martini de Keurishég, et de Tepej, et S. Ladislai de Selyz, et omnium Sanctorum de Temird. — Ut autem series huius dispositionis nullis unquam temporibus possit in irritum revocari, sed salva semper, et inconcussa nostris nostrorumque Successorum temporibus permaneat, praesentem paginam sigilli nostri munimine roboravi, similiter et sigillis Abbatum videlicet Varadiensis, et Sexardiensis, et Simighiensis, et Tihaniensis. Anno ab Incarnatione Domini 1226." [1])

Ad ingressum nunc recitati documenti occurrens gloriatio, qua se omnibus suis Praedecessoribus merito quidem, sed minus modeste anteponit, et sua paeclare gesta velut iactabundus enumerat, suspicionem mihi ingerit, dispositionem hanc eum non sua sponte, sed ad querelam Conventus, cuius sustentationem se coarctavisse ipse fatetur, per Generale Capitulum priore anno celebratum, adactum fe-

[1]) Caps. 59. E. —

cisse. — Intimus tot laborum, quos bono sui Conventus feliciter exantlaverat, sensus, et aliqua ex huius parte ingratitudinis macula tantum poterat verba illa praeclaro, licet interdum violento, Abbati extorquere. Multa profecto primum istud Ordinis Benedictini in Hungaria Capitulum generale amputanda repererit, quae inter Abbatum in suos Conventus violentia non postremo loco steterit. Ceterum seu sponte, seu invitus, eidem dispositioni etiam pontificiam confirmationem procuravit; qua de caussa Anagniam profectus est, ubi Gregorius IX. morabatur. Testatur id ingressus literarum Papae: „In nostra proposuisti nuper praesentia constitutus, quod praeter sollicitudinem, quam impendisse te asseris in aedificiis Monasterii tui" etc. [1])

Ex huius Dispositionis tenoribus patet, eo tempore pro mensa Fratrum, sustentatione pauperum, et luminaribus Ecclesiae certos determinatorum Bonorum proventus fuisse assignatos; ceteros vero condignae Abbatum sustentationi, militum intertentioni, aliisque communibus Monasterii necessitatibus tegendis servivisse. An talis proventuum separatio disciplinae regulari in capite aeque, ac in membris faverit tunc, non ausim definire, cum ipse Pontifex eam provide, et canonice factam pronuntiet: at nostro tempore eam salutari effectu carituram vix dubitare licet, etiamsi eam gravia totius Congregationis onera admitterent.

Anno 1228 consecrata est Ecclesia Deákiensis, quae hodiedum firma consistit. Visuntur sub eius tecto complures Cellulae Religiosorum, quae eius antiquitatem loquuntur. Hanc quoque combustam, et dirutam Urias restituit, et ampliavit, ac demum non per Robertum Archiepiscopum Strigoniensem, iuribus Abbatiae huius, iam dum Vesprimii sedisset, ut vidimus, infestum, licet intra eius Dioecesim sita fuerit Ecclesia; sed per Nitriensem, et Vaciensem consecrari procuravit. Testes huius sunt literae Gregorii IX. Summi Pontificis huius tenoris: „Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabilibus Fratribus - Vaciensi, et - Nitriensi Episcopis salutem, et apostolicam benedictionem. Dilecti Filii Abbas, et Conventus S. Martini de Pannonia Nobis humiliter supplicarunt, ut cum in desiderio gerant, ut asserunt, Ecclesiam S. Mariae de Salla ad Monasterium ipsorum spectantem, rehaedificatam quidem et ampliatam per ipsos honorifice consecrari, et eadem Ecclesia una sit de Monasterii .. Cellis, quae cum eo gaudent privilegio Libertatis. ipsius Ecclesiae consecrationem Vobis committere dignaremur, Nos etiampium votum ipsorum favorabiliter prosequentes, Fraternitati Vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, auctoritate nostra, cum ab eis fueritis requisiti, praedictam Ecclesiam sine alieni juris praesidio consecretis. Quod si non ambo his exsequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nichilominus exequatur. Datum Laterani V. Idus Ianuarii. Pontificatus nostri anno primo," [2]) qui anno Christi nati 1228 respondet. Mirum, ni ad tot, et tantos sumtus exiguo tempore, in solas Aedes sacras factos expeditio cum Rege ad terram sanctam suscepta influxerit!

Anno 1234 Urias cum consensu omnium Fratrum suorum ex una, Principales autem Populorum et Jobbagionum Ecclesiae S. Martini Capitanei parte ab altera, postquam de praestationibus debitis, et indebitis multum frustra contendissent, in Fratrem Enoch Ordinis Prae-

---

[1]) Caps. 18. V. — Forte hac occasione Urias illos 22 equos in via confecit, quos ab Udvornicis suis exactos et Romam secum abductos nunquam restituit: uti eorum querela ad Regem delata perhibet. Caps. 28. G. — [1]) Caps. 35. D. —

dicatorum, et alios quosdam compromiserunt [1]) ita, ut quae pars arbitrio horum Judicum in caussis mutuarum violentiarum non staret, poena excommunicationis, et 100 Marcarum feriretur. Cum vero Capitanei arbitrium hoc etiam per Jacobum Praenestinum Legatum apostolicum et ipsum Regem approbatum [2]) neglexissent: Urias convictis, et supplicibus 100 Marcas remisit, unius mensis carceris poena contentus, at reservato sibi iure primipilos in quaestionem trahendi. [3]) E gravaminibus hac occasione per Udvornicos Ecclesiae adversus Uriam expositis patet, eum Capellam, id est: apparatum ad celebrandum ubicunque Missae sacrificium sibi, virtute diplomatis Stephanei, ex Abbatibus soli competentem, in itinere praeferri iussisse; ad quam vehendam equum praebebant populi, per quorum terras iter faceret.

Fortis iurium suorum defensor Urias, ea sine ullo personarum respectu vel adversus Reges, horumque filios tutari non extimescebat. Ita Colomannum Andreae Regis filium, Slavoniae Ducem, decimas in Comitatu Simeghiensi usibus suis applicantem per Gregorium IX. [4]), serius ipsum Belam IV. Regem Decimas, et alios Coenobii reditus ad se trahentem per Innocentium IV. eo agente graviter admonitos fuisse constat. [5]) Idem Abbas anno 1236 a Gregorio IX. Pontifice Bullam obtinuit, qua Colocensi Archiepiscopo, et eius Suffraganeis Episcopis prohibetur, ne eos, qui ob damna Monasterio illata excommunicati sunt, foveant, aut defendant in praeiudicium Abbatis et Conventus, ac contemptum ecclesiasticae disciplinae; eo „quod error, cui non resistitur, approbetur; et viros ecclesiasticos deceat providere, ne dissolvatur nexus ecclesiasticae disciplinae.“ [6]) Contra brevi antea per eundem Pontificem, ad solvendam conversis ad fidem christianam Judaeis Newronico, et Anselmo annue promissam pecuniae summam, comminatione censurae ecclesiasticae adactus est. [7])

Aevo hoc etiam nobiles viri maioris perfectionis studio ad Claustra confugiebant, Coeli terraeque Domino quietius, et securius famulaturi. Talis erat Comes P., qui anno 1234 in S. Martino Monachus, servum suum nomine Bonum Ecclesiae S. Martini, ut pulsatorem, in perpetuum addixit, fassione coram Capitulo Jaurinensi celebrata, quod in suo testimonio eatenus, ut hodiedum fieri solet, expedito Conventum S. Martini Capitulum vocat. [8]) Idem facit Palatinus Nicolaus in Scripto publico anni 1220. [9]) Quod ne vel ignorantiae, vel oscitantiae Scriptoris tribuas, vetat Epigraphe Sigilli antiqui Conventus huius, quo ut locus credibilis hodieque utitur, sic sonans: Sigillum Capituli S. Martini de Sacro Monte Pannoniae. O. S. B.

Quid demum Tartaris regnum vastantibus circa suum Monasterium egerit Urias, ex Rogerio horum captivo, et cladis per eos illatae spectatore discimus, qui in sua belli huius historia, quam carmen miserabile inscripsit, fidedigne refert, in tota regione, qua grassabantur, nonnisi urbem Albensem paludibus suis tutam, arcem Strigoniensem, „et castrum S. Martini de Pannonia . . . abbate se viriliter defendente,“ barbarorum furori restitisse et inexpugnata permansisse. [10]) Nec ob-

---

[1]) Caps. 48. D. — In hoc Documento cum omnibus eius anni Fratribus de nomine inscriptis, Joannes quondam Abbas, nunc Praepositus praescripti Monasterii S. Martini legitur. Vide supra pag. 68. Reliquorum nomina erant: Nicodemus, Lazarus, Kánya Praepositus Simighiensis, Haymo, Servatius, Vitalis, Thomas Custos, Machabaeus, Mathias, Beniamin, Felix, Joannes, Michael, Herricus, Urbanus, Farkasius, Saulus, Ivan, Primus, Vitus, Valentinus, Georgius, Ambrosius, Elias, Simon Sacerdotes; Benedictus, Beda, Saduceus, Thaddaeus, Simon, Ivanka Diacones; Kilianus, Andreas Subdiacones.“ — [2]) Caps. 3. Aa. — [3]) Caps 48. D. E. — [4]) Caps. 31. M. — [5]) Caps. 31. Q. — [6]) Cap. 39. R. — [7]) Caps. 41. C. — [8]) Caps. 36. Cc. — [9]) Caps. 33. Y. — [10]) Rogerii: miser. Carmen. Cap. 40. —

stat, quod Innocentius IV. Papa in Brevi ad Regem Belam IV. in caussa Coenobii huius dato [1]) istud per Tartaros destructum dicat. Vel enim Pontifex destructionem Sabariae, tunc de facie terrae deletae, et aliarum Monasterii possessionum designavit, per quam huius vires attritae fuerunt, et sic Monasterium quoque seu prior eius status destructus erat; vel si stricte de monasterii aedificio destructo intellexit, tunc huius combustionem possumus admittere, quam Urias amolienda hostili eius occupatione plus quam satis distentus impedire nequiverit.

Insigne beneficium Urias hac occasione Belae IV. Regi praestitit, dum a clade ad Sajó accepta fugienti, et a Friderico Austriae Duce male habito, 800 Marcas argenti fini mutuo dedit; pro quibus, et pro Castro Güssing iam per Avum eius Belam III. ademto, Bela IV. anno 1263 villam regiam Ujhely, nunc Vágujhely dictam, cum villis Lubou, Szerdahely, et Pothvorics S. Martino tradidit, [2]) possessione eius penes S. Martinum non diu duratura. Nam initio Seculi XIV. per Matthaeum Claudum Trencsiniensem occupata, et ab hoc ad alios raptores devoluta, ad verum suum dominum, licet saepius reclamata, amplius non rediit.

Reliqua solertis huius viri acta, quorum memoria ad nos pertigit, his fere continentur. Circa annum 1220 novem servos Ecclesiae suae, qui se, absente in Palaestina Uria, liberos esse propugnabant, iudicio palatinali submisit, et compescuit; quorum caussa cadentium (res dictu foeda!) nasos assatos Palatinus ei cum sententia iudicii misit. [3]) Anno 1231 titulo dotis, Ecclesiae in huius Dedicatione anno 1222 promissae, terram Billa de Zolgagyör cum molendinis, foenetis, et Castrensibus, eam inhabitantibus ab Andrea II. Rege acquisivit. [4]) Anno 1234 Officium Judicis Perpetuitatum cum Comitibus Gerg, et Baye de Arquibaye sibi per Regem collatum exercuit. [5]) Anno sequente in caussa Episcopi Csanadiensis, et Abbatis Bistriensis, cum Abbate Sexardiensi per Gregorium IX. Summum Pontificem Judex delegatus fuit. [6]) Anno 1237 sedecim Mansiones de villa Ság Ecclesiae S. Martini asseruit; quarum Coloni sententia Palatini, quod se pro liberis gesserint, integris quidem nasis, at abrasis capitibus Uriae traditi sunt. [7]) Anno 1244 iussu Innocentii IV. iuramentum a Stephano de Vancsa, Strigoniensi Archiepiscopo recens creato excepit. [8]) Denique ultimo Andreae Regis anno cum Archiep. Colocensi, et Episcopo Nitriensi, iussu Gregorii IX., in iusiurandum inquisivit, quod Andreas Rex de non faciendis Collectis praestitum violasse dicebatur. [9])

Perlubenter hic pro corona gloriae Uriae nostri adducerem, quae in opusculo: Az egyházirend érdeme magyar ország történetében, anno 1847 edito, de felici eius legatione ad Micislaum in caussa liberandi ex captivitate Colomanni, Andreae II. Regis filii ad annum 1221 adnotantur. Sed quum auctor, alias diligens, inauditae rei testem Dlugossum historiae polonicae Scriptorem nominet; in hoc vero ad annum 1221, sicut et alibi nihil huius reperiam; pacem autem per nullum Legatum, sed per Conventum utriusque partis Baronum et Consiliariorum in finibus regni cum Micislao confectam Dlugossus iam anno 1210 fuisse narret: — fide dicti opusculi niti nequeo, nec Uriae multa praeclara facta, adiectis non satis compertis vitiare. Scribit quidem Dlugossus, Andream suum militem

---

[1]) Caps. 31. Q. — [2]) Caps. 36. T. — [3]) Caps. 5. Gg. — [4]) Caps. 5. Bb. — [5]) Caps. 32. B. — [6]) Fejér: Cod. dipl. III. 440. — [7]) Caps. 1. C. — [8]) Fejér: IV. Vol. 6. p. 283. — [9]) Katona: Hist. Crit. V. 737. et sequentibus; qui negotium hoc ibi fuse pertractat. —

Jarosz ad Micislaum fine liberandi e captivitate Colomanni Legatum misisse; verum idem scribit, duplicem huius legationem omni effectu caruisse, et Colomannum nonnisi pace, ut supra relatum, confecta, libertati fuisse restitutum. Unde etsi hunc Jarosz cum nostro Uria, qui Orcz, et Oros interdum dictus reperitur, eundem esse admitteremus, tamen nihil ei ex infausta hac legatione gloriae accederet. Praesto sunt quidem literae Honorii III. Papae in caussa Abbatis et Conventus S. Benedicti de Grana (Grón) adversus Archiepiscopum Strigoniensem. Joannem Ducem Meraniae, infelicis Reginae Gertrudis fratrem ad delegatos Judices anno 1221 datae, [1]) quae Abbatem de Grana „de mandato regis (Andreae II.) pro dilecto filio, Nobili Viro, Duce Poloniae, in Poloniam perrexisse," docent, in quibus tamen Abbatis huius nomen, pro recepto eius aevi usu, reticetur. Verum, quisquis ille fuerit, Urias noster esse non poterat, utpote quem iam anno 1206 Abbatem S. Martini fuisse certo novimus inde, quod in publico documento anno 1226 edito, per Regem, et Pontificem confirmato, se tunc in Administratione Abbatiae S. Martini vicesimum annum egisse fateatur. [2])

Tandem aetate, ac laboribus fractus Urias anno regiminis circiter 38-° circa annum 1244 operosam vitam posuit. Neque enim annus mortis eius praecise constat; sed inde tantum resultat, quod fassio coram Capitulo Jaurinensi anno 1254 celebrata doceat, iam ante decennium, id est: anno 1244 S. Martino Salamonem Abbatem praefuisse, ut mox patebit.

13. Salamon. (1244-1252.)

De hoc Abbate Tabularium S. Martini parum docet. Duae tantum adsunt Chartae; quae Salamonis meminerunt. Harum una [3]) anni 1249 privatum quoddam negotium Cognatorum eius respicit; altera de anno 1254 continet Fassionem, quam supra attigimus, et quam Alexander, et Belud de genere Opour, super medietate Possessionis Urukang (hodie Sz. Iván ad Jaurinum) Salamoni Abbati S. Martini ante decennium vendita, coram Capitulo Jaurinensi celebraverunt. [4]) Actum est hoc iam Abbate Favo, solerte Salamonis successore, qui, pro more patrio, Fassione per hunc quacunque demum de caussa neglecta, ius Monasterii in Urukang studuit stabilire.

Pray: Specim. Hier. I. p. 8. recitat, literas Innocentii IV. de anno Pontificatus V. (1247), quibus Pontifex ad querelam Stephani de Vancsa, Strigoniensis Archiepiscopi Abbati et Conventui S. Martini per apostolica scripta mandat, ut eum, cum ad Monasterium accesserit, prout consveverunt hactenus processionaliter admittentes, celebrare ibidem cum pallio libere permittant. Quod si facere renuerent, Abbati et Priori de Pilis Ordinis Cisterciensis, et Praeposito Ecclesiae Agriensis iniungit, ut partibus convocatis caussam audiant; eamque omni appellatione remota, canonico fine decidant, et faciant per Censuram ecclesiasticam firmiter observari. — Quid hi Judices delegati deciderint, non constat. Sed quum Pontifex clausulam: prout consvevistis hactenus, adiecerit, Conventus autem hac in re hactenus vigore suae immunitatis nihil consveverit: planum est, litem iterum ex praevigente usu decidi oportuisse, sicque petito Archiepiscopi satisfieri nequivisse. Profecto si acer ille iurium Ecclesiae suae vindex Urias, quod nunc petebatur, antea praestitisset: Salamon, recens creatus Abbas, tot annorum usui, et exemplo per Uriam dato, re-

[1]) Fejér: Cod. dipl. VII. 5. p. 226. — [2]) Caps. 59. E. — [3]) Caps. 59. C. — [4]) Caps. 12. I. —

fragari minime praesumsisset. [1]) — Ceterum cum notum sit, per huiusmodi honores Archiepiscopis per loca libera et immunia exhibitos, his nullum praeiudicium generari, illis nullum in horum realem libertatem ius acquiri: [2]) non erat operae pretium hoc in negotio magnopere laborare. — Illud mirum: quod Breve istud in Archivo S. Martini, undecim alias eiusdem Pontificis literas numerante, non adsit; imo nec anno 1723, uti accurati eius temporis Catalogi perhibent, adfuerit; licet Prayius se id suo Specimini Hierarchiae Hung. ex Originali desumtum inservisse notet. Utinam Tabularium, e quo illud extraxerat, adnotare viro erudito placuisset!

14. Favus. (1252-1264.)

Electione huius insignis viri, antea Pécsvaradiensis Abbatis, vitio quodam laborante, et per Sedem apostolicam irritata, Procuratores Laurentius, et Lath, Monachi S. Martini, Romam missi effecerunt, ut Fratrum desiderio conformiter Monasterio S. Martini per Pontificem Innocentium IV. praeficeretur, quod iste dato Brevi 17-te Decembris anni 1252 praestitit; [3]) eodem die alio Brevi facultatem concedens Procuratoribus, opinione diutius Romae detentis pecunias ad valorem 4 Marcarum auri mutuo sumendi, ita ut Monasterium debitum hoc solvere teneatur, quin mutuo dantibus probandi necessitas incumbat, pecuniam mutuo sumtam in utilitatem eiusdem monasterii conversam fuisse. [4]) Observa morem seculi!

Alexander IV. Papa comperto per desolatum incursione Tartarorum Hungariae statum etiam disciplinam regularem non parum labefactatam esse; Favo Abbati, in cuius circumspectione * se plene confidere fatetur, anno 1256 potestatem tribuit, „tres Abbates Benedictinos, Ordinis zelum habentes cum consilio, et consensu Capituli generalis eligendi, et cum iisdem Abbatibus regulariter visitandi, corrigendi, et reformandi auctoritate Apostolica Monasteria Ordinis sui in Capite, et in membris, quae visitatione, correctione, et reformatione viderit indigere.“ [5]) Breve hoc, uti cetera huius Pontificis et aliorum inde ab Innocentio III. inscripta sunt: „Dilecto Filio Abbati S. Martini supra Pannoniam ad romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ordinis S. Benedicti, Jaurinensis Dioecesis.“ — Quo cum effectu Favus negotium Reformationis susceperit, non constat; at susceptam fuisse, et male sibi conscios Abbates ac Monachos praesidium apud Archi- et Episcopos quaesivisse, aliud eiusdem Pontificis Breve videtur innuere, quo his graviter prohibet, ne plectendos foveant, et defendant. [6])

Anno 1256 Synodo nationali, sub Bela IV. et Benedicto Archiepiscopo Strigoniensi celebratae interfuit, et inter Abbates primo loco subscripsit. [7]) Anno 1258 terram Dyonis, nunc Dénesd, integram cum duobus servis, et uno libertino 304 Marcis argenti, et ante biennium terram Eörs 200 Marcis a Comite Elek cum consensu Regis acquisivit. [8]) Demum anno 1260 Insulam in Balatone, Szegliget dictam, olim ad castrum Zaladiense pertinentem, a longis autem retroactis temporibus a Castro avulsam, et primo per Ogycz Banum, deinde per Kalianum Comitem possessam, eoque deficiente ad Stephanum filium Belae IV. Regis devolutam, ab isto cum illius consensu cum universis villis,

---

[1]) Salamonem hunc ad Concilium Lugdunense I. anno 1245 evocatum fuisse constat (Caps 39. D.); interfuisse Concilio non constat. — [2]) Clem. Cap. Archiepiscopo. 2 De privilegiis. — [3]) Fejér: Cod. dipl. IV. 2. p. 129. — [4]) Ibid. p. 130. — [5]) Caps, 40. F. — * Huius documentum videtur dedisse Favus iam anno 1254; dum a Benedicto Archiep. Strigon. . 300 Marcas argenti Stephano Vancha Cardin. Episc. Praenestino annue pendendas exigere per Innocentium IV. iussus est. Caps. 35. C. — [6]) Caps. 40. G. — [7]) Péterfy: Conc. Hung. I. p. 87. — [8]) Caps. 41. K.

silvis, vineis, piscationibus, et aliis ea conditione acquisivit, ut in monte ibidem exsistente Castrum aedificet. Vastatio enim, quam Regnum a Tartaris ante annos 18 perpessum est, castrorum et arcium defectui merito tribuebatur. [1])

Paruit Favus, ut decebat, Castrumque in dicto loco biennii spatio tam venustum et securum struxit, ut desiderio eius potiundi captus Rex insulam cum Castro receperit, et pro eo villam et terram Bok in Comitatu Zaladiensi, terram Debrethe ad Castrum Nitriense, inter Vág et Dudvág positam, denique terram Alma ad Comitatum Sümeghiensem pertinentem Monasterio S. Martini assignaverit, ea villae, et praediorum impopulandorum incolis libertate relicta, que ante fruebantur. [2])

Anno 1262 Matrona quaedam nomine Pikud, postquam filium suum violente enectum amisisset, masculo herede carens, villas suas Tamási et Péterd, illam a Patre, hanc a Marito hereditate acquisitam cum consensu regis, ad quem ius defectu seminis devolutum fuit, Monasterio S. Martini donavit ea conditione, ut si ei „apud Monasterium placeret conversari, per istud ad tempus vitae suae victu et vestitu provideretur.“ [3]) Anno autem sequente tandem pro avulso per Praedecessores Reges ab Abbatia S. Martini Monasterio B. V. Mariae de Quizin compensationem inde ab anno 1225 per plures Summos Pontifices identidem sollicitatam Favus anno 1263 obtinuit. Scilicet Bela IV. Rex, qui, ut ipse fatetur, dudum Abbatiae S. Martini, quam utpote a S. Stephano fundatam speciali dilectione amplexari, et proventus eius potius augere, quam diminuere oportebat, satisfacere conatus est; sed diversis negotiis regni praepeditus exsequi non potuit. Tandem grata memoria recolens, se cum ad partes maritimas tempore persecutionis Tartarorum fugisset, omni subsidio deficiente 800 Marcis argenti per Abbatem Uriam adiutum fuisse, quibus Nobiles suos a fame servaverit; quasque eidem Monasterio refundere nequivisset. Haec itaque, et alia secum reputando, conscientiaeque stimulis actus in Concambium praedicti Monasterii de Güssing et pro satisfactione receptae pecuniae possessionem suam de Ujhely super fluvio Vágh una cum portu et tributo fori eiusdem, item villam Lubou cum portu in fluvio Vágh, villasque Szerdahely et Patvarics in Comitatu Nitriensi, consentiente Maria Regina S. Martino contulit, et per Magistrum Mothmerium Reginae Cancellarium fecit assignari. [4])

Bonorum horum possessio non erat diuturna: quibus initio seculi XIV. per Matthaeum Claudum occupatis nihil in ea iuris Abbatiae mansit, quam interdum protestandi, ne per regiam Maiestatem alteri conferantur. [5]) Similem sortem subiit donatio Stephani V, iuvenis regis anno 1260 super Capella S. Emerici in Bokon pro S. Martino facta, ut ibi aliquot Monachi exsisterent; quae serius cum ceteris privilegiis per eundem vivo Patre concessis vigore destituta fuit. [6]) In hac donatione singularis modus terrae donatae quantitatem determinandi proditur. Tantum nempe terrae conceditur, quantum a coemeterio eius Capellae e quatuor huius lateribus tribus vicibus sagittando comprehendi posset. Quo pacto ad obtinendam terram tercentorum iugerum debebat sagitta singulis vicibus 100 orgias conficere, ad quod opus sane si uspiam, firmitas lacertorum diligenter exquirebatur. Nam sagittae iactus vel unica orgia longior, tercenta illa iugera duobus auxit. Ex eodem documento patet, Stephanum hunc iam anno 1260 Regem fuisse coronatum.

Porro Favo nostro nec ultimis vitae

---

[1]) Caps. 4. K. — [2]) Caps. 27. W. — [3]) Caps. 4. G. — [4]) Caps. 36. T. — [5]) Caps. 36. H. — [6]) Caps. 3. R. —

suae annis quieto esse licuit. Spectata enim viri probitas, et in rebus agendis dexteritas fecit, ut iam Rex, iam Sedes apostolica eius operam expeteret. Ita Bela IV. antequam terram Tothrada Castri Vesprimiensis, ad preces Magistri Jacobi ensiferi sui, Banconi filio Ibrachimi eiusdem Castri Jobagioni contulisset, praeviam in statum illius terrae inquisitionem anno 1263 ei commisit.[1]) Idem eodem anno ad Conventum ecclesiasticum Budae sub praesidio Magistri Angeli Nuntii apostolici celebratum evocatus est. Ubi dum de gravi lite inter Philippum Archiepiscopum Strigoniensem, et Jobum Quinqueecclesiensem Episcopum orta, iussu Pontificis, secreto tantum cum maioribus Praelatis tractandum fuisset; ceteris Abbatibus, Praepositis et aliis recedentibus Favus Abbas S. Martini cum Episcopis in ecclesia mansit: manifesto indicio, iam illa aetate Abbates S. Martini, licet nondum fuerint Archiabbates, Praelatis maioribus adnumerari solitos fuisse; quum ceteri Abbates interea in gradu Praelatorum inferiorum consisterent. Discimus illud ex publicis literis Episcopi Jaurinensis in eodem Conventu Archiepiscopo Strigoniensi, ratione supra dictae litis „in testimonium et rei memoriam" datis; e quibus ea, quae ad rem nostram faciunt, promere iuvat, ut sequitur:

„Nos Omodeus divina miseratione episcopus Jauriensis, de provincia Strigoniensi, significamus omnibus literas per praesentes, quod quum anno domini MCCLXIII. Indictione VI. quarto [2]) die exeunte Aprili, essemus apud Budam ad convocationem magistri Angeli, clerici capellae domini papae, et nuncii ejusdem in partes Hungariae; et consideremus una cum praenominato M. Angelo, et reverendo archiepiscopo Strigonien. domino Philippo, metropolitano nostro, ac venerabilibus patribus, Lamperto Agrien. Philippo Vacien. Paullo Vesprim. et Vincentio Nitriensi, coëpiscopis, et suffraganeis (sic) nostris; S. Martini de sacro monte Pannoniae, S. Benedicti de Varadino (Pécsvárad), Sexardiensi et Simigiensi, abbatibus, ordinis S. Benedicti, Quinqueecclesiensis et consuffraganei nostri episcopi, Sirmiensis et Transsilvaniensis episcoporum procuratoribus, et quam pluribus aliis Praemonstratensis et aliorum ordinum praelatis, praepositis, archidiaconis et plebanis in ecclesia praepositali; exhibitis nobis literis, et mandato apostolico, cum majoribus praelatis secretius tractare, Strigoniensi archiepiscopo et nobis, qui praesentes eramus, episcopis omnibus, procuratoribus archiepiscoporum absentium, abbate S. Martini duntaxat apud ipsum remanentibus, alii receperunt se in partem; et his se moventibus, et retrahentibus se seorsum, procuratores episcopi Quinqueecclesiensis coram nobis dixerunt.... Nos igitur ad instantem petitionem praedicti ven. archiepiscopi Strigoniensis super praedictis manifeste gestis et habitis, coram universis ecclesiarum praelatis, et viris religiosis memoratis, ad convocationem praefati M. Angeli ibidem congregatis, et collectis, quum nec de justitia negare potuissemus, praesentes literas dedimus sub sigillo nostro authentico in testimonium, et rei memoriam archiepiscopo supra dicto." [3])

Sequente autem anno 1264, quum Bela IV. Rex, aeque ac Bosnensis Episcopus Ecclesiam Bosnensem ab Archiepiscopo Ragusano, utpote in haeresim una cum sibi subiectis lapso, per Jacobum Praenestinum, apost. Sedis Legatum avulsam, Archiepiscopo Colocensi subiici a Sede apostolica petiissent; Urbanus IV. cum in tanto negotio, uti ipse fatetur, absque magna deliberatione, ac maturitate procedere nollet, nec deberet: Abbati S.

---

[1]) Katona: Hist. crit. VI. 390. — [2]) Id est: 27. Aprilis: nam, ut notum est, exeuntis mensis dies sicut Calendae, retro numerabantur. — [3]) Katona: Hist. crit. VI. 396.

Martini de sacro Monte Pannoniae, qui tunc Favus erat, — Decano Ecclesiae Vesprimiensis et Thesaurario Ecclesiae Jauriensis mandavit, quatenus in rei veritatem diligenter inquirant, et quod invenerint, ei fideliter rescribant; ut exinde per eos instructus, quod expedire viderit, disponat.[1]) Ita fere ad verbum literae Pontificis; quae una tempus, quo datae sunt, XIV. Cal. Augusti et Pontificatus annum IV. exhibent: id, quod cum nota huius Papae chronotaxi non concordat. Dati enim huius ductu literae scriptae fuissent 19ᵃ Julii anni 1265.[2]) Constat autem, Urbanum IV. iam anno 1264. 2ᵃ Octobris obiisse, et anno 1265. 9ᵃ Febr. Clementem IV. mortuo successisse. —

Vixisse Favum 20ᵃ Decembris anni 1264, produnt literae Belae IV. Regis, quae illum in Octava S. Luciae nunc dicti anni ad deponendum Nitriae coram Capitulo iuramentum cum uno e Fratribus, et duobus Nobilibus aeque ad jurandum paratis comparuisse testantur. Iisdem literis docemur, hoc pacto terram XV Aratrorum, seu 3920 Jugerum nostrorum ad Vágujhely et Patvarics, per vicinos Nobiles concupitam, Monasterio S. Martini fuisse restitutam.[3]) Quamdiu postea vixerit, et an ei Bonifacius sine medio successerit, non constat. Id constat: Conventum S. Martini alterum in eo Uriam fuisse veneraturum, si eum diutius in hac lacrimarum valle relinquere vitae mortisque Domino placuisset.

Vetus Catalogus Abbatum S. Martini, fine Seculi XVII. confectus huic Favo Ladislaum Abbatem successisse narrat, quem omnes S. Martini Chartae ignorant. Quamobrem nullam eius hic mentionem faceremus, nisi Péterffyus in suis Concil. Hungariae Part. I. p. 181. affabre paratum sigillum Sdislai Abbatis Monasterii S. Martini de S. M. Pannoniae produxisset, cui annum 1264 subscripsit.[4]) Qui, si annum hunc non temere scripsisse, verum ex Documento, cui sigillum adnexum reperit, desumsisse videri posset: Ladislaum hunc certum Abbatem teneremus. At secus est. Cum enim Favus Abbas anni 1264. 20ᵃ Decembris sanus adhuc et vegetus, ut vidimus, Nitriae iura sua defenderit, etiam si illum eodem die mortuum fingas: 11, qui ex anno 1264 supererunt dies, Favi funeri, electioni, postulationi, confirmationi, peregrinationi ex Monasterio Sexardiensi, hieme, et 4 Festorum tunc solennitate impeditae nulla ratione sufficiunt, ut Ladislaus iste anno adhuc 1264 Abbatiae S. Martini regimen adiisse credi possit. Unde sequitur: Péterffyum saepe dictum annum ex Documento desumere non potuisse; verum ex erroneo Abbatum S. Martini Catalogo desumsisse, ubi Ladislaum Abbatem ab anno 1263 usque 1266 Abbatem fuisse conspexit. Erroneum autem fuisse veterem illum Catalogum, et ut cetera taceam, in hoc solo Ladislao dupliciter peccasse inde patet, quod licet Archivum nostrum doceat, Ladislaum Abbatem S. Salvatoris de Sexardia anno 1365 Abbatem S. Martini electum, seu postulatum fuisse, imo licet lapis sepulcralis in Ecclesia S. Martini testetur eum anno 1372 obiisse, tamen ad hos annos nulla alicuius Ladislai mentio, nullum in illo Catalogo vestigium: quem proinde ex anno 1365 ad 1265, errore nulla venia digno, retrusit; deinde quod eum regimen suum adiisse anno 1263 dicat, eum tamen certum sit, Favum etiam anno 1264 integro vixisse. Igitur Ladislao Abbati hac annorum decade locus non est. Aliter se res haberet, si constaret, Péterffyum annum illum e documento authentico, cui sigillum hoc appensum fuerit, de-

[1]) Katona ibidem p. 432. — [2]) Electus est Urbanus IV. anno 1261. 29. Augusti. — [3]) Caps. 36. W. — [4]) Hoc anno Favus Abbas inter vivos agebat.

sumpsisse. Sigillum est figurae ellipticae, uti pleraque vetera, duos et medium pollices longum in quatuor areolas inaequales divisum cum epigraphe... SDIZLAI*) ABBIS. MON. S. MARTINI-SRQ. MONT. PANN.... In area maxima stans Abbas benedicit: sub hac Abbas, et duo angeli singuli suis areis inclusi genuflexi, ad eandem coeli plagam conversi, compositis manibus orant. Literarum, quibus adnexum erat, nullum vestigium. Credo; nam anno 1264, quo Ladislaus S. Martini Abbas non erat, nullas sub tali sigillo dare potuit.

15. Bonifacius. (1266-1281.)

Hoc Abbate, anno 1267, Comes Conradus, filius Kulcsey de Gugh, postquam uxor monasticum habitum inter Virgines Ecclesiae B. M. V. de Vesprimio assumsisset, „terram suam et domos in Gugh, quas separatas a sua cognatione pacifice possedit, Monasterio S. Martini, in quo divino nutu admonitus, et instructus religiosam vitam professus est," coram Fratre suo Gregorio, et Capitulo Honthensi donavit.[1])

Triennio post Stephanus V Rex in ipso Regni aditu devotionis caussa ad S. Martinum profectus ad preces Bonifacii Abbatis Populos Ecclesiae huius per Belam IV. anno 1267 in universis caussis a Judicatu et Jurisdictione omnium Supremorum et Vice-Comitum aliorumque Judicum, ductu privilegii S. Stephani exemptos, et ipse exemit; atque ab omni Collectarum sive victualium sive denariorum vexatione immunes pronunciavit: „ne per hujusmodi gravamina ad nimiam paupertatem et exinanitionem per subtractionem alimentorum divinae laudis organa suspendantur.[2]) Privilegium hoc in S. Martino scriptum, et traditum, anno 1275 Ladislaus IV. Rex transsumendo confirmavit.

16. Hermannus. (1281-1300.)

Hermanno Abbate, Andreas III. Rex anno 1292 „Monasterium S. Martini, cuius intercessione sibi cuncta prospere suffragari senserat, merito regali favore, gratia et donatione amplexari cupiens, ob remedium animae suae, et spem futurae felicitatis duas possessiones.... Taap et Szent Miklós cum Udvornicis suis in eisdem residentibus contulit." [3])

Quibusdam Comitibus, Baronibus, Nobilibus, et militibus Possessiones Ecclesiae huius, uti aliarum diripientibus, et Religiosos variis iniuriis lacessentibus, cum propter praedonum potentiam et malitiam non speraret Hermannus se iustitiam consecuturum: remedium apud Bonifacium VIII. Summum Pontificem anno 1296 quaesivit. Justis eius querelis motus Pontifex Archiepiscopo Strigoniensi imposuit, ut reos ad Judicium attrahendo, si veritatem cognoverit, censura ecclesiastica ad satisfaciendum compellat.[4]) — Idem Abbas Capellam in Dénes in praeiudicium Ecclesiae Misérdiensis aedificavit; unde diuturna lis orta tandem ita consopita est, ut omnia iura spiritualia in hac Capella ad Archiepiscopum Strigoniensem et Praepositum Posoniensem, qui esset pro tempore, secundum antiquum morem pertineant; Jure autem funerandi et baptisandi praedictae Capellae duntaxat integraliter remanente, quod solus sacerdos praedictae Ecclesiae S. Martini (Misérdiensis) debeat exercere; ipseque sit sacerdos Ecclesiae utriusque etc., liceat tamen Abbati S. Martini, et eius Capellano in ea celebrare.[5])

---

*) Apud Hagecium in Chronico Bohemico occurrit vir nobilis nomine Sdislaus, sed, an istud Bohemis idem sit, quod nobis Ladislaus, non ausim asserere. [1]) Caps. 12. B. — [2]) Caps 32. Q. — [3]) Caps. 1. H. — [4]) Caps. 39. N. — [5]) Caps. 41. O. —

Huius temporis sigillum Conventus S. Martini cum epigraphe: SIGILUM CONVEN. ·SCI MARTINI DE MOTE PANNONIE, exhibet tres viros habitu monastico sub quodam fornice nimis delumbato stantes; quorum medius reliquis maior et senior capite cucullato, ambabus manibus librum apertum tenens iuvenem monachum coram se detecto capite stantem docere videtur.[1]) Sigillo Péterffyus annum 1290 subscripsit. Ceterum nullum Archivi nostri documentum hoc sigillo provisum reperies; contra, omnia, quae ex hoc Conventu, velut sic dicto Loco credibili prodierunt, quorum plurima Abbatiam S. Mauritii de Beel concernentia possidemus, illud sigillum praeferunt, quo hodieque inde a restituta anno 1723 fidedignitate continue utimur.

17. Nicolaus I. (1300-1301.)

Abbas iste, et sequentes aliquot, in eam infelicem epocham inciderunt, dum exstincta cum Andrea III. stirpe Arpadiana Hungari de eligendo rege inter se mutuo concertarunt. Quo tunc pede Bonorum, imo vitae securitas steterit, facile est augurari. Certe primi Seculi illius anni decem, quatuor S. Martini Abbates consumpserunt: et huius Nicolai memoria, sola protestatione illius ad nos pervenit, quam coram Capitulo Jaurinensi super omnibus Ordinis Benedictini in Hungaria Bonis solenniter interposuit; postquam non tantum singulis Monasteriis aliquid decerpi, sed integra Monasteria cum suis Bonis per praedones libere grassantes expertus fuisset occupari.[2])

18. Emericus. (1306.)

Huius nomen pariter semel tantum, idque in literis Vice-Comitis Comitatus Posoniensis Nicolai, filii Lenkus occurrit, quibus Capitulum Posoniense requirit, ut suum mitteret hominem, qui super crudeli violentia per Populos, et Jobbagiones de Dénes noctu in possessione Guthur, nunc Gutor, perpetrata inquisitionem peragat.[3])

19. Jacobus. (1306-1308.)

De triennali huius regimine non aliud ad nos memoratu dignum pervenit, quam quod a Matthaeo de Gics partem praedii Gicz anno 1307 testamento obtinuerit, qui sepulturae suae locum in Monasterio expetiit, et plurimis ab eo se beneficiis ornatum fuisse fatetur.[4])

20. Joannes II. (1308-1309.)

Multorum annorum decursu, fervida caritate, morum elegantia, vitae honestate, literarum scientia, et observantia regulari inclitum Joannem, S. Martini in temporalibus Procuratorem Fratres ab obitu Jacobi unanimiter, ac velut per inspirationem elegerunt. Verum electionem hanc, utpote nulli per Canones praescriptae formae convenientem Fr. Gentilis, Sedis apostolicae Legatus, ad quem Joannes Budam confirmationis obtinendae caussa profectus est, irritam declaravit, ipsamque Monasterii provisionem ad se pertinere enunciavit. Cum tamen personarum religiosarum defectu per fluctuantem Regni statum, et inveterata dissidia adducto alium aeque dignum ac utilem non reperisset; e diuturna vero vacatione dignitatis, merito direptionem bonorum praemetueret: Joannem non obstante etiam oculi defectu, quo vultus eius deformaba-

---

[1]) Péterffy: Conc. Hung. I. p. 170. — [2]) Caps. 11. D. — Anno 1301, quo Andreas III. Rex obiit, Castrum S. Martini factiosi tenebant; quod Landerberchius, reducendae ad patrem, Albertum Imperatorem, viduae Reginae caussa cum copiis Budam profectus, cooperante Comite Iván obsedit, et cepit. — [3]) Caps. 43. B. — [4]) Caps. 6. R. —

tur, auctoritate apostolica praefecit.[1]) Ita totidem fere verbis Legatus a Latere. — Ceterum Abbas iste Synodo Posoniensi, cui Gentilis, Legatus a Latere praefuit, interesse obligabatur, et interfuisse dicitur; Coronationi vero Caroli Regis eundem interfuisse constat.[2])

21. Ladislaus I. (1309-1316.)

Antiquiores Catalogi eius initium ad 1313 reiiciunt, sed perperam, uti plurima. Exsistit enim documentum originale de 23. Decembris anni 1309, quo venditionem domus Posoniensis per Abbatem Joannem Praedecessorem suum factam confirmat.[3]) Huius initium est: „Frater Ladislaus Dei gratia humilis Abbas Monasterii S. Martini de S. Monte Pannoniae, Hertlino Judici Posoniensi salutem in Domino.“ Aliud item sub fide, et sigillo Conventus S. Aegidii de Simighio anno 1310 editum adest, in quo Ladislaus Abbas S. Martini cum Procuratoribus suis fine Concambii cum certis Comitibus, qui Ecclesiae S. Martini Jobbagiones nobiles erant, faciendi, in persona coram praefato Conventu comparuit.[4]) De reliquis eius regiminis annis nihil constat, nisi quod anno 1311 Carolus Rex Alexandro, Arcis S. Martini Castellano ad preces Nicolai Tavernici villam Baráthi donaverit;[5]) et anno 1311 ad dirimendam litem decimalem inter Thomam Archiepiscopum Strigon. Stephanum Episcopum Vesprim. et Abbatem de Zala per Clementem V. R. P. Judex fuerit constitutus.

22. Nicolaus II. (1316-1333.)

Prius Abbas de Dombó, primus est eorum, qui se Dei et Apostolicae Sedis gratia S. Martini Abbates scribebant.*) Is obtinendae fors confirmationis pontificiae caussa Avenionem profectus, Indulgentias per 4 Archiepiscopos, et 16 Episcopos potissimum Italos firmatas attulit pro iis, qui Ecclesiae S. Martini aliquid legarent, Nuntios eius benigne exciperent, eleemosynas eidem transmitterent etc. Ad quem egestatis gradum detrusum fuisse dicemus S. Martinum, cuius Abbas eleemosynam per Indulgentias conquirere non erubuit?

Anno 1330 Joannes XXII. caussam Praepositi Ecclesiae S. Petri de Posega Dioecesis Quinqueecclesiensis, iure Collationis Canonicatuum et Praebendarum se per Jobum Episcopum Quinqueecclesiarum spoliatum conquesti huic Nicolao, appellatione postposita dirimendam commisit.[6]) Tum biennio serius ad preces universorum Abbatum et Monasteriorum Hungariae, annua Capitula Ordinis S. Benedicti, quae iniuria temporum fere exoleverunt, restituere, et cum iis disciplinam regularem revehere cupiens, Nicolao huic potestatem tribuit Capitulum generale convocandi, et cum Abbate de Grón praesidendi; salvo Capitulorum iure pro futuris Capitulis Praesides de anno in annum constituendi: una cum comminatione indignationis apostolicae Sedis prohibens, ne Archiepiscopi et Episcopi praesumant Abbates aut Priores ab adeundis Capitulis generalibus quaqua ratione praepedire, aut prohibere.[7]) An Capitulum hoc sub praesidio Nicolai, qui sequente anno desiit, celebratum fuerit; an et quid in commune S. Ordinis bonum decreverit, non constat.

Eodem anno 1332 Breve Joannis XXII., quo in caussa decimarum contra Plebanum de Segusd, Judicem in Abbate Odone de Zircz acquisivit, in Capitulo Jaurinensi transsumi procuravit, in quo

[1]) Caps. 45. H. — [2]) Fejér: Cod. dipl. VIII. 1. 335. — [3]) Caps. 58. O. — [4]) Caps. 20. G. — [5]) Fejér: Cod. dipl. ad hunc annum. — *) Anno 1317 circa Deáki, et alia Monasterii Bona in Comitatibus Posoniensi et Nitriensi per Matthaeum Claudum Trenchiniensem occupata coram Capitulo Nitriensi protestatus est. — Caps. 36. Q. — [6]) Koller: Hist. Episc. Quinqu. II. 353. — [7]) Caps. 35. P.—

Ecclesia S. Martini ad Ecclesiam romanam nullo medio dicitur pertinere.[1])

23. Vilhelmus. (1333-1355.)

Alias Willermus, etiam Guilielmus, cognomento Hamer, postquam honestae conversationis, scientiae literarum, providae circumspectionis, et industriae specimina plurimorum annorum decursu praeclara edidisset: ab obitu Nicolai per Conventum S. Martini, cui Prioris nomine praeerat, vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commode interesse, concorditer Abbas electus est. Verum, cum antea in Ordine Praedicatorum religiosam vitam professus, consentiente Ordinis Superiore ad Cisterciensem, et ex hoc ad Benedictinum transiverit; Summi vero Pontifices, Nicolaus IV. et Clemens V. sanxerint, ut illi, qui ex Religione Mendicantium ad non mendicantes transeunt, ad Prioratus, et dignitates assumi nequeant: anno 1333 Avenionem profectus, gratiam dispensationis a Joanne XXII. „Supplicatione Caroli Regis, et Oratoris vitae meritis inclinato" obtinuit.[2])

Hoc Abbate Benedictus XII. Ordinis Nigrorum, id est: Benedictinorum celebris reformator, pro bono et salubri statu Religionis teste Clemente VI. constituit, ut universa Monasteria Ordinis nigrorum monachorum in Provincia Strigoniensi et Colocensi exsistentia unam Provinciam constituant. Clemens VI. autem Pontificatus sui anno II. seu 1343 ordinavit, ut universi Abbates, Priores Abbates non habentes, et Abbatissae Monasteriorum ad restauranda, et recuperanda alienata monasteria, possessiones, bona et Jura eorundem occupata, communibus sumtibus Procuratores communiter constituere ad gerenda negotia, et caussas prosequendas teneantur; Praesidentes vero Capitulorum dicti Ordinis omnes, et singulos Monasteriorum Superiores ad contribuendum in necessarios huiusmodi sumtus iuxta cuiuslibet facultates compellant.

Salutare istud Pontificis statutum inde promanavit, quod et ipse Benedictinum Ordinem professus, fide digne compererit: „Monasteria et loca ejusdem Ordinis in Regno Hungariae constituta, quae ad id tempus spiritualiter, et temporaliter florebant, in tantum collapsa, et oppressa fuisse, ut pauca reperirentur, quae suis juribus, bonis, et possessionibus plene gauderent; e ceteris vero pleraque majore bonorum parte privata, et plusquam XL a tempore, quo Tartari regnum vastabant, penitus desolata jacere, bonis eorum partim per Ecclesiasticos, partim per aliorum Ordinum Religiosos, partim per Seculares iniquissime occupatis et detentis.[3]) Parem nonnullorum Bonorum et Jurium suorum jacturam etiam Monasterium S. Martini, non obstante Abbatum ejus vigilantia passum fuisse et supra vidimus, et inde quoque patet, quod Vilhelmus privilegium exemptionis Abbatiae, Conventus, et Populorum eo pertinentium a Judicatu, et Jurisdictione quorumlibet Judicum regni, per Willermum Drugeth Palatinum fecerit confirmari;[4]) et Breve ab Innocentio Papa VI. anno 1533 ad Archiepiscopum Strigoniensem, et Episcopum Nitriensem obtinuerit, quo his imponitur, ut ea, quae de bonis Monasterii illicite alienata et distracta invenerint, ad Jus et proprietatem ejusdem Monasterii etiam per Censuram ecclesiasticam reapplicent." [5])

Sed et Comitatum Simeghiensem „contumacia, et inobedientia obstinatum" Decimas solvere recusavisse constat. Quapropter Vilhelmus Abbas particulam Legendae S. Stephani ex Chartuitio

---

[1]) Caps. 23. T. — [2]) Caps. 45. D. — [3]) Caps. 31. J. — [4]) Caps. 47. H. — [5]) Caps. 45. M. —

desumtae de his decimis sonantem, velut authenticam, et per sanctissimos romanos Pontifices approbatam, per Capitulum Strigoniense transsumi procuravit: vi cuius adeo stricte omnium rerum decimae exigebantur, „ut si cui X liberos esse contingeret, decimam prolem S. Martini Coenobio daret.“ Juvat mirari, ad evincendum ius decimarum particulam Legendae prae diplomate S. Stephani arreptam esse; nisi forte ratio eius temporis, nobis ignota, mirabilem hunc Abbatis, cetera teste Joanne Papa XXII. summe circumspecti passum iustificet. Nam Vilhelmum Decimae prolium inhiavisse, et cum pro hac obtinenda in diplomate Stephaneo nullum praesidium reperisset, ad Legendam recurrisse, mihi non persvadeo.[1])

Hoc Abbate plura Capitula generalia fuere celebrata, quorum uni, anno 1342 in Coenobio Visegradiensi praesedit, et insigni cum laude ibidem memoratur.[2]) Prius isto, anno quippe 1337, celebrabatur, ad quod iussu Benedicti XII. Papae literae emanarunt, quibus 120 floreni auri titulo ignoto romanae Curiae debiti a toto Capitulo partitione proportionali praevia exigebantur, Abbati S. Michaëlis de Batha fine ulterioris promotionis consignandi.[3]) Item illud anni 1346, cui itidem in Visegrad celebrato Vilhelmus interfuit quidem, sed Definitoris munere non fungebatur.[4]) Erant vero Definitores tempore Capituli generalis electi Superiores, penes quos praecipua erat totius Capituli summa, et potestas, sive ad electiones Abbatum et aliorum, sive ad statuenda et definienda, quaecunque monasticam spectarent disciplinam. A munere visitandi Monasteria etiam Visitatores dicebantur.

Non deerat, qui hunc Vilhelmum post 21 annorum regimen ad Episcopatum Quinqueecclesiensem translatum fuisse crediderit. Ast falso. Vilhelmus enim Quinqueecclesiarum Antistes, antea Praepositus Erlacensis, Comes Capellae regiae, Cancellariusque erat Ludovici Regis, quorum nihil nostro convenit. Quodque summum est: Vilhelmus noster testibus literis Palatini Nicolai V. de Siklós, anno 1355 „vocante Deo coeli ab hac luce decessit;“ contra Vilhelmus alter Episcopatum anno 1360 acquisivit.[5])

24. Siffridus. (1355-1365.)

Antequam ad regimen Monasterii S. Martini, „totius sui Ordinis annuentia et benevolentia“ eligeretur, Abbatiam S. Benedicti de iuxta Grón tenuit; quo tempore ob singularem agendi dexteritatem in sensu supra memorati Decreti pontificii Procurator ad restituenda, et restabilienda monasteria desolata capitulariter electus, usque annum 1346 quinque Monasteria, utpote: Clusvár, Bolcs, Grab, Byssere, et Monyorod ad statum optatum perduxit. Qua occasione Avenione apud Clementem VI. Summum Pontificem constitutus, viarum discriminibus, Baronum et Potentum livoribus expositus, et sollicitudinibus pene oppressus, notabiles expensas 400 fl. auri sustinuit, quas sibi in Generali Capitulo anni 1346 ad Visegrad celebrato rependi postulavit. Aequo petito delatum est; non tamen ad mentem Clementis VI., ut omnia Hungariae monasteria concurrerent: sed iis tantum est iniuncta solutio, in quae laborum Siffridi fructus promanavit.[6])

Eiusdem opera Pontifex Clemens VI. anno 1348 in dispari negotio usus est. Quum enim Scepusiensis provinciae quaedam partes antea silvis obsitae, ac populis destitutae, Caroli et Ludovici

[1]) Caps. 34. U. — [2]) Schmitth: Ep. Agr. I. 281. — [3]) Caps. 59. X. — [4]) Caps. 26. S. — [5]) Koller: Ep. V. Eccl. ad hunc annum. — [6]) Caps. 26. S. — Idem Abbas de Goron per Ludovicum I. Regem violentae mortis Andreae Fratris Nuntius ad Eduardum III. Regem Angliae missus, legatione hac cum summa sui nominis commendatione perfunctus est. — Fejér: Cod. dipl. IX. 1. 366. —

Regum cura habitatoribus refertae comperirentur; licet ibi Collegiata Ecclesia ad S. Martinum exstiterit, cuius Praepositus ex approbata consvetudine Plebanos et Rectores Ecclesiarum instituebat et destituebat, Ecclesias visitabat, et corrigebat; tamen ob magnam ab Ecclesia Cathedrali distantiam, populi eiates in iis, ad quae peragenda episcopalis Ordo requiritur, magna dispendia paterentur: Ludovicus Rex, et Regina e multiplicatis Praelatis, et Praesulibus fidem catholicam augeri rati, Pontificem permovere conabantur, ut Ecclesiam illam Collegiatam in Cathedralem converteret, villam Scepusiensem titulo Civitatis insigniret, additaque provincia Liptoviensi unam Dioecesim efformaret, huiusque Episcopo decimas, et alios fructus, proventus et obventiones ad congruam sustentationem assignaret.

Cum autem Pontifex nullam adiunctorum negotii huius notitiam habuerit, Nicolao Quinqueecclesiensi Episcopo, antea Capellano Pontificio, Siffrido huic, sed eotum Abbati de Grón, et Danieli Abbati S. Andreae de Visegrád caussae huius discussionem commisit. Qui, Nicolao longi itineris molestias exhorrescente, 16-a Decembris ad S. Martinum in Scepusio comparentes, Abbates Monasteriorum de villa Compositi Cisterciensis, et de Lapide Refugii de Dojenecs Ordinis Carthusianorum, item Plebanos Ecclesiarum de Quintoforo (Donnersmark), de villa casei (Käsmark), de villa canis (Hunsdorf), de villa svevi (Deutschdorf) fine peragendae inquisitionis evocarunt. De cuius effectu quidem nihil constat: at probabile est, hos ita Pontificem informavisse, ut Regis optimae voluntati satisfieri nequiverit.[1])

Ad regimen Abbatiae S. Martini evocatus, et per Innocentium VI. solutis titulo censuum romanae Camerae 276 florenis auri confirmatus, pari vigilantia ac dexteritate huius quoque negotia procuravit. Sic anno 1358, dum Nobilis Domina Clara, filia Stephani Kathl, terram quamdam Hosszutelek penes Bársonyos sitam suam facere vellet: Siffridus firmissime se opposuit, et ad exigentiam Judicii ipse vestitus cum duobus Nobilibus, resolutis cingulis, et discalceatis pedibus terram super capita levando, pro more illius aevi, in facie loci iuravit, terram controversam a memoria hominum ad Ecclesiam S. Martini pertinuisse. Unde Rex Ludovicus eam illi (Capellanum suum nominat) in perpetuum adiudicavit. Simili iuramento controversiam in terra Füss circa Nogmező (Nagymező) et alias aeque in favorem Ecclesiae suae terminavit Vice una, simili occasione, pontificalibus indutus, in suo Stallo iuravit. Terras Ság, Nyulas, Kis-Ravazd, uti et tributum de Csötörtökhely ac metarum stabilitatem circa Sz. Lörincz, Ravazd, Semiensuka, Chichol (Csicsó) et Füss sententia iudiciali acquisivit. Jus montanum in vineis de Alsok, telonii, et Danubii Posoniensis proventus transactione firmavit. Circa Hasság, Sikátor, Fizegtő protestatione suis locis interposita Jus iniquorum Possessorum debilitavit.[2])

Denique Decretum a Ludovico rege est consequutus, quo abalienationes, permutationes, et obligationes quaevis Monasterio S. Martini damnosae per Praedecessores Abbates citra consensum Regis, utpote Patroni factae, irritae fuerunt declaratae. Atque hoc solo, si cetera deessent, meritus est marmor memoriale in dextra Ecclesiae ala muro verticaliter adfixum, speciem Abbatis stantis exhibens cum hac modesta Epigraphe: „Anno 1365 V. Idus Martii Sigfridum Abbatem coetus fratrum tumulavit, istud qui claustrum laudabiliter repavit.“ (Legendum fors: reparavit). — Quantum apud Sedem apo-

[1]) Koller: Op. cit. III. 43. — [2]) Caps. 32. R. et alibi. —

stoicam valuerit, vel in le patet: quod Albensi Praeposito cum suis Canonicis Dioecesanam Synodum Strigoniensem anno 1359 per Nicolaum de Monoszlo Archiepiscopum convocatam praetextu Exemptionis adire recusante, litis cognitio per apostolicum Rescriptum Siffridio huic fuerat commissa: qui discussis Praepositi privilegiis pro Archiepiscopo sententiam dixit.

25. Ladislaus II. (1365-1372.)

Ab obitu Siffridi ex Abbate SS. Salvatoris de Szekszardia S. Martini Abbas per Conventum canonice electus, quo vicinos adversarios bonis Abbatiae inhiantes, eaque potissimum vacante sede impetentes praesentia sua deterreret, ad S. Martinum quidem illico properavit: sed Bonorum temporalium administratione abstinuit, donec Electio per Sedem apostolicam fuisset confirmata: id, quod in forma Protestationis coram Capitulo Jaurinensi fassus est.[4]) Serius a Ludovico Rege pro Possessione Almas per hunc impopulata censum annuum, et decimas obtinuit, donec per idoneam commutationem (Cambium) Ecclesiae S. Martini satisfieret[5]). Id novum, quod se non Dei et apostolicae Sedis gratia, uti Praedecessores, sed permissione divina, et Capituli Ordinis gratia Abbatem dicat.

Anno 1366 in Capitulo Generali in Monasterio S. Georgii M. de Monyeroud Dioecesis Vaciensis (Monyoród) praesedit, in quo Conradus Abbas de Grab ob scandalosam vitam, et rerum Ecclesiae dissipationem amotus, et ad custodiam Abbatiae Pecs-Varadiensis abductus fuit[6]). Eiusdem aevo anno 1370 Urbanus V. in Monasterio Cassinensi, exauctorato Decano, Priorem substituit: cum tamen in S. Martino iam anno 1218 Prioris dignitas occurrat, et quidem ea Praepositorum potior[7]) et Rescripta Pontificum Seculi XIII. semper fere pro Decanis Priores memorent, praesertim dum de Monasteriis agunt, quibus Abbates non praefuerunt, uti erat illud B. M. V. de Stohla in Scepusio. Ceterum in S. Martino serius iterum visuntur Decani, quorum ultimus erat Thomas anno 1278.[8]) cuius Archivum Monasterii huius meminit.

Ladislaum hunc percelebri tunc Gente Nobilium le Czular fuisse oriundum, docet marmor verticale penes portam speciosam Ecclesiae ei, quod Siffridum exhibet, oppositum, cum epigraphe: „Anno Domini 1372 in die S. Martini obiit Abbas Ladislaus dictus Czular.“[9]) Modestum hoc quidem: marmor tamen! qui honor magno Uriae non contigit! — De hac Epigraphe sermo adhuc infra recurret.

26. Dominicus. (1372-1377.)

De huius electione nihil constat. Abbatem fuisse, et Ladislao III. successisse, docent literae adiudicatoriae Jacobi de Scepus Judicis Curiae regiae anni 1378.[8]) Ob non depensos Sedi apostolicae dimidios proventus a Collectoribus romanis excommunicatus est, affixa valvis Castri S. Martini in Festo S. Benedicti sententia, Notario, qui affigebat, subito evanescente[9]). Unde patet, Annatarum depensionem in dimidio proventuum anni primi defixam Bonifacio IX., cui per quosdam attribuitur, antiquiorem esse. —

Uladislaus Gubernator. (1377-1379.)

Uladislaus Albus Dux, filius Casimiri, pronepos alterius Casimiri Cujaviae

[illegible] Caps. 58. E. — [5] Caps. 2. N. — [6] Caps. 23. A. — [7] Caps. 30. C. — [illegible] 1367 nullius Ladislai meminit; quia hunc erronee iam ad annum [illegible] Caps. 35. Dd. — [9] Caps. 64. Tr.

Ducis, qui erat filius Conradi, fratris Lestkonis Poloniae Monarchae — Ludovici Regis Hungariae, utpote Elisabetha Casimiri Poloniae Regis sorore nati consangvineus erat: quem iste propterea in publicis documentis fratrem suum appellat. Is ab obitu sterilis uxoris suae, dimissis, et Casimiro Regi traditis Principatibus, qui ad eum plures morte cognatorum fuerant devoluti, acceptisque a Casimiro rege mille florenis ad terram sanctam, animo nunquam in Poloniam redeundi, peregrinaturus, Venetiis transfretavit. Inde sepulcro Domini visitato reversus Avenionem abiit, Cisterciensemque Ordinem in Dioecesi Cabilonensi ingressus et Religionem professus quidem, at vix evolutis quinque mensibus ob nimiam vitae asperitatem Monasterio huic cum sui Abbatis licentia valedicens, Divionem ad Monasterium S. Benigni Ordinis S. Benedicti se contulit, ubi citra solennem votorum iterationem usque annum 1375 quietus mansit.

At ubi, sero licet, comperisset, Casimirum II. Poloniae regem sine masculo herede obiisse, et Polonos regimen muliebre detestari: per seditiosos magnae Poloniae Nobiles ad arripiendum sceptrum invitatus, licet a Gregorio XI. dispensationem a votis solennibus, quam exemplo Casimiri olim ex Cluniaco ad thronum Poloniae cum facultate ineundi matrimonii dimissi, sollicitaverat, minime obtinuerit; Poloniam ingressus plura Castra eadem celeritate cepit, et amisit; et mox per Sandivogium de Szubino, maioris Poloniae Capitaneum in patente campo fusus, et auxiliarium copiarum ex Hungaria propinquantium metu perculsus, editis plurimis eximiae virtutis militaris speciminibus arcem Zlotorja, in qua undique clausus tenebatur, secum victori tradidit.

Inde ad Ludovicum Hungariae regem, proprio voto, deductus, acceptis ab hoc 10,000 florenorum, et serius paullo, ab obitu Dominici, Abbatiae S. Martini gubernatione et proventibus, Regno Poloniae renuntiavit. Ceterum sive pro connata animi levitate, seu quod a Ludovico mortem sibi vana persvasione crediderit intentari, deserto S. Martino et Hungaria Divionem rediit, „conducibilius ratus (verba sunt Dlugossii) post tam amaras salsedines, quas in patria pertulerat, extra natale solum aevum residuum traducere, et facinora enormia, caedes, et homicidia, quibus se in Polonia inquinaverat, salubri poenitentia diluere.“ Secus tamen evenit.

Redux enim Divionem, anno 1381 6ª Julii per Antipapam Clementem VII. evocatus Avenionem est, „ubi ejus personalis praesentia pro nonnullis hujus Clementis, et Romanae Ecclesiae negotiis plurimum esset opportuna:“ quo igitur se iuxta tenores literarum Antipapae transferre obligabatur, etiamsi eius Abbas, aut quiscunque alter Superior ei licentiam abeundi denegandam esse censeret. Quae fuerint haec negotia, facile coniiciet, qui animum ad eius temporis adiuncta reflexerit. Scilicet Ludovicus non hunc Clementem, sicut Galli, verum Urbanum VI., utpote prae illo electum, legitimum Pontificem agnovit, et pro sua auctoritate, qua Rex Poloniae effecit, ut in regno Poloniae idem Urbanus VI. legitimus Pontifex censeretur. Quapropter huius adversarius Clemens, partim ut Regi aegre faceret, partim spe Poloniae ad suas partes pertrahendae, auctor fuit Uladislao nostro, ut tamquam masculus regiae stirpis polonicae surculus, et legitimus regni Poloniae heres ius suum armis adversus Ludovicum Hungariae et Poloniae regem, regnum hoc uxorio duntaxat titulo tenentem, persequatur; felicem successum inde ominatus, quod Polonis regimen muliebre displicere, et Ludovicum bello veneto distineri noverit. Unde 1ª Octobris eiusdem anni heroëm suum a votorum religiosorum obligatione olim in Monasterio Cisterciensi solenniter assumta, solenni bulla libera-

vit; ne Poloni ullum eius ad thronum evehendi obicem reperiant.

At in cassum cessere omnia. Ludovicus enim compertis malesanis Antipapae consiliis, quae tam cum Polonis, quam cum Neapolitanis cudebat, pacem cum Venetis celeriter ineundo, Uladislaum a repetenda Polonia penitus absterruit. Qui licet a votis liber, tamen aliquo tempore in Monasterio suo perseveravit: nam 1382 literas super portione cibi, quae tantum monachis Presbyteris competebat, sibi laico per Abbatem administrandis (pitantiam vocabant) sonantes per publicos Notarios transsumi fecit. Obiit tamen Argentinae anno 1388, sepultus Divione in monasterio, cui 2500 florenos pro duobus anniversariis annue pro se celebrandis legavit. Lapideae tumbae regis coronati effigie ornatae hoc epitaphium incisum fuit: „Hic jacet Vir illustris, et devotus Dominus Voladislaus, quondam Dux Albus Poloniae, monachus hujus Monasterii per plures annos exsistens, postmodum dispensatus per Papam pro successione Regni Poloniae. Obiit in Civitate Argentinae hic eligens sepeliri Anno MCCCXXCVIII. X. cal. Martii. Anima ejus requiescat in pace. Amen."

Ex bulla dispensationis, quae omnem Uladislai vitae cursum usque ad tempus, quo edita est, describit, discimus, hunc nunquam firmum propositum concepisse in aliquo regulari Ordine suae perfectioni vacandi; sed sacram professionem in Monasterio Cisterciensi tantum ob defectum convenientis statui suo sustentationis iuvenili impetu actum, et religiosae vitae inexpertum ideo elicuisse, quia Monasterii Abbas eum non aliter voluit suscipere, quam si stabilitatem iuraret: unde mox severitatem regulae perosus Claustrum deseruit. Discimus deinde, eundem vivente Casimiro II. Poloniae rege, per quem duobus Ducatibus dolose et inique privatus fuit, Poloniam, imo et Alemanniam deserere coactum fuisse metu mortis, quam ei Rex Casimirus mascula prole carens, et regnum filiabus suis asserere omnibus viribus adnisus intentaverit. Quod sicut creditu facile, ita nullam fidem meretur, Ludovicum regem ei, iam Gubernatori S. Martini necem paravisse, et eundem antea pro eo dispensationem a votis a Gregorio XI. postulavisse; quorum illud cum indole, istud cum prudentia Ludovici componi nequit. [1])

In omnibus Archivi S. Martini documentis Uladislaus iste cum titulo Gubernatoris tantum comparet, ipso Rege non aliter eum quam Gubernatorem et Fratrem suum compellante; claro indicio, eum non per Conventum legitime electum, sed regis apostolici potestate fuisse impositum. Fors ea de caussa Religiosorum animos a se alienos expertus, facilius ad mutandum domicilium impulsus est.[2]) Si Dux Albus vel tantillum sapuisset, nullam Principi magnanimo eius necandi caussam adesse facile perspexisset. — Quam somnolente vetus Abbatum S. Martini Catalogus fuerit compilatus, cetera inter id quoque docet, quod huic Uladislao locum sepulturae in Ecclesia S. Martini sub marmore, ei Abbatis Siffridi opposito assignet. Habuit res fidem usque annum 1836, quo epigraphe ab illita calce liberata non Uladislai, sed Ladislai de Cudar nomen incisum docuit. Ceterum vel annus 1372 in capite marmoris clare conspicuus satis clamabat, Uladislaum ibi iacere non posse; quem documenta huiatis Archivi anno 1378 Gubernatorem fuisse demonstrant.

27. Paulus I. (1379-1381.)

Huius Abbatis nulla alia in Archivo S. Martini mentio adest, quam in

[1]) Gallia christiana: IV. 690. — [2]) Caps. 41. S. — 35. Dd.

Literis Pontificis Urbani VI., successorem eius confirmantis, et sic nomen eius Abbatis, cui successit, pro more adferentis. Triennio non integro praeerat, fors peste exstinctus, quae hoc tempore Hungariam vastavit.[1])

28. Stephanus. (1381-1398.)

Urbanus VI. Papa, ignota de caussa, Paulo adhuc inter vivos agente, vacaturae Sedis abbatialis provisionem suae ordinationi et dispositioni „ea vice specialiter reservavit; decernendo ex tunc irritum et inane, si secus quacunque auctoritate, scienter vel ignoranter contingeret attentari.“ Interim Paulo Abbate defuncto, „Conventus Reservationis hujus forte ignarus“ Stephanum Abbatem, Monasterii S. Martini Monachum expresse professum, ac in Sacerdotio constitutum concordi voluntate elegit, et iste in sui electionem consensit. Postea vero de Reservatione pontificia edoctus, negotium electionis in Consistorio coram Pontifice proponi fecit. Quamvis autem electio haec ob praeviam reservationem inanis fuerit et nulla: post longam tamen deliberationem Stephanus praeclaris eius dotibus et concordibus eligentium votis attenta meditatione pensatis, dignus inventus est, qui monasterio praeficeretur. Sicque is, non Conventuali electione, licet canonica, verum provisione pontificia Abbatiam obtinuit. Haec totidem fere verbis refert idem Pontifex in literis ad Regem Ludovicum anno 1381 datis, quibus ei suum electum impensius commendat.[2])

Initio regiminis Monasterii bullam ab eodem Pontifice obtinuit, qua Strigoniensi Archiepiscopo (Demetrius erat), Jaurinensi et Vaciensi Episcopis auctoritate ad quinquennium concessa imponitur, ut bona et iura Abbatiae S. Martini a cuiuscunque status et ordinis hominibus erga requisitionem Abbatis summarie per ecclesiasticam censuram, eaque insufficiente adhibito etiam seculari brachio revindicent, et reapplicent, et eum contra quosvis turbatores defendant.[3]) Anno autem 1388 per eundem Pontificem Episcopo Jaurinensi iniungitur, ut bona Monasterii per eius Abbates et Conventum illicite qualitercunque alienata, non obstantibus quibuscunque eatenus confectis literis per ecclesiasticam censuram revindicet.[4]) Patet hinc, rapinas bonorum iam sub Ladislao Cumano coeptas nondum exolevisse.

Anno 1383, consentiente Conventu possessionem Füss cum adpertinentibus, pro fidelibus servitiis, septem Jobbagionibus suis de eadem Füss Ecclesiae S. Martini exercituantibus ad sexum masculinum contulit ea conditione, ut secundum suam conscientiam decimas solvant, et ad quemlibet exercitum cum una pharetra proficisci, vel tres Marcas praestare, ac Abbati illac transeunti debitum honorem exhibere teneantur, Judicatu eorum sibi in perpetuum reservato.[5]) Anno 1388 ad subsidium Urbano VI. per Sigismundum regem e bonis Cleri suppeditari permissum 40 aureos solvere obligabatur, nominatim taxatus inter Episcopos, non ut ceteri Abbates et Praepositi, qui per Episcopos, in quorum Dioecesi degebant, taxabantur.[6]) Idem anno 1385 in literis Mariae Reginae ut Praesidens totius Ordinis Benedictinorum comparet; quo in gradu facultatem tribuit Abbati de Tihan mediam possessionem Arács cambiandi.[7])

Hoc Abbate ea in Ordine S. Benedicti per Regnum Hungariae viguit disciplina, quam Sigismundus Rex anno 1393 tantopere dilaudat, uti supra inter favores Regum Hungariae pag. 37 et 38 legi pot-

---

[1]) Fejér: Cod. dipl. ad hunc annum. T. IX. Vol 5. p. 481. Ubi per Regem Ludovicum omnes regnicolarum caussae prorogandae decernuntur. — [2]) Caps. 68. Bb. — [3]) Caps. 35. U. — [4]) Caps. 39. P. — [5]) Caps. 37. D. — [6]) Katona: hist. crit. XI. 251. — [7]) Tihah: Fasc. 5. numero 4.

est. — Ultimo vitae suae anno Stephanus pro Fratribus cum horum consensu in perpetuum assignavit Tributum Posoniense, Simighense, et de Fok, Molendinum de Tata, nonam et decimam vinorum de Ravazd, et Told; tributum de terra Alsok (Szentmártony)[1]). In hoc documento Stephanus se exemplo Nicolai, et Villermi Abbatum Dei et apostolicae Sedis gratia Abbatem Monasterii S. Martini de S. Monte Pannoniae nigri Ordinis S. Benedicti Jaurinensis Dioecesis appellat: aitque, monachos in hoc monasterio iuxta authentica scripta non minore, quam XL Individuorum numero debere persistere. Innuit deinde, Abbates eo tempore congruam familiam habuisse. Cum vero Abbas et Conventus Abbatibus Ordini Benedictino in Hungaria praesidentibus supplicent, ut eos et eorum successores contra quoslibet huius loci Abbates, qui forsan in posterum praemissa conarentur irritare, defendant, et illibate conservent, patet: Abbates S. Martini hoc tempore nondum fuisse Praesidentes perpetuos, sed tantum pro tempore, uti Stephanus iste anno 1385, electos. Deinde memorata tributa nobiles tunc proventus fundere oportuisse liquet, utpote quae sustentationi Fratrum XL, paucioribus quidem quam praesens usus noster ferat, contentorum suffecerint. Suffecisse autem oportebat, secus Conventus tantopere non studuisset in eorum possessione, et privativa administratione conservari.

Denique postquam adversus Episcopum Vesprimiensem, qui decimas Simighienses contra decisionem Innocentii III. per suum Clerum et seculares suos clientes inique invaserat, in Capitulo Vesprimiensi fuisset protestatus,[2]) anno 1398 obiit. Eius tempore Quinqueecclesiis exstitit Collegiatum Capitulum ad S. Joannem Baptistam[3]). Jaurini vero Ecclesia parochialis ad S. Stephanum Protomartyrem, qui hodieque Patronus eius urbis est, et scutum eiusdem ornat. Ista ab Ecclesia parochiali cathedrali distincta fuit. Item ibidem Altariae: S. Crucis, S. Spiritus, S. Petri, S. Briccii, S. Colomanni, S. Dorotheae[4]).

29. Dosa de Marchal. (1399-1407.)

Ordinis Fratrum Minorum professus, Sigismundi Regis Hungariae Capellanus, reservationis pontificiae iure per Bonifacium Papam IX. in obversum privilegii Sigismundi regis ante annos 6 concessi, mortuo Stephano suffectus est. Quamobrem Conventus S. Martini ius suum hoc privilegio acquisitum demonstrans effecit, ut Dosa (Waddingo R o s a), si Abbatiam S. Martini cuperet conservare, medio dispensationis papalis vestem Ordinis assumeret, et Regulam S. Benedicti profiteretur; quod et fecit. Saepe tamen Gubernatoris nomine insignitur, eo quod per Pontificem ut Administrator Abbatiae in spiritualibus et temporalibus usque beneplacitum Sedis apostolicae illa conditione suffectus fuerit, ut bona Monasterii immobilia, et pretiosa mobilia nequeat alienare; Cultum divinum et Religiosorum ac ministrorum numerum conservare teneatur, residuosque a sustentatione Monasterii et Conventus fructus durante Sedis apostolicae beneplacito libere et licite disponere, et ordinare possit; sicut veri Abbates eiusdem Monasterii, qui pro tempore erant, de illis disponere et ordinare poterant[5]).

Ceterum ex hoc Pontificis actu minime sequitur, Conventum S. Martini ius eligendi Abbatis secundum Regulam

---

[1]) Caps. 31. A. — [2]) Caps. 31. T. — [3]) Caps. 33. U. — [4]) Caps. 34. F. — 5. Oo. — 25. L. — [5]) Wadding ad hunc annum. — Caps. 19. P. — 45. G.

quam profitebatur, et e diplomate S. Stephani sibi competens amisisse: quod per reservationes Pontificum suspensum duntaxat fuisse censendum est. Nam decreta Reservationem ferentia nunquam negabant, ulli Conventui ius electionis competere, nec istud ius abrogabant, sed una tantum vice (phrasis constans: hac duntaxat vice) Monasteriis de utili et idonea persona de plenitudine potestatis suae providere conabantur. Fatendum tamen est, solenne illud: hac duntaxat vice saepe fuisse repetitum; et fere tamdiu, donec Monasterio per tales utiles, et idoneas personas exsucto et ad incitas redacto suapte cessare debuit.

Acta novem annorum, quibus praefuit Dosa, maioris momenti ad nos nulla pervenerunt; docent tamen chartae, conservandis Monasterii iuribus diligentem eum operam navavisse. Idem Decretum Sigismundi Regis, Hungariam in defectu masculi heredis Alberto Austriaco genero suo transscribentis, Posonii in Comitiis cum CXI aliis, quos inter X Praelati, et XX Barones Regni, e Benedictinis Abbatibus solus subscripsit.[1]) Anno 1405 in Decreto Sigismundi Regis III-° qua Electus Csanadiensis comparet. Eius aevo anno 1400 Bonifacius IX. in Bulla ad Joannem Archiepiscopum Strigoniensem data, Abbatias et alias quasvis Ecclesias Archiepiscopo extra huius Dioecesim subiectas enumerat, quas inter nulla S. Martini de S. Monte Pannoniae occurrit mentio. Idem eodem fere tenore praestat Pius II. anno 1464.[2])

Joannes Gubernator. (1407-1422.)

Joannes Dux Opuliae, Wladislaviensis Episcopus, et Sigismundi Regis cognatus anno 1403 a Bonifacio IX. Summo Pontifice Abbatiam SS. Salvatoris de Szexárd, Reservatione affectam in Commendam acquisivit, „ut expensas, quas tam propter varias translationes Personae ejus ad diversas Ecclesias per Sedem apostolicam factas, quam etiam pro manutenendis juribus Ecclesiarum ejus regimini commissarum fecerat, reciperet"[3]). Simili de caussa, Dosa S. Martinum deserente anno 1407 Abbatiam S. Martini obtinuit; eo quod „Romani Pontificis providentia circumspecta Ecclesiis, et Monasteriis, quae vacationis incommoda deplorare noscuntur, ut Gubernatorum utilium fulciantur praesidio, prospicit diligenter; ac Ecclesiarum Praelatis, praesertim pontificali dignitate praeditis, ut expensarum onera, quae ipsos oportet jugiter de necessitate subire, facilius supportare valeant, ut est decens et congruum, libenter de subventionis auxilio providet opportuno." Ita Bonifacius IX. in suo Brevi ad Joannem.

Non obstante igitur Sigismundi regis privilegio, quo a dignitate abbatiali apud Nigros exteri arcentur, intra 10 annos iam alter exterus, hanc Abbatiam obtinuit. Istius tamen Stemmati, et alto gradui ecclesiastico plus detulit Conventus, quam illi Minoritae. Vestem enim Ordinis sumere non coëgit; idque prudenter, nisi litus arare voluisset. Ceterum Joannes eo nomine sibi Conventum conciliavit, quod cuiusvis generis iura Loci huius strenue et efficaciter defenderit. Ita comperto Abbates Benedictinos ante plures annos Abbati Stephano, nempe tunc Praesidenti, paruisse; Abbates de Tata, et Koppanmonostor debitam, ut putabat, ei obedientiam detrectantes, post diuturnam litem, coram Brande, Placentino Episcopo, Referendario Pontificis et Nuntio apostolico, atque generali Reformatore Budae ad agnoscendam titulo Commendae S. Martini flexis genibus obedientiam et sub-

[1]) Kovachich: Supplem. ad vest. Comit. II. 295. — [2]) Péterffy: Conc. Hung. II. 288. et sequ. — [3]) Caps. 45. G.

missionem compulit; ea tamen conditione, ut eorum defensionem adversus quosvis hostes susciperet.[1]) Justius illud, dum occasione litis circa decimas in Possessionibus et Praediis: Ölbő, Péterd, Asszonyfalva, Ecs, Nyul, Ravazd et Csanak per Episcopum Jaurinensem praetensas, privilegio Exemptionis, verius Immunitatis suae fretus, nec ad iudicium Archiepiscopi Strigoniensis comparuit, nec sententiae illius paruit.[2])

Idem firmandis Abbatiae iuribus Bullam Urbani V. de anno 1370, qua Mons Cassinensis, et per eum ille Pannoniae ab omni mortalium iugo liber, soli Sedi apostolicae subiectus declaratur, medio Joannis Hungari, Monachi et Provisoris Cassinensis: domi vero privilegium S. Stephani Regis per Sigismundum Regem transsumi fecit.[3]) Demum a Joanne XXIII. Papa similem illi, quam supra pag. 93 retulimus, Bullam obtinuit, quae defensores bonorum et Jurium S. Martini Episcopos Vesprimiensem et Vaciensem, cum Abbate S. Crucis in Austria assignat.[4])

Hoc Gubernatore anno 1417, quidam Nicolaus tributum de Possessione sua Szeli (penes Deáki) S. Martino donavit. Sequente autem anno Augmerius, Castri S. Martini Capitaneus Colonos ad impopulandum praedium Szőlős penes Bársonyos, cuius medietatem Templarii tenebant olim, promissa XX annorum immunitate provocabat, nulla in provocatione seu Abbatis aut Gubernatoris, seu Conventus iniecta mentione. Undè deduci posse videtur, iam hoc tempore nonnulla bona Monasterii Castro S. Martini tradita fuisse ita, ut omnis eorum Administratio soli Capitaneo incubuerit; quam sortem serius, Turca regnum pervagante, omnia fere Loci huius bona experta fuisse infra patebit.[5])

30. Nicolaus III. (1422-1436.)

Nicolaus Venceslai de Dombó concordi Conventus voluntate anno 1422 Abbas electus per Martinum V. Summum Pontificem eodem prosus stilo, quo supra Stephanus, consideratione meritorum eius et virtutum, concordisque eligentium voluntatis respectu, quamvis ipsa electio ob Reservationem irrita et nulla fuerit declarata, Monasterio S. Martini praefectus est anno 1424: transmissa etiam Jurisiurandi formula, quod occasione benedictionis haberet nuncupandum.[6]) Prius tamen, quam per Pontificem fuisset nominatus, regimen Monasterii adiit, nam anno 1422 eum Possessionis Varsány incolis nonnullas immunitates tribuisse constat.[7])

Lite, quam ob decimas Sümeghienses cum Vesprimiensi Episcopo habuit, feliciter terminata, cambium in Csécsény,[8]) tertiam partem tributi Posoniensis, et Praedium Apathi in Comitatu Zaladiensi, uti et Possessionem Patvarics recuperavit, huius tamen proprietas Monasterio non fuit diuturna.[9]) — Eius aetate reditus Abbatiae huius dimidium proventuum Episcopatus Jaurinensis, aut Vesprimiensis aequare censebantur; eo quod illi singuli L, Abbas vero S. Martini XXV lanceatos ad defensionem areis Posoniensis intertenere posse videbatur.[10])

Ladislaus Gubernator. (1436-1446.)

Ladislaus de Hedervára, Laurentii aeque de Hedervára, Regni Palatini filius decennium in regimine Abbatiae exegit, quin ullum vel nominis sui vestigium in eius Archivo reliquerit. Anno 1446 per Joannem Hunyadi, Regni Gubernatorem Episcopus Agriensis nominatus fuit.[11]) Obiit anno 1467.[12])

---

[1]) Caps 26. W. — [2]) Caps. 7. L. — 38. Z. — [3]) Caps. 26. Hh. — [4]) Caps. 35. T. — [5]) Caps. 6. P. — [6]) Caps. 45. C. — [7]) Caps. 63. D. — [8]) Caps. 4. O. — [9]) Caps. 5. Kk. — 33. F. rc. — [10]) Kovachich: Supplem. ad Vest. Comit. II. 374. — [11]) Fessler: Gesch. d. Ungarn. IV. 1085. — [12]) Schmitth: Episc. Agr. —

Thomas Gubernator. (1446-1460.)

Thomas de Debrenthe, postquam de episcopatu Zagrabiensi cum Demetrio Csupor diu frustra decertavisset, agente Pio II. Pontifice, Episcopus Nitriensis creatus, Abbatiam S. Martini, et eam de Cicador a Rege in Commendam, connivente Pontifice, obtinuit.[1]) Gubernatoris munere functus iura Ecclesiae pro viribus tuebatur. Jus nundinarum Oppido Alsok anno 1453 obtinuit, quo nomine tunc Oppidum Szentmártony veniebat.[2]) Anno 1452 in Congressu Viennensi inter Praesules Hungariae memoratur, qui Ladislaum Posthumum a Friderico III. Imperatore impetrare conabantur. —

Abbates Ladislaum et Mathiam, quos vetus Catalogus sine ullo fundamento huic Thomae successisse docet, hic frustra quaesieris. Praeterquam enim, quod omnis historia, et Archicoenobii Archivum de utroque altum taceat: insuper Leo X. Pontifex in sua solenni Bulla ad S. Martinum anno 1514 data[3]) scribit, Monasterium S. Martini LXX annis Abbate caruisse.

Dominicus } Administratores.
Benedictus }

Ille celebris Praepositus S. Nicolai de Alba[4]) ab anno circ. 1460 usque 1477: iste laicus e familia Pyber, arcis Budensis Castellanus ab anno 1477 usque 1483, uterque titulo Administratoris usus, Bona suo et Conventus nomine gubernaverunt;[5]) Conventui vix X Religiosos numeranti Custos fere praefuit.

Thomas II. Gubernator. (circa 1492.)

Thomas Bakocz ab Erdeöd, primum Zagrabiensis episcopatus Tutor et Gubernator, mox Episcopus Jaurinensis, tum Agriensis, denique Archiepiscopus Strigoniensis,[6]) et Patriarcha Constantinopolitanus Abbatiam hanc gubernabat, nominatim anno 1492, quo vineam quamdam, quam Custos Ecclesiae S. Martini emptione obtinuit, ab huius obitu, Conventu consentiente, cuidam Nobili, nomine Dalos donavit. Huius tempore Mathias Custos anno 1494 coram Wladislao II. Rege constitutus, confirmationem privilegiorum super exemptione populorum et Jobbagionum huius Monasterii a Judicatu et Jurisdictione quorumlibet Judicum regni postulavit.[7])

Serie Gubernatorum, Administratorumque totius fere seculi spatio ita continuata, quo pede regularis disciplina praesertim Asceteriis ad inopiam redactis steterit, facile coniicias. Non fugit hoc acrem Regis Mathiae obtutum: qui proinde Religiosorum mores superiorum temporum incuria a vetere Patrum Instituto deflectere dolens, de eorum in Capite et Membris reformatione sollicitus, assistente sibi Angelo Episcopo cum plena potestate a Latere Legato, anno 1489 complura puncta ab omnibus Religiosis non mendicantibus observanda proposuit;[8]) quae inter illud quoque occurrit, ut Sigillum Conventus qua Loci credibilis sub duabus clavibus disparibus custodiatur, quarum una apud Abbatem, alia apud Fratrem in communi ad hoc electum maneat; item: Cum proventus aliquorum Monasteriorum adeo exiles sint, ut Fratribus iuxta morem Ordinis absque querela non possit provideri; Legatum interim tolerare, ut

---

[1]) Fessler: Op. cit. V. 633. — [2]) Caps. 31. C. — [3]) Caps. 34. Z. — [4]) Schematism. Albareg. 1842. pag. 24. — [5]) Caps. 6. V. — [6]) Pray: Specimen Hier. suis locis. — [7]) Caps. 47. M. — [8]) Caps. 68. I.

diebus Dominicis, ac tertia et quinta feria carnibus vescantur, usque ad ulteriores fructus provenerint; demum ut omnia et singula iuxta communem chartam fiant, pro locorum convenientia confectam. Quem effectum salutaris haec intentio regia nacta fuerit, patet ex vinea, per Custodem S. Martini proprio aere comparata et usque ad mortem retenta.

Fine Seculi huius XV. Abbatia S. Martini dimidium Banderium, id est CC Milites equites sistere obligabatur, Primas Regni quadruplum. Episcopi: Jaurinensis, Vesprimiensis, Vaciensis, Capitula: Strigoniense, Agriense, Magnovaradinense, Quinqueecclesiense, Abbas Pécsvaradiensis, et Prior de Leveld Carthusianus aeque CC praestabant.[1])

31. Matthaeus Abbas, mox Archi-Abbas. (1500-1534.)

Wladislaus II. Rex Hungariae, observato Monasteriis per provisionem pontificiam aeque, ac per impositos auctoritate regia Gubernatores, Tutores, aut Administratores, et quocunque nomine venientes exteros et alienigenas male consuli: numerum Religiosorum ob avaritiam Donatariorum minui: disciplinam et spiritum religionis negligi, aedes sacras desolari, cultum divinum minus curari, sicque principalem claustrorum finem minime obtineri: Abbatiam S. Martini „in Ecclesiis abbatialibus regni hujus primatum tenentem," quam e manibus suis emittendo, Ordini suo restituere, et reformare intenderat, Matthaeo Literato de Tholna, Cancellariae suae Notario, alias Dioecesis Quinqueecclesiensis Clerico in minoribus duntaxat Ordinibus constituto, anno 1500 circa finem mensis Februarii contulit ea lege, ut iuxta Statuum regni votum, Decreti anni 1498. Art. 58 expressum, vestem Ordinis assumat, Fratres eiusdem Ordinis de Observantia introducat, et cum eis per Dei gratiam faciat Statuta Ordinis observari, denique Ordinem S. Benedicti in Hungaria reformet.[2]) Quod ipse datis mox ad Matthaeum Electum S. Martini, et omnes alios regni Abbates literis regiis uberius explicuit; sicque Abbatem S. Martini omnium reliquorum Superiorem constituit, nondum tamen Archiabbatis titulo decoravit.[3])

Quo comperto residui in Conventu Fratres numero X Custode Gregorio, quum iure metuerent, ne Abbati contra legitimam Loci consvetudinem et sanctiones canonicas imposito sufficiens auctoritas desit, qua in onere reformationis maxima indigeret: advocatis duobus vicinis Abbatibus, Tatensi scilicet et Koppanmonostoriensi in festo S. Benedicti, electione publice in Capitulo habita, Matthaeum in verum suum legitimum Abbatem et Praelatum nulla prorsus simoniaca aut aliquali pravitate, vel favore secuto elegerunt: eumque de bona et gratiosa Maiestatis regiae voluntate et consensu Alexandro VI. Summo Pontifici confirmandum praesentarunt.[4])

Verum Pontifex Reservationis, qua Monasterium hoc inde a seculo et ultra affectum erat, bene memor, nulla sive electionis Fratrum, sive nominationis regiae iniecta mentione, Matthaeum nostrum more in Reservatis solito, in temporalibus et spiritualibus praefecit, 18° Septembris anno 1500. De hoc die septem diversae bullae in caussa Matthaei advenere: vi quarum post tres menses habitum Ordinis sumere, regulamque eius profiteri iubetur: ab omnibus censuris et poenis, quibus innodatus existeret, absolvitur: formula Juramenti occasione benedictionis nuncupandi communicatur: Conventui

[1]) Wladisl. Decr. III. art. 20. — [2]) Caps. 53. K. — [3]) Caps. 29. A. — [4]) Fasc. 64. 1. — Caps. 42. A.

obedientia, honor, et reverentia neoelecto exhibenda iniungitur; denique Wladislao Regi idem in tutelam et protectionem commendatur.[1])

Prius, quam hae bullae advenissent, Matthaeus a Rege „Ecclesiam S. Martini, ejusque Possessiones et Colonos non aggravare, sed potius omni sua gratia et favore prosequi et amplecti cupiente" mandatum ad Joannem Bornemisza, Thesaurarium regium obtinuit, ne sales regii venditionis caussa in Oppido S. Martini deponantur, eiusque Coloni ulla ratione turbentur, et aggraventur.[2]) Pro se vero propter debilem valetudinem a Vilhelmo de Heyeck Abbate Lucemburgensi in Dioecesi Trevirensi, Cluniacensis Ordinis in spiritualibus et temporalibus Reformatore, Visitatore, Correctore, atque Judice Generali a S. Sede apostolica delegato, et generaliter deputato, Romae degente facultatem obtinuit carnibus bipedum maxime, tribus diebus per hebdomadam extra Septuagesimam et Adventum vescendi; ac vulpinis pellibus de collo et dorso nocturno tempore pro subductura (tunc foderatura, a germanico Futter) ita utendi, ne promineant.[3]) Unde patet, Benedictinos Hungariae ordinarie bipedum quoque carnibus abstinuisse; et dispensationem Legati Angeli supra relatam ad Conventum S. Martini extensam non fuisse.

Perceptis Bullis iniunctum sibi reformandi totius Ordinis negotium toto animo complexus, ad Petrum Reginum tituli S. Cyriaci in Thermis Cardinalem, et Sedis apostolicae per Hungariam Legatum Budae agentem iis cum precibus recurrit, ut, postquam Monasterium S. Martini ad Sedem apostolicam nullo medio pertinens Abbate diutissime caruit, unde in Ordinem et Monasterium speciatim ob intermissa Capitula triennalia plurima damna redundaverunt, quae celerem reparationem deposcant, omnia privilegia tam per Summos Pontifices et horum Legatos, quam per Hungariae Reges, ac quosvis alios eidem concessa confirmare, et innovare velit: nominatim vero statuere, ut Abbates illi Monasterio subiecti, ad triennalia Capitula, etiam sub censuris ecclesiasticis per Abbatem S. Martini rebellibus et inobedientibus infligendis, comparere teneantur; eidemque, et successoribus eius iuxta Statuta Ordinis pareant, et obediant.[4])

Cum vero numerum Conventualium ad augendum divinum cultum augeri oporteret, iisdem literis facultatem petiit quorumcunque Ordinum etiam Eremitarum S. Pauli Fratres ad Ordinem suum recipiendi, omnesque sui Monasterii Fratres á quibusvis casibus, praeter eos Bullae Coenae Domini, et alios, pro quibus Sedes apostolica foret merito consulenda, toties, quoties opus fuerit, vel per se, vel per alios absolvendi; denique S. Ordines, quibus adhuc carebat, extra tempora a Jure statuta, tribus aut quatuor diebus Dominicis, aut festivis recipiendi. Pronus ad vota Legatus receptionem Fratrum ex aliis Ordinibus eo restrinxit, si in illis non vigeat arctior observantia regularis; in ceteris omnibus erga requisitionem Wladislai Regis adsensit.[5]) Obtenta hac ratione omnes Abbates totius regni ad Capitulum convocandi potestate, initium Archiabbatis honori et dignitati positum est, quod mox insigne Praesidentis perpetui munus confirmavit.

Itaque sacris Ordinibus initiatus eodem anno 1501 Capitulum Ordinis generale indixit ad S. Martinum, ex quo iuxta Ordinis consvetudinem exmissi Visitatores Stephanus Abbas de Zalavár, et Frater Petrus Praedicator vigore literarum Regis, et Legati apostolici, nec non Ordinis Capituli, singulos Abbates visita-

[1]) Caps. 44 P. 1—7 — [2]) Caps. 46. R. — [3]) Caps. 53. D. — [4]) Caps. 33. H. — [5]) Caps. 39. K.

bant, et de eorum vita, moribus, conversatione, ac reformatione examina instituebant. Contumaces et rebelles, aut statui suo inconvenienter viventes poenis temporalibus et spiritualibus afficiebant, potissimum Proprietarios, quos excommunicabant. Denique ab iis, qui ad Capitulum ex contumacia non comparuere, e mente Benedicti XII. et Honorii III. Pontificum duplum expensarum, quas in veniendo, commorando, et revertendo fecissent, si ad Capitulum venissent, severe sub poena excommunicationis exigebant.[1])

Auctoritati huius Capituli non parum momenti inde accessit, quod Petrus Cardinalis et Legatus apostolicus in literis, quibus negotium Reformationis sibi cetera inter a Summo Pontifice commissum esse declarat, cum ipse in sua persona huic negotio vacare non potuerit, Andream Episcopum Thermopilensem, Matthaeum nostrum, et Stephanum Abbatem de Zalavár cum plena potestate reformatum exmiserit, et quidem ad Monasteria et loca „Venerabili Monasterio S. Martini subjecta, Reformatione in capite et membris plurimum indigentia."[2]) Hac enim ratione Reformatores velut a Sede apostolica delegati spectabantur, quibus proinde refragari, nemo sibi esse integrum credebat.

Eodem anno Franciscus Bakocz, Thomae Archiepiscopi frater, Episcopus Jaurinensis Matthaeo in caussa Jurisdictionis spiritualis litem movit, et ea pendente in contemtum S. Sedis apostolicae, fideles abbatiales excommunicare praesumsit. Quapropter Matthaeus cum Conventu apud Marianum de Bartholinis de Perusio, Legati apostolici Generalem Auditorem, cui Legatus litem hanc circa immunitatem Abbatiae S. Martini ab Episcopi Jaurinensis Jurisdictione cognoscendam, et dirimendam commiserat, questus, literas ad Curatos Parochiarum de Teszér, Bánhida, Hantha, Kajár, Pápa, Szent Vid, Zámoly, et Vámos obtinuit, vi quarum auctoritate apostolica eisdem iniungitur, ut ad requisitionem Abbatis et Conventus Episcopum Jaurinensem, aut eius Vicarium seu Officialem, aut quosvis alios per Abbatem et Conventum nominandos personaliter adeundo inhibeant, ne ullus lite hac pendente quidpiam simile attentare, aut Populos et subditos ac familiares S. Martini excommunicari facere praesumat.[3])

Anno 1503 celebratam fuisse Synodum in S. Martino, docent literae testimoniales Blasii de Koppanmonostor, et Gregorii de Tata Abbatum super benevola fassione Sebastiani Parochi *) Possessionis Zárzó ad Jurisdictionem Monasterii S. Martini spiritualem pertinentis, qui anno 1504 recognovit, se propterea excommunicatum fuisse, quod Matthaeo Abbati ex instigatione Canonicorum Praeposituraе minoris ad S. Nicolaum de Alba ad Synodum priore anno non comparendo non paruerit: et contempta eius iurisdictione census Ecclesiae suae monasterio non praestiterit, Populumque suum ad denegandam vini decimam adduxerit.[4])

Quamvis Julius II. Pontifex in bulla ad Archiepiscopum Strigoniensem anno 1504 in favorem Matthaei data, hunc Abbatem Generalem declaraverit:[5]) tamen plerique Abbates ad Capitula triennalia in S. Martino circa festum S. Georgii celebranda comparere, eorumque Statutis morem gerere detrectabant. Quapropter Matthaeus coram Rege questus, anno 1505 Decretum obtinuit, vigore cuius confirmata Matthaei auctoritate id adiectum est, ut in exsecutione adversus poena dignos

[1]) Caps. 26. Q. — [2]) Caps. 23. D. — [3]) Caps. 47. O. — [4]) Caps. 21 V. — [5]) Caps. 40. D. — *) Hoc adhuc aevo curam animarum in separato Archiabbatiae territorio exercebant Presbyteri seculares, ut veri nominis Parochi, per Abbates S. Martini constituti, et i n v e s t i t i; qui proinde horum Synodos, in S. Martino celebrari solitas, adire tenebantur. His Benedictini primum Sec. XVII. e mente sui Restauratoris, Ferdinandi III. Imp. et Hung. Regis successere. —

„Thomas Cardinalis, Legatus apostolicus in persona, aut per suos Deputatos assistat.“ Serio deinde, et sub poena amissionis beneficii Capitulorum frequentatio singulis imposita, addita comminatione: si reformationem non admiserint, non tantum Ecclesias, quae apud alienas manus habentur, non recuperandas, sed eas etiam, quas iam Ordo teneret, alienandas, et iis, qui religiosam vitam ducere voluerint, conferendas esse.[1])

Eadem ferme repetit Rex in literis ad Bonaventuram Ordinis Praedicatorum, Abbatem tamen de Tapolcza datis, in cuius Monasterio Matthaeus multa reformanda repererit.[2]) Sed et Michaël Abbas de Beel in sua Eremo malebat solus, quam cum Fratribus vivere, nullosque ad habitum S. Ordinis admittebat. Itaque Rex, „cum Abbatia non propter personam Abbatis tantum, sed etiam propter Fratres, Deo laudes in ea jugiter persolventes fundata sit,“ eidem sub amissione beneficii imposuit, ut „adminus octo Fratres de Observantia habeat; quos si aliunde reperire non posset, ad S. Martinum proficiscatur, unde viros vita et moribus probatos recipiat.“ Matthaeo autem firmiter praecepit, ut „eatenus diligenter inquirat, et ad Regem deferat: ut si negligens adhuc in eo reperiretur, Monasterio alium Abbatem, cui cultus divinus magis cordi sit, praeficere possit.“[3])

Patet hinc, Matthaeum Indulto apostolico ratione recipiendorum ex aliis SS. Ordinibus Fratrum egregie usum fuisse, cum iam tertio, quam id acquisiverit anno, alia quoque Monasteria Religiosis providere potuerit. Cupiebat ille etiam ex Monasterio Cassinensi Fratres acquirere, et suos studiorum caussa ad Italiam mittere: verum ad suas idcirco dimissas preces responsum accepit a Congregationis Cassinensis Capitulo, eius Religiosos ad quodcunque Ordinis Monasterium receptum iri; at e suo gremio nullum se Religiosum in subsidium Pannoniorum exmittere posse, eo quod ad recens incorporata per Siciliam Monasteria multos transmitti oportuerit.[4])

Quo pertinacius Abbates infensi erant reformationi, tanto magis id a Gubernatoribus fuerat exspectandum; quorum plures, eosque potentes reperit Matthaeus, qui minus religiose vivebant, desolata monasteria restaurare, Fratres alere, habitum Ordinis deferre renuebant: quos ad frugem revocare non poterat, eo quod nec observantiam Ordinis curarent, nec Censuras pertimescerent. Quapropter iterum Regi supplicavit, ut „ad executionem salutaris propositi, cuius ipse par non esset, Archiepiscopum Strigoniensem Cardinalem Thomam in partem sollicitudinis praeficeret.“ Qui datis ad Thomam anno 1505 literis eum „requisivit,“ ut in his, et omnibus aliis negotiis Ordinem Benedictinum concernentibus, ubi fuerit requisitus, Abbati Matthaeo adiutorio esse, protervosque Abbates, qui obtemperare nollent, auctoritate regia et sua ordinaria beneficiis privare velit[5])

Idem fecit Pontifex Cardinalem Thomam hortatus, ut postquam eius (Thomae) svasu potissimum factum sit, ut Matthaeus reformationi incumberet, et laudabiliter eam coepisse dicatur; ei, ubi opus foret, adiumento et praesidio esse velit, ut arduum suum opus, sed salutare ad finem perducat. Hanc Regis, et Pontificis intentionem tam parvi fecit Thomas, ut non tantum Matthaeum adversus rebelles non iuverit: verum anno 1511 omnibus suae Jurisdictionis Abbatibus, qui in Regno potiores erant, aditum ad Capitulum Generale edito Decreto prohibuerit. Unde Matthaeus ab auctoritate regia contra Cardinalem nihil praesidii sperans, negotium ad Julium Papam II. detulit,

---

[1]) Caps. 23. X. — [2]) Caps. 23. E. — [3]) Caps. 17. R. — [4]) Caps. 53. I. — [5]) Caps. 33. S.

a quo Judices obtinuit, qui caussam summarie cognoscerent, et secundum ius et aequum dirimerent. Matthaeum triumphavisse oportuit; nam Abbates Archiepiscopo subiectos Capitula mox frequentavisse constat.

Inter haec rapinae Bonorum Monasteriis assignatorum, de quibus etiam Leges patriae uhius et prioris Seculi resonant, etiamnum perdurabant. Quamobrem Matthaeus Regiae Maiestati supplicavit, ut eum contra iniquos impetitores tueretur; a Pontifice autem literas impetravit, quibus anno 1506 Archiepiscopis, et Episcopis, horumque Vicariis imponitur, ut Abbatiam per nullum, cuiuscunque status et dignitatis hominem in suis iuribus et possessionibus turbari sinant; quos proinde auctoritate apostolica Conservatores et Judices constituit, qui per Abbatem requisiti summarie caussas cognoscant, reos etiam extra eorum Dioeceses positos, modo hi non ultra trium dierum iter distent, citare et iudicare possint, sententiamque per Censuras ecclesiasticas exsequi.[1]) Eodem anno Julius II. Pontifex Matthaeo ius omnes Abbates et Priores, Abbates non habentes, ad Capitulum convocandi confirmavit, et Jus Abbates Visitatores denominandi, quod antea Capituli fuit, novum tribuit; atque Abbatem S. Martini pro tempore exsistentem universorum Abbatum et Priorum, Abbatiarum et Prioratuum in Regno exsistentium Superiorem ex privilegiis Monasterii pronuntiavit.[2])

Arduum reformationis negotium prosecutus Matthaeus novos identidem obices nactus est, quos tamen Regis, et potissimum Pontificis praesidio fretus viriliter superabat. Sic dum plures Abbates metu reformationis subreptitias Exemtionis literas a S. Sede apostolica obtinuissent: Julius Papa ad preces Matthaei Archiepiscopo Strigoniensi, et Episcopis Jaurinensi, ac Quinqueecclesiarum anno 1509 iniunxit, ut de huiusmodi exemptionibus et literis cognoscant, et renitentes Abbates et Monachos Abbati S. Martini, eiusque Monasterio, velut supremo Capiti subiiciant.[3]) Idem Praeposito, Cantori, et Generali Vicario Colocensis Ecclesiae mandavit, ut de Abbatia B. V. M. de Joob, quam Conventus Paulinorum Varadinensis adversus regium Decretum tenebat, et reformationem impediebat, quod iustum fuerit, remota appellatione decernerent.[4]) Et iam prius Indulgentias impertitus est iis, qui septem altaria Ecclesiae S. Martini in Quadragesima visitaverint, et Psalmum Miserere ad singula devote oraverint.[5]) Ita Julius omni favorum genere Matthaeum in prosequendo Reformationis cursu studebat animare.

Circa hoc tempus Matthaeus medio Procuratorum suorum Blasii de Koppanmonostor, et alterius Blasii de Beel Abbatum Thomae, Episcopo Moldaviensi, Gubernatori Abbatiae Tihaniensis, quocum ei Reformationis caussa graves simultates intercesserant, ea conditione reconciliatus est, ut iste Abbatiae illius reditus ad vitae finem pro suo honore et episcopali dignitate convertat; Abbatiam non immutet, sed una cum Castro faciat Matthaeo, aut huius successori ab obitu suo resignari, exacto a Castellano suo Antonio de omnibus fideliter reddendis iuramento.[6]) Obtinuit nempe Matthaeus a Rege facultatem, Abbatiam Tihaniensem ab obitu Thomae huius alteri, cui bonum censeret, conferendi ea una vice, nisi eam eousque Rex alteri contulisset.[7])

Zelum Regis in restauranda disciplina monastica seculares quoque Ecclesiarum Patroni videntur imitati. Sic Joannes Zápolya ex Castro suo Trenchiniensi Abbatiam Petri et Pauli de Zerench, an-

[1]) Caps. 35. R. — [2]) Caps. 40. B. — [3]) Caps. 40. C. — [4]) Caps. 35. M. — [5]) Caps. 54. Ff. — [6]) Caps. 24. H. — [7]) Caps. 10. F.

no 1507, cuidam Petro de Zigzó iure patronatus sui contulit ea lege, ut in Abbatia probe, honeste, religiose, et sub observantia regularis disciplinae sui Ordinis vivere teneatur; bonaque et res Abbatiae nullomodo dissipare praesumat, secus Collationem ei hac in parte minime profuturam, et suffragaturam.[1])

Porro Wladislaus Rex observantiam regularem in Ordine Benedictino in dies firmari, et conatus Matthaei, non obstante paucorum renisu, non esse frustraneos expertus, anno 1510 ad instantiam Abbatum in Generali Capitulo in S. Martino congregatorum, et ad supplicationem Statuum et Ordinum regni universas gratias, libertates, et privilegia a Pontificibus et Regibus eidem Ordini concessa, nominatim de Abbatibus ex sui Ordinis Religiosis eligendis, et competentibus Patronis praesentandis; de Ordinis Reformatione, et abalienatarum Abbatiarum recuperatione olim acquisita, et per incuriam labefactata restituendo corroboravit: unaque Matthaeo praecepit, ut cum Cardinale Regino respectu Abbatiarum Szexardiensis et Pécsvaradiensis conveniat, eique usque dies vitae 2000 florenos annue pendat; a cuius demum obitu Abbatia utraque S. Ordini plene incorporetur.

Annuit praeterea, quod „ad stabiliendam et perpetuandam Religionem" idoneum censuit, ut unio de potioribus sex, aut octo Monasteriis, in quibus certus Fratrum numerus adsit, instar earum, quae in Italia, vel Alemannia vigebant, constituatur, Caputque huius unionis Abbatia, seu Abbas S. Martini S. Montis Pannoniae pro tempore constitutus „tamquam Primas omnium aliarum Ecclesiarum Abbatialium, prout et ante fuit, est, et perpetuo tanquam immediate Apostolicae Sedi subjectus, et privilegio Montis Cassinensis" munitus haberi debeat: „accedente ad id etiam auctoritate et gratia Sanctissimi Papae Julii," ad quem Rex eatenus literas dedit, et Oratoribus suis id efficiendum specialiter commisit.[2])

Et reapse in Capitulo anni 1512 in S. Martino celebrato, huiusmodi unio ex octo Monasteriis coaluit, scilicet: ex eo S. Martini S. M. Pannoniae, B. M. V. de Pécsvárad, S. Salvatoris de Szekszárd, S. Michaëlis Archangeli de Batha, S. Aegidii de Simighio, S. Adriani de Zalavár, S. Benedicti de iuxta Grón, S. Mauritii de Beel ad ius patronatus regii pertinentibus. Confoederati hi Abbates solemni Instrumento fatentur, ea de caussa se ad hanc unionem accessisse, et in eam coaluisse, „ut Monasteriis praerecensitis ruinae et desolationi ereptis, gratia Dei opitulante non sine gravibus laboribus et expensis ab undecim annis incessanter laborando, favore etiam regiae Maiestatis et omnium Regni Principum accedente, e manibus alienis reobtentis, et legitimis Pastoribus decoratis, indemnitati Monasteriorum et conservationi Ordinis consulatur."

Quapropter unanimiter statuerunt et decreverunt, ut „praeattacta Monasteria mutua confoederatione ad perpetuam Ordiuis conservationem unirentur, et instar Unionum, seu Reformationum exterorum Regnorum decorarentur, sub articulis et conditionibus mox declarandis indissolubili Fraternitate, cordialique concordia conglutinarentur, et ad veram restaurationem et reformationem Ordinis pervenirent, adeoque: 1-° Ut in istis Monasteriis unae cerimoniae, et unus ritus tam in cantu, quam in habitu ac omnibus aliis secundum Regulam S. Benedicti et prout in Constitutionibus capitularibus fiendis (nondum ergo aderant) ordinatum fuerit, per omnia in omnibus ubique aequaliter observentur. 2-° Cum sola celebratio Capituli,

---

[1]) Caps. 26. I. — [2]) Caps. 13. C.

et Visitatio Ordinem conservet, decoret, et augeat; ut ultra Capitula triennalia seu Provincialia, singulis annis annuale Capitulum et Visitationes Monasteriorum celebrentur. 3-° Ut Fratres unius Monasterii ad aliud reformatum mitti, sed tantum cum literis obedientialibus possint. 4-° Ut Patres Praesidentes et Abbates praedictorum Monasteriorum non aliter curam alterius Monasterii quoad conservationem et reformationem gerant, quam proprii sui Monasterii, ne rursus collabantur in temporalibus aeque ac in spiritualibus. 5-° Ut mortuo Abbate unius Monasterii non possit ibi alter eligi sine consensu et praesentia adminus duorum Praesidentium, et vicinorum Abbatum de dicta Reformatione. 6-° Ut, si in tali Monasterio destituto non reperiatur idoneus, qui eligatur, eligi possit alter de Conventu potiori reformato, et praefici. De Locis vero non reformatis aut parvis Abbatiis, quae potissimum non stant in Reformatione, ad reformatas Ecclesias non eligantur. 7-° Ut Castellani per Praesidentes canonice electi fidem, fidelitatem et obedientiam Abbati ac Praesidenti, seu Ordini iurent; sine cuius scitu et notitia mutari non possint, nisi de fraude, dolo et machinatione convicti; quod ipsum illico Praesidenti principaliori significandum sit. 8-° Ut electi Abbates iuramentum fidelitatis, et obedientiae praestent Capitulo potissimum annuali de reformatione, et articulis in Capitulis suo tempore constituendis; Castellanique idem praestent neoelectis Abbatibus. 9-° Ut Abbates de proventibus Ecclesiarum suarum Conventibus suis in singulis Capitulis, adeoque annue, aut saltem Visitatoribus rationes reddere cum effectu teneantur: ut sic proventus in usus et reformationem monasteriorum converti possint. 10-° Ut in singulis Capitulis pro negotiis Ordinis identidem expediendis aliquid reponatur in communi pyxide ad hoc deputata, et thesaurarius de Patribus Abbatibus et unus de Conventu huiusmodi pecuniis custodiendis assignetur. 11-° Ut Praesidentes sub iuramento teneantur communitati fideliter semper servire, Ordinem augere; Ecclesiasque alienari non patiantur, sed mox succurrant ad expensas communes Capituli, vel saltem Ecclesiae, pro qua laboraretur. 12-° Ut Praesidens principalis, ubicunque Capitulum celebretur, praesidentiam suam retineat. 13-° Ut Fratres in unaquaque Ecclesia secundum conditionem Loci serventur, et foveantur. 14-° Ut super huiuscemodi perpetua et firma observatione horum punctorum dentur literae praedictarum Ecclesiarum et Monasteriorum Abbatum et Conventuum in singulorum Abbatum electione cum iuramento firmissimae: haec et alia in Capitulis annualibus ad augmentum Ordinis ordinanda, perpetuo observatum iri." [1])

Ceterum iam anno 1511 Abbates de hac unione, cui Abbas S. Jacobi de Silizio contradixit, Reverendis Abbatibus de Somogyvár et Zalavár, et Reverendissimo Domino Matthaeo Abbate S. Martini coram publico Notario Budae constitutis instrumentum solemne condiderunt; quo fatentur, se ita mutuo convenisse, ut Abbates inhoneste et irreligiose viventes, cognitis prius eorum demeritis, et a testibus idoneis iureiurando edoctis praehabita trina canonica et capitulari admonitione, Capitulum iuxta demerita admonere, aut enormibus criminibus ita exposcentibus suo Diöecesano per Visitatores, vel per quos Capitulum vellet, denuntiare, suaque Abbatia, si visum fuerit, privare et deponere debeat. Quodque Abbas S. Martini sit primus Abbatum et subiaceat immediate Sedi apostolicae, Monasteriumque ejus sit caput unionis instituendae; Abbasque in eo pro tempore constitutus sit semper pri-

[1]) Caps. 29. F.

mus Praesidens: subiaceat tamen Capitulo, et Abbatibus in Capitulo congregatis ad instar aliorum Abbatum, possitque accusari de crimine Summo Pontifici, et iuxta delictum deponi. Conventum est et de eo, ut articuli Unionis intentae, etiam si haec per Sedem apostolicam fuerit confirmata, nullam vim habeant, donec in itinere per Italiam et Alemanniam morabitur.[1])

Nihilominus circa hoc tempus observationem Mellicensem in S. Martino viguisse Anselmus Schramb, Chronici Mellicensis auctor inde deducit, quod exsistat Breviarium Ordinis S. Benedicti Venetiis anno 1519 impressum hoc titulo: „Breviarium Ordinis S. Benedicti de novo in monte Pannoniae S. Martini ex rubrica Patrum Mellicensium extractum. Venetiis anno 1519." Contra in Bibliotheca S. Martini adest Breviarium aeque anno 1519, et Venetiis impressum; in cuius titulo nec ad calcem libri, nec ad Caput Proprii Sanctorum, aut de tempore ulla Patrum Mellicensium rubricae mentio adest, sed ubique ponitur: „Secundum Rubricam S. Martini sacri montis Pannoniae;" duobusque locis additur: „et totius regni Hungariae." Duo autem Breviaria distincta eodem anno S. Martinum imprimi fecisse, mihi non persvadeo. Illud certum: quod Mathias Corvinus rex in punctis Reformationis Monachorum Hungariae ad Monasteria Germaniae provocet: et quod anno 1512 Matthaeus pium foedus ratione communionis bonorum operum cum Mellicensibus inierit; quo in documento se Dei, et apostolicae Sedis gratia Abbatem vocat. At Monasterium S. Martini Congregationi Mellicensi fuisse incorporatum, et eius Religiosos ad Observantiam Mellicensem iuravisse cum fundamento asseri nequit. — Ceterum simile pium foedus etiam cum Monasterio B. M. V. ad Scotos Viennae sub regimine eiatis Abbatis Joannis anno 1509 locum habuit.[2])

Anno 1513 Vladislaus, rex piissimus, consideratis periculis, quibus Ecclesiae abbatiales, legitimis Pastoribus destitutae, fuerint expositae, Abbatiam S. Margarethae de Bela in regno Slavoniae, quae prope 40 annis apud manus seculares ad Castrum Yajcza possidebatur, et tandem eiusdem Castri Banis in 6000 florenis auri pro salario eorum non soluto impignorata fuit, Matthaeo et Conventui S. Martini „cum Jure Patronatus tradidit, ut pro suo voto Abbates, aut saltem idoneos Priores, nec non et Castellanos et Officiales pro meliore custodia, et conservatione Castri deputent et ponant, ne divini cultus diminutionem Ecclesia patiatur." Atque istam quidem Abbatiam Conventus S. Martini 4000 florenis numeratis, et assumta pro residuis 2000 fl. Missarum Sacrificia celebrandi obligatione obtinuit:[3]) at Abbatiam S. Mauritii de Beel, plurima incommoda saepius passam, ad quam de Conventu S. Martini Abbas Jacobus recentissime assumtus fuit; uti et Abbatiam S. Crucis de Thelk in Dioecesi Agriensi ad fluvium Chrysium sitam, quam hoc tempore Seculares tenebant, pro divini cultus augmento, citra omnem solutionem acquisivit.[4]) Collationales super his tribus Abbatiis primum anno 1516 expeditae fuerunt. Jus istud eo facilius cesserat rex, quod Matthaeus hoc anno iam ultra XL Religiosos numeraverit; e quibus ad Monasterium de Bela XIII cum Petro Croata Abbate, antea Monasterii S. Martini Procuratore anno 1517 dimisit.

Quod Wladislaus rex anno 1510 praestitit, dum omnia iura, privilegia et immunitates S. Martini confirmavit, idem per Julium II. Papam praestari tam per literas, quam per Oratores postulavit; id, quod ab huius morte, quam durante Con-

[1]) Caps. 24. J. — [2]) Caps. 59. Ooo. — [3]) Caps. 59. N. — [4]) Caps. 13. B. —

cilio Lateranensi V. anno 1513 obiit, Leo X. Pontifex maximus anno 1514 praestitit, data ad petitionem eiusdem Regis, et Abbatis Matthaei Bulla, quam huius Monasterii Palladium vere dixeris. Quidquid enim privilegii inde a S. Stephano usque praesentem annum 1514 a Summis Pontificibus, et Hungariae Regibus S. Martino collatum est, hic singillatim adductum et confirmatum reperitur.[1])

Quamvis huius Bullae praecipua capita supra, pag. 45—52. dederimus, iuvat tamen hic omnes Libertates enumerare, simul ut oculo pateant, quae ibi per totum sparsae reperiuntur. Itaque testimonio et virtute huius bullae 1.° Monasterium S. Martini Caput est ceterorum Regni Hungariae Monasteriorum Ordinis benedictini. 2.° Qui ei praeest, Archiabbatis titulum gerit, et munere fungitur. 3.° Archiabbatibus praeferri poterat Capella, qua ceteris regni Abbatibus uti non licuit. 4.° Archiabbas potest aliorum Monasteriorum omnium Ordinis sui et regni Hungariae Abbates convocare, et Capitulum generale de triennio in triennium celebrare. 5.° Idem potest in tali Capitulo reformationes et statuta licita et honesta facere, et condere. 6.° Duos Monachos studiorum caussa ad aliquam Studii generalis Universitatem mittere. 7.° Monasterium, et Monachi privilegiis Monasterii, seu Congregationis monachorum Montis Cassinensis, alias S. Justinae de Padua gaudent, quin eidem sint incorporati. 8.° Idem Monasterium et illius Abbas, Conventus, et singuli Monachi, Plebani, Presbyteri, Jobbagiones sive Coloni, Servitores, et Subditi nulli Archiepiscopo, aut Episcopo dicti regni, sed immediate Sedi apostolicae et Romano Pontifici in spiritualibus subiiciuntur; [2]) et ad iudicium trahi, excommunicari, suspendi et interdici nequeunt, nisi de Romani Pontificis mandato speciali. 9.° Rectores, sive Plebani Ecclesiarum parochialium, et Presbyteri locorum, sive villarum et oppidorum Monasterii ad Synodum per quoscunque Locorum Ordinarios vocari et compelli nequeunt. 10.° Nullus Archiepiscopus, aut Episcopus potest contra voluntatem Archiabbatis et Conventus S. Martini in hoc Monasterio, aut quacunque Ecclesia ad illud pertinente divina celebrare. 11.° Abbas et Monachi possunt a quovis Episcopo Sacros Ordines suscipere, et dicti Rectores Ecclesiarum chrisma et oleum sacrum recipere. 12.° Decedente Archiabbate Conventus potest de gremio suo, si reperiatur idoneus, secus de gremio alterius Monasterii eiusdem Ordinis Abbatem eligere. 13.° Nullus Comitum sive Vicecomitum, aut alter Princeps regni et Comitatuum praeter regiam Maiestatem poterat Jobbagiones seu Colonos, servitores et subditos Monasterii citra Archiabbatis et Conventus eius consensum in civilibus aeque, ac in criminalibus ad iudicium vocare. 14.° Archiabbas adinstar aliorum Episcoporum in ornatu pontificali divina celebrat, Ordines minores suis Monachis confert, Calices et paramenta pro divinorum usu benedicit et consecrat. 15.° Idem Capitula annualia et triennalia indicebat. Abbates etiam exemtos convocabat, venire recusantes et pertinaciter protervos auctoritate apostolica per censuras compellebat, imo deponebat, et alios substituebat 16.° Idem est primus Capituli Praesidens, Visitatores eligebat et deputabat; vel ipse in persona, vel per Deputatos Monasteria visitabat, eorum defectus cum consilio Definitorum corrigebat et emendabat; Statuta condebat; expensas necessarias pro negotiis Capituli et totius

[1]) Caps. 34. Z. — [2]) Cherier (Enchir. Jur. eccl. 1855. T. 1.) Bullae huius in Archivo S. Martini modeste delitescentis ignarus, de hac Archiabbatiae immunitate aliter sentit; apud quem ipsi etiam Historiae minime consona leguntur §. 198. et alibi. Quae, licet Bullae huius verbis collata suapte dissipentur: suo tamen loco mox uberius expendentur.

Ordinis cum consilio et moderamine Definitorum Abbatibus imponebat, atque per Censuras exigebat. 17-° In Monasteriis S. Margarethae de Bela, et S. Mauritii de Beel Jus patronatus, et omne aliud, quod antea Rex habuit, possidebat. 18-° Monasteriorum S. Martini, de Bela et de Beel monachos in quibusvis Casibus, Sedi apostolicae non reservatis absolvebat, et cum eis dispensabat. 19-° Monasterium S. Martini, illius Archiabbas et Conventus, privilegiis eorum salvis remanentibus, omnibus privilegiis, immunitatibus, exemtionibus facultatibus, indulgentiis, concessionibus et indultis Congregationis Montis Cassinensis, alias S. Justinae, et illius Monasteriis et Personis a Romanis Pontificibus etiam in Conciliis generalibus tam ante, quam post fundationem Monasterii S. Martini, in genere, quam in specie quomodolibet concessis, et pro tempore concedendis, quorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, pro expressis habendi; et quibus Congregationis Cassinensis Abbates, Conventus, et Personae quomodolibet utuntur, potiuntur et gaudent, et uti poterunt postea, libere et licite uti possunt et debent perinde, ac si privilegia et quaecunque Indulta Congregationi Cassinensi concessa, Monasterio S. Martini, et illius Archiabbati et Conventui specialiter concessa fuissent: et quoad hoc de gremio ipso sint, et esse censeantur. [1]) 20-° Canonice iuxta huius Bullae praescriptum electus Archiabbas, ulteriore S. Sedis apostolicae confirmatione non eget; sed est hoc ipso confirmatus, et administrationem tam in spiritualibus, quam in temporalibus libere suscipit. 21-° Archiabbas simoniace electum et convictum poterat perpetuis carceribus mancipare, qui ad omnia perpetuo inhabilis et infamis censeretur.

Eodem anno Leo X. ad Archiepiscopum Strigoniensem Thomam, Cardinalem, literas dedit, quibus eum ab omni Jurisdictione in Archiabbatem, seu mediate, seu immediate exercenda prohibet; donec Jura utriusque hac in parte fuerint discussa. [2]) Hoc illud Breve est, quod Ladislai Archiabbatis Procurator in Judicio Nicolai Olahi Archiepiscopi Strigoniensis produxit, et cuius vigore Ladislaus ibidem triumphavit. [3])

Anno 1518 Matthaeo nostro litem circa Jurisdictionem spiritualem in Comitatu Simighiensi fuisse suscitatam suspicari licet; in qua, uti alias in simili semper, superior evaserit. Scilicet Parochi et Altarium Rectores numero IX in quatuor Possessionibus ad S. Martini proprietatem pertinentibus, utpote: in Köröshegy, Zárzó, Thepej et Bagath „obedientiam, laudabilem pro posse conversationem, vitae dietim in melius reformationem" solenni Instrumento et iureiurando Matthaeo promiserunt; item quod bona Ecclesiae sibi concessa nolint dissipare, sed potius alienata et amissa recuperare, et habita augere adnitentur: de consilio adversus Archiabbatem, tractatu, aut machinamento non futuros, sed potius talia sub obedientia salutari revelaturos. [4])

Quantopere Sedes apostolica hoc aevo ab alienandis Monasteriorum Bonis abhorruerit, sequens casus demonstrat. Anno 1519 Matthaeus per plures malevolos, quorum legionem illi reformatio multis invisa conscivit, Romae de eo accusatus est, quod plurimas terras arabiles, prata, silvas et loca molendinorum in damnum Monasterii sui vendiderit. Quapropter Nicolaum de Maglód Abbatem, Joannem Kandalló Archidiaconum et Canonicum Jaurinensem requisivit, ut aestimatis bonis, quae vendidit, aliunde „ob magnam

[1]) Punctum hoc ipsis Bullae verbis dare placuit, ut Lector observet, quam sollicite et accurate Pontifex circa Communionem iurium cum Monasterio Montis Cassini versatus fuerit; e qua plurima privilegia in nostrum derivari noverat. — [2]) Caps. 29. E. — [3]) Péterffy: Conc. Hung. II. 9. 26. — [4]) Caps. 26. K. — Hac aetate Festum Translationis S. Benedicti tota Ecclesia hungarica celebrabat. Caps. 5 G.

a S. Martino distantiam non usuabilibus," uti et iis, quae obtento inde pretio circa S. Martinum acquisivit, Domo item Budensi tantae extensionis, ut in ea Capitulum Ordinis fuerit celebratum, in conscientia faterentur, an alienatio illa Conventui damnosa exstiterit. Qui omnibus rite expensis testati sunt, hac ratione Conventui duplum lucri accessisse. Hanc fassionem Matthaeus eo adiecto, quod alienata haec bona, data occasione revindicare velit, in publicam formam redigi curavit, defensioni suae coram Summo Ecclesiae Capite servituram. Coram quo personaliter quidem comparere iussus est: verum, postquam docuisset, se usum equitandi nunquam habuisse, et alias adeo debilis et fragilis naturae esse, ut tantum iter citra manifestum vitae periculum pedibus conficere nequeat, conquisitis apud Capitulum Strigoniense et alibi de bona conversatione testimoniis munitam Apologiam Romam misit. [1])

Eodem anno Abbatia S. Crucis de Telki in dioecesi Agriensi collata est Stephano, qui occasione benedictionis iuravit obedientiam Archiabbati Matthaeo, et „non adhaesionem Agriensi Episcopo Hippolyto Estensi de Arragonia Cardinali,"[2]) id, quod Matthaeus, vigore Bullae Leonis X. superius allatae, legitime poterat postulare. Contra Ludovicus II. Rex Abbatiam S. Benedicti de iuxta Gron suae Collationi reservavit, eo quod eam Magistro Francisco Aczél, Secretario suo, sufficienti literatura, aliisque virtutibus praedito, et Regulam Ordinis profiteri parato destinaverit. [3]) Quam quidem Abbatiam Aczélius sequente anno ab obitu Commendatarii Thomae vacantem obtinuit; verum cum habitum Ordinis, contra quam spoponderit, elapsis pluribus terminis sibi successive per Archi-Abbatem concessis nollet assumere: Abbates et Conventus S. Martini Regi supplicaverunt, nolit eos amplius ad exspectandum adstringere, sed Juribus et privilegiis a Genitore concessis libere uti permittat. Qua in caussa cum Matthaeus Summi quoque Pontificis opem imploraverit, iste datis ad Regem literis Archiabbatem in eius protectionem commendavit, et in omnibus quidem, sed potissimum in Archiabbatialibus privilegiis et Juribus super omnes Regni Hungariae Abbates conservari postulavit. [4]) Imo postquam Ludovicus II. Rex Hungariae anno 1523 per Stephanum Brodarium Quinqueecclesiensem Praepositum, Oratorem suum, Archiabbatis privilegia, utpote Sedi Strigoniensi et Episcopis praeiudiciosa sufferri petiisset, tam parum eius votis detulit Clemens VII., ut potius ea omnia novâ Bullâ confirmaverit. [5])

Porro ab obitu Wladislai II. Regis, qui anno 1516 decessit, Matthaei Reformatoris zelus adeo refrixit, ut anno 1522 per Ludovicum Regem ad resumenda Capitula generalia fuerit provocatus; qui revertentis licentiae et neglectorum salutarium Statutorum caussam illorum defectui adscripsit. Resumtis igitur huius iussu Capitulis quidam Abbates, ut se a subiectione et obedientia Archiabbati et Conventui S. Martini debita facilius subtraherent, Romae titularium Episcoporum honorem venabantur. Quod ut impediret Matthaeus, Paulum Decretorum Doctorem, et Aegidium de Roma, Sollicitatorem Caussarum Sacri Palatii, Procuratores suos constituit, qui dictis Abbatibus in subterfugienda obedientia et reformatione adversarentur. [6])

Anno 1526, imminente Solimanno ab obligatione personaliter insurgendi per Regem ob senium ea lege liberatus est, ut unum equitem et quintam partem rusticorum expediat. [7]) Eadem obligatio etiam Jacobo Abbati de Beel imposita. Armatarum Gentium Matthaei Capitaneus erat Nobilis Paulus de Bajcs,

---

[1]) Matthaei Beneszthy: Stylus fori ecclesiastici: in Biblioth. Capituli Poson. inter Juridicos. — [2]) Caps. 66. E. — [3]) Caps. 26. A. — [4]) Caps. 40. L. — [5]) Caps. 31. H. — 40. Q. — [6]) Caps. 56. M. — [7]) Caps. 59. H. —

alias de Asszonyfalva. A clade Mohacsiana Matthaeus anno 1527, iusto diuturni belli metu Archivum Archiabbatiae Alberti Tarcsy fidei et prudentiae commisit, qui illud anno 1558 integrum restituit, libertatem vineae suae ab omni praestatione propterea consecutus.[1]) Regno deinde in factiones diviso Joannes Zápolya tempori forte serviens, Decretum eodem anno edidit, ut Abbates ad S. Martinum fine celebrandi soliti Capituli conveniant, ne Reformatio in suo cursu sistatur;[2]) plenamque Capitulo corrigendi, emendandi, incarcerandi, deponendi discolos facultatem largitus est. Eidem Capitulo e dispositione Zápolyae duos Procuratores ex parte Archiepiscopi Strigoniensis oportebat interesse.

Imperatum hoc Capitulum celebratum fuit in S. Martino, in quo constituti et per Archiepiscopum quoque acceptati Visitatores, cum ob turbatum regni statum commissis sibi partibus eodem anno defungi nequivissent; sequente anno profecti, ab Archiabbate, qua Summo Praesidente, et Abbatibus: Ladislao de Pécsvárad, et Georgio de Sexardia singulis Abbatibus, ad quos venturi erant, commendati fuerunt, imposita obligatione, eos humanissime excipiendi, hospitaliter habendi, expensis usque aliud Monasterium providendi, et pro auctoritate agere permittendi.[3]) Unde patet, S. Martinum hoc tempore Joanni Zápolya paruisse. Interim post plures annos Ferdinandus rex anno 1528 se in certa caussa per Matthaeum de Harsány Coadiutorem et successorem Matthaei Archiabbatis interpellatum fuisse scribit, cuius Inquisitionem Judicibus Nobilium Comitatus Vesprimiensis committit. Igitur iam uni, iam alteri parendum erat.*) De hoc Coadiutore nihil ultra cognitum est, qui proinde Matthaeo nostro praemortuus fuisse videtur.

Hoc adhuc tempore Procuratores Caussarum Religiosi vigebant. Ita Matthaeus Archiabbas et Conventus S. Martini Martinum de Tyrnavia, Abbatem; Georgium de Rada Priorem, Michaëlem de Jaurino Custodem, Michaëlem de Lázy et Urbanum Monachos ad S. Martinum professos in omnibus suis caussis Procuratores coram publico Notario constituerunt.[4]) Similiter Moniales in Insula Strigoniensi commoratae, alias ad Claustrum Vásárhely pertinentes, duos ad S. Martinum Professos, scilicet: Michaëlem de Batha, et Michaëlem de Lázi principaliter Procuratores suos in omnibus suis possibilibus caussis constituere; quibus alios IV Presbyteros et XIII Laicos, coram exmissis ex Capitulo Strigoniensi Capitularibus adiunxerant.[5]) Quomodo illud cum spiritu monasticae professionis et tantopere commendatae et ferventis reformationis conciliari possit, arduum est dispicere; nisi defectus fidelium et iuris peritorum Secularium hanc anomaliam excuset.

Anno 1529 Matthaeus a Ferdinando Rege confirmationem privilegii Belae IV., per Carolum I. et Uladislaum II. Reges ratihabiti, ratione Exemtionis Populorum suorum a Judicatu quorumvis Judicum Ordinariorum Regni obtinuit.[6]) Eodem anno iuxta literas Palatini coram

---

[1]) Caps. 54. S. — [2]) Caps. 21. W. — [3]) Caps. 26. P.— *) Archicoenobium hoc Zápolyio invitum duntaxat paruisse, docent literae ipsius Ferdinandi Regis, quibus Possessiones: Gönyö, Saág, Taáp, et Sz. Miklós, in Jaurinensi Comitatu sitas eidem donat hoc tenore: „Considerantes integram erga Nos fidem ipsius Abbatis, ac Fratrum, qua ipsi inter praesentium temporum tempestates, variosque domesticos armorum motus constantissime in nostra fidelitate haeserunt: Considerantes etiam multiplicia, ac gravissima damna, quae ipsa Ecclesia S. Martini cum ab aliis potentibus, tum ab infideli ac rebelle nostro Valentino Therek toto hoc fluctuanti rerum statu in suis redditibus accepit. In quorum recompensam, praescriptam possessionem Genyew, Saag, Taáp et Szentmiklós...memoratae Ecclesiae S. Martini, Abbatiae et Fratribus ejusdem Ecclesiae dedimus, donavimus ... Datum Viennae in festo beati Francisci Confessoris. Anno Dni 1537 .." Hodie possessiones hae terrarum Ill. Familiae Comitum Eszterházy partem constituunt. — [4]) Caps. 59. Cc. — [5]) Caps 71. Ll. — [6]) Caps. 47. N. —

Blasio Jaurinensis Capituli homine in propria persona iuravit in Ecclesia sua, et Stallo Cathedrali contra Stephanum Hederváry de sua innocentia.[1]) Materia huius iuramenti ex Archivo S. Martini erui nequit, nisi cum ea, ob quam anno 1521 ob non solutos, quos Archiabbatiae debebat, 600 florenos excommunicatus, et iussu Regis Ludovici, summis Matthaei ingratiis ab excommunicatione absolutus fuit, eadem esset.

Anno 1533 Blasius de Lak, Arcis S. Martini Castellanus, per Archiabbatem Matthaeum expetitus, Archiabbatiae Bona in usum belli adversus Joannem Zápolya a Ferdinando obtinuit. At, cum in eorum administratione superbe, violente et fraudulente versaretur, gradu Castellani auctoritate regia motus est; et Matthaeus eodem adhuc anno Bona e manibus praeclari [2]) Pauli Bakics, arcis Capitanei recepit. Abhinc igitur cura intertenendorum Castrensium Archiabbati incubuit; qua is ita defunctus est, ut tempore civilis belli arcem opera eiusdem Capitanei a Turcis recuperaverit: ob quod huic dimidium decimarum duorum annorum ex bonis Archiabbatiae assignavit. [3]) Blasii de Lak exemplum imitatus Valentinus Török decimas Sümeghienses violente occupavit; sed mandato Ferdinandi iustissimi Regis anno 1534 restituere coactus est. [4])

Quam arcta eo tempore fuerit res familiaris, inde collige, quod apud Mathiam de Tholna Praepositum Pápoczensem, et Pauli Bakics Supremi Huszarorum Capitanei Secretarium, argentea Monasterii Clenodia, utpote: Calix S. Stephani cum sua patena, tres calices ornati, thuribulum et manus argentea in 200 florenis hungaricalibus anno 1533 fuerint oppignorata; et, quod amplius, Matthaeus propter duorum florenorum debitum promisso termino non solutum ad Regiam Maiestatem pro remedio recurrerit. [5]) Sed et feliciore, aut saltem pacatiore statu regni, quidam, nobis insvetus rigor, debita exigendi obtinebat. Sic Visitator Generalis anno 1503 Edictum publicum valvis Monasterii Pécsvaradiensis affigi iussit, quo huius Gubernator, Prior et alii admonebantur, ut 6, lege: sex florenos auri pro visitatione sibi ab illis debitos intra dies sex persolverent; secus ab ingressu Ecclesiae prohibendi.[6])

Tandem senio et continuis, iisque molestissimis in Ordinis reformationem, Bonorum recuperationem, et defensionem impensis laboribus fractus, et curis, quas clades Mohacsiana, secutumque bellum civile peperit, exhaustus praemortuo, cuius opera iam anno 1528 usum fuisse vidimus, Coadiutore Matthaeo de Harsány, Abbatiam abdicare, et successorem sibi adoptare constituit; obtentaque a Ferdinando Rege ad utrumque facultate, Abbatem Michaëlem de Bátha, olim S. Martini Professum, communibus Religiosorum votis et Abbatum voluntate canonice eligendum, et anno 1335 Regi praesentandum et confirmandum procuravit. [7]) Literae Ferdinandi Regis hoc in negotio ad Matthaeum Archiabbatem datae docent, quam pulcre is, in provisione Abbatiae S. Martini Jus Patronatus regii, cum iure liberae electionis Abbatum, quo Conventus ex suo Instituto, diplomate Stephaneo, et plurium Romanorum Pontificum bullis gaudebat, conciliare noverit. — En illas! „Reverende Fidelis nobis dilecte! — Supplicationem tuam aequo animo et clementer admittimus, ut juxta Ecclesiae et Ordinis tui privilegia a Sede apostolica, et a nostris Praecessoribus Hungariae Regibus concessa Successorem tibi idoneum servatis de Jure et Consvetudine servandis rite,

---

[1]) Caps. 66. Qq. — [2]) Istvánfy ad annum 1537. et alibi. — [3]) Caps. 47. Ff. — [4]) Caps. 21. S. — 38. G. — [5]) Caps. 48. O. — 21. S. — [6]) Caps. 59. Oo. — [7]) Caps. 21. P. — 53. H.

ac canonice eligere, ac designare possis, Nobis, uti Regi, et generaliter omnium Regni nostri Ecclesiarum Patrono praesentandum. Quem si dignum tua, Conventus, et Ordinis istius commendatione judicaveritis, libenter Electioni vestrae consentiemus, et in eum, qui sic electus fuerit, Abbatiam ipsam S. Martini auctoritate Juris Patronatus nostri Regii gratiose conferemus. Datum Viennae Feria quarta post Festum Beatorum Simonis et Judae Apostolorum Anno Domini 1533." [1])

32. Michaël I. (1535-1542.) Archiabbas II.

Primo huius dignitatis anno pro Possessionibus Archicoenobii: Hegymagos, Apáthi, Lesencze, Istvánd et Praedio Szentmárton-földe in Comitatu Zaladiensi exsistentibus, quarum administratio his praesertim turbatis regni rebus ob distantiam nimis molesta et infructuosa evasit, a Rege Ferdinando Possessionem Kulcsod tunc in Comaromiensi Comitatu sitam, et Portiones possessionarias in Nagy-Baráti, Nagy-Ács, et Praedio Kismegyer obtinuit; quae antea ad Praeposituram Praemonstratensium Thurociensem pertinentia disperso Conventu ad Cameram regiam sunt devoluta.[2]) Biennio post literas novae donationis a Ferdinando rege super Possessionibus Gönyő, Saag, et Táp-Szentmiklós velut ad Monasterium S. Martini ab antiquo pertinentibus, nunc autem per Valentinum Török violente detentis, ex Nota infidelitatis eiusdem, cum Jure regio obtinuit.[3]) Valentinus iste, vulgo Török Bálint, idem est, qui supremus Copiarum Zápolyanarum Dux, Solimanni Imperatoris iussu perpetuo carceri in Turcia mancipatus, quod ei de ratione belli gerendi consultanti audacter fuerit obloquutus.

Anno 1539 terras arabiles in Gellér et Tarcsal Simoni de Ekle pro tritico 14 florenos valente, singulos florenos a 14 metretis nostri temporis posoniensibus computando, oppignorare Archiabbas iste coactus est. Quanta egestas! quantus pecuniae defectus! Sane metretae nostrae poson. hac ratione pretium 4 Crucigeros aequabat: et nec exiguum isthoc pecuniae in Conventu poterat reperiri.[4]) Nihil igitur mirum, si hoc Archiabbate Conventus dispergi coepit. Constat autem, hoc non uno momento, sed successive factum fuisse ita, ut turbulentis temporibus instante periculo primum Seniores deserto monasterio se ad tutiora loca receperint, Junioribus remanentibus; de quibus queritur Archivum Archicoenobii, quod iurium Monasterii sui ignari non potuerint impedire, quin plura Bona abalienarentur, quae vicini Nobiles ad se traxerunt, seque in illis nullo contradicente statui procurarunt.[5]) Ceterum, Conventum non centum et ultra, uti cuidam Jurium Loci huius adversario asserere placuit, sed nec 50 annis dispersum fuisse, et per decursum huius Opellae patebit, et iam pag. 55 et 56 expeditum est.

Franc. Nyáry Gubernator. (1542-1550)

Sollicitudine Wladislai II. et eius filii Ludovici II. Regum, ipsiusque adeo Joannis Zápolya, et plurimorum Summorum Pontificum opera, quam conservando in regno hoc Ordine Benedictinorum singularem locaverunt, non opitulante, Archiabbatia defectu Religiosorum, quos saevi hostis metus dispulit, ad exteras manus devoluta, in Comite Fran-

---

[1]) Caps. 21. P. — [2]) Caps. 33. Q. — [3]) Caps. 1. W. — [4]) Caps. 72. R. — [5]) Caps. 3. J.

cisco Nyáry de Bedegh Agazonum regalium Magistro, et Comitatus Honthensis supremo Comite, Viro sua aetate laudatissimo Tutorem et Conservatorem obtinuit.[1])

Initio quidem gubernationis eius Conventum in S. Martino minime exstitisse inde patet, quod anno 1546 Possessionem Ásvántő Michaëli Literato de Nyilka, Provisori et Castellano Arcis S. Martini donaverit ita, ut si aliquando Conventum restitui contingeret, iste Possessionem hanc pariter Conventui reddat; quod ille coram Capitulo Jaurinensi solenni fassione spopondit. [2]) Verum anno 1548 Conventum praesto fuisse evidenter docet Ordinatio regia super sustentatione Abbatis et Religiosorum Conventus S. Martini, ad querelas Fratrum Regiae Maiestati substratas acquisita, vi cuius Capitaneo a Salmis commissum fuit, ut provideret, ne Fratres cogantur Regi deinceps conqueri.

Puncta vero per Salmium, Generalem Capitaneum Jaurinensem, et Nicolaum Olahum Cancellarium Regium, tunc Episcopum Zagrabiensem, subscripta, cetera inter haec habent: „Candelae cereae, funalia, thus, vinum et id genus alia ad Cultum divinum necessaria sufficienter administrentur; Abbati de Beel, Joanni de Csanád, qui Fratribus praeesse debebit, Bona Abbatiae suae de Beel restituantur ita, ut tertia pars proventuum cedat Abbati, duae autem tertiae in sustentationem Fratrum Conventus S. Martini convertantur. In quantum autem hae duae partes non sufficerent, id ex proventibus Abbatiae S. Martini suppleatur; [3]) et Abbas mensam ordinariam cum Fratribus habeat; Prior ex Fratribus senioribus eligatur; habeant Fratres mensam honestam cum Abbate et Priore; nec Laici eos interturbent, dum ad mensam legitur; singuli Fratres ad singulas angarias habeant florenos sex ad continuas necessitates; Notarius, barbitonsor, et duo famuli, qui Conventui ministrent, interteneantur; Fratres hieme Stubam calefactam habeant; a Castellano et Arcensibus Fratres reverenter habeantur, neve aliquid turbationis, aut impedimenti eis a quopiam inferatur, sub gravi regiae Maiestatis indignatione; Capitaneus curet, ut Ecclesia et domus habitationis Fratrum tegantur: ne pluvia et nives sint iis impedimento." Ibidem quantitas vini in mensura Oppidi S. Martini; quantitas panni in ulnis Viennensibus determinatur; utrumque liberaliter. [4]) Cum Ecclesia et domus habitationis Fratrum tegi iubeantur: videtur arx, antequam per Bakithium a Turcis recepta fuisset, per hos exusta fuisse.

33. Joannes III. (1550-1556.) Archiabbas III.

Joannes de Csanád, antea S. Mauritii de Beel Abbas, cum arduis temporibus Abbatiam S. Martini sola Regis nominatione, sine praemissa canonica electione obtinuerit, conscientiae stimulis agitatus anno 1551 Archiabbatis munere fungi recusavit. Igitur Conventus acephalus pro vetere suo iure instituta Electione canonica, Ladislaum Abbatem S. Jacobi de Simighio Archiabbatem elegit, cui fine obtinendae confirmationis regiae Joannes Archiabbas et Conventus testimonium de legitima electione praebuerunt.[5]) Sed sine fructu. Nam Ferdinandus Rex Joannem duntaxat Archiabbatem volebat, cui etiam Protectionales literas anno 1554 ad Comitem Nádasdy Palatinum, et Franciscum Thurzo de Bethlenfalva Episcopum Nitriensem Camerae hungaricae Praefectum impertitus est, ut eum, et Con-

[1]) Fasc. 79. 6. — [2]) Caps. 48. G. — [3]) Hinc discimus, Monasterium Bakonybéliense vacuum fuisse; omnes Archiabbatiae proventus usibus belli sequestratos fuisse, et tamen Conventum et Archiabbatem exstitisse. — [4]) Caps. 61. Q. — [5]) Caps. 61. V.

ventum adversus quoslibet violentos impetitores in universis Bonis, signanter in Possessione Deáki tueantur. [1])

Post haec Electus Ladislaus ad importunas Joannnis sollicitationes, cui regimen Fratrum Ladislao addictorum, et sic ab eo aversorum permolestum accidit, Collationales a Ferdinando Rege anno 1556 obtinuit quidem: at confirmatio a Sede apostolica non prius advenit, quam anno 1560, dum Joannem vivis excessisse Romae cognitum fuisset. Tunc primo eum Pius IV. Papa ab omnibus censuris et poenis absolutum Regi commendavit. Cum Benedictionem, ut Abbas de Simighio iam receperit, non est secundo benedictus; sed iuramentum Romano Pontifici coram Episcopis Quinqueecclesiarum, Vesprimiensi, et Segniensi Posonii nuncupavit. [2])

34. Ladislaus III. (1556-1563.) Archiabbas IV.

Ladislaus de Pécsvárad, et Martonfalva dictus ab acceptis regiis Collationalibus mox munere suo fungi coepit. Eius tempore anno 1557 Nicolaus Olahus Strigoniensis Archiepiscopus nationalem synodum tollendis abusibus, qui a luctuosa Regni totius post cladem Mohácsianam conversione invaluere, celebraturus, cum ignoraret, ad quosnam iniquitate belli, et haereticorum violentia ecclesiasticae dignitates transiverint, et quinam Synodo de more interesse, et religione adhuc integri ad illam evocari possent; Abbates et Praepositos, ceterosque religiosarum Societatum Moderatores in quaestionem vocandi, — quove indultu, aut Patrono beneficium adierint, et an religioni catholicae adhaereant, in forma iudicii sciscitandi facultatem a Ferdinando Rege obtinuit.

Quapropter Ladislaus, qua S. Martini Archiabbas, S. Jacobi de Simighio, et S. Mauritii de Beel Abbas ad praefixum terminum 2-a Augusti 1557 cum plurimis aliis comparens, primus omnium per Procuratores coram tribunali provocatus respondit: Archiabbatiam sibi a Rege collatam; comparere se ex sola reverentia erga Archiepiscopum Primatem, et Legatum natum, utpote per privilegia exemtum, et soli apostolicae Sedi subiectum, quod et docuit; Abbatias praeterea duas se possidere, nempe S. Jacobi de Simighio, et S. Mauritii de Beel, in qua nihil praeter unam et mediam villam possideret; illius proventus modo LX floreni essent; ambas in manibus Turcarum esse; exiguosque hos proventus in conservationem arcis S. Martini conversos esse. De exemtione longior orta est controversia, quae eo tandem evasit, ut Archiabbas coram Commissariis Judicibus sua privilegia in medium proferre coactus fuerit.

Praestitit hoc Ladislaus die 7-a Octobris per suum Procuratorem, Joannem Literatum de S. Martino, qui in defensionem Exemtionis Archiabbatis S. Martini a Jurisdictione Archiepiscopi Strigoniensis et Episcoporum porrexit in iudicio librum privilegiorum, quem nunc librum rubrum vocamus, magna cum diligentia more antiquo scriptum, et quoddam aliud privilegium oblongum, Breve apostolicum dictum, [3]) petens ea legi, et Archiabbatis Exemtionem perspici. Horum fidem Procuratores elevare, suspecta, et nulla fide digna persvadere omnibus quidem modis conati sunt: consideratis tamen eorum tenoribus, visum est Judicibus, ipsum Monasterium S. Martini et illius Archiabbatem iuxta sua privilegia ab omni Jurisdictione DD. Archi- et Episcoporum usque revisionem Jurium Ecclesiae Strigo-

[1]) Caps. 41. Z. — [2]) Caps. 61. P. — [3]) Erat Breve Leonis X. ad Archiepiscopum Strigoniensem Thomam Bakócz, quo hunc ab omni Jurisdictione in Archiabbatem exercenda prohibet, donec utriusque Jura coram Sede apostolica discutiantur. Adest in Archivo Caps. 29. E. —

niensis, quae in Sede apostolica discuti, revideri, et definiri oporteret, exemtum et liberum esse. [1]) Eapropter anno 1562 in Elencho eorum Abbatum, qui Synodis Archiepiscoporum ab antiquis temporibus de Jure semper interesse debebant, Archiabbas S. Martini non occurrit. [2]) Sed neque in Bulla Bonifacii IX., aut ea Pii II. Seculo XV. subiectas Archiepiscopo Strigoniensi Abbatias extra eius Dioecesim exsistentes enumerantibus comparet. [3]) Ceterum qua Abbas S. Mauritii de Beel Ladislaus noster in Archiepiscopi manus iuravit, et ritu consveto investitus est. [4])

Anno 1558 a Rege Ferdinando adversus Capitaneos Jaurinenses obtinuit mandatum, ne subditos Abbatiae ad insolitos labores audeant compellere. [5]) Anno 1561 ad intertentionem Oratorum Cleri ad Concilium Tridentinum destinatorum, partitione omnium Patrum Synodi Dioecesano-Provincialis Tyrnaviensis consensu facta XXV aureos contulit. [6]) Denique ultimo vitae suae anno Comitiis Posoniensibus, et coronationi Maximiliani Regis cum duobus tantum Abbatibus, utpote de Borsmonostra, et de Szalavár interfuit, unde statum Abbatiarum et Monasteriorum in regno facile augureris! — Circa hoc tempus coeperunt Abbates aureas cruces pectorales extra divinum officium e collo pendulas deferre. Signanter inter Abbates Mellicenses Urbanus Perntaz anno 1564 ea ornatus exhibetur. Quo tempore apud nos peregrinus iste usus invaluerit, non constat. In Chronico Salisburgensi primus cum cruce aurea pictus occurrit Placidus Mayrhauser Abbas anno 1704 electus.

Petrus Torday Gubernator.

(1563-1566.)

Torday de Boch, Praepositus S. Georgii et Canonicus Strigoniensis, Archiabbatiam in Commendam acquisivit anno 1563. Primo regiminis anno coram Capitulo Strigoniensi Procuratorem constituit, [7]) deinde Mandatum exhibitorium Maximiliani Regis anno 1565 contra Comitem Ecchium de Salmis supremum regiarum Gentium Jaurini exsistentium Capitaneum (fors ob Deáki) ad Jaurinense Capitulum, cuius tunc Custos et Canonicus Fejérkövy Stephanus erat, consecutus est, [8]) quo in Documento Archiabbas compellatur; uti et in alio anni 1564, quo propter desumtum a Civibus Tyrnaviensibus telonium, qua successor Laslai, per formulam: non venit, in 100 aureis convictus fuit. [9])

Joannes IV. (1566.)

Archiabbas V.

Archiabbas iste in unico tantum Documento, et quidem ad annum 1588,[10]) qua Stephani Fehérkövy Gubernatoris Praedecessor, memoratur. Ubi cum Confrater Joannes Abbas, sine ullo alterius dignitatis titulo audiat, non Gubernatoris, sed veri regularis Archiabbatis iure eum praefuisse, statuendum est, eo quod Gubernationes Monasteriorum Viris in altioribus dignitatibus constitutis solitum fuerit commendari, ut facilius statui suo convenienter vivere possint.

---

[1]) Péterffy: Conc. Eccl. Hung. II. pag. 8 et 26. — Caps. 21. T. — [2]) Ibidem pag. 148. — [3]) Ibidem pag. 288 et sequ. — [4]) Ibidem pag. 32. — [5]) Caps. 47. X. — [6]) Ibid. p. 133. — Abbas S. Gotthardi, et de Szalavár, singuli duplum penderunt! — [7]) Caps. 66. Pp. — [8]) Caps. 61. Dd. — [9]) Caps. 68. N. — [10]) Caps. 38. Cc.

Stephanus Fejérkövy Gubern. (1567-1592.)

Stephanus iste, Electus Episcopus Tininiensis, et Archiabbatiae S. Martini Abbas Commendatarius; serius, anno scilicet 1575 Vesprimiensis, 1587 Nitriensis Episcopus, una Aerario regio Praefectus; demum sequente anno Locumtenens regius, denique anno 1596 Electus Archiepiscopus Strigoniensis eo tempore Archiabbatiam gubernavit, dum licentia militari cuncta in Regno pessumibant. Unde iam anno 1569 mandatum a Maximiliano Rege ad Joannem Krossics Praefectum et Carponensem Capitaneum, ceterosque arcium Nitriensis, de Surány, Komjáth, et Ujvár Vicecapitaneos acquisivit, ne subordinatos sibi milites ad quaevis huius Abbatiae Bona, utpote nimium afflicta et desolata illocent.[1])

Sub huius regimine monasterium S. Martini militum praesidiariorum incuria exustum est, ad quod restaurandum aes alienum contrahere et plurimas terras pignori dare coactus fuit.[2]) Ita Abbatiam Koppánmonostor Nobili Thomae de Besse in 600 florenis—Derhida et Gellér in 40 fl. Petro Sidmondics et Stephano Nagy tradidit; plurimas quoque Sessiones colonicales, inprimis in Deáki ob fidelia servitia liberas fecit. Sed et pretiosam Ecclesiae supellectilem securitatis forte gratia Nitriam, dum eius Episcopus esset, transtulit; ubi postea nemine repetente remanserit. Calicem aureum, qui Archiabbatiae insigne ad pedem in encausto exhibet, in thesaurario Cathedralis Ecclesiae existere, aut certe anno 1822 exstitisse constat: non item quo iuris titulo illuc pervenerit: poterat autem iustissimo pervenire.

Idem exemplo Praedecessoris sui Ladislai V. etiam Abbatiae Bakonybeliensis titulum gessit, eiusque Bonis usus, quantum per hostem licuit, iura quoque nonminus ac ea S. Martini strenue et vigilanter tuitus est.[3]) Sed et Abbatiam Dömölkiensem ut suam filialem spectavit, eo quod iam Matthaeus Archiabbas eam cuidam Valentino ad S. Martinum professo contulerit: quo iure? Archivum silet. At collatam fuisse testatur Conventus SS. Salvatoris de Kapornak anno 1538, qui in hoc documento Matthaeum Archiabbatem, suum quoque Superiorem nominat.[4]) Illud lepidum, quod Valentinus iste unicum, ut videtur, in Monasterio Fratrem secum habuerit; quocum ita vixit, ut post longam annorum seriem dubium ortum fuerit, uter eorum sit Abbas: huicque tollendo Conventus Kapornakiensis testimonio verus Abbas eguerit. Humilem et solitarium vixisse; nec annulo, nec pectorali cruce vel inter rem divinam rutilare ambivisse, facile opineris.[5])

Porro huius tempore anno 1571 Pius V. in bulla de Idibus Julii, tribuit Cassinatibus potestatem absolvendi subditos Regulares a Casibus in Bulla Coenae Domini comprehensis.[6]) Eadem igitur facultas etiam Archiabbati S. Martini vigore bullae Leonis X. anni 1514 concessa fuit, vi cuius non tantum privilegia Montis Cassinensis annum 1514 antecedentia, sed etiam usque finem temporum secutura Monasterio S. Martini tribuuntur.[7]) — Idem Pontifex alia bulla, quae incipit: „Ex supernae dispositionis" Congregationi Cassinensi communionem omnium privilegiorum Mendicantium et non Mendicanti-

---

[1]) Caps. 47. W. — [2]) Caps. 8. R. — 17. N. — [3]) Caps. 8. R. — [4]) Caps. 65. Eee. — [5]) Crucis pectoralis apud Praelatos Hungariae usus extra rem sacram primum ad finem Seculi XVII. coepisse videtur. Certe apud Péterffy ante Georgium Széchenyi Archiep. Strigon. anno 1695 defunctum nullus comparet, cuius illa pectus decoraverit. — [6]) Margarini: Bullarium Cassinense: ad hunc annum. — [7]) Caps. 34. Z.

um Religionum largitus est, qua proinde et S. Martinus gaudet.[1])

Anno 1587 Rudolphus Rex contra tenores Decreti Ferdinandi I. Regis anni 1560 de non conferendis ad manus secularium Bonis ecclesiasticis, Abbatiam de Lében Stephano Baxay, Tiburtii Himmelreich Secretarii sui nepoti, iuveni adhuc in Studiis constituto, contulit; qui successive Canonicatu Jaurinensi, et Abbatia de Beel auctus est. Noster autem Stephanus resignata in gratiam affinis sui Pauli Baranyay anno 1592 Archiabbatiae Gubernatione, cui ob molem negotiorum se imparem senserat, dum ut Electus Strigoniensis Tabulas Confirmationis Roma praestolatur, anno 1596 obiit, Posonii in templo S. Martini in medio Sanctuarii sepultus.

36. Paulus II. (1593-1596.) Archiabbas VI.

Stephano Locumtenenti regio Archiabbatiae gubernationem abdicanti successit Paulus Baranyay de Eöchen, Abbas S. Benedicti de Rupibus, seu Szkalka, morum honestate et integritate inclitus, doctrinae non vulgaris; non quidem virtute canonicae electionis, sed Nominatione regia, eo quod fama propinquantis Turcae Conventum disperserit. Quem tamen cum Ordinis S. Benedicti Religiosus fuerit, et nuspiam alio quam Archiabbatis titulo decoretur, Archiabbatibus potius quam Gubernatoribus adnumerare placuit. In huius Collationalibus literis id peculiare, quod Archiabbatiam ea conditione acquirat, ut cultui divino in Ecclesia conservando Fratres, seu Monachos Ordinis sui, vel vero Monachis non inventis Presbyteros catholicos sufficientes in monasterio interteneat.[2])

Eodem anno Sinan Turcarum Vezirius Jaurinum versus hostiliter tendens, arcem S. Martini, quam Paulus Archiabbas strenue defendere parabat, ob ignaviam praesidiarii militis, uti et Capitanei Joannis Zádory, 30ª Julii deditione cepit. Patet istud ex Inquisitione ad mandatum Stephani Fehérkövy Locumtenentis regii per Capitulum Posoniense super influxu, quem Paulus in dedenda hac arce habuisset, instituta: e qua discimus, Heroëm hunc nullam in deditione arcis partem habuisse, verum potius eandem constanter dissvasisse; professumque fuisse identidem, malle se intra huius arcis muros mori, quam perfidi hostis fidei se concredere. Neque prius arce egressus est, quam cum videret antemurale ictibus tormentorum quassatum, praesidio nudatum esse, et praesidiarios pedites Jaurino in subsidium missos primo, mox etiam equites stationes suas deserere, et deditionem parare.[3]) Puncta huius deditionis dicuntur in Archivo Civitatis Jaurinensis asservari.

Eodem tempore Paulus obiectis sibi variis criminibus inquisitionem per idem Capitulum ad mandatum praelaudati Locumtenentis regii, procuravit; e qua prodiit, eum semper honeste et sobrie vixisse: non tantum libidinosos, sed de pravis moribus vel suspectos a se removisse: Abbatem Dömölkiensem a se non abegisse, sed hunc cum eo degere nolentem ad suam Abbatiam rediisse, licet Fratribus uterque caruisset: alium vero Sacerdotem Georgium Vukovics, cui vitam indecentem exprobrabat, sponte sua discessisse: Tyrannidem non tantum non exercuisse, verum Officialibus quoque mulctationem Subditorum severe prohibuisse; nullumque nisi praevio iudicio, et sententia lata pro demerito punivisse; denique non tantum contra institutionem Matris Ecclesiae

[1]) Tamburinus de Jure Abbat. T. 1. Disp. 17. Quaest. 1. nro 16—19. — [2]) Fasc. 64 2. — [3]) Caps. 29. C. —

nihil egisse, verum potius omnem curam eo impendisse, ut Religio catholica conservetur; Missas celebrasse, verbum Dei solerter praedicavisse, verbo: probam religiosam et exemplarem vitam etiam militari licentia circumdatum constanter retinuisse.[1])

Recuperato hac ratione honore, et virtutis militaris existimatione, cum occupato per Turcas praesidio et Monasterio S. Martini nullam opem ferre potuerit: ad Castra conversus anno 1596 in praelio ad Keresztes prope Miskolczinum strenue pugnando fortiter occubuit. Unde id, quod de eo cum omnibus Conventualibus in praesidio S. Martini per Turcas interfecto narrari solet, inter fabulas referendum est.

Ab huius nece Clerus secularis hungaricus Regiae Maiestati pro eo supplicavit, ut cum Religiosi imminente ab hoste periculo se fuga salvare soleant, sicque domicilia et bona sua ultro deserant; contra Ecclesiastici, tanquam fidelis populi veri pastores, nullas fortunae vices veriti, stationes suas conservent: Archiabbatia, uti hactenus, deinceps quoque Personae ecclesiasticae, non autem regulari conferatur. [2]) — Eodem anno Urbarium Archiabbatiae et arcis S. Martini circa bona et Jura S. Martini emanavit, e quo discimus, complures Possessiones Monasterii abalienatas fuisse.[3])

Joannes Kutasy Gubern. (1597-1601.)

Primum Quinqueecclesiarum, serius anno 1592 Jaurinensis Episcopus, et Cancellarius regius, tandem anno 1597 Archiepiscopus Strigoniensis et Locumtenens Regius, Rudolpho Regi merito carissimus, pluribus gravissimis legationibus defunctus Archiabbatiam sine cura et Conventu tenuit exiguo aut nullo forte suo emolumento, proventibus maxima parte Praesidio eiusdem adscriptis, et per Capitaneos Generales Praesidii Jaurinensis administratis.

Aut hoc tempore, aut certe non longe remoto, Oppidum S. Martini victoribus Turcis, novis suis dominis praestare annue tenebatur: 80 florenos, 40 currus foeni totidem imperialibus aestimatos, 40 currus ligni viginti imperialibus aestimatos, 30 pintas butyri, 15 metretas tritici, totidem hordei, 30 currus in servitium Ispaharum, aut ubi opus foret, 19 florenos tributi caesarei, tres urnas prunorum siccatorum Albensium, totidem nucum, 4 urnas vini et diversa donaria. Inquilini praestabant labores manuales in una quarta Colonorum. Mediae Sessionis Coloni plerique nulla pecora habebant; nonnulli unum equum, aut duos. Integrae Sessionis Coloni erant 9, mediae 11. [4])

Sub Turcarum iugo territoriorum metae consciis et consentientibus dominis prioribus solo aequabantur, postquam observatum fuisset, tributum a maioribus et minoribus praediis aequale exigi; quo factum est, ut contractis duobus tribusve in unum, tributum tale ab omnibus penderetur, quale a singulis pendi oportuisset, si metae fuissent conspicuae. [5]) E qua fraude serius, depulso e regno Turca, defectu Mapparum territorialium fideliter confectarum plurimae lites metales ortum duxerunt, quarum plurimae humano sangvine fuerunt inquinatae. —

Georgius Himmelreich Gubern. (1602-1637.)

Georgius Himmelreich a Schaffenberg, Tiburtii, Imperatorum Maximiliani

---

[1]) Caps. 53. N. — [2]) Caps. 54. R. — [3]) Fasc. 61. 1. — [4]) Caps. 22. D. — [5]) Caps. 17. B.

et Rudolphi per Hungariam Secretarii filius, ultimus Gubernatorum S. Martini, Archiabbatiam iuvenis quidem admodum, sed iam Canonicus Zagrabiensis, et Vicarius Pápoczensis anno 1602 ob sui patris merita obtinuit. Quapropter singulari Regis clementia Bonorum gubernatio interea, dum Georgius terminatis studiis, sacrum Presbyteratus Ordinem susciperet, Stephano Szuhay, Episcopo Agriensi, viro integerrimo, nomine Georgii exercenda, tradita fuit. [1])

Igitur, postquam anno 1602 per Franciscum Forgács Episcopum Nitriensem, Aulae regiae Cancellarium, iussu Regis fuisset introductus, a pueritia ad statum clericalem destinatus in timore Dei educabatur Pragae, ubi anno 1696 tonsura clericali initiatus, anno 1604 minores ordines, sequente Subdiaconatum ad titulum Archiabbatiae S. Martini a Joanne Sebastianensi, Archiepiscopi Suffraganeo, ceteros serius adeptus est. [2]) Et iam anno 1608 cum statu ecclesiastico adversus Pacificationem Viennensem coram Capitulo Posoniensi protestatus est; ubi post Episcopos, et Strigoniensis, Albensis ac Budensis Ecclesiarum Praepositos, ut Archiabbas inscriptus legitur; anno autem sequente Archiabbatiam in propria persona strenue administrare coepit.

In recuperandis alienatis bonis indefessus, anno 1609, et alias plurimis Protestationibus et Contradictionibus coram diversis Capitulis solenniter interpositis cavit, ne Raptores Bonorum successu temporis clypeo Praescriptionis defenderentur. Idem in mandato requisitorio Judicis Curiae, quod iste ad Georgium, et Conventum S. Martini direxit, Archiabbas dicitur. Sed talis tunc erat Conventus, qualis Archiabbas, et neuter veri nominis: iste titularis duntaxat, ille e secularibus Presbyteris ad custodiam Archivi, et officium divinum conflatus; uti iam Paulo II. Archiabbati altissimo loco niunctum fuit, ut si Monachos sui Ordinis non repererit, seculares Presbyteros interteneat.

Anno 1610 Mandatum praeceptorium Palatini Thurzo ad Valentinum Lépes, et Stephanum Pálffy Nitriensis et Posoniensis Comitatuum Supremos Comites obtinuit, ut hi, cassata Principis Boeskay invigorosa Collatione, et Stephani Illésházy Inscriptione super possessione Deáki Casparo Szegedy facta, eandem Archiabbati Montis Pannoniae tradant et resignent. [3]) Pariter sacra Ecclesiae supellex, quam Stephanus Szuhay anno 1604 securitatis caussa Viennae apud Lazarum Henkel, Civem Viennensem deposuit, plene recepta, et anno 1615 per ipsum Georgium literis consignata est. [4])

Anno 1611 Georgius Abbatiam S. Mauritii de Beel, pro suo Jure Patronatus Stephano Baksay, Canonico Jaurinensi, Archidiacono Rabensi, et Abbati de Lébeny cognato suo; eam vero de Dömölk post obitum Joannis Keöntös, Praepositi Örsiensis, et Parochi Soproniensis pari iure, sed soli antiquo usui nixo, serius iuveni Georgio Dienesevics in studiis constituto contulit: quorum uterque, praeeunte exemplo Archiabbate, in recuperandis et conservandis Ecclesiarum suarum Bonis pro viribus laborabant. Ipse vero in recipiendis ab iniquis detentoribus manifesti sui iuris possessionibus Ság, Gönyö, et Táp-Szent-Miklós ob potentiam Stephani et Nicolai Nyáry, qui eas ad Castrum Papense tenebant, frustra desudavit.

Eodem anno ad Synodum Provincialem Tyrnaviam per Archiepiscopum Strigoniensem Franc. Forgács Cardinalem ea cum declaratione invitatus fuit, quod licet extra Dioecesim sit constitu-

[1]) Caps. 63. T — 64. W. X. — Fasc. 64. 3. — [2]) Caps. 53. F. — [3]) Caps. 37. G. — [4]) Caps. 61. Cc.

tus, id est, ad nullam Dioecesim pertineat: ad mentem tamen SS. Concilii Tridentini in bonum et emolumentum religionis comparitionem eius exspectet. Comparuit igitur, et interfuit Synodo; sed suae dignitatis aut inscius, aut immemor, post Capitulorum Ablegatos, ante tamen alios Abbates et Praepositos, consentiens subscripsit. Et id quidem recte. Hac enim ratione e mente Concilii Tridentini Sess. 24. de Reform. Cap. 2. sibi Archiepiscopum elegit Georgius, cuius Concilio provinciali intersit. Quamvis enim Decretum Concilii nunc citatum tantum de Episcopis sonet, qui S. Sedi apostolicae immediate subiiciuntur: adiecta tamen declaratio docet, eius vim etiam ad alios Praelatos inferiores Episcopo extensam esse. Nec iuvat, quod Abbas Cassinensis nullum Archiepiscopum elegerit. Teste enim Gattula: [1]) iste Abbas nec poterat eligere, quia occasione distributorum inter Archiepiscopos Siciliae Episcopatuum Dioecesis Cassinensis nulli Provinciae attributa, in Provincia romana mansit, cuius membrum antea quoque constituebat; et sic tam ante hanc episcopatuum distributionem, quam post illam ad Romani Pontificis qua Metropolitae Jurisdictionem pertinebat; et Abbas Cassinensis sicut ante Concilium Tridentinum, ita et post illud Synodum provincialem romanam adibat. — Minus recte egit Georgius, quod Synodum Dioecesanam Strigoniensem dictam, sed Tyrnaviae anno 1629 celebratam adierit, utpote ad dioecesim Strigoniensem nullo respectu pertinens, et proprio suo territorio separato gaudens. Quod tamen vitii Juribus Archiabbatiae hoc ex facto accessit, id velut ab Archiabbate Commendatario, homine ecclesiastico, profectum parum nocere poterat; praesertim postquam facto successoris veri Archiabbatis, Mathiae Pálffy post annos 9 reparatum est: qui ad ipsam provincialem Synodum, licet vocatus, impune non accessit, ut infra dicetur.

Aderant in illa anni 1611 Synodo Abbates 4, Praepositi 9, quos inter Petrus Pázmán Societatis Jesu nomine Praepositi Turocziensis subscripsit. In hac Synodo Archiabbati S. Martini Parochias suas singulis annis visitandi, et ubi Synodi Acta impressa obtinuerit ab Archiepiscopo, congregationem sibi subiectorum Sacerdotum convocandi, utque ab omnibus rite intelligantur et accurate observentur, adnitendi obligatio imposita; denique terminus proximae Synodi celebrandae indictus et denuntiatus est. [2]) Viden, quam bene Synodus haec noverit, Ecclesiae regularis Jura et privilegia, sublato Conventu, et ea desolata, et ad statum secularem transeunte non perire! Viden, quomodo Archiabbas secularis, Conventu regulari nullo, sed certe ex Presbyteris secularibus, si aliquis adfuit, conflato, suas Ecclesias, suos Parochos, suos Sacerdotes habeat, sicut stante Conventu regulari Archiabbas regularis habebat suos, ab omni Episcoporum Jurisdictione et visitatione immunes! Quod amplius: Georgius iste a Legato apostolico Viennae anno 1623 indultum pro se et Parochis suis obtinuit recedentes ab haeresi, et incendiarios absolvendi; item Clericos suos a quocunque Episcopo catholico etiam extra consveta tempora ordinari curandi; quorum utrumque indicat, cum se pro Ordinario sui Territorii, nullius Episcopi Jurisdictioni subiecto gessisse; haec Jura, quae solis Ordinariis competunt, nemine contradicente, et Sede apostolica consentiente exercuisse. Unde manifestum est, Jura Monasterii S. Martini spiritualia, sublato Conventu regulari non exspiravisse; contra, quam cuidam eorum adversario potenti placuit asserere. [3])

---

[1]) Hist. Abb. Cassin. pag. 843. — [2]) Péterffy: Conc. Hung. II. p. 202. et 215. — [3]) Caps. 66. LII.

Anno 1608 Georgius litem de praecedentia in Comitiis Regni contra Generalem Paulinorum suscitavit, usque annum 1728 productam, partibus in singulis Comitiis ea de caussa disceptantibus, quorum undecim eius vita comite celebrata sunt. Sequente anno Canonicatu Posoniensi auctus. Collationales Literas a Francisco Forgács Strigoniensi Archipraesule obtinuit. Anno 1613 a turcico Praefecto humanissimas literas percepit, quibus iste queritur, Varsanyienses Colonos praestanda non praestare. [1])

Anno 1627 adversus milites praesidiarios, decimas et nonas ex vineis promontorii Castri, et oppidi Sz. Mártony debitas denegantes cum fructu decertavit, quos in poena dupli, et ob neglectam comparitionem in tribus Marcis gravis ponderis convinci procuravit. [2]) Tum anno 1631 mandatum a Rege Ferdinando II. obtinuit, quo Joanni Preuner Jaurinensis Praesidii Supremo Capitaneo, et Paulo Zichy Vice-Capitaneo iniungitur, ut eum in universis suis iuribus et Bonis contra quoslibet illegitimos impetitores, signanter contra Stephanum Mickus (Miskey) Praesidii S. Martini Capitaneum tueantur. [3])

Anno 1629 in Elencho Abbatum Ordinis S. Benedicti, qui ad Synodum Dioecesanam Strigoniensem solent comparere, etiam Abbas S. Martini recensetur, et quidem in medio post alios Abbates, utpote ordine alphabetico insertos; adeoque nec suo loco, nec cum conveniente Archiabbatis titulo; et omnino perperam: eo quod huic asserto tam iura Monasterii, quam historia Ladislai in eodem Péterffy aliquot paginis superius recitata contradicat. Primus erat hoc ipso anno Georgius, qui Synodo huic dioecesanae Strigoniensi intererat, in cuius Appendice Abbates illi e sententia Petri Pázmán recitantur. Verum unus actus non sufficit ad hoc, ut actus solitus dici possit. — Ceterum in hac Synodo Georgius inter Synodales Judices cooptatus fuit. Interfuit deinde anno 1630 Synodo nationali, in qua titulum Archi-Abbatis sibi competere, e bullis Pontificum, ratihabente Synodo, evicit. In hac Synodo, quam Pázmánus provincialem exemplo Bellarmini, ut dicebat, nominavit, cum reapse nationalis esset, Archiepiscopus Colocensis Thelegdy protestatus est, se quidem invitatum ad Synodum comparuisse, verum nihil propterea de praerogativa sua archiepiscopali detractum velle. Verum, mox edoctus Synodum hanc per Pázmánum Cardinalem, non qua Archiepiscopum, sed qua Primatem Regni et Legatum natum indictam esse, cui omnes intra Primatiae et Legationis fines obtemperare tenerentur, approbante caussam Synodo, conquievit. Tantominus nostrum Georgium protestari potuisse, supra diximus. — Instituta in eadem Synodo pro Collegio Pazmanaeo Collectione, ad solvendos quotannis 32 florenos hung. se obligavit. In Synodo anni 1633 Judicem Synodalem iterum egit. [4])

Compositis demum motibus Bethlenianis, de reducendo ad S. Martinum regulari Conventu consilia cum Gregorio Nagyfalvy tunc Canonico Jaurinensi, et Electo Syrmiensi, deinde Vaciensi Episcopo serio agitabat. Qui cum deducendae in effectum salutaris huius intentionis modum ignorarent: Nagyfalvius anno 1633 datis ad Principem Antonium, Episcopum Viennensem, una Abbatem Cremifanensem, et Caesareo-regium intimum Consiliarium humanissimis literis maiorem in modum orabat, ut „pro sua erga Deum, et S. Ordinem divi Benedicti caritate, velit eis apud S. Sedem apostoli-

---

[1]) Fasc. 58. 104. — [2]) Caps. 47. Bb. — [3]) Caps. 47. Y. — [4]) Péterffy: Concil. Hung. ad hos annos.

cam, et Caesaro-regiam Majestatem suum auxilium et auctoritatem interponere; et ubi opus erit, praesidio, et adjumento esse: si in S. Benedicti familia olim bonorum Virorum ferace, et monasticae disciplinae observantia florente in Hungaria restituenda majores difficultates superandae venirent." [1]) Iisdem literis orabat Religiosos quosdam Fratres in sacris constitutos, squalido carcere cum aliis facinorosis conclusos liberari, quorum crimina se ignorare fatebatur.

Mirum videri possit, literas Episcopi Nagyfalvy ad Antonium datas, plurium annorum decursu effectu caruisse. Verum providus Antonius nihil hoc in negotio praecipitandum sapienter ratus est, eo quod sub Georgii, regularis disciplinae ignari, et insveti regimine Conventum religiosa observantia florentem surrecturum sperare nequiverit. Itaque hoc vivente nullos eo fine passus fieri placuit. Vigilabat tamen, et sedulo cavebat, ne Archiabbatia iterum ad exteras manus deveniat, quo salutaris intentio suffocaretur. Ita Georgius, quin voti compos fieret, anno 1637 obiit, annos natus circ. 54.

37. Mathias (1639-1647.) Archiabbas VII.

Quod Gregorium Nagyfalvyum Episcopum, ipsumque Georgium Himmelreichium in ferventibus habuisse votis vidimus, ut scilicet S. Ordo S. Benedicti in S. Martino restabiliretur: id agente potissimum supra laudato Antonio Viennensi Episcopo, et Georgio Draskovics Jaurinensium Antistite occasione Comitiorum Posoniensium anno 1638, multis licet adversantibus effectum est; Antonii cura eo quoque porrecta, ut cum novo Conventu simul prisca disciplina Monasterium ingrederetur. Is enim, uti literae Capellani eius, Antonii Sauther, Benedictini Cremifanensis testantur, quamprimum Archiabbatiae restitutionem a Ferdinando III. Rege obtinuit, de idoneo Archiabbate, suis et Regiae Maiestatis votis responsuro sollicitus, Mathiam Pálffy, natione Hungarum, Csepreghino oriundum, Ordinis Cisterciensis ad S. Crucem in Austria ab annis sedecim Professum, et in decimum annum Priorem commendavit: cui interea, dónec congrua disponerentur, Administratori Archiabbatiae nominato, Posonium ad Caes. regiam Maiestatem evocato, et per hanc 1638 acceptato, medio Ignatii, Abbatis Campiliorum Vicarii, et per Austriam, ac adiacentes Provincias Ordinis sui Commissarii Generalis; item, Hilarionis Abbatis S. Ambrosii maioris Mediolani, et Generalis Romae Procuratoris facultatem Ordinem suum mutandi apud Cardinalem Barberinum Ordinis S. Benedicti Procuratorem, accedente etiam Romae Caesarei Legati cooperatione, procuravit. [2])

Mathias hac ratione administrationem Archiabbatiae adeptus, ne requisitis ad restabiliendum Ordinem vitae mediis destitueretur: mandatum a Rege ad Cameram hungaricam impetravit, ut frumentum, vinum, aliaeque res mobiles, vacante Archiabbatia aliorsum translatae quantocius revehantur, et usque ulteriorem Resolutionem regiam ab earum venditione abstineatur. In cuius nexu Camera regia 500 florenos se ratione vinorum ex Bonis Archiabbatiae medio tempore perceptorum ocius persolvere, et vacua vasa restituere velle significavit. Quod quia parato aere praestare non poterat (vide rei aerariae statum), regia vina currente pretio recipienda usque debiti exaequationem obtulit. [3])

---

[1]) Caps. 54. Q. — Ziegelbauer: Epit. hist. Mon. Brevnov. p. 218 et seqq. — [2]) Caps. 64. Cc. — [3]) Caps. 64. Xx. — 60. O. —

Mox iussu Urbani VIII. Summi Pontificis per Generalem Congregationis austriacae Ordinis S. Benedicti Visitatorem, qua Electus Archiabbas ab Ordine Cisterciensium liber, antequam Collationales obtinuisset, in Comitatu Jaurinensi protestatus est, ne per publicam Malefactorum in eo Comitatu perquisitionem Privilegiis et Juribus Monasterii aliquod praeiudicium intuitu iuris gladii generetur. Similiter Georgio Semberger Dicatori regio contradixit, qui Bona Archiabbatiae adversus huius Jura taxabat.[1])

Post haec Professionem iuxta Regulam S. Benedicti, et statuta Congregationis austriacae in festo Conceptionis B. M. Virginis in Sacello Aedium Monasterii Mellicensis Viennae SS. Benedicti et Colomanni honoribus sacro hac formula elicuit: „In nomine Christi. Amen. Ego Frater Mathias Pálffy, Dioecesis Jaurinensis, alias Professus Monasterii S. Crucis Ordinis Cisterciensis, expetitus ad regimen Archiabbatialis Monasterii S. Martini Ordinis S. Benedicti de S. Monte Pannoniae in Hungaria prope Jaurinum, ut in illud regularem observantiam juxta Regulam S Benedicti, et Constitutiones Congregationis Austriacae Monasteriorum ejusdem Ordinis S. Benedicti introducam, ex dispensatione Sanctissimi Domini nostri Urbani VIII. ad honorem omnipotentis Dei, ac Beatissimae Virginis Mariae, Beatissimi Benedicti et omnium Sanctorum, tenore praesentium promitto stabilitatem, et conversionem morum meorum, ac obedientiam secundum Regulam ejusdem S. Benedicti Deo et Sanctis ejus ad nomen Sanctorum Benedicti, et Colomanni Patroni hujus sacelli ac aliorum Sanctorum, quorum reliquiae in praesenti sacello sunt. In praesentia Illustrissimi S. R. Imperii Principis Domini Reverendissimi Antonii Episcopi Viennensis, Abbatis Cremifanensis, ac S. Caesareae Regiae Majestatis Consiliarii Intimi, nec non Monasteriorum Ordinis S. Benedicti supra nominatae Congregationis austriacae Praesidentis, cujus instantia praedicta Archiabbatia S. Martini a Divo Ferdinando III. tanquam legitimo Ungariae Rege nuper restituta est, et coram Vobis Illustrissimis et Reverendissimis Dominis Episcopis et Abbatibus, ceterisque Patribus et Fratribus hic praesentibus. In cujus rei fidem hanc Schedulam manu propria scripsi, et subscripsi in hoc sacro loco Aedis Mellicensis Monasterii Viennae ab Incarnatione Domini 1638 die 8 Decembris. Idem qui supra Mathias Pálffy, m. pr.“ —

Hoc tempore adhuc Congregationem austriacam viguisse videmus, cuius Constitutiones Mathias se observaturum professus est: inde tamen non diu duravit, annum circa 1650, teste chronico Mellicensi, aemulatione capitum Ordinis collapsa. Ceterum spectato Professionis eius verborum tenore Mathias privilegiis Archiabbatum Praedecessorum suorum renuntiavisse videtur in puncto Praesidentiae perpetuae; quod facile facere poterat, nullo in toto Regno Abbate exsistente, nullo Capitulo possibili, cui praesideret. Quod si non fecit, dicendum erit, eum Congregationem austriacam reapse ingressum non fuisse ita, ut ceteri Austriae Abbates: sed tantum Constitutiones eius, in quantum Juribus eius et Monasterii non adversarentur, adoptavisse; ad eas iuravisse, et eas in erigendo a se Conventu observare et observari facere intendisse; quod quomodo fuerit exsecutus, infra patebit.

Emissa Professione sacra, et solutis titulo Taxarum solitarum 125 Thaleris, anno 1639 Regias Collationis Literas pro Archiabbatia S. Martini (post Ordinis S.

---

[1]) Caps. 54. Min. — 46. P

Benedicti in Regno Hungariae Jure Postliminii ex peculiari Regis gratia repositionem) per obitum Georgii Himmelreich eiusdem loci Abbatis vacante cum omnibus pertinentibus, tali lege obtinuit, ut divina sedulo peragere, ac sufficientes Religiosos in eodem Monasterio, et Praesidiarios milites in arce ibidem habita pleno numero quovis tempore intertenere et abalienata recuperare obligetur. Confer supra pag. 39.

Occasione huius restaurationis Ferdinandus Rex pro se et suis Successoribus, legitimis Hungariae Regibus, Archiabbatum ex hungarica natione nominationem, electionemque sibi reservavit; ad quod Jus singuli post eum Reges in Literis Collationis Archiabbatiae provocant. Nihilominus Conventus, pro antiquissimo suo Jure, Archiabbates hac etiam Epocha semper canonice eligebat, et qua tales Regiae Maiestati praesentabat, quae eos sine exceptione acceptavit; sed in literis Donationis, nulla Electionis per Conventum factae iniecta mentione, tanquam per solam Regiam Maiestatem electos et nominatos induxit. Vide supra pag. 101, ubi Ferdinandus I. Rex Ungariae Jus Patronatus sui cum Jure Electionis Conventus amoene conciliat.

Ad iura sua tuenda conversus Mathias adversus Abbatiae S. Jacobi de Lébeny Patribus Societatis Jesu collationem, et Collegio Iaurinensi applicationem protestatus est; qua occasione Jesuitae, ut animum eius delinirent, aram portatilem ex ebore affabre factam Monasterio donaverunt. Qui cum porro etiam Abbatiam S. Aniani de Tihan appetiissent, fortiter se ut Praeses Ordinis opposuit: et fine huius Abbatiae suae Archiabbatiae incorporandae potentium Patronorum favores et praesidium exquisivit.

Cum in hoc, tum in aliis arduis negotiis eximium habebat adiutorem Antonium Sauther, cuius supra meminimus. Hic enim et ipse Benedictinus qua Episcopi Viennensis aeque Benedictini Capellanus, mentem huius in maxime dubiis casibus explorabat, et Mathiae fideliter perscribebat. Hinc Protestationes circa Abbatias Ordinis nostri, hinc etiam ea Mathiae nondum Archiabbatis, sed Administratoris duntaxat constantia manavit, quam praesetulit, dum ad Synodum provincialem 1638 per Emericum Lósy Archiepiscopum Strigoniensem Tyrnaviam pro 13ª Junii indictam non comparuit; sed literas duntaxat misit, quibus se ad Synodum vi exemptionis et Privilegiorum suorum non obligari affirmavit.

Literis his in Synodo productis unanimi consensu declaratum fuit, ut sequitur: „Licet ipse (Mathias) a S. Caesarea Majestate necdum obtinuisset donationem: obstringi tamen ad comparendum in Synodo non obstantibus illi Archiabbatiae ab antiquo concessis privilegiis, indultis, ac quibusvis quoquomodo praetensis exemptionibus, quae omnes per oecumenicum Concilium Tridentinum sublatae, ac penitus annihilatae dignoscerentur; sicut etiam per Provinciales aliquot Synodos, quibus Archiabbas interesse debuit. Meruisse proinde eum poenas canonicas, a quibus nisi Illustrissimum Dominum Primatem complanaverit personaliter, se in posterum obedientem futurum, nulla ratione esse absolvendum.“ [1]) Utinam Synodus illud Concilii Tridentini Decretum citavisset, quo seu Archiabbatiae S. Martini, seu omnium Religiosorum Ordinum omnes Exemptiones quoquomodo praetensae, et omnia indulta, et privilegia sufferuntur, ac penitus annihilantur. Pauca aliqua sublata fuisse constat; sed

[1]) Péterffy: Conc. Hung. II. p. 357.

constat item cetera non tantum tacite permissa et velut tolerata, sed disertis verbis etiam confirmata fuisse. Ita Sess. XXI. de Regul. Caput XX. sic finitur: „In ceteris omnibus praefatorum Ordinum privilegia et facultates, quae ipsorum personas, loca, et jura concernunt, firma sint et illaesa." Ceterum Mathiam, praesertim si non Administrator, qui erat, sed iam Archiabbas fuisset, ad adeundam Synodum provincialem fuisse obligatum, non licet diffitèri; postquam Sess. XXIV. Cap. 2. de Reformat. Episcopis, qui nulli Archiepiscopo subiiciuntur, obligatio imponitur aliquem vicinum Metropolitanum eligendi, in cuius Synodo provinciali cum aliis interesse debeant: et haec Concilii determinatio tantum de Episcopis sonans, per Congregationem Cardinalium SS. Concilii Interpretum ad Praelatos seculares Episcopo inferiores extensa, e spiritu Legis merito porro ad Praelatos regulares extendi posse videtur; licet secunda haec Extensio Benedicto XIV. (De Synodo Dioecesana) non placeat. Confer supra pag. 118. et 119. —

Gregorio Nagyfalvy, iam Episcopo Vaciensi adeo carus erat, ut eum sui testamenti Exsecutorem constituerit.[1]) Eodem tempore a Valentino Balassa 20,000 florenorum testamento huic Monasterio legata obtinuit. Anno 1642 ad Comitia Regni, anno 1644 ad Castra per Regem evocatus cum XXV Equitibus Füssienisibus, suis quippe Nobilibus Praedialibus, aliisque suis Gentibus adversus Georgium Rákóczy ad Szakolczam strenue pugnavit: et mox per Georgium Lippay, Strigoniensem Archiepiscopum ad solvendos ocius in aere parato 300 florenos ex impositis Statui ecclesiastico pro belli expensis 20 millibus, proportionaliter in S. Martinum cadentes inviatus est.

Eodem anno Posonii Pestem grassatam fuisse, in qua duo Palffyi obierint, literae Pauli Pálffy et aliorum ad Mathiam datae testantur. Memorari merentur eae Michaelis Vörösmarty, Abbatis de Batha. et Canonici Posoniensis, tempore pestis datae, de quarum uno exemplari scribit: „Eleget szellőzik, még Győrre eljut."*) Igitur Mathias, ut plerique Abbates S. Martini, Jaurini habitavit. Idem de terroribus belli a Rákóczyanis Posonio imminentibus sine ulla animi commotione loquens: „Hiszem, inquit, annyi félelmek által megkeménykedtünk, hogy akár mi jön, jót állunk."**) Ex eiusdem literis patet, hoc tempore titulo Census annui 6 usque 10 pro Centum solvi consvevisse, Sacerdotes tamen ultra sex non desumsisse. Idem tamen optabat, M florenos, quos Archicoenobio cum onere Missarum tradidit, erga octo pro Centum elocari, si citra laesionem conscientiae fieri posset. Ex eodem discimus, tunc in Archicoenobio eruditum quemdam Patrem vixisse, cui Vörösmarty opus suum perlustrandum obtulit prius, quam typis mandaretur.[2])

Anno demum 1646 monitum videmus Mathiam per Nuntium apostolicum Viennae residentem, ut Austriacae Benedictinorum Congregationi et Constitutionibus in ea conditis se accommodare studeat, et Capitulum in suo Monasterio fine conservandae necessariae regularis disciplinae, promovendique divini cultus ac reformandi Ordinis intra trimestre celebret.[3]) Videtur temporalibus ultra modum distentus disciplinam regularem satis custodire nequivisse. Obsequutum fuisse Mathiam Nuntio apostolico inde colligitur, quod licet Capituli huius Statutorum nullum exsistat vestigium: certum tamen sit, Monasterium S. Martini Congregationi austriacae accessisse, adminus eo modo, qui supra pag. 122 insinuatus est;

---

[1]) Fasc. 72. 1. — *) Satis perflabuntur (literae), donec Jaurinum perveniant. — **) Frequente metu ita pol obduruimus, ut quidquid venerit, viriliter feramus. — [2]) Caps. 64. Zz. — [3]) Caps. 64. Ww. —

eo, quod Aegidius I. Archiabbas anno 1683 Congregationem hanc in literis ad Abbates Austriae datis, nostram vocet. Istud Privilegiis Archiabbatiae nihil derogavit; eo, quod Congregatio haec ratione unionis Monasteriorum, et dependentiae a Praesidente hoc tempore iam vacillaverit, donec circa annum 1650 penitus corruisset: nihilo ex ea, praeter sterilem recitatorum statis temporibus Statutorum memoriam permanente. De ipsis vero Capitulis triennalibus iuxta spiritum Canonum celebrandis iam tunc opiniones Abbatum variabant. Sic Abbas Scotensis Antonius sensum suum eatenus Mathiae aperit: ut, licet noverit in Monasterio S. Martini regularem disciplinam vigere, tamen, cum mutatione capitis magna in membris mutatio fieri soleat, mentem suam aperiat: an quod complures Austriae Abbates intendunt, ille quoque domum suam fulcire, et ad Congregationem, intermissas visitationes et neglecta Capitula triennalia ad vitam revocaturam, accedere velit.[1]) Hinc patet, iam hoc tempore Visitationes et Capitula generalia Congregationis austriacae obsolevisse. An autem nova Congregatio, hoc 1646 anno, per Abbates nonnullos optata, coaluerit, dubitare licet, cum Chronicon Mellicense fateatur, austriacam dictam circa annum 1650 penitus corruisse; alteriusque, quae ei successisset, nullam faciat mentionem.

Denique anno 1647 regalibus literis ad Comitia Regni evocatus, horum initio ibidem obiit 24ª Martii. Quo peracerbo nuntio ad S. Martinum delato, Conventus pro defensione iurium suorum Posonium ad Comitia regni P. Placidum Magger Priorem, et Emericum Seiffrid Suppriorem, Procuratores cum plena potestate expedivit. In horum literis, ut vocant, credentionalibus primum occurrit sigillum Conventus cum quinque cordibus, et voce Pax cum vitiata epigraphe: Sig. F. N. C. M. Pannoni... Videtur Sigilli huius usus a Congregatione austriaca fuisse adoptatus, quae V cordibus utebatur, adscita e Sigillo Congregationis Cassinensis voce Pax, ad cuius gremium Conventus S. Martini se iurium communionis intuitu pertinere noverat. — Usus carnium pariter ad S. Martinum e Statutis austriacae Congregationis manavit, in quibus iam anno 1625 auctoritate apostolica confirmatis legimus carnium esum in Germania iam dudum invaluisse.[2]) Factum est hoc sensim decursu seculi XVI., postquam Clemens VII. circa annum 1530 legem abstinentiae a carnibus tribus diebus per hebdomadam pro Benedictinis Moguntinis laxavit.[2])

38. Placidus I. (1647-1665.) Archiabbas VIII.

Conventus S. Martini, annuntiato Regiae Maiestati Mathiae obitu, P. Placidum Magger, Priorem suum sibi Archiabbatem dari, et Protectionales literas ad Supremos Comites, et Vice-Comites Comitatuum, quibus Bona eius ingremiata erant, expediri petebat. Cuius precibus inclinatus Rex, eodem anno, non obstante Statuto Synodi provincialis anni 1638 Cap. IX. §. 6. petitam Placidi confirmationem impertitus est; quod unanimiter electum, vix anni spatio hoc in Conventu moratum, et alias hominem exterum, Prioris tamen munere egregie functum fuisse compererit. Postquam quippe Placidus in quodam Silesiae Monasterio regulam S. Benedicti professus, et inde per. Svecicum militem bello tricennali expulsus fuisset, in Ungariam veniens in Comitatu Trencsiniensi (Slavus enim erat) curam animarum in Possessionibus Viszola, Slopna, et Podszkal summo in convertendis haereticis zelo

[1]) Fasc. 79. 3. — [2]) Chron. Mellic. p. 575. 780. —

et fructu per triennium exercuit: ac demum comperto Conventum S. Martini per Archi-Abbatem Matthaeum restitutum, invitis et impedientibus fidelibus suis ad Claustrum properavit; ubi eodem anno Prior Conventus, sequente Archiabbas electus et confirmatus. mox Consiliarii regii honore, quo ante illum Georgius quoque et Mathias gaudebant, auctus est.[1])

Ab adito munere, celebratis pro Decessore Mathia solennibus exsequiis, primae eius curae erant desolata bellorum tempestate loca Incolis providere, quod tam in S. Martino, quam in pluribus aliis Archiabbatiae Possessionibus praestitit. Mox curam animarum ob defectum operariorum neglectam animo complexus cetera inter restauratae opera sua Ecclesiae Dénesdiensi tunc Parochiali, et Miséród ac Szemethi ab antiquo adfiliatas habenti, verbi Dei praeconem Religiosum ex S. Martino attribuit; cui ex desertis Sessionibus agros sufficiente quantitate, vestes et 12 urnas vini assignavit; Campanam Ecclesiae donavit, stolares competentias definivit; denique Ludimagistri, „qui in Ecclesia canere, pulsare, et pueros instituere deberet," sustentationem ordinavit;[2]) ubi cum hac Ludimagistri obligationes enumerentur, non videntur eo tempore tam arcte cum eius officio coniunctae fuisse, ut suapte intelligi potuerint.

Non tantum animarum Jurisdictioni eius spirituali subiectarum, sed et aliarum dissitarum eum cura tenebat. Nam uti ex Abbatis Gerstensis literis ad Principem Archiepiscopum Pisanum datis patet, P. Gregorium ad S. Martinum professum ad fines Turciae pro animarum cura dimisit; qui hoc munere ita functus est, ut pro Missionis austriacae socio per eundem commendari meruerit. Sed et Csepreginum eodem scopo aliquos miserat, quos serius Judex Curiae regiae Franciscus Nádasdy de zelo religionis, et vitae puritate egregie collaudavit.[3])

Jus suum respectu Abbatiarum filialium et titularium tuitus, Abbatiam S. Crucis de Telki Nicolao Dianesevics, minori Praeposito Zagrabiensi; hocque defuncto anno 1661 Petro Bellicsics Canonico Jaurinensi contulit. Hoc tempore coram Capitulo Jaurinensi contra Bonorum S. Martini, et Abbatiarum de Ludány, Lébeny, Dömölk, Beel, Bela, et Szkalka seu de Rupibus tam per Ecclesiasticos, quam per seculares factam impetrationem, et avulsionem contradicendo protestatus est. Erravit autem in Collatione Abbatiae S. Crucis de Telki, quod eam ad Dioecesim Vesprimiensem pertinere, et eandem cum Abbatia S. Stephani Regis de Telki, tunc Dioecesis Vesprimiensis, esse existimaverit; haeque ratione etiam successores in errorem induxit. Jam enim constat, Abbatiam S. Stephani Regis de Telki ad Jurisdictionem et Patronatum S. Martini nunquam pertinuisse: bene vero Abbatiam S. Crucis de Telki in Dioecesi Agriensi fluvio Chrysio adsitam, pluribus praediis et Possessionibus dotatam.[4])

Hoc Archiabbate Congregationem austriacam, quam circa annum 1650 suapte collapsam fuisse diximus, austriaca Pietas restauratam voluit.[5] Docent hoc literae Ferdinandi Imperatoris anno 1652 ad Episcopum Passaviensem datae, quibus qua hortando, qua iubendo cum dicto Episcopo multis agit, ut Congregationem hanc secundum Statuta illis temporibus accommodata, et per Pontificem confirmata, medio Valentini Mellicensis, et Petri ad Scotos Viennae Abbatum restituat.[5])

Acta Ordinis Paulinorum referunt, Archiabbatem S. Martini primum anno 1662 in Comitiis Regni inter Magnates sedisse, qui proin Placidus erat. Consonat his Nicolaus Dianesevics Praepositus mi-

[1]) Caps. 53. G. — 27. R. — [2]) Caps. 43. P. — [3]) Caps. 72. Ii—Kk. — [4]) Caps. 66. E. — Fasc. 85. 12. — [5]) Caps. 18. Hh.

nor Zagrabiensis in suo memoriali ad Archiepiscopum Strigoniensem dato. Cumque Princeps Esztoráz dicat annis 1647, 1649, 1655, 1659 Generalem Paulinorum ante Archiabbatem sedisse: patet, illum quoque inter Status regni sedem, et non inter Magnates, habuisse.[1])

Huius Archiabbatis tempore insignis calamitas Coenobium afflixit, orto scilicet incuria Praesidiariorum arcis incendio, quo Monasterium una cum arce, Ecclesia, totaque supellectile domestica conflagravit. Ad hoc restaurandum defectu pecuniae complura praedia et possessiones Nicolao Iványos oppignorata, sed post 15 annos redemta sunt. Hac occasione a Rege studuit obtinere Placidus, ut Capitaneus arcis, qui ad hoc tempus in Claustro degebat, extra Claustrum migrare juberetur; quod tamen nonnisi ultimo vitae suae anno impetravit, 1665 scilicet, cuius decursu 23ª Septembris obiit. — Anno 1648 Synodo nationali per Georgium Lippay Archiepiscopum Strigoniensem Tyrnaviae celebratae interfuit, et post Episcopum Varadiensem subscripsit.

39. Aegidius I. (1665-1684.) Archiabbas IX.

Morti proximo Placido, Conventus S. Martini duos Conventuales ad Regiam Maiestatem, Leopoldum I. expedivit, qui agerent, ne Archiabbatia extero conferatur.[2]) Ab eius autem obitu unanimi voto Aegidium Gencsy elegit, et per Regem Hungariae confirmari procuravit. Verum Aegidius an ignorantia iurium Loci, an alia de caussa, ignotum: sed confirmationem sui Romae, Alexandro de Vecchi, Agente romano, frustra obnitente, imo Ildephonso de Mier, Gregoriani Collegii trans Tiberim Abbate, et Benedictinorum per Hispaniam Generali Procuratore superfluam censente, toto triennio obstinate sollicitavit, et tandem impensis 1700 florenis obtinuit.[3])

Obtenta confirmatione et benedictione ad tuenda et recuperanda Monasterii Jura et Bona totis viribus incubuit, felici plerumque successu; quod litiganti eo molestius pendente lite accidit, quo minora huius fuerunt obiecta, quae ultra praediorum limites, aut portiones possessionarias non assurgebant. Verisimile est; eum coeptam per Placidum Monasterii restaurationem absolvisse. Regii Consiliarii titulo decoratus anno 1673 Abbatiam S. Mauritii de Beel Gerardo Simoncsics, S. Martini Priori contulit. Denique anno 1683 adventantibus Turcis, postquam Religiosos ad Austriam, signanter duos cum Archivo Viennam ad Scotos dimissos eiatibus Abbatibus commendavisset,[4]) ipse jussu regio cum 35 militibus suis Jaurinum se recepit; ubi postquam Archicoenobium aegerrime restauratum per Ducis Karamustafa copias iterum exuri e moenibus Praesidii conspexisset, 2ª Octobris anni 1684 vivere desiit. —

Porro in literis, quas dimissis ad Austriam fugientibus Religiosis dedit, se Dei et apostolicae Sedis gratia Exempti Monasterii de S. Monte Pannoniae Ord. S. Benedicti Archiabbatem, ac per Regnum Hungariae, regionesque illi adnexas eiusdem Ordinis Summum Praesidentem compellat; et tamen fugientes commendat omnibus Abbatibus, Prioribus etc., in specie vero iis „Congregationis nostrae Austriacae.“ Unde iterum patet, hoc quoque tempore Monasterium S. Martini ad Congregationem austriacam pertinuisse, quin propterea de Juribus Archiabbatis, qua summi et perpetui Praesidentis quidquam detractum fuerit. Nihil enim opitulante Ferdinandi III. Imperatoris ad eam resta-

[1]) Fasc. 63. 3. et seqq. — [2]) Fasc. 79. 6. — [3]) Fasc. 76. 19—25. — [4]) Fasc. 79. 44. —

biliendam conatu, Congregatio haec, quae iam ante CC annos sub nomine Mellicensis floruit, iniuria temporum, et malitia hominum, praevalentibus maxime haeresibus dissoluta fuit; et huius Aegidii tempore, tantum nominetenus exstitit; re nulla fuit: statutis quidem exsistentibus, sed qui eorum observationem procuraret, non reperto. Quandam tamen mutuae caritatis unionem inter Abbates viguisse, id videtur ostendere, quod in literis suis Aegidius Abbatem B. M. Virginis ad Scotos, una Episcopum Hellenopolitanum et Episcopi Viennensis Suffraganeum in coopertorio extus filium appellet; intus vero se eius amantissimum servum, et Parentem obsequentissimum subscribat.

Anno 1671 Clemens X. in festis Sanctorum: Benedicti, Scholasticae, Mauri, Placidi, et Omnium Monachorum Ordinis Benedictini, rite confessis et communicantibus, si pro christianorum Principum concordia, haeresum exstirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces fuderint, plenariam omnium peccatorum Indulgentiam concessit.[1])

40. Gerardus. (1684-1689.) Archiabbas X.

Repulso christiani nominis hoste, suffragiis totius Conventus ad domicilii sui busta reducis Gerardus Simoncsics ex Abbate S. Mauritii de Beel Archiabbas legitime electus per Leopoldum Regem confirmatus literas donationis eodem anno 1684 obtinuit. Anno deinde 1687 in Comitiis Posoniensibus occasione solennis inaugurationis Josephi I. cum Ottone Abbate Banthensi ad Bambergam Ord. S. Benedicti, Ministro Caesareo de restaurandis, et Ordini suo restituendis Abbatiis hungaricis, quae partim desolatae, partim in Secularium, Canonicorum, Jesuitarum et aliorum manibus constitutae alienis parebant, serio tractavit. Qui quidem ad salutarem hunc scopum Archiabbati svasit, ut apud Regni Magnates, Status item et Ordines Posonii congregatos, quam etiam apud Augustissimum Imperatorem per quoddam stringens et ponderosum Memoriale nomine S. Ordinis negotium urgeat: ipse vero spopondit, se tam apud Caesarem, quam sub manu apud primarios eius Ministros, et apud plures Regni Hungariae Comites rem pro viribus curaturum.

Commoto iuxta promissa negotio, mox patuit, Maiestatem regiam pro singulari suo cultum divinum augendi studio in votum Gerardi inclinare, imo utriusque Maiestatis Confessarios eodem studio ductos ita accessisse, ut, si IV Abbatiae, quas tunc Societas Jesu tenebat, huic pacifice relinquerentur: tam illi, quam ceteri Societatis Patres in recuperandis ceteris auxilio eis esse velint. Atque tantis praesidiis effectum est, ut Status et Ordines regni inter cetera sua postulata inseruerint articulum, quo tribus Ordinibus, utpote: Benedictinorum, Praemonstratensium et Paulinorum, ademta et alienata Claustra et Abbatias restitui postulabant.

Verum cum Imperator penes inaestimabile humani sanguinis pretium, suis potissimum, iisque immanibus expensis Turcam regno depulerit; ideoque a singulis tam secularibus, quam ecclesiasticis fundis vi armorum recuperatis eiusdem Camera symbolam aliquam exigeret: quaestio est orta: 1-° An Religiosi utpote ecclesiastici, et privilegiati ad eiusmodi symbolam tenerentur. 2-° Si moderatum et tolerabile hoc titulo quantum pendendum foret, quis ad istud concurrere velit, aut teneatur: postquam Archiabbas restaurandis suis monasteriis satis occupatus tot alia curare, et velut ad vitam revocare non suffecit.

---

[1]) Chronic. Mellic. p. 860. —

Ad haec visum est Ottoni, ut, cum in hac re, suo muneri peregrina, aperte agere non possit; Archiabbas aliorum Monasteriorum etiam extra Ditiones Caesareo-regias in Bavaria, Svevia, Franconia, Helvetia, Silesia et alibi florentium opem graviter et sine mora postulet: se interea, dum res in Comitiis promoveatur, in omnem partem intenturum, et comperta cum Archiabbate communicaturum. Iste autem magno huic tot Monasteriorum redimendorum et restaurandorum oneri se imparem sentiens, paratum se exhibuit ad offerenda et cedenda huiusmodi Monasteria in perpetuam possessionem illis Abbatibus, per quos redimerentur; et pro gloria Dei, et S. Ordinis bono restaurarentur. Ut vero unusquisque Abbas, et eius Conventus ratione impensi sumtus securi praestarentur, concessit, ut in signum verae et realis Monasterii apprehensionis aliquot Religiosos e suo Conventu illocare, imo etiam nonnullos subditos inducere, et simile Coenobium hoc modo acquisitum pro sui Monasterii filiali habere, et tenere possint.[1])

Atque ab hoc tempore Monasteria Hungariae per ea Exterorum redimi, restaurari, et adfiliari coeperunt, non tamen eo numero, qui vota Fautorum Ordinis huius expleverit. Nam praeter Abbatiam S. Stephani de Telky, S Adriani de Zalavár, et S. Aniani de Tihan nulla alia nostri Ordinis Abbatia occurrit, cui hac ratione prospectum fuisset; id, quod partim metui a Turcis, partim per vicinos Abbatiarum, quas exteri Jurium et Consvetudinum regni ignari administrabant, positis obicibus, et iniquis vexationibus tribuendum. — Ordinis Cisterciensium et Praemonstratensium complura Monasteria simili modo eodem tempore suis Ordinibus reddita fuisse, suo loco docebimus.

Iisdem in Comitiis Gerardus, dum Sacris Religionibus perniciosus articulus cuderetur, ne Religiones in bona ac hereditates iuvenum illas profitentium ius habeant succedendi, se cum Generali Paulinorum conatui huic nomine Status Religiosi viriliter opposuit. Cumque Regni Proceres non attenta eorum reclamatione proposito insistere pergerent, ad Regiam Maiestatem per supplex Memoriale Recursum fecit cum effectu.[2]) Obiit Gerardus 21-a Novembris 1689, et quidem, si inscriptioni in dorso Collationalium Literarum conspicuae credimus, sine Infula: quod eo magis mirum, quod Posonii in Comitiis existens benedictionem facile suscipere potuerit; si eam, qua S. Mauritii de Beel Abbas non suscepit. Quid? si iste quoque confirmationem pontificiam exemplo Praedecessoris sui venabatur; et priusquam haec appulisset, exstinctus est? Sed de hoc Tabularium silet.

41. Martinus. (1689-1693.)
Archiabbas XI.

Martinus Rumer, ex Poenitentiario, et Thesaurario Cellae maioris in Styria, forte per exsules metu belli Archicoenobitas ante quinquennium cognitus, legitime postulatus, acceptis a Leopoldo I. Imperatore, Hungariae Rege, qui eius virtutes propria experientia cognitas habuit, literis Collationis: postquam exemplo Aegidii confirmationem sui Romae adversus mentem et consilium Leopoldi Cardinalis a Kollonics Episcopi Jaurinensis aliquamdiu sollicitavisset, ea non exspectata in Festis Pentecostes 1689 Jaurini per eundem Cardinalem benedictus est; ad quem actum Abbatem S. Lamberti, cui antehac suberat, frustra invitavit, utpote qui senio confectus, pedum dolores ex tanto itinere metuebat.

---

[1]) Caps. 61. S. — [2]) Benger: Annal. Paulin. II. 234. —

Monasterium desolatum adiens, munus suum a Protestationibus adversus universa Praedecessorum suorum acta in damnum Archiabbatiae vergentia coram Capitulo Posoniensi interpositis orsus est: quod postea ratione Judicatus regii privilegiati repetiit. — Anno 1691 Privilegium S. Stephani et aliorum Regum per Leopoldum Regem transsumi, et confirmari procuravit; et, quod summum: Conventum prioris belli terroribus maximam partem dispersum restituit, et ad Ordinem regularem reduxit.

Hac aetate Ordinem S. Benedicti, et nominatim Conventum S. Martini Confraternitatem cum Secularibus Laicis aeque, ac Clericis fovisse, documento sunt duo exemplaria huius rei typis expressa: unum pro Referendario Blasio Jaklin, Episcopo Nitriensi, aliud pro Maholányi et eius Consorte praeparata; sed aut nondum expedita, aut, quod malim, ab eorum obitu restituta. Ambo in caussa metali Praedii Semiensuka anno 1691 insignem Archicoenobio qua Delegati per Regem, fundamento privilegiati Judicatus eotum adhuc exsistentis, Judices operam navaverunt.[1]) Obiit Martinus 6ª Martii 1693, in fama Sanctitatis, postquam, ut traditio fert, diem et horam obitus sui exacte praedixisset; in Sacello sub Ara maiore sepultus.

42. Placidus II. (1693-1699.) Archiabbas XII.

Stephanus Placidus Lendvay, anno 1693 legitime electus, donationales literas regias citra omnem difficultatem obtinuit: ipse vero eodem anno Abbatiam S. Mauritii de Beel, inde ab obitu Gerardi Simoncsics Archiabbatis et Abbatis de Beel vacantem, Coelestino Gönez, ad S. Martinum expresse[2]) professo contulit. Anno vero 1698 Abbatiam B. M. Virginis de Dömölk per resignationem senio fracti Bernardi Miskolczy vacantem Aegidio Karner, Modrensis Residentiae Superiori attribuit, quamvis ei pro hac P. Placidus Pühel ad S. Martinum professus, Comitis Mayer Camerae Regiae Consiliarii cognatus per Comitem Paulum Eszterházy gnaviter fuerit commendatus.

Ne tamen Comitis preces penitus neglexisse videatur, Placidum hunc ad Parochiam Dénesdiensem administrandam dimisit. Cum vero Praepositus Posoniensis filialem Miséd inde avellere, et in matrem Ecclesiam elevare, huicque ceteras filiales una cum Dénesd adnectere intenderet: a Cardinale Archiepiscopo Strigoniensi Kollonics Leopoldo literas obtinuit; quibus Praeposito Posoniensi imponitur, ut eundem P. Placidum, ab Archiabbate S. Martini Cardinali suo modo — vi privilegii sui exemtionalis pro Parochiae Dénesdiensis et filialium ab antiquo ad eandem pertinentium administratione — praesentatum, cum investitura Archiabbatis suo parochiali officio fungi permittat, „nullumque ad filiales a matre avulsas Parochum inducendo, antiquam consvetudinem, et Jura Archiabbatiae ne labefactet; cum notum sit, et privilegiis Archiabbatiae S. Montis Pannoniae luculenter doceatur, tam Juris Patronatus, quam praesentationis et Collationis beneficium ab Archiabbate ejusdem S. Montis Pannoniae dependere," et locus Miséd, si a Matre parochiali Ecclesia abstraheretur, adeo vilis et exiguus sit, ut pro decentia Status Personae ecclesiasticae suo modo sustentandae insufficiens foret.[3]) Eodem tempore Sigard, et Pered filiales, ad Parochiam Deáki ab antiquo pertinen-

---

[1]) Caps. 17. B. — [2]) Expresse professi dicebantur olim, qui solennia vota publice ad Aram nuncuparunt ad distinctionem ab illis, qui longissimo tempore in Coenobio agentes, omnibus ceterorum iuribus gaudebant, omnibus obligationibus tenebantur, quin Religionem solenni ritu profiterentur. — [3]) Caps. 65. Fff.

t es, Generalis Vicarius Parochiae Sélye intendebat adnectere: verum per eundem Cardinalem prohibitus fuit, „ne Jura et privilegia Archiabbatiae ullatenus violentur.“ [1])

Ultimo vitae suae anno, undecim Bullas, quae olim a variis Pontificibus romanis ad Abbates S. Martini directae fuerant, e secreto Archivo vaticano fide digne descriptas obtinuit; et postquam Proprium Festorum ritu Benedictino celebrandorum typis procusum inter Fratres distribuisset, magno sui desiderio relicto, anno dignitatis huius 6-o, aetatis 49 decessit die 2-a Augusti 1699. Sepultus est sub Sede S. Stephani in Catacumba.

43. Aegidius II. (1699-1708.) Archiabbas XIII.

Aegidius Karner ex Abbate B. M. Virginis de Dömölk Archiabbas canonice electus literas de Collatione Archiabbatiae, et tituli Regii Consiliarii, cui tunc Salarium quoque adiunctum fuisse videtur, eodem anno 1699 acquisivit. Sub eius regimine studium theologicum in Monte Pannoniae viguisse, docent Theoremata, ibidem per Clericos Archiccenobii sub praesidio Alphonsi Wenzl primarii Professoris defensa, quae in Bibliotheca S. Martini conservantur. — Anno 1704 nonnullae lites inter Archiabbatem et eius Conventum intercesserunt eius momenti, ut ad thronum Regium perferri meruerint. Qua occasione non pauci dicuntur usi, qui omnem lapidem moverint, ut Archiabbatiae Gubernationem ab Imperatore Leopoldo consequerentur. [2])

Difficile, ob turbatum Seditione Rakocziana regni statum, regimen nactus, Forgacsium copiarum rebellium Ducem anno 1704 in Archicoenobio hospitem habuit; qui sua, et suorum bellicae virtutis conscientia inflatus Religiosos superbe ad spectandam pugnam, quae ad Koronczó imminebat, invitavit; sed Deo superbis resistente, pro ea, quam certissimam animo praesumserat, victoria, ibidem a Duce copiarum Caesaris Heistero egregie caesus, cladem reportavit. Serius Rakocziani Archicoenobium anno 1705 diripuerunt, Religiosos insolenter et dure tractarunt, quorum septem partim peste, partim terrore per rebelles incusso exstincti sunt. [3]) Eodem Archiabbate annus secularis septimus fundati Monasterii S. Martini anno 1701 in Festo Dedicationis Ecclesiae celebratus fuit; in cuius memoriam numus cusus est, qui mirabilem praesertim ratione inscriptionum typum exhibens inter numos memoriales conservatur.

Mortuo Leopoldo Imperatore, Hungariae Rege ad depromendum Josepho I. utpote dudum coronato Regi Hungariae „homagiale sacramentum“ anno 1705 Viennam evocatus est, ita tamen: ut si rationabili caussa ab itinere impediretur, illud coram exmittendis per suam Maiestatem Commissariis nuncupare obligetur. Tandem, postquam Portam templi, quae speciosa dicitur, uti et introitum ad Catacumbam columellis marmoreis; templum novis aris, ambitum inferiorem Archiabbatum imaginibus [4]) exornavisset, et novam Archicoenobio qua ornando qua muniendo faciem in forma heptagoni cum septem turribus angularibus indere intendisset, vix manu operi admota Posonium ad Regni Comitia profectus, ibidem e podagrae malo 13-a Aprilis anno 1708 obiit, 16-a Aprilis ibidem in Aede D. Martino sacra sepultus: Vir ingenio ad quidquid apte tractandum idoneo insignis.

---

[1]) Fasc. 10. 145. — [2]) Fasc. 79. 6. — [3]) Katona: Hist. crit. ad hunc annum. — [4]) Hae abolito S. Ordine, anno 1766 cum ceteris rebus mobilibus sub hasta sunt venditae. Hodie, praeter eam Benedicti Sajghó, de quo mox, nulla talis effigies in Archicoenobio est conspicua.

44. Coelestinus. (1709-1722.) Archiabbas XIV.

Occupato per Rakoczianos circa Aegidii obitum Monasterio, atque sic sub seditiosorum potestate constituto, pars Conventus in Archicoenobio degens, obtenta prius a Principe facultate, Coelestinum Göncz, Abbatem S. Mauritii de Beel, 70 annos natum, Archiabbatem salutavit; inclinatisque mox Confoederatorum rebus Josepho Regi Hungariae pro benigna Nominatione praesentavit. Qua eodem anno 1709 subsequuta, et pace Regno reddita, Coelestinus recuperandis Bonis, et salvandae suae spirituali Jurisdictioni adversus praepotentes aemulos vim senilem optimo effectu impendit, iusta caussa coram Nuntio apostolico aeque, ac coram Summo Pontifice Clemente XI. triumphante.

Idem Pontifex pro paterno suo in rem christianam contra immanes Turcarum conatus promovendam zelo, attenuatis subditorum Regni facultatibus, et Aerario exhausto, ex rebus et Bonis ecclesiasticis tam secularium, quam regularium anno 1716 unam decimam in salutarem hunc finem dependi iniunxit. Quapropter Cardinalis Christianus, Archiepiscopus Strigoniensis, iussu et auctoritate Regis Conventum Praelatorum et Cleri secularis, ac regularis Tyrnaviam pro 31-a Julii indixit, ut ad evitandam collectionis naturalium, et praeviae investigationis molestiam, singuli in certa summa per triennium singulis annis pendenda conveniant. Adfuit igitur et Coelestinus noster, qui a propriis, et Monasterii sui proventibus M florenos, et a Tihaniensi Abbatia, hoc anno redemta CXX florenos; a Bakonybeliensi, cum nihil intulerit, nihil obtulit.[1]) Haec subsidii species confecta cum Turcis pace serius titulo fortalitiorum exigi coepta, usque annum 1850 perduravit.

Archicoenobium Abbatiam suam Tihaniensem Coelestino huic debet, qui persolutis Monasterio austriaco Altenburgensi, ab anno 1701 eius domino, XX millibus, et Regiae Camerae ter mille quingentis florenis, anno 1716 eam redemit: et anno 1719 Abbate in persona Willebaldi Krassó ad S. Martinum professi ornavit. Quod qua ratione factum sit, et quibus difficultatibus fuerit obnoxium, infra, ubi de hac Abbatia e proposito agetur, aptius adferetur. — Postea exemplo Placidi I. Coelestinus anno 1721, Abbatiam S. Crucis de Telki per mortem Amandi Haasz, Professoris olim clarissimi, et Prioris vigilantissimi vacantem P. Michaëli Wohlfarth „meritis sacras literas palam publiceque et bonum commune per Superioratus exornantibus, ac virtutibus ad invidiam usque integerrimis“ inductus contulit.[2])

Monumentum sui regiminis in monte Archicoenobii, meridiei obverso, erecta Aede B. M. Virgini in Coelos assumtae sacra reliquit. Qua consummata, seniles artus in Crypta sub eadem aede, Archicoenobitarum sepulturae destinata, anno 1722, aetatis 82, 14-a Maii mortuus, 17-a eiusdem mensis deposuit. In sigillo Collationis Abbatiae de Telki rubrae cerae appresso prima vice occurrit caput Angeli infulatum: in eodem ad dextram PAX cum 5 cordibus, in sinistro figura obscura leoni similis visitur.

45. Benedictus II. (1722-1768.) Archiabbas XV.

Benedictus Sajgho, Tyrnaviae natus, exacto cum insigni profectu et omnium admiratione studiorum curriculo, aliquo tempore iuvenum Comitum Csákyorum studia moderatus, tandem in castris Confoederatorum Martem sequutus, suppresso bello Rakoczyano ex fortissimo milite hu-

[1]) Fasc. 70. 1. 2. etc. — [2]) Fasc. 64. 21. —

milem monachum in S. Martino professus est; ubi brevi tam praeclara vitae religiosae, singularis doctrinae, et in rebus agendis dexteritatis edidit specimina, ut omnibus Presbyteris iunior, 31-i aetatis anno concordi omnium voluntate Archiabbas eligeretur; quod eligentes spectata etiam eius virili fortitudine, et indefessa solertia neminem alium afflictae Archiabbatiae quovis respectu reparandae, et consolidandae parem arbitrarentur. Singulares eius virtutes Regia quoque Maiestas perspectas habens, eas clementissime eo honoravit, quod 8-a Junii confirmatum, jam 14-a eiusdem mensis Consiliariis suis, assignato etiam annuo Salario, adlegerit.[1])

Sequente anno, qui erat 1723, ad Comitia Regni Posonium regalibus literis Caroli III. evocatus, ante omnia Conventui suo publicam fidedignitatem, seu ut passim audit, Credibilitatem, extra cuius usum inde ab initio fere Seculi XVII. temporum malignitate positus fuit, reauthenticato vetere Sigillo, procuravit,[2]) quod plures eius Praedecessores identidem frustra sollicitabant. En typum, et modulum Sigilli, quo publicas literas olim, et recenter roborare solebamus:

Hoc tempore diarium actorum suorum, et si quae alia memoratu digna accidissent, scripsit; e quo praeter singularem eius in celebrandis divinis et praedicando verbo Dei fervorem plura immeritae oblivioni erepta sunt. Nonnulla eorum praesentibus quoque paginis licebit inserere.

E Comitiis Posoniensibus redux, Archicoenobii, quod tunc exiguo quadro continebatur, amplificationem animo complexus, latus eius boreale et orientale, uti et aedes hospitum, meridiem respicientes a fundamento erexit; latus vero meridionale monasterii reformavit, et auxit. Religiosos Studiorum caussa alios Romam, alios Tyrnaviam, alios Salisburgum dimisit. Plurimas Ecclesias successu temporis novas struxit et sacris vestibus, ceterisque necessariis liberaliter providit. Ecclesiam principalem in S. Martino, quam incendium anni 1683 multum labefactavit, anno 1732 ferramentis totam cinxit, et campanis maioribus instruxit Praedialem Possessionem Füss, eiectis inde illegitimis Possessoribus, in 24 aequales Curias divisit, e quibus 5½ pro iure dominii, Parochia, Ecclesia, et Ludimagistro retentis, ceteras inter eos, qui de Ecclesia S. Martini bene meruerant, distribuit. Confirmata regulari disciplina, ad recuperanda ab iniquis possessoribus Archiabbatiae bona temporalia felici successu incubuit. Sacram Monasterii Jurisdictionem acerrime identidem, et semper feliciter adversus potentissimos adversarios vindicavit. Ad Ecclesiarum et Monasteriorum in Dömölk et Bakonybél structuram plurimum contulit.

Idem in Residentia Modrensi Congregationem SS. Rosarii instituit, in qua Vicerectoris officio Comes Adamus a Kollonics, Generalis Campimareschalli Locumtenens, et S. Coronae Custos fungebatur, Consorte eius Matris Congregationis partes obeunte. — Archivum Jaurino, quo durantibus motibus intestinis securitatis caussa translatum fuerat, ad S. Martinum reduxit, et necessariis Regestis, ac Indi-

[1]) Fasc. 64. 12. et 13. — [2]) Corp. Juris hung. 1723. art. 44. —

cibus providendum curavit. In reasserendis S. Ordini veteribus Abbatiis minus felix, non alium impensi conatus fructum, quam crebra promissa, retulit. At inclitam familiam Eszterhazyanam a demoliendis, et ad aliarum Ecclesiarum structuram convertendis Ecclesiae abbatialis S. Crucis de Vértes ruinis inhibens tam facilem in suum votum reperit, ut hodiedum inde nemini quidquam, ne pro memoria quidem lapillum, auferre liceat.

Anno 1761 in suo responso ad Intimatum Excelsi Consilii Regii, quo taxarum in Foro Consistoriali desumendarum limitatio anno 1730 facta observari praecipiebatur, edocuit, in S. Martino tales taxas ob partium litigantium paupertatem nullas desumi; et miro ausu intimationem velut retorquendo, Taxam neonominandi Archiabbatis ad eam, quae hucusque pendebatur, reponi postulavit. Fidedigne enim compererat, occasione proximae nominationis 4000 flor. solutum iri.[1]) Momentum petiti adfert: quod Archiabbas nec tantum beneficii acquirat, quantum quis ex Capitulo in Praepositum Maiorem nominatus; eo, quod mensa Abbatis cum Conventu sit communis, et Bona, ac proventus aeque communia. Sed caussae hae altiore loco non profecerunt; et successor eius Daniel reapse hoc titulo 4000 flor. solvere coactus fuit.

Anno demum 1768, continuis longa serie annorum laboribus fractus, die 15ª Januarii Catarrho suffocativo exstinctus, ad aeternam requiem transiit anno aetatis 77, sub Aede B. M. Virginis de Monte, quam altaribus multo auro distinctis ornaverat, conditus.

46. Daniel. (1768-1801.) Archiabbas XVI.

Praesente Commissario Regio Josepho Bajzáth, Excelsae Cancellariae Regiae Consiliario, unanimiter electus, mox per Regiam Maiestatem, clementissimam Archicoenobitarum Matrem, nominatus Archiabbas Daniel Somogyi de Medgyes eodem, quo Benedictus obiit anno 25ª Martii, iam 2ª Aprilis in numerum Consiliariorum regiorum adlectus est, et anno sequente a Clemente XIV. Summo Pontifice facultatem Doctores in Theologia et Philosophia creandi consecutus. — Idem Abbatiam S. Mauritii de Beel 38 annis vacantem Zorardo Graczer; eam B. M Virginis de Dömölk Emerico Mákóczy; titularem S. Margarethae de Béla Dionysio Kuti, sui temporis Theologorum oraculo; denique illam S. Crucis de Telki Dominico Banics, iuribus a suis Praedecessoribus usitatis conformiter et constanter inhaerens, eodem, quo Archiabbas nominatus est anno, contulit ea conditione Literis Collationis inserta, ut titulares Abbates, quousque Bona eorum per alios possidebuntur, quocunque in loco fuerint, aut ubi ubi eos morari contigerit, sub Superioris localis obedientia vivere, et regulari observantiae semet accommodare teneantur.

Quod Benedictus nec singulari Cancellariorum regiorum sui temporis benevolentia opitulante consequi poterat, ut scilicet Archiabbates titulo Reverendorum, sicut Episcopi Hungariae ex parte Regiae Maiestatis gauderent, id Daniel anno 1770 ob suam fidelitatem, singularem zelum, et continuum cultus divini promovendi studium, Archiabbatiae item antiquitatem et prae ceteris praecellentiam pro se, et successoribus obtinuit:[2]) a quo proinde tempore Archiabbatibus S. Martini titulus Illustrissimi iure competit. Singularem hanc Augustissimae Dominae gratiam anno sequente, 1771, nova secuta est, dum Josepho Bajzáth, quem supra laudavimus, sacram D. Regis Stephani dexteram Vienna Budam transferenti clementer iniunxit.

[1]) Fasc. 67. 20. — [2]) Fasc. 79. 36.

ut eam in S. Martino publicae populi venerationi exponat, utque ad eam solennitatem Episcopus Jaurinensis, Comes Franciscus Zichy, quem reserationi interesse oportuit, cum Clero et populo suo compareat. Dies ea tota devotioni data; sacri sermones ad populum frequentissimum triplici idiomate habiti, mox typis excusi, et distributi; solennia sacra instituta, verbo: ita omnia peracta, ut ad notitiam devotissimae Imperatricis et Reginae perlata, huic omnia eximie placuisse compertum fuerit.[1]) Qua potissimum re id obtinuisse videtur Daniel, ut nec lustro integro exacto Augustissimam Dominam Religiosos huius Archicoenobii affectu vere materno semper prosecutam anno 1775 mense Julio in S. Martino hospitem venerari meruerit.

Eodem anno Collectio numismatica Stephani Kaprinay pro Archicoenobio procurata constabat 48 aureis Regum Hungariae, inde a Carolo Roberto Rege. Quae sensim usque sublatum Monasterium ad 800 et ultra frusta eo selectu aucta fuit, ut abolito anno 1786 Archicoenobio non Budam cum ceteris huius generis rebus, sed Viennam ad Caesaream Collectionem transferri meruerit;[2]) ubi hodiedum a ceteris collectionibus separata servari dicitur.

Anno 1776 Josephus Garampi, ad Aulam Caesareo-regiam Viennae Nuntius apostolicus, quum Hungariam peragraret, S. Martinum invisit. Qua occasione usus Daniel Bullam Leonis X. anni 1514, omnium Archiabbatiae iurium spiritualium Palladium non tantum authentice transsumi, sed etiam sinceram ac genuinam, uti est, declarari, idipsumque transsumtae Copiae per eum inscribi procuravit.[3]) Quo peracto Nuntius locum illum ex Belae IV. Regis Hungariae literis, Bona S. Martini enumerantibus pro se exscripsit, quo Sabariae veteris, sub Monte Pannoniae adhuc 1241 anno exsistentis situs determinabatur, in qua natus est S. Martinus. Pollicitus nempe est, se, ubi Romam redierit, ex eo documento natalem locum S. Martini Oppido, Monti Pannoniae adsito, adserturum. Obligatam fidem Virum auctoritate non minus, quam eruditione, inprimis diplomatica conspicuum, liberasse ex Celsissimo Principe Ludovico Altieri, nuper aeque Nuntio Apostolico, nunc S. R. Ecclesiae Cardinale comperimus, qui anno 1845 in S. Martino hospes, palam asseveravit, Romae non dubitari S. Martinum ad pedem S. Montis Pannoniae primam lucem vidisse.

Occasione dismembrationis Dioecesium Jaurinensis et Vesprimiensis fine erigendorum Episcopatuum Albensis et Sabariensis institutae, Danieli arduum negotium natum est. Accidit scilicet, ut ii, quibus Conscriptio Parochiarum Archidiaconatus Papensis ex Dioecesi Jaurinensi exscindendi, et Vesprimiensi incorporandi commissa fuit, oscitantiâ, an ignorantiâ Parochias Bakonybél, Varsány, Lázi et Bársonyos, quae inde a sui origine semper Jurisdictioni Archiabbatiae, et respective Abbatis Bakonybeliensis subiectae fuerant, sine ulla reflexione ita Elencho ceterarum inseruerint, ac si eae quoque ad Dioecesim Jaurinensem pertinuissent; quo errore nec Viennae, nec Romae observato, dictas Parochias Bulla Pii VI. Summi Pontificis Dioecesi Vesprimiensi cum ceteris addixit. Qua ad Episcopum Vesprimiensem, Josephum Bajzáth officiose perlata, Daniel per istum ad cedendas sibi solenniter Parochias illas, et populum fidelem eatenus edocendum provocatus, cum stupens videret, totum negotium se inscio peractum, seque nec vocatum, nec auditum, iure suo, regno ipsi coaevo privari, ad Justitiam Clementissimae Dominae confugiens praesidium imploravit; detectoque post mul-

---

[1]) Fasc. 79. 61. — [2]) Rupp: Magyarország . . . pénzei. I. — [3]) Caps. 34. Z. —

tas ambages errore, postquam et Romae, et Viennae agnitum fuisset, nec Apostolicam Maiestatem, nec Sanctissimum Patrem intendisse Archiabbatem suo legitimo iure privare: agente potissimum immortalis memoriae Cardinale Josepho e Comitibus Battyán Regni Primate, magni nominis Consiliariis in cassum adversantibus, veteri suo iuri per Reginam M. Theresiam adsentiente Pontifice restitutus est.

Eodem tempore Daniel de una tertia nauli cum Civitate Posoniensi iudicio contendebat. Qua occasione Anonymus quidam,[1]) edito libello germanico epistolae forma ad Amicum directo, diplomatis S. Stephani, quo inter cetera Ecclesiae S. Martini sub ritu dedicationis oblata, tertia pars tributi de Poson memoratur, fidem, et auctoritatem tollere adnisus est. Quae hominis, eruditi Kolleri opinione, leviter succincti audacia cum omnibus bonis pro merito displicuisset: erant, qui eius temeritatem castigandam, et argumenta refellenda susciperent. In his Ignatius Battyáni tunc Agriensis Capituli Praepositus Maior, mox Episcopus Transsilvaniae, sub nomine Agamantis Palladii, quod in Academia Philaletorum, ut socius, sortitus est, item Gánóczy Anton. Canonicus Magnovaradinensis, Koller Canonicus Quinqueecclesiarum, et Novák Chrysostomus tunc in Archicoenobio Theologiae Professor, et S. Sedis Consistorialis Assessor, mox Abbas Bakonybeliensis, per Georgium Pray egregie adiutus, et a pluribus annis conscribendae historiae Ordinis caussa in Archivo Archi-Coenobii solerter versatus. Postremus iste lucubrationem suam anno 1780 editam Vindicias diplomatis Stephanei nuncupavit, cuius unum exemplar Daniel Pio VI. Summo Pontifici dono misit. Quo animo iste munusculum susceperit, et quid de opusculi valore interno senserit, optime declarat eiusdem Breve ad Danielem, huius tenoris:

„Pius Papa VI. Dilecte Fili, salutem et apostolicam Benedictionem! Saepe accidit, ut ipsa prosit adversantium oppugnatio, atque ex magna contentione plurimum roboris acquiratur ad pristini honoris stabilitatem. Id nunc, dilecte Fili, pro tuo S. Martini Monasterio effectum videmus, ex Vindiciarum libro, typis edito, quem nobis dono transmisisti, in quo, quantum cursim hactenus evolvendo deprehendere potuimus, optime propugnatum S. Stephani Primi Hungariae Regis Diploma, in eoque concessa vobis privilegia et jura strenue asserta, ac vindicata esse agnovimus. Tantum proinde abesse videtur, ut quidquam ab ejus antiquitate ac decore per obtrectationem imminutum sit, ut multum etiam splendoris ac dignitatis ex novis allatis monumentis, et illustrationibus accesserit. Itaque ex animo gratulamur Tibi, Dilecte Fili, ipsique itidem doctissimo Auctori, Monacho Tuo, ex cujus scriptis facile conjecturam facimus, Monasterium Vestrum non magis ceteris ornamentis, quam studio, doctrinaque florere. Proinde Tibi persvadere omnino potes, peracceptum Nobis fuisse munus id Tuum, ac eximiam nostram, qua Te, Tuosque complectimur, benevolentiam his ipsis meritis ac laudibus vestris mirifice cumulari. Ac illius vobis fructus pro opportunitate deferentes, interim apostolicam Benedictionem, in egregiae paternae voluntatis pignus Tibi, Dilecte Fili, Conventui, Populoque Tuo peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die VI. Maii. MDCCLXXX. Pontificatus nostri anno sexto.“[2])

Anno 1781, aut paulo ante, ab ipso Regni Primate novum immunitati S. Martini periculum imminebat, qui Ecclesias Archiabbatiae adnexas et subiectas intra

---

[1]) Benzur, urbis Posoniensis Senator. — [2]) Fasc. 76. 81.

materiales limites Dioecesis Strigoniensis constitutas canonice visitare intendebat. Quo tamen securius procederet, Capituli metropolitani opinionem expetiit; eo, quod debilitatem sui iuris ad hoc aggrediendum intime sentiret. Asserebat Primati ius visitandi Archidiaconus Simon Faba; negabat pari contentione Stephanus Nagy Primatis Suffraganeus, qui teste Davide Zsolnay, Canonico Vesprimiensi, Archidiaconum dissertatione sex phileras implente solidissime refutavit. Huius igitur sensum adoptans iustissimus Primas, a visitatione Parochorum Archicoenobii abstinuit. [1]) Eodem fere tempore etiam Episcopus Jaurinensis et Comes Franciscus Zichy Danielem ad exhibenda sacri Archiabbatiae Juris in fideles sibi subditos fundamenta provocavit; et voto potitus, licet documenta eo servientia per delegatos aliquot Canonicos cursim tantum et obiter fuerint evoluta, et Episcopus se hoc ius Archicoenobii agnoscere fassus non fuerit, pariter tamen ab eo turbando destitit. [2]) Verum

Omnes hae adversus immunitatem S. Martini susceptae velitationes non erant tanti, ut iis feliciter repressis Jurisdictio Archiabbatiae Spiritualis in tuto posita videretur. Istud primum opportunus Summi Pontificis Pii VI. Viennam adventus anno 1782 praestitit; qua occasione Daniel ipso adventus Pontificis die ad huius conspectum admissus, expositis trium fere horarum colloquio, quibus gravabatur, remedium a Sanctissimo Patre postulavit. Et Pontifex, postquam querulantem benigne audivisset, tandem de numero Religiosorum, et potissimum de ratione doctrinae in Monasterio quaesivit, quam romanae methodo consonam fuisse, non licet dubitare. Quaesivit etiam Papa, cur Daniel se per eum non fecerit confirmari. Reposuit iste, inter Sedem apostolicam, et Regnum Hungariae „quamdam accommodationem intervenisse, vi cuius soli tantum formales dioecesani Episcopi Confirmationem Romae petendam haberent, [3]) alii autem minime." Ad quod Pontifex: „Hoc, inquit, fuit illo tempore." Postulabat deinde orari pro se, „qui, inquit, in hoc senio, et fracta aetate propter vos et Ecclesiam tantum iter suscepi."

Quod vero ad Archiabbatiam in suis iuribus conservandam plurimum valuit, illud est, quod Suffraganeum Episcopi Jaurinensis, Juribus Monasterii infestum, ultimo a se discedentem his verbis dimiserit: „Commendo Tibi, Venerabilis Frater, carissimos meos filios de Monte Pannoniae," item quod Privilegiorum et Immunitatum quarumvis Archiabbatiae tuendarum curam Cardinali, Primati Regni, Josepho Battyányi sollicite commendaverit; unde factum, ut postquam Archiabbas Primati per Josephum Imperatorem plene subiectus fuisset, iste Jurisdictione quasi Episcopali eundem in suos fideles pacifice frui permiserit. Multum quoque auctoritatis Archiabbati inde coram Episcopis Hungariae accessit, quod occassione solennitatum Archiabbas Episcopis consecratis semper immediate coniunctus adstiterit, et cum iis Collegium Cardinalium romani moris repraesentaverit; titularibus Episcopis, et Abbatibus munia circa Pontificem incassum optantibus, et ad Scabella, quae Romae simplices Canonici occupare solent, relegatis.

Ceterum caussam tanti itineris in Reformationibus, quas Josephus Imperator mox ab aditu regiminis in ecclesiasticis quoque rebus suscepit, et suscipere intendebat, quaerendam esse, nemo dubitabat: conatum vero eas sistendi fuisse irritum, experientia docuit. Is tamen praesentiae Summi Ecclesiae Pastoris fructus fuit,

---

[1] Fasc. 63. 127. — [2]) Fasc. 63. 116. — [3]) Cur hic Daniel veram rei huius caussam, ex Bulla Leonis X 1514. desumtam non adduxerit, quam ignorare non poterat, concipi non potest.

quod Episcopis intuitu regiorum, quae tunc in ecclesiasticis negotiis plurima recepto mori adversa emanabant, Decretorum sensum suum oretenus aperire potuerit, quem singuli ab eo requirebant. Hoc deinde, Viennam deserente Pontifice, post discussiones, et memoriae examina in Consessu Episcoporum per Primatem convocatorum, cui Daniel quoque inter Dioecesanos considens intererat, in scriptum redactum, cynosurae instar serviebat. [1]) —

Porro Danieli iam eo tempore, dum Archiabbas clementissime nominaretur, cetera inter graviter commissum fuit, ut, cum vetus hoc monasterium postremo anni 1763 terraemotu vehementer labefactatum vitae Religiosorum periculum minari compertum fuerit, et alias quoque tam irregulari forma et modo structum sit, ut nec strictam Clausuram monasticam recipiat; novam eius structuram, et magis regularem pro dignitate loci, et ornamento Regni suscipiat ita, ut intactis Capitalibus summis elocatis, soli census annui hoc scopo impendantur, et concepta novi aedificii Plana pro altissima approbatione suae Maiestati praevie substernantur. Verum cum opus hoc sine ingentibus Religiosorum incommodis suscipi nequiret: negotium fors data opera ita protractum est, ut agente inter vivos Regina manus labori admoveri non potuerit; qua defuncta, ob ancipitem per novum regimen Archicoenobii statum, praeclarum molimen suapte evanuit. Ceterum

Adsunt hodiedum delineationes, novi aedificii formam sistentes; e quibus patet, monte ad 6 circiter, summum 7 orgias detracto, superficie per totum coaequata, Ecclesiae alium situm, et duas turres usitatae per patriam formae cum altis Cupulis fuisse destinatas; sola Catacumba, antiquitatis veneratione suo loco relicta, ad quam ex Ecclesia multis gradibus fuisset ascendendum. Ceterum Danielem tunc non studio tenacitatis a nova aedificatione retractum fuisse, inde elucet, quod novas Ecclesias in Dénesd, Varsány, et Csanak nobili stilo erexerit, et eximiis turribus instruxerit, sed quae brevi tantum tempore vicinam regionem ornaverunt. Vitio enim Architecti, firmitatem venustati posthabentis factum, ut turres intra Ecclesias arcui magis eleganti, quam solido insistentes, hoc perrupto collapsae, etiam fornicis ecclesiarum magnam partem secum in ruinam traxerint. Istud in Dénesd ante; in Varsány post memorabilem anni 1810. 14-as Januarii terraemotum contigit. Eidem Archiabbati etiam vastum Allodium in S. Martino, et Capellam in Tömörd, ac armaria Sacristiae Ecclesiae principalis affabre facta debemus.

Jam inde a primis, quibus Josephus II. Imperator sceptrum regni cepit annis, Daniel cum suis Religiosis abolitionem sacri sui Ordinis anxius praestolabatur. Unde post annum 1782 nullum ad solennium votorum professionem, uti post annum 1783 neminem ad sacrorum Ordinum susceptionem admisit. Tandem anno 1786 Decretum abolitionis 14-a Novembris, et conforme huic Exc. Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici Intimatum 27-a eiusdem prodiit, quo citra ullam alicuius demeriti per S. Ordinem admissi mentionem Archicoenobium aboleri, eiusque Bona universa Fundo Religionis adplicari significatum est eo adiecto: ut, cum Conventus iste publica fide gaudeat, Conventuales 5 mensium spatio in Conventu cohabitare, munia Conventualia intuitu Loci credibilis obire, taxas percipere, et inter se partiri possint.

Post haec traditio rerum Archicoenobii in 4-am Decembris eiusdem anni defixa est. Quo scopo Consiliarius Locumtenen-

[1]) Fasc. 79. 74. — Bakonybél: Fasc. 8. 22.

tialis, Comes Josephus Brunsvik cum Carolo Illos, substituto Comitatus Jaurinensis Vice-Comite (Michaële Csernyanszky, Bonorum episcopalium Praefecto, S. huius Ordinis Religiosis familiari tristem provinciam deprecante) ut Commissarius regius tempestive appulit. Consignata sunt integre omnia, Daniele ipsam suam quotidiani usus machinam horariam offerente, et aegre acceptata. Religiosis, quae in Cellis de more habebant, relicta sunt; ipsi, iussu Caesaris, perhumane tractati, et bene sperare iussi. Tum universi Dioecesibus certis adscripti, et curae animarum, aut docendis Scholis, prout cuiusque animi facultates siverant, appliciti, religiosis votis, contra, ac Societatis Jesu Patres, adstricti manserunt; — Archivum Archicoenobii domesticum Budam, illud, sic dictum regnicolare Jaurinum ad eias Capitulum translatum, sed seorsim servatum; Manuscripta Kolinovicsiana Bibliothecae Universitatis hungaricae illata, ubi hodieque exsistunt; Numorum Collectio dives Viennam ablata; Jurisdictio Spiritualis ad Episcopos vicinos, ratione situs geographici Ecclesiarum, devoluta. — Eandem sortem, qui filialia monasteria incolebant, experti; et quidem in Tihan 11-a Januarii 1787, in Bakonybél 10-a Januarii, in Dömölk 25-a Januarii eiusdem anni, in Residentia Comaromiensi idem, qui Archicoenobitis, ultimus exstitit. Sed horum Superiores exsulaturis Fratribus melius, quam Danielem suis Archicoenobitis consuluisse, proditum est: id, quod varii varie interpretabantur.

Deserto suo Monasterio, Archiabbas exsul, cum e communi omnium sensu non ita sublatum suum S. Ordinem · crederet, ut si non prius, certe ab obitu Imperatoris restituendum non speraret: nullam occasionem neglexit, qua aliquid hoc scopo utiliter agi posse videretur. Quapropter in Comitiis anni 1790, non obstante gravissimorum negotiorum mole, istud quoque commotum quidem, sed cum ceteris regni gravaminibus et postulatis ad Deputationem dietaliter, ut dicitur, exmissam relegatum est; quae operatum suum ad sequentis anni Comitia referre obligabatur.

Ad substratum sibi restituendi Ordinis benedictini in Hungaria Postulatum Franciscus, qui Leopoldo II. iam anno 1792 successit, negotium Restitutionis se curaturum respondit, quamprimum perturbati Romani Imperii, et sub ipsa sui coronatione indicti belli gallici adiuncta permitterent. Hoc non obstante Chrysostomus Abbas de Beel, cuius solida eruditio et singulares animi dotes in his Comitiis emicuerunt, adeo, ut mox Superior Districtus literarii Quinquecclesiensis Studiorum Director fuerit nominatus, omne suum pondus et magnorum Virorum amicitiam et gratiam eo direxit, ut negotium hoc, — oblata iam nunc etiam Scholarum docendarum citra novam Fundationem obligatione, si res secus perfici nequiret, — liberius et efficacius promoveret.

Hac occasione Andreas Szabó Episcopus Noviensis, Deputationis in literariis dietaliter exmissae membrum, ab Abbate Chrysostomo eiusdem Deputationis membro, Regulam S. Benedicti pro Josepho Ürményi Personali Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenente, et eiusdem Deputationis Praeside, una cum opinione de eo expetiit, an Scholas publicas docere, et scientias sive grammaticales et humaniores, sive sublimiores tradere primaevo Ordinis S. Benedicti Instituto adversetur. Qua quaestione per Chrysostomum primo viva voce, deinde scripto egregie resoluta, et quod non adversetur, clare demonstrato, maximus restituendi S. Ordinis obex remotus fuit.

Sed Daniel quoque ad eundem finem, quantum per animi et corporis vires licuit, connitebatur, qui anno 1796 ad Comitia regni cum ceteris Abbatibus de more evocatus, licet senio et aerumnis con-

fectus, Posonii comparuit; et, svasu Regni Primatis, S. Ordinem Regi et Palatino commendavit; obtentaque a Palatino absentiae facultate Jaurinum reversus, anno 1800 novo Pontifici Pio VII. ex Ordine S. Benedicti ad Pontificatum assumto prius tiaram gratulatus, deinde patrocinium eiusdem distinctis literis flagitavit. Ad priores humanissimum et paterni affectus plenissimum responsum obtinuit. Ad secundas reposuit Papa, notum sibi esse statum Ordinis huius in Hungaria; verum ea tempora vigere, quibus ad ea, quae Daniel desideraret, obtinenda, nulla sint minus idonea. Cogitaturum tamen se, quid fieri expediat; ac si intellexerit fieri per eum posse, ut Archiabbatia restituatur, persvasum haberi voluit, se nec studium, nec instantiam, nec auctoritatem suam passurum desiderari. [1]) Postremum hoc erat operum Danielis, quae ad scopum restituendi Ordinis direxerat; sequente enim anno 1801, dum iam de huius restitutione non dubitabatur, 20ᵃ Octobris Jaurini obiit, annos natus 81; in Ecclesia Cathedrali honorifice ibidem sepultus.

Inter haec fervebat cum Gallis bellum atrox, quo pace Lunaevillensi 9ᵃ Febr. anni 1801 terminato, reducendi S. Ordinis negotium resumtum est. Quocirca secretis consiliis diutius agitatis, tandem anno hoc exeunte Chrysostomus, e sublati Ordinis Abbatibus unicus superstes, medio Episcopi Jaurinensis Josephi Fengler Viennam ad Excelsam Cancellariam Regiam cum nonnullis eiusdem Ordinis Patribus evocatus fuit; ubi excepta benignissima suae Maiestatis, de Ordine cum onere scholasticam rem publice procurandi restituendo, intentione Budam proficisci iussus est; ut concertatione cum Exc. Consilio regio et Exc. Camera regia de ulterioribus gravissimi huius negotii adiunctis accurate instituta, altissimae voluntati quantocius satisfieret.

Occasione huius pertractationis, primis anni 1802 mensibus institutae, evocati Patres in eo coaluerunt, quod iuxta proventus Bonorum restituendorum sex Gymnasia possent assumi ea ratione, ut in singulis Residentiis 12 Religiosi applicarentur; quorum usui Residentia cum vicino templo, fine conservandae facilius religiosae disciplinae traderetur, sartorum tectorum cura Ordini postea incumbente: Abbatiae filiales quoad Jura et Bona non confunderentur, sed regulari duntaxat nexu et subordinatione cum Archiabbatia coniunctae manerent. In Archicoenobio 50 Religiosi, in Dömölk 12, in Bakonybél totidem, in Tihan 15 sustentarentur, et Abbatia haec praeterea unam Residentiam necessariis provideret. Horum intertentio cum expensis extraordinariis, utpote in casus fatales, onera publica, Bibliothecarum et aliarum Collectionum procurationem etc. in 20,000 assumtis, ad 120,000 florenorum aestimata fuit.

An porro de conditionibus reducendi Ordinis, et inter quos tractatum fuerit, non constat. Illud certum: conditiones ben. Decreto restitutionis comprehensas a nunc allatis punctis multum abludere. Istud enim in locum 6 Gymnasiorum assignat 10; id, quod Chrysostomi, ubi se Archiabbatem clementer nominatum comperit, magnanimitati adscribendum esse, traditio fert. [3]) Assignata Gymnasia fuere: Posoniense, Jaurinense, Soproniense, Albaregalense, Quinqueecclesiense, Ginsiense, Tyrnaviense, Comaromiense, Strigoniense, et Papense minus. Numerus Religiosorum in nulla Domo, nec in monasteriis definitur; generatim is numerus exigitur, qui tam cultui divino cum decore perficiendo, quam animarum cu-

[1]) Fasc. 78. 47 — [2]) Fasc. 79. 32. — [3]) Cum singula 6 Gymnasia tantum 7 Individua requirerent: e singulis eorum superflua 5 subtrahendo 30 Religiosi obtenti sunt, qui adiectis ad priorem numerum 4 Gymnasiis abunde suffecerunt.

rae in propriis Bonis, et gymnasticae Juventutis institutioni iuxta praescriptum Systema literarium sufficiat. Eodem diplomate omnia iura et privilegia uti tempore suppressionis anno 1786 vigebant, Ordini restituuntur; Jurisdictio quoque spiritualis, velut inde a primis incunabulis regni exercita diserte agnoscitur. Unde, quamvis pro Introductione Praemonstratensium, et Cisterciensium penes Commissarium plena pro hoc actu potestate praeditum, etiam homo dioecesanus fuerit constitutus, qui una cum Commissario palatinali pro solennitate Restitutionis eorum eodem anno celebrata nomine respectivi dioecesani Episcopi concurreret; pro repositione tamen Benedictinorum ad S. Martinum, veluti locum Nullius Dioeceseos, nemo sive ex Jaurinensis, aut Vesprimiensis, sive demum ex Strigoniensis dioecesis parte constitutus est: sed per ipsam Regiam Maiestatem nominatus fuit ad hunc actum Commissarius Regius Archiepiscopus Colocensis, Ladislaus Kollonics, et hoc nefors impedito Episcopus Albaregalensis, Nicolaus Milassin.

Eodem diplomate Archiabbati facultas tribuitur, Directores et Professores in creditis sibi Gymnasiis pro arbitrio constituendi et mutandi; filialesque Abbates cum consilio Conventualium nominandi Regiae Maiestati pro benigna confirmatione praesentandos; Professionis validae annus 21 completus declaratur; Archiabbatis nominandi ius Regiae Maiestati reservatur, permisso tamen eo, ut Conventus tres Candidatos proponere possit; Ordo sacer a solutione ad fundum Religionis absolvitur; Arendatores usque stipulatum tempus, si contractuales conditiones expleverint, non turbari, pensionatorum sub camerali administratione pensiones non subtrahi iubentur. [1])

47. Chrysostomus. (1802-1828.) Archiabbas XVII.

Chrysostomus Novák nobili genere ortus, cuius potissimum opera restitutum S. Ordinem supra vidimus, virtute Decreti Restitutorii, et Collationis regiae per Augustissimum Imperatorem, et Hungariae Regem, S. Ordinis Restauratorem Franciscum Archiabbas remissis consvetis taxis nominatus, die 25-a Aprilis 1802 in diem Dominicum cadente, cum reliquis Patribus, quorum 32 aderant per Ladislaum Comitem a Kollonics Archiepiscopum Colocensem, qua Commissarium regium in possessionem Bonorum et Jurium postliminio restitutus, et solenniter introductus est. Scilicet Archiepiscopus ad altare per Religiosos, et Episcopum Albaregalensem processionaliter deductus, in splendida pontificali sede ad Cornu Evangelii, Albaregalensis Praesul ex parte Epistolae consedit, sacris solenniter operaturus. Mox iubente Archipraesule publicatum fuit Decretum regium, quo Archiepiscopus ad reponendos in pristina sua iura Patres Benedictinos exmissus fuit. Quo facto idem accommodo sermone hac Summi Terrae Principis gratia uberius exposita, Restitutos ad debitum obligationum suarum implementum; Praelatum vero ad paternam caritatem erga Religiosos graviter cohortatus est.

Post haec diploma Restitutionis e gradu Altaris per Canonicum a Latere, Petrum Klobusiczki, serius Archiepiscopum Colocensem creatum, legebatur; quo finito, post solennes adclamationes hymnus Ambrosianus decantatus, et dicta Oratione huic ex ritu Ecclesiae adiungi solita, mox

[1]) Fasc. 14. a.

Episcopus Albaregalensis, Nicolaus Milassin, quem in omnem casum debilitatis senio confecti Commissarii, aeque Commissarium regium nominatum fuisse diximus, solenne Sacrum celebravit. Hoc excepit sermo ad frequentissimam concionem Oratore Canonico Jaurinensi Leopoldo Somogyi, viro sanctissimo, super textu: „Fundatur exsultatione universae terrae mons Sion." Terminata re divina, uti solet, convivatum est, pluribus Magnatibus, aliisque Viris illustribus praesentibus, mensis ob copiam hospitum in ambitu inferiore positis. Sequente die horum pars maxima Jaurinum ad Exsequias defuncti 4-a Februarii Episcopi Josephi Fengler celebrandas abiit.

Finitis solennitatibus prima Chrysostomi cura fuit, Augustissimo Restauratori, prout per eius Commissarium publice excitabatur, gratum animum contestari. Quapropter e consilio Joannis Somogyi Status Consiliarii, serius Procancellarii regii, qui magnam in restituendo S. Ordine nostro partem habuit, et Archiabbati Chrysostomo per omne, quo uterque floruit, tempus saluberrimis consiliis in bonum Ordinis fidelissimus adfuit, Archiabbas singulis mensibus duo sacra Missae Sacrificia, unum pro Augusti Restitutoris, aliud pro Augustae eius Coniugis incolumitate in Archi- et Abbatialibus Ecclesiis celebranda obtulit ita, ut post obitum Maiestatum in perpetua tempora iunctim unum pro iisdem, alterum pro regnante Augusto pariter singulis mensibus celebretur. Pro Serenissimo Archiduce Josepho Regni Palatino annue unum votivum Sacrum per tempus eius vitae oblatum est. Grati animi et fidelis adhaesionis documentum Regia Maiestas paterno, eoque tenerrimo affectu cum summae in Deum devotionis significatione suscepit. Testatur hoc Responsum ad factam oblationem clementissime datum, quod cetera inter haec habet: „Nos, qui in benigna Ordinis vestri Restitutione unice Gloriam Dei, et Catholicae Religionis incrementum pro scopo ac fine Decreti nostri Regii habuimus, quemadmodum praeinsinuatum pium vestrum oblatum velut perpetuum Augustae Domui nostrae praestitum Gratitudinis vestrae monumentum paterno, eoque tenerrimo suscipimus animo, ita pro exigentia temporum ac circumstantiarum Regiam Nostram Protectionem Vobis, totique Ordini Religioso pro aequo et iusto attribuendam clementer pollicemur, nihil prorsus dubitantes de eo, quod vos, ac universi restituti huius Ordinis Religiosi praesentes et futuri, incumbentes sibi obligationes ad assequendum praeindicatum scopum Nostrum directas ex asse sitis expleturi." [1])

Eodem anno 1802 Residentia Soproniensis, sublati Conventus PP. Franciscanorum domicilium, uti et Collegium Jaurinense olim Patrum Societatis Jesu — reparatione utriusque ad conservationem duntaxat summe necessaria, exclusis, quae ad futuras Ordinis necessitates et commoditates pertinerent, innovationibus e fundo publico ordinata —. per Archiabbatem recepta sunt; et utrobique Professores quinque, et Director Localis, qui Jaurini una Superior Domus erat, illocati sunt. Mirum, quanto fervore et alacritate Viri hi, quorum unicus 44, ceteri omnes 50 et ultra aetatis annos numerabant, quamvis plerique sublati Ordinis tempore vitam commodam egerint; insvetum, et provectiori praesertim aetati molestum Paedagogorum publicorum officium amplexi fuerint, et exsecuti; quo se Augustissimi Restauratoris fiducia dignos exhiberent.

Inter haec Chrysostomus XX annorum, quibus S. Ordo non succrescebat,

---

1) Fasc. 74. A. *a*.

defectum supplere conatus, 43 Novitios e centenis adspirantibus, praevio examine delectos, postquam integri mensis spatio continuis fere spiritualibus exercitiis vacavissent, 31-a Octobris religioso habitu induit; quibus decursu eiusdem anni usque 17-am Septembris 1803 alii 13, quos inter sex Presbyteri, accesserunt, duobus iam prius indutis, ita, ut universim octo Presbyteri Novitii adessent, e diversis Ordinibus Religiosis per Josephum II. Imperatorem sublatis, nominatim: Paulinorum, Camaldulensium, Camillanorum et Trinitariorum assumti; qui eo magis accepti erant, quod terminato per dispensationem Sedis apostolicae brevi novitiatu, illico ad publica S. Ordinis munia potuerint applicari.

Anno 1804 egregiam comparandae sacrae supellectilis pretiosae occasionem nactus, quidquid huius in vestibus, Baldachinis et eo pertinentibus possidemus a peritis artis Magistris ad 40,000 Monetae Conventionalis aestimatum, 6880 florenis M. Conv. e sublatis in Germania Ordinis nostri et aliorum Monasteriis Augustae Vindelicorum medio P. Romani a S. Venantio, Carmelitarum Viennae Prioris, comparavit. Deinde aras Catacumbae et Capellae S. Stephani Regis ligneas [1]) demolitus, marmoreas erexit, quas Franciscus Xaverius Fuchs, Episcopus Nitriensis, qua Electus primus Archiepiscopus Agriensis, magni nominis Antistes, in S. Martino pauperibus parentibus natus, et in Residentia PP. Benedictinorum Jaurini educatus et eruditus, dum Agriam tenderet, 17-a Julii eiusdem anni solenniter consecravit. — Hoc etiam tempore Chrysostomus non mediocri Bibliothecae S. Ordinis augendae studio distinebatur, quam nullis sumtibus parcendo in eam, qua modo gaudet, celebritatem adduxit, abolitione Monasteriorum Germaniae hac quoque in parte opitulante, quorum libri satis moderato pretio vendebantur. Sed de his plura, si lubet, vide supra pag. 14. et sequ.

Anno 1809 Galli meliore prae nobis armorum fortuna usi, Hungariam ipsam ingressi Jaurinum usque et ultra nonnihil pertigere. Hi commisso ad Kis-Megyer sub arce Jaurinensi praelio victores, Jaurino vix 1000 praesidiariis, ut plurimum Tyronibus defenso, post 10 dierum oppugnationem 24-a Junii potiti, consvetas exactiones faciebant. Insessa per hostem arce Gubernator Gallus Narbonne, parti Hungariae imperio Napoleonis obnoxiae praefectus, Domum Archicoenobii sic dictam Praelaturalem occupavit, cuius convenienter instruendae, et celsi hospitis intertenendi onus Archiabbatiam manebat; quae res Chrysostomum, quamdiu Gallus urbem tenebat, idest: usque mensem Novembrem eiusdem anni, acerrime vexabat. Damnum ab incursione hac in omnibus Archiabbatiae Bonis diligenter conscriptum ad 324267 fl. banc. aestimatum fuit; quae summa iuxta eius temporis valorem chartae publicae 30882 fl. arg. aequivalet. Subsidium pecuniarium ad hoc bellum secundum repartitionem nec 8000 fl. banc. effecit; fruges tamen magna quantitate suppeditatas fuisse constat, quarum magna pars repentino hostis adventu intercepta, destinationis suae locum attingere non poterat. [2])

Praelium, quod hostis cum Insurgentibus circa Praedium Kis-Megyer commisit, ex Archicoenobio spectavimus. Quo nostrorum fuga Comaromium versus terminato, cum sequente die (erat 15-a Junii) Jaurinum coepisset oppugnari, nullumque esset dubium hostem in S. Martino proxime compariturum, quo huius

---

[1]) Arae hae, uti et ceterae laterales, universim 7 in eo statu erant, ut simul omnes 14 florenis aestimari occasione sublatae anno 1786 Archiabbatiae meruerint! — [2]) Fasc. 74/B. bbb. —

provisio facilior redderetur, Novitii ad Bakonybél; Theologi 3-ii et 4-ii anni, et Philosophi 1-i anni ad Tihan dimissi sunt. Ceteros e Clero iuniore in Collegio Jaurinensi degentes hostis conclusit, qui oppugnatione urbis continuata, globis cubilia et ambitus pervolantibus, et ubi vi pulveris pyrii displodebantur, immanem stragem edentibus, refugium in cellario Collegii reperere. Horum nonnulli, urbe hostilibus pyrophoris incensa, et comperto ipsi Collegio periculum imminere, excusso viriliter metu prorepentes, nec imbrem globulorum, quos hostilia tormenta potissimum ad ardentes domos scopo impediendae restinctionis largissimum fundebant, veriti. Deo audacibus propitio, tectum Collegii, quod flammis vicinarum aedium ardentium iam potenter fumabat, tamdiu rigabant, donec consumtis penitus vicinis tectis periculum a Collegio, et a tota reliqua urbis parte averteretur.

Anno 1812 Chrysostomus aram S. Emerici e lignea tabescente marmoream fecit, cui ceterae quoque laterales, uti ea S. Benedicti, B. Mariae Virginis, et S. Ladislai suum decus debent. Antequam ara S. Emerici poneretur, cum constaret sub ea fornicem, et sub hoc veterem cryptam latere; fundamentum ponderi marmoris ferendo par substrui securitas deposcebat. Quapropter repertae ibi Sigismundi Kiss Abbatis S. Margarethae de Bela et aliorum Religiosorum ignotorum exuviae 5-a Maii ad Ossarium sub Capella B. M. Virginis de Monte translatae sunt. Religiosi cryptae huic ante seculum XVIII. illati tumbis carebant, asseribus substratis contenti. Qui enim tumbis inclusi reperti sunt, ad Seculum XVIII. pertinebant; qui ob aëris intemperiem, in horam sepulturae incidentem, novae cryptae ad B. M. V. efferri nequeuntes ibi in vetere conditi fuerunt.

Anno 1813 Episcopus Quinqueecclesiensis Josephus Király, observato in Comitatu Comaromiensi, solo suo natali, adversus veterem morem paucos catholicae religionis Nobiles ad publica Comitatus officia eligi; cum caussam rei huius in eo reponeret, quod nobilis iuventus catholica mediis educationis congruae destituatur; Stipendium annuum pro Juvenibus nobilibus catholicis, e Comitatu Comaromiensi, aut si hic sufficientes non reperirentur, e Jaurinensi et Posoniensi oriundis fundavit ita, ut in singulis Classibus Gymnasii Comaromiensis, et Studii philosophici Academiae Jaurinensis duo Juvenes 200 florenis Rel. annue iuvarentur. Idem anno 1819 Fundationem hanc ita auxit, ut inde a 1-a Grammatica, usque ultimum Juris annum in singulis Classibus tres Juvenes, singuli 300 florenorum beneficio gaudeant. Directorem Fundationis suae, localem Gymnasii Comaromiensis Directorem constituit. Obligatoriales vero literas de Capitalibus Summis Fundationi huic applicitis in Conventu S. Martini voluit conservari; quod onus non leve Chrysostomus, secus ad id genus obsequia iure morosus, ex amicitia erga Episcopum sibi moribus persimilem assumere, et Conventui imponere non dubitavit.

Anno 1816 Paulo Horváth Tihaniensi, et Augustino Taucher Bakonybéliensi Abbate, Candidationi per Generale S. Ordinis Capitulum sub praesidio Georgii Kurbélyi Episcopi Vesprimiensis [2]) celebratum institutae conformiter, altissimo loco nominatis, Chrysostomus septuagenario maior grave S. Ordinis regendi onus deposuit, in praelaudati Pauli Abbatis humeros auctoritate regia devolutum; qui adscitis in partem regiminis Conventualibus exiguo temporis spatio plurima constituit, e quibus mox in totam Congrega-

[1]) Fasc. 60. e. — [2]) Fungebatur officio Commissarii regii, in caussa Domus praelaturalis Jaurinensis, et aliis exmissus.

tionem non mediocris fructus manavit. Eius regimini, per illius temporis Priores Archicoenobii viriliter adiuto, cetera inter Fundatio Parochiae in Nyalka, nova Ecclesia in Péterd cum turri cupro tecta, plures domus oeconomicae magnis impensis erectae, nova Bibliotheca et turris Ecclesiae principalis, uti praeter alia subsidia literaria promte suppeditata, physicus et mathematicus instrumentorum apparatus, philosophico S. Ordinis Studio domestico magno sumtu procuratus debetur.

Liberalium in hunc apparatum sumtuum necessitatem adduxit quatuor Cathedrarum Studii philosophici Academiarum Posoniensis et Jaurinensis traditio, regio Decreto anno 1816 facta, per quam Studium Ordinis domesticum Seminarii Professorum Facultatis philosophicae naturam induit. Postquam nempe Excelsum Consilium realem receptionem omnium X Gymnasiorum, quorum provisionem restitutus S. Ordo assumsit, diu frustra ursisset; Archiabbas vero ob defectum Individuorum ea recipere nequivisset: duo Gymnasia, Albense et Quinque-Ecclesiense Conventus PP. Cisterciensium de Zircz, agente ejus Priore Antonio Dréta, viro ob amabiles animi dotes summis et imis acceptissimo, invito Archiabbate a Regia Maiestate obtinuit; in quorum vicem Conventui S. Martini alia partim in Slavonia et Croatia, partim in transtibiscanis regni partibus suscipienda ad selectum proponebantur. Quorum provisio, cum ob immanem a Centro distantiam perardua videretur: ignotum, quo auctore, in compensationem oneris, studia illa philosophica Conventui S. Martini attributa sunt; quo pacto et honori eius, et rei domesticae egregie consultum fuit.

Demum anno 1828 Archiabbas Chrysostomus exactis in honorifica quiete XII annis, die 20-a Octobris, obitus Danielis Somogyi immediati sui Praedecessoris anniversaria, circa meridiem annos natus 84 et medium placide obiit, per Episcopum tunc Vesprimiensem Josephum Kopácsy, Josepho Sybrik Abbate de Csatár, et Joanne Sztankovics tunc Jaurinensi Canonico assistentibus, sub Capella B. M. V. de Monte dignitati suae convenienter sepultus. Exsequiae 2-a Decembris celebratae sunt, in quibus a vera in Deum pietate, profunda et vasta eruditione, virili constantia et aliis virtutibus a Josepho Mayer Albaregalensi, et Laurentio Hohenegger Jaurinensi Canonicis, disertis Oratoribus, e vero celebratus fuit.

48. Thomas. (1829 — 1841.) Archiabbas XVIII.

Defuncto Archiabbate Chrysostomo, Thomas Kovács, Archicoenobii Prior, antea SS. Theologiae in Lyceo Archiabbatiali Professor, Generalis Capituli, sub praesidio Jaurinensis Episcopi Antonii Juranics ut Regii Commissarii ad actum Electionis Candidatorum pro Archiabbatiali dignitate deputati die 15-a Januarii anni 1829 celebrati voto, secundo loco Candidatus, die 18-a Octobris anni eiusdem per Caesareo-Regiam Maiestatem Franciscum I. Regem Apostolicum Archiabbas clementer nominatus fuit. Quo via Exc. Consilii regii non prius quam 9-a Decembris ad S. Martinum officiose perlato, Regens Abbas Paulus, qui nihil ardentius desiderabat, quam ut posito S. Ordinis regimine, tandem sibi et Deo in sua Tihaniensi Abbatia vacare posset; convocatis illico ad Capitulum Presbyteris, novum Archiabbatem svavi dictione salutavit: peractaque in S. Martino, fine eiusdem mensis iubilari sacerdotii sui solennitate 76 annos natus ad Abbatiam suam laetus abiit; ubi anno 1832 10-a Septembris pie obiit: per omne tempus, quo Prioris Archicoenobii, deinde Regentis partes sustinuit, nemini iniurius, sa-

lutaria centralis Consessus, quem ex Archicoenobii, et Collegii Jaurinensis Religiosis erectum in partem Regiminis prudenter assumsit, consilia pro viribus exsequebatur; paci et fraternae caritati invicta patientia omnia solitus immolare.

Decoratus nova dignitate Thomas, die 14-a Februarii 1830 per Episcopum Jaurinensem auctoritate apostolica in S. Martino solenniter benedictus, mox amplas a Sede apostolica Facultates, qua separati Archiabbatiae Territorii Ordinarius obtinuit. Sequente anno, pestifera lue sub nomine Morbi Cholerae cognita, ex Russia per Galiciam ad Hungariam propagata, patentem campum nactus est paternum erga subditos animum demonstrandi; id quod verbo et opere uberrime praestitit. Miserae plebis, quam malum hoc potissimum perdebat, commodo factum, ut Decreto regio anni 1811 conformiter, Archicoenobio Medicus artis peritus fuerit procuratus, qui terminatis ad fontem soterium Füredienseem functionibus suis ad S. Martinum eo tempore appulit, dum vicinis in pagis morbus vehementissime grassaretur. Idonearum egregii viri huius, Josephi Adler, dispositionum, et impensae per eum aegris operae fructus mox patebat. Ceterum non tantum de curando, ubi adesset, hoc morbo, sed etiam de non admittendo ad oppidum S. Martini sollicite agebatur. Saluberne loci situs an praescripta rite observata malum ab hoc loco arcuerunt? certe vix 4 homines eo tunc correpti sunt. At Jaurinum a 19-a Julii usque 19-am Septembris 894 peste sublatos numeravit, quos inter primus ordine P. Romanus Walter, Ordinis Benedictinorum ad S. Ignatium celeberrimus Orator sacer, anno aetatis 36 ereptus est, postquam appropinquante pernicie identidem affirmavisset, se malo hoc certissime sublatum iri.[1]) — Huic defuncto grati Cives labii germanici sub Cathedra Ecclesiae monumentum erigere intendebant; quo non admisso, fundationem conservandae viri memoriae annuis Sacris constituerunt.

Cessante morbo Cholera Thomas ad providendas Abbatias filiales: S. Mauritii de Beel, et B. M. V. de Dömölk animum adplicuit. Quam in rem expetito a Conventualibus S. Martini, ductu Diplomatis Restitutionalis anni 1802-di puncti 8-vi consilio, postquam quidam plurimis votis honoratus dignitati huic renuntiavisset, huic numero votorum proximos: Isidorum Guzmics SS. Theologiae Doctorem, 17 annorum decursu in Lyceo Archiabbatiae Dogmaticae Professorem, Eruditae Societatis Hungaricae Membrum Ordinarium, Ecclesiae Bakonybeliensis; et Godefridum Wekerle, AA. LL. et Philosophiae Doctorem, Matheseos in Studio domestico Jaurini 10 annis Professorem, tunc Collegii Jaurinensis Superiorem, et Archigymnasii, et Scholarum nationalium Directorem localem, Ecclesiae B. M. V. de Dömölk Abbates nominavit, Conventualium voto ex bona voluntate citra ullam obligationem accedens. Quos pro altissima Confirmatione regiae Maiestati praesentatos, et Collationis literis instructos per Episcopum Jaurinensem Antonium Juranics, in Festo Dedicationis Ecclesiae S. Martini benedici procuravit.

Eodem anno Studium Juris civilis patrii cursui theologico inductum est, et quidem in annum 3-um et 4-tum, ut duorum annorum decursu totum audiretur. Linguae orientales: arabica, syriaca, chaldaica cum affinibus 1-mo et 2-do Theologiae anno extraordinarie tractabantur, quod etiam Studio Juris inducto perseveravit. Item Curiae Füssienses in sequelam articuli dietalis anni 1830 numero novem inter Donatarios 8 distributae; quos inter Septemvir et Comitatus Torontaliensis

---

[1]) Fasc. $\frac{74}{B.}$ ccc. —

Supremus Comes Josephus Ghiczy, Josephus Markovics ad Tabulam regiam Judiciariam Referens Assessor, Aloysius Priviczer Consiliarius Locumtenentialis, Paulus Nagy celebratus Orator Comitialis praecipui; tum Paulus Szabó Juris patrii Professor Jaurini, Emericus Szental Salis Perceptor ibidem, Joannes Pack Architectus Strigonii, de Ecclesia S. Martini materiali optime meritus, et Pázmán Assessor Comitatus. Omnium statutio simultanea erat primis diebus Maii, Donatariis omnibus in persona comparentibus.

Postremis eiusdem anni Februarii diebus Thomas, hortante Jaurinensi Episcopo, Viennam concessit, ubi plurimi utriusque Ordinis Proceres, et Nobilium praecipui confluxerunt, Augustissimo Domino, Regi suo, die 1-a Martii exactum quadragesimum Regni ejus annum solenniter gratulaturi. Convenerunt in Aedibus Exc. Cancellariae regiae hungaricae universi; unde porro longa serie splendidis curribus, partim per Magnates Hungaros Viennae degentes, partim per Optimates Austriae suppeditatis ad arcem Caesaream vecti, Regem in Oeco Equitum, Germanis Ritter-Saal, venerabantur. Vota omnium Ladislaus Pyrker, Patriarcha-Archiepiscopus habuit depromenda, qui tamen iuxta Regiae Maiestatis votum nulla diuturni regiminis iniecta mentione, tantum de superato feliciter, quod a Morbo Cholera universis impendebat, periculo gratulatus, Eidem ob locatam in avertenda a suis Populis hac peste operam, et paternam sollicitudinem impensam gratias egit.

Anno 1837 provisio vacantium Abbatiarum filialium Tihaniensis, et Dömölkiensis locum habuit. Qua in re Archiabbas, Consilium Conventualium, quorum quatuor extra Archicoenobium degebant expetiit; et apertis die 2-da Octobris omnium votis, —eo, qui ante quinquennium electus renuntiavit, iterum plurimis votis honorato, sed dignitati denuo, et iam non solo, uti tunc, sed cum aliis duobus renuntiante, numero votorum proximos, et quidem: Adalbertum Bresztyenszky, Matheseos purae et applicatae 27 annorum spatio Jaurini Professorem, ab exacto suorum officiorum implemento, quorum saepe simul plura obivit, et editis operibus mathematicis celebratum — Tihaniensem; et Leonem Gácser, Humaniorum, tum Historiarum Professorem, Archicoenobii 9 annorum curriculo Sub-Priorem, et Novitiorum Magistrum, et postquam quadriennio solis Novitiis vacavisset, Archi-Coenobii Priorem — Dömölkiensem Abbatem nominavit; quos deinde per Apostolicum Regem confirmatos, Josephus Kopácsy Vesprimiensis Episcopus per Archiabbatem invitatus, Dominica in Albis in 22-am Aprilis cadente solenniter benedixit. Hac occasione frequentissimi hospites ad S. Martinum accurrerant Adalberti gratia Jaurino, ubi 28 annos, summis et imis acceptissimus exegit.

Thomas iste, intra breve annorum XI regimen plurima utiliter, insigniter, et magnifice egit ita, ut singulos suos in dignitate Archiabbatiali Praedecessores longo post se intervallo reliquerit; et omnes simul sumtos facile adaequarit. Sub eius regimine Archicoenobii Bibliotheca, centum et ultra millium Voluminum capax nobiliore sui parte surrexit, illatis plus quam 65 millibus Voluminum ordinata ea elegantia, cui intra vastum Imperium austriacum parem vix reperiri in confesso est; vasta et elegans, sui prorsus generis turris Ecclesiae principalis S. Martini educta; Collectiones Naturalium, Numorum veterum et Artefactorum maxima et nobilissima sui parte procuratae, in Ordinem rite digestae, et Indicibus provisae; Acidulis Füredienses praesens decor, et commoditas immani, sed non damnoso sumtu inducta; Religiosos terminato domi studiorum theologicorum cursu in sublimiore Instituto presbyteriali ad S. Augustinum Viennae uberius excolendi

consvetudo coepta ; nova insignis Breviarii olim Congregationis S. Mauri gallicanae editio, eoque utendi facultas procurata ; nova parochia in Péterd fundata et erecta ; nova Ecclesia nobili stilo in Asszófő aedificata ; viae currules per superficiem Montis Pannoniae 30,000 fl. sumtu paratae, et canalibus lapide a longe advecto stratis provisae; Apparatus hydraulicus, qui aquam per spatium 400 orgiarum ad 62 orgiarum altitudinem perpendicularem propellit, constructus; Praedium Tarján plene, praedium Ölbö maiore et nobiliore sui parte oeconomicis aedificiis provisum ; Jurisdictio Archiabbatum spiritualis in Clerum et Populum pro perpetuis temporibus firmissime stabilita ; Capitula generalia, et visitationes regulares, quae semper a Regibus et Pontificibus instar fortissimi regularis disciplinae, et inde pendentis Monasteriorum stabilitatis fulcri et praesidii habitae sunt, in usum deductae ; Capellae in Residentiis, quae contiguas sibi Ecclesias non habebant, erectae; Statuta in re disciplinaria, literaria et oeconomica confirmando totius Congregationis statui et exsistentiae idonea condita ; Decimarum Sümeghiensium depensio secundum veterem transactionem in argentea pecunia procurata ; Historia Monasterii S. Martini, inde ab eius origine ad praesens usque tempus, quam Chrysostomus Novák, serius Archiabbas, per Josephum Garampi Nuntium apostolicum, imo ipsum Pium VI. Summum Pontificem animatus, scribere intendebat, conscripta. Quid ? quod Archicoenobii structuram completo, quod restat, et fors aeternum restabit, quadrato absolvisset; nisi exactionibus Comitatuum, in quibus Archiabbatiae Bona sita sunt, ad atterendas Dominorum terrestrium vires directis, iam anno 1836 tam efficaciter fuisset impeditus, ut plus quam centum millia tegularum, hoc scopo ad montis verticem eluctata, solvendae mercedi murariorum impar, inde aliis usibus destinare coactus fuerit.

Inter haec eius valetudo, cui per omnem vitae suae cursum exiguum curae solebat impendere, non opitulante moderata in omnibus vitae ratione ultimo anni 1840 quadrante in dies fatiscebat ; donec 4-ta Januarii 1841 malo repente ingravescente, sacro viatico provisus, et extreme unctus, post plurium horarum agonem ipso meridie 5-tae Januarii animam Deo reddidisset. Obiit e phthisi hepatis annos natus 57, mensem 1, dies 12 per Episcopum Jaurinensem Joannem Sztankovics, veteranum suum et sui Ordinis amicum sepultus. Exsequiae solennes die 4-ta Martii pontificante itidem Jaurinensi Episcopo. Emerico Farkas Abbate de Abram, hodie Illustrissimo Albaregalensium Episcopo. Francisco Pendl Abbate S. Crucis de Vértes, Albensi Canonico, Joanne Sághy Abbate de Tata et Canonico Jaurinensi. et Josepho Sybrik, Abbate de Csatár assistentibus; et Carolo Wurda Canonico Jaurinensi frequentem Populum ad vivam in Deum fidem exemplo defuncti fovendam exhortante. Conclusit solennia Paulus Gyöngyösy S. Ordinis Praemonstratensium Praepositus de Csorna, Sacro in Pontificalibus solenniter decantato. Digressis hospitibus Conventus S. Martini, post electionem Vicarii mox ab obitu Archiabbatis intra legitimum tempus institutam, eiusque facti iure coram Excelso Consilio regio non minus, ac coram Primate Regni demonstrato et evicto, sicut ante, ita post Exsequias in rite ordinando totius Congregationis, vacante sede, statu solerter laborabat.

49. Michaël. (1842) Archiabbas XIX.

In Generali totius Congregationis nostrae Capitulo, praesente Commissario regio, Joanne Sztankovics, Jaurinensi Episcopo, die 22-a Septembris anni 1841, Electione canonica plurimis votis potitus: 31-a die Augusti sequentis anni per Caes.

Regiam Maiestatem Ferdinandum V. Regem Apostolicum Archiabbas clementissime nominatus, et 23.ª Aprilis anni 1843 per eundem Jaurinensium Antistitem auctoritate Apostolica benedictus est. Grave, his praesertim temporibus, sparsae Congregationis regimen sustinet indefessus. Eius modestia, quae Religionis, patriae, sacrique sui Ordinis commodo suscepit, praedicari non patitur. Hoc Praelato Sacratissimam Caesareo-Regiam et Apostolicam Maiestatem Austriae Imperatorem FRANCISCUM JOSEPHUM, et Serenissimum Archiducem Albertum Regni Hungariae Gubernatorem die 30.ª Junii anni 1852 in S. Martino clementissimos Hospites venerabamur; unde antiquissima Ecclesia, pallio S. Stephani, Reginae Giselae Consortis eius manu parato, Bibliotheca. et quae hinc sereno Caelo conspicua est, quinta Regni parte lustratis, inter sonoras et sinceras frequentis populi comprecationes iter Jaurinum versus prosequebantur. Sed iam prius Asceterium istud exoptata sua praesentia dignati sunt duo S Sedis Apostolicae apud Aulam Caesareo-Regio-Apostolicam Viennae Nuntii, utpote: Celsissimus et Reverendissimus Princeps Ludovicus ab Altieriis, Archiepiscopus Ephesinus, die 16.ª Aprilis anni 1845; et Excellentissimus ac Reverendissimus D. Michaël Viale- Prelà, Archiepiscopus Carthaginensis die 24.ª Junii, anni 1851; ambo iam Eminentissimo Purpuratorum Ecclesiae Romanae Patrum coetui adscripti. Denique anno 1855, Septembris mensis ultimo, et Octobris primo biduo Eminentissimum ac Reverendissimum Dominum Joannem Bapt. S. R. Eccl. titulo S. Crucis in Jerusalem Presbyterum Cardinalem Scitovszky, Metropolitanae Eccl. Strigoniensis Archiepiscopum, ut Visitatorem Apostolicum. licuit praesentem venerari; quem sicut lubente animo excepimus, ita discedentem sincero affectu filiali prosequebamur. Huic Benignissimo Hospiti contigit, quod ante illum 858 annorum decursu nemini. ut quamvis Regulam S. Benedicti non profiteretur, Monasterium S. Martini canonice visitaret; quod antidhac soli Visitatores Abbates ex Generali Ordinis nostri Capitulo emissi peragebant. Quod, quum nullo alio, quam specialiter per Sedem apostolicam delegato iure factum fuerit, velut legitime sane, sed citra ullum praeiudicium immunitati Ecclesiae S. Martini de S. Monte Pannoniae ab Archiepiscopali, Primatiali, aut Legationis Natae potestate ad hodiernum usque diem sancte, integreque servatae inferendum, factum, reverenter amplectimur; nihilque nobis a Patre coelesti ardentioribus votis poscendum arbitramur, quam ut illis, quae Sanctissimus Pater, Summus Ecclesiae Pastor, Pius Papa IX. cui longa vita, et beata aeternitas!!! provide plantavit, et quae Eminentissimus Visitator Apostolicus sollicite rigat, opportunum incrementum propitius dignetur impertiri.



Monumenta Eruditionis

Archi-Coenobitarum.

Antequam a Monasterio S. Martini digrediamur, iuvat pauca de Religiosorum eius eruditione oculis subiicere.

An, et quantum sinistra Monasterii huius fata inde ab eius origine usque Sec. XVIII. in literaria eius monumenta deliquerint, non licet definire. Id certum, si vitam SS. Andreae, et Benedicti demas, quam S. Maurus ex Abbate S. Martini ad Episcopatum Quinque-Ecclesiensem promotus in senectute conscripsit, nullam ad nos e primis septem seculis Maiorum nostrorum lucubrationem pervenisse. Non defuisse tamen Asceterio huic viros eruditione, uti tunc erat, conspicuos vel inde apparet, quod Canonicus Posoniensis et Abbas de Batha, Michaël Vörösmarty circa annum 1640 opus suum ad confirmandos in fide suos Bathienses subditos elaboratum, per quemdam Patrem S. Martini Religiosum revideri oret, antequam typis committatur. Cuius Patris tanta erat existimatio, ut Auctor Operis, in literis ad Mathiam Archiabbatem datis, nec nomen eius exprimi opus esse censuerit. Procuratores quoque Monasteriorum, praesertim per Sanctimoniales, ex hoc Asceterio fuisse non raro constitutos vidimus; unde ad peritiam Juris concludere pronum est. Cetera eius aevi densis tenebris abdita haerent.

Praemisso igitur omnium, quos novimus, Hungariae Scriptorum antiquissimo, S. Mauro, qui hoc in Monasterio literas didicit, tum vitam religiosam amplexus in eodem Abbas exstitit, atque provecta aetate iuxta Kollerum[1]) circa annum 1064 Vitam SS. Andreae et Benedicti brevi quidem, sed ut ipse ait, veraci commentario descripsit, ceteros longo temporis intervallo seiunctos damus; omissis omnibus, qui versibus, ut dici amat, occasionalibus tantum operam suam commodaverunt.

Dominicus Banics, natus Jaurini anno 1694, Senior et Consistorialis, anno 1768 Abbas S. Crucis de Telki nominatus, edidit sermonem lugubrem sub titulo: Betakartatott, és kinyittatott könyv, avagy: Halotti beszéd Felső-Surányi Sigray Ferencz felett. Pozsonyban, 1727.

Samuel Vajda, Nobilis Jánosháziensis, maioribus operibus in lucem editis primus ex Archicoenobitis inclaruit. Erat Professor Theologiae in Archicoenobio, tum Administrator in Dömölk, demum Abbas in Tihan. Edidit plura, utpote:

A mi Urunk Jézus Krisztusnak élete. Három kötet. Pozsonyban, 1778 in 4-to. Opus hoc populare Societas a S. Stephano nuncupata secundis curis edere constituit.

Szüz Sz. Márgit Asszonynak, IV. Béla király leányának élete. Budán, 1782.

VI. Pius Pápának imádságos könyve. Győr, 1785.

---

[1]) Hist. Episc. Quinqueeccl. I.

A megdicsőült Szenteknek, jelesül pedig a boldogságos szüz Máriának tiszteletiről néhány rövid és könnyen érthető bizonyitások. Veszprémben, 1792. Denique:

Loyola Sz. Ignácz dicsérete. Győrött.

Daniel Somogyi, Nobilis Papensis, Archiabbas, edidit: Méltóságos Gróf Erdődy, és Pálffy házaknak nagy érdemei. Pozsony.

Aegidius Hollósy, natus 1728, mortuus 1808, edidit sermones lugubres super Obitu Comitissae Barbarae Barkóczy, Comitis Josephi Cziráky Viduae anno 1772, et Alexandri Kiss, Comitatus Vesprimiensis Vicecomitis. 1777. Item: Pannoniai Szent Hegynek, és Tihanyi szigetnek Főtisztelendő Vajda Apátur ellen való barátságos nyájas panaszai. Komáromban, 1793. Denique: Kincsem adta: egymással való barátságos beszélgetés. Komáromban, 1802. Erat Orator extemporaneus.

Bernardus Dezső, natus in Üreg Comitatus Tolnensis anno 1731. Obiit Superior Modrae 1773. Edidit:

Loyola Sz. Ignácz dicsérete, mellyet azon Szentnek ünnepe alkalmatosságával Rév-Komáromban a rettenetes földindulás után mondott Dezső Bernárd. Nagy-Szombat, 1764.

Dicsőséges Sz. Calasanctius Józsefnek, az áhitatos oskolák szerzete alkotójának. nagy érdemü jóságiról sommás beszéd, Veszprémben 1768 a szentek közé számláltatásakor. Kalocsán, 1769.

Damianus Fuxhoffer, natus in Ják Comitatus Castriferrei anno 1741, obiit in Tihan anno 1814. Scripsit opus sub titulo: Monasteriologia Regni Hungariae, in qua 5 Libris synoptice originario-diplomatice describuntur omnia singulorum Religiosorum Ordinum Monasteria, quae unquam ab ingressu Hungarorum in Pannoniam fundata fuerunt. Vesprimii, 1803. Folio.—Ceterum duo tantum Libri publicam lucem viderunt; reliqui tres, in Bibliotheca centrali manuscripta inter servantur.

Rupertus Kovács, natus anno 1742, obiit 1803. Sublato S. Ordine Jus canonicum in Seminario Jaurinensi docuit, cuius manuscriptum hungarico idiomate reliquit. Adest praeterea impressus libellus: Kovács Pálnak magyar példa- és közmondási. Győrben, 1794. Nempe suppresso Archicoenobio libertati restitutus, et germanicum Ruperti nomen fastidiens, illud baptismale resumsit.

Chrysostomus Novák, natus anno 1744 in Szent Gróth Comit. Zaladiensis. Vir magnae eruditionis, unicum libellum edidit, cui titulus: Vindiciae diplomatis, quo S. Stephanus primus Hungariae Rex Monasterium S. Martini de S. Monte Pannoniae Ord. S. Benedicti anno MI. fundaverat, a P. Chrysostomo Novák Ord. et Loci eiusdem professo ad amicum contra anonymi epistolam nuper sparsam conscriptae. Budae, 1780. in 8. — De hoc opere vide supra pag. 136.

Amandus Pausz, natus in Dömölk anno 1749, obiit ibidem anno 1810. Eius opus est: Kisczeli Szarándok. 1797. Győrben, — quod Godefridus Wekerle Abbas Dömölkiensis anno 1835 in Germanicum convertit.

Benedictus Bosnyák, natus 1750 in Balaton-csehi Comit. Simeghiensis, obiit Parochus in Zamárdi 1810. Geometra et Delineator insignis. Edidit opusculum: A szentséges Szüz Máriának boldog halálra készitő héti tisztelete. Pest, 1798. in 12-mo.

Aloysius Szentmiklósy, baptisatus Timotheus, natus 1749. Theologiae Doctor, Comaromii Gymnasii Professor, tum Director. Obiit in Pusztakovácsi 1709. Opuscula eius sunt: Kathedrai Gyüjtemény. Győrben, 1792. 8-vo.

A jó nevelésnek tüköre egy jó szivü királynak példájában. Miaburg, 1791

A magános életről. Irta németül Zimmermann, forditotta Sz. M. T. 1791.

Tobias Mollik, Theologiae, uti et Rupertus Kovács, Doctor, anno 1751 natus, primum Jaurini in Lyceo episcopali, tum Agriae, deinde Pestini ad R. Universitatem, sublataque ad hanc Facultate theologica iterum Jaurini Theologiae in Seminario Professor ; restituto S. Ordine Collegii Jaurinensis Superior, et Archi-Gymnasii R. Director, anno 1808 Episcopi Sabariensis, Leopoldi Somogyi, amici sui Bibliothecarius, et Theologus domesticus, ab anno 1816 Spiritualis Jaurini usque dum anno 1824 pie, ut vixit, obiisset. Anno 1816 pro vacantibus Abbatiis, Tihaniensi et Bakonybéliensi ultimo loco meruit candidari! — Edidit plura opera, sequentibus titulis :

Dissertationes locupletissimae de Religione naturali, et revelata in genere, in specie Mosaica. Agriae, 1784 in 4-to.

Dissertationes dogmaticae de Thesibus hocce specialius aevo disceptatis.

Pentateuchus explicatus. Agriae, 1785. 4-to.

Dissertationes de Ecclesia Christi. Agriae, 1786. in 4-to.

Concordia revelationis et rationis circa aeternae vitae vel mortis praedestinationem. Agriae, 1790. in 4-to.

Synopsis catholicae de gratia actuali doctrinae. Agriae, 1790.

Josephi II. literarum de Coelis transmissarum refutatio. 1790.

Convulsio Extractus dissertationis Sam. Verenfels. 1790.

Diluitio errorum de votis. et clericali coelibatu. Agriae, 1790.

Dissertationem ad quaestionem, an sic dicta apostasia inter delicta civilia referenda? in examen vocavit T. M. Pesthini, 1790.

Incarnatio, vita et mors veri Redemtoris. Agriae, 1790. in 4-to.

SS. Missae sacrificium rite ac pie celebrandi ratio cum dissertatione de frequenti eiusdem celebratione, et fidelium sacra Communione. Sabariae, 1819.

Dissertationes trinae de 72 Interpretum graeca V.T. versione. Jaurini, 1819.

Dissertatio de divina auctoritate librorum deuterocanonicorum utriusque Testamenti. Jaurini, 1819.

Votum, et promtum cuivis subsidium unionis in unam salvificam Ecclesiam hanc ingredi anhelantibus a SS. Theologiae Doctore et emerito Professore R. P. O. Budae, 1821.

Elementa Scientiae Sanctorum collecta a SS. Theologiae Doctore, eiusdemque emerito Professore R P O. Agriae, 1822.

Lucas Rosenics. AA LL. et Philosophiae Doctor, Historiarum in R. Academia Posoniensi Professor Natus anno 1784, obiit Parochus in Sz. Ivány 1835. Scripsit :

Historiae Regni Hungariae compendium. Posonii, 1828. 1829.

Summaria Introductio in historiarum studium , in usum suorum Auditorum elucubravit Lucas Rosenics. Posonii. 1827.

Maurus Czinár, Tyrnaviae, Jaurini, Posonii Poëseos Professor, tum Philosophiae Doctor et Physicae 10 annis Professor, Jaurini, et Posonii utrobique biennio Residentiae Superior, et R. Archigymnasii. Scholarumque Nationalium Localis Director; tum ab anno 1828 usque 1843 S. Ordinis Secretarius, et Historiographus, nunc Bibliothecarius centralis, Collectionum Custos, et Archivarius domesticus. Edidit in Schematismo Archi-Abbatiae brevem Conspectum Abbatum, et Archiabbatum, Gubernatorum, et Administratorum Regii, et native exemti Monasterii S Martini de S. Monte Pannoniae Ordinis S. Benedicti, serie chronologica exhibitum, anno 1841. Accessit : Brevis notitia de Archicoenobio S. Martini, et filialibus monasteriis inde ab eius et horum origine ad annum usque 1843; item : de Domibus et Ecclesiis, Archiabbatiae ob assumtam publice docendi

obligationem per Maiestatem Regiam assignatis. — Idem Historiam Conventus S. Martini et filialium eius Monasteriorum, inde ab origine usque 1842 iussu Capituli generalis in 147 phileris conscripsit, Archicoenobitarum duntaxat usui paratam. Cui Appendicum instar adnexus est Elenchus Abbatiarum Benedictinarum in Hungaria et partibus, antea S. Coronae Hungariae adnexis, fundatarum; item: Usus ratione titulorum, qui diversis seculis diversus obtinuit, e Diplomatibus, aliisque publicis Archivi Archiabbatiae documentis excerptus. Tum: Monumenta Eruditionis Religiosorum Monasterii S. Martini, alteri Monasteriologiae Fuxhofferianae editioni ipso hoc loco inserta. Demum: Elenchus Religiosorum Monasterii S. Martini S. Montis Pannoniae chronologicus, quorum mentio in Archivo domestico adest. Postea: Conspectus acquisitionis et conservationis Bonorum et Jurium possessionariorum Archiabbatiae, et filialium Abbatiarum: Bakonybél, Tihan et Dömölk in praesenti adhuc possessorum, e documentis Archivi domestici excerptus, cui Historia Residentiarum S. Ordinis olim ad alios S. Ordines pertinentium, adnexa est. Denique magis memorabilia Diplomata Regum; Bullae et Brevia Summorum Pontificum, ac literae veteres aliorum, opus concludunt. — Idem Dissertationem de Spirituali Monasterii S. Martini in Clerum et Populum suum Jurisdictione, ab anno 1001 usque hodiernum diem, si XVI annos suppressionis per Josephum II. Imperatorem adductae demas, pleno iure sine interruptione exercitae; uti et de loco natali S. Martini Episcopi Turonensis, non Sabariae Comitatus Castriferrei, sed Sabariae olim ad pedem Montis Pannoniae sitae, attribuendo conscripsit. Denique praesentem hanc Operis Fuxhofferiani editionem, exactis ad fidem documentorum plurimis cognitionibus auctam et emendatam adornavit.

Marcus Kovács, Parochiae Administrator, composuit hungaricas cantiones ecclesiasticas, quas edidit sub titulo: Énekes könyv. Pesten. Item: Falusi tisztujitás. Győrött. 1846. — Demum: Keresztény kathol. hitre visszatérő ágostai, vagy helvét vallásu személynek előleges oktatása. Pest, 1845

Wolfgangus Fenix, SS. Canonum Doctor, Conventus S. Martini, deinde Tihaniensis Prior, Collegii Jaurinensis Superior, antea eiatis Archi-Gymnasii et Scholarum nationalium Localis Director, edidit: Magyar gazda asszony; et: Természet rajz. Győrben, 1850.

Adalbertus Bresztyenszky, Professor Mathematum Academiae Jaurinensis, serius Abbas S. Aniani de Tihan; natus anno 1786, obiit anno 1850. Huius Opera sunt:

Lectiones academicae ex Mathesi applicata in usum suorum Auditorum conscriptae. Jaurini, 1819. 8-vo.

Elementa Arithmeticae generalis, seu Algebrae. Jaurini, 1824. — Editio altera. 1829.

Elementa Geometriae, et Trigonometriae planae in commodum suorum Auditorum conscriptae. Jaurini, 1827.

Fabianus Szeder, variis in Gymnasiis Director et Superior, tum Bibliothecarius et Archivarius, demum Administrator Füssiensis, sequentia edidit: A Katholikusok tanitása a Protestantismusra nézve. Közre bocsátotta németül „a Pápa a Catholicismusra nézve" nevezetü könyvnek szerzője. Forditatott magyarra sz. Benedek szerzetebeli Pap Szeder Fábián által. Nagy-Szombatban, 1820.

Azaël halála, avagy Dina elragadtatása. Dugat D. P. után kiadta Szeder Fábián. Pesten, 1826. 8-vo.

Válogatott darabok, mellyek nehány honi jeles munkákból a magyar olvasást kedvelő ifjuság számára szedettek ki. Nagy-Szombatban, 1821. 8-vo.

Kisded köszöntő Zsebkönyv az ifjuság számára. Esztergomban, 1827. 16-o.

Urania : nemzeti Almanach uj esztendei ajándékul. 1828—1832. 12-o.

Praeter haec in variis Scriptis periodicis, uti : Tudományos Gyüjtemény, Szépliteraturai ajándék, Hasznos mulatságok, Kedveskedő, Minerva, Egyházi tár, Aurora, complures eius elucubrationes occurrunt. Idem ob resolutas apte quaestiones publice propositas, praemium tribus vicibus consecutus est.

Bonifacius Maár, AA. LL. et Philosophiae Doctor Collegiatus, prius Humaniorum, deinde 30 annorum serie in Jaurinensi Academia, suffectoque huic Gymnasio maiore Historiarum Professor, aurea cruce cum corona pro meritis decoratus, edere coepit, sed morte praeventus non absolvit Opus, cui titulus :

Egyetemes történelem. Győrött, 1853 . . . cuius 9 fasces iam prelum deseruerunt. Horum ultimus historiam aevi veteris conclusit.

Isidorus Guzmics, Theologiae Doctor et Professor, tum Abbas Bakonybéliensis, natus 1786, obiit 1839. Vir studiis unice et Religioni deditus multa edidit, plura editurus, nisi praematura mors laudabiles conatus intervertisset. Quae ab eo habemus, sunt : A keresztényeknek vallásbeli egyesülésekről. Pesten, 1822.

A vallási egyesülés ideájának, és a romai katholikus és Protestáns keresztények között fenálló Uniónak vizsgáltatása. Győrött, 1824. — Ugyanennek másodszori vizsgáltatása. Győrött, 1826.

Theokritosz maradványi, forditotta Guzmics Isidor. Győrött, 1824.

Theologia christiana fundamentalis. Jaurini, 1828.

Theologia dogmatica Jaurini, 1828. 1829.

Vallási és egyházi tár — Opus periodicum, plurium annorum decursu continuatum.

Pannonia századjai. 1830. Item: Elucubrationes variis operibus periodicis insertae, uti : Tudományos Gyüjtemény, Szépliteraturai ajándék, Aurora, Hasznos mulatságok, Élet és literatura, Egyházi értekezések, Pesti theologiai folyóirat, Magyar akademiai évkönyvek, Közhasznu ismeretektára, et Magyar Hübner-Lexicon. Reliquit praeterea Manuscripta, a quorum editione praematura morte impeditus est. Item Doctrinam christianam pro Gymnasiis, quae ad Exc. Consilium pro Concursu submissa, nondum est restituta. Eiusdem Iphigenia in hungaricum translata, et operi : Magyar akademiai évkönyvek inserta, 50 aureorum praemio post eius mortem honorata fuit; quos Archiabbatia, naturalis eius haeres, eidem Academiae donavit

Hymnos sacros, quos Breviarium Congregationis olim S. Mauri, per eam S. Martini nuper adoptatum, in Officiis propriis SS. Patronorum Regni Hungariae continet, pro Festo S. Stephani et eius Octava Bernardinus Takács, et Theophilus Balás, pro eo S. Emerici Titus Molnár, denique pro eodem S. Ladislai Valerius Ballay, emeriti studii Poëseos Professores publici, alias quoque ab insignibus versibus occasionalibus clari, in spiritu novi huius Breviarii composuerunt.

Aemilianus Mann, AA. LL. et Philosophiae Doctor, in R. Academia Posoniensi antea Historiarum 20 annorum serie Professor, edidit :

Betrachtungen am Fusse des Kreuzes. Pest, 1850. — Item :

Compendium Asceseos Benedictinae. Posonii, 1852.

Titus Molnár, Theologiae Doctor et Professor, deinde academicus Jaurini Exhortator, tum S. Ordinis Secretarius, denique Residentiae Comaromiensis Superior et eiatis Gymnasii Localis Director, edidit : Institutiones Religionis christianae catholicae, usibus praelecti-

onum academicarum accommodatae. Budae, 1836.

Anianus Jedlik, in Universitate Scientiarum Pestini Physicae Professor, ad Scriptum periodicum physico-mathematicum Baumgartner et Ettinghausen suppeditavit opusculum: Bereitung künstlicher Säuerlinge, — Wien, 1829. Tomo 7-mo — dum adhuc in domestico S. Ordinis Studio Jaurini Physicam docuisset. Serius coepit edere idiomate patrio Physicam, sed unicus tomus vidit lucem sub titulo: Sulyos testek Természettana. Pesten, 1850.

Leander Stanke, Philosophiae Doctor, et academicus, dein Universitatis Regiae Scientiarum Professor, edidit: Compendium historiae Philosophiae. Viennae, 1841.

Gregorius Czuczor, Humaniorum, dein Philologiae hungaricae Professor, nunc Academiae hungaricae Membrum ordinarium, sequentibus operibus inclaruit:

Aradi Gyülés, hősköltemény, öt énekben. Pest, 1828.

Hunyadi János viselt dolgai, leginkább Engel és Fesslerből. Buda, 1832.

Czuczor poetai munkái. Buda, 1836.

Cornelius Nepos fenmaradt minden munkái, forditotta Czuczor Gergely. Buda, 1841.

Horatius levele a Pisokhoz. Buda, 1842.

Washington élete, Sparks Jared után szabadon forditotta Czuczor Gergely. Pest, 1844.

C. Cornelius Tacitus könyve, Germania helyzete-, erkölcsei- és népeiről, ford. Czuczor Gergely. Pest, 1851.

Bibliai történetek, Schmidt Kristóf után forditotta Cz. G. Pest. 1853.

Czuczor népies költeményei. Pest, 1854.

Accedunt philologicae dissertationes, scriptis periodicis: „Uj magyar Muzeum" et „Academiai Értesitő" insertae, nec non varia carmina. Nunc, ex electione Academiae hungaricae, parat iam a pluribus annis Magnum Dictionarium etymologicum lingvae hung., quod iam usque literam V inclusive perduxit.

Beniamin De la Casse, Philosophiae Doctor, Professor Matheseos Academiae Posoniensis, scripsit: Mennyiségtan. Pozsony, 1843. —

Fulgentius Spáth, Residentiae Ginsiensis Superior, et Gymnasii Localis Director, edidit: Glockentöne. Güns; et nonnulla poëmata idiomate germanico. Nominatim: Lyrische Gedichte. Wien, 1845.

Valerianus Rammershoffer, nunc Ramóczy, Philologiae hungaricae academicus Professor, nunc Ginsiensis Residentiae Superior, et Gymnasii Localis Director praeter aliquot dissertatiunculas. concursuali praemio honoratas, scripsit: Magyarországnak rövid földleirása. Pozsonyban.

Álladalomtan. Pozsony, 1847.

Grammatik der ungarischen Sprache. Pressburg, 1842.

Schulwörterbuch. Pressburg, 1838.

Valentinus Horváth, Grammaticalium Scholarum Professor, nunc Parochiae Administrator, edidit: Füredi Savanyúviz. Óvár, 1848.

Deákra forditandó. Pozsony, 1844.

Historiae Ducum et Regum Hungariae Compendiolum. Posonii, 1838. — Idem hungarice, ibidem.

Fidelis Briedl alias Beély, Philosophorum anni III. in monasterio Bakonybéliensi Professor, nunc Superior Residentiae Ginsiensis, Eruditae Societatis hungaricae membrum correspondens, nonnullas Dissertatiunculas de Educatione, et Biographiam Abbatis Isidori Guzmics Scripto periodico: Egyházi tár inseruit; nonnullas alias ad Tudománytár et Életképek concinnavit. Denique anno 1848 edidit: Alapnézetek a nevelés-

s leendő nevelő- s tanitóról etc. Pozsonyban. Et: Költészi képek. Pesten, 1837. 2 Kötet.

Basilius Knittelhoffer, nunc Intay, edidit: Krisztus követéséről. Győrött, 1845. Item: Sz. Keresztuti Ájtatosság. Bécsben, 1854. — Et: Jézus és Mária, Üdvünk legfőbb menedéke. 1855. — Az élő lelki rózsafüzér. Győrött. Opus originale, quod in germanicam lingvam translatum, Viennae quartam sui editionem meruit.

Martinus Waldmayer, Professor Gymnasii, concinnavit opusculum variis precatiunculis constans, sub titulo: Herzenstöne. Güns. — Similes libellos precatorios in usus Juventutis Studiosae hungarico alii, alii latino idiomate plures adornaverunt, quorum ille Zőrardi Szárnyay etiam notis musicis instructus prodiit.

Samuel Márkfi, AA LL. et Philosophiae, item SS. Theologiae Doctor, antea in Lyceo Archiabbatiali S Martini, nunc in R. Universitate Pest. Studii biblici Novi Foederis Professor caes. r., edidit: „Hitkételyek". Pesten, anno 1849. Opus a Facultate theologica Pestinensi a. 1851 coronatum.

Item: Szent Szakaszok, mellyek az Anyaszentegyház közistentiszteletén olvastatnak. Kiadja a Szent-István-Társulat. Pesten, 1854. Haec recensio pericoparum biblicarum in compendium redacta, etiam pro scholis elementaribus labii hungarici Altissimo loco praescripta est. — Tum: Introductio in sacros libros Novi Testamenti. Budae, 1856. — Accedunt complures dissertationes in scriptis periodicis vulgatae, argumenti biblici, historici et moralis cum nonnullis recensionibus. Praeterea interpretatio hungarica literarum Apostolicarum, quibus Pius IX. immaculatum Conceptum B. M. V. dogmatice definivit. Textus eius pro usu ecclesiastico receptus fuit.

Osvaldus Tury, AA. LL. et Philosophiae Doctor, Matheseos antea Jaurini, nunc in Studio domestico Archiabbatiali Professor, scripsit: Előkészület a betü-számtanhoz. Győr, 1850.

Hyacinthus Laitzinger, nunc Rónay, Doctor et Professor Philosophiae Jaurini, edidit: Tapasztalati lélektan. Győr, 1846. Item: Jellemisme. 1847.

Ambrosius Fábián, Professor Gymnasii, scripsit: Katholika egyház története. Pozsony, 1847. és 1850. Item: Ó és uj-szövetségi történet. Pozsony.

Jacobus Ferenczy, Linguae hungaricae in Academia Posoniensi Professor, nunc Residentiae Strigoniensis Superior, et Gymnasii maioris Localis Director, dedit: Adalék honi nyelv történetéhez. Pozsony, 1844. Item: Magyar irodalom, és tudományosság története. Pest, 1854. Idem cum Josepho Danielik composuit biographias Scriptorum hungaricorum, editas a Societate S. Stephani, sub titulo: Magyar irók. Pest, 1856.

Cassianus Fojtényi, Professor Gymnasii, dedit:

Égi lant, vagyis: Egyházi énekek. Litániák és imádságok a hazai tanulók számára. 1841.

Görög régiségtan. 1846. et 1852. Budán.

Tobias Job, SS. Theologiae Doctor, et in Studio domestico archiabbatiali Studii biblici Professor, edidit: Die Sternen-Krone Mariae. Pressburg, 1848.

Paulinus Vincze, in maiore Gymnasio Strigoniensi Professor, transtulit in hungaricum idioma Vilhelmi Pütz opus geographico-historicum, ediditque sub titulo: Az ó-, közép- és uj-korbeli földirat, és Történelem alaprajza. Második kiadás. Pesten, 1852.

Item: Európai törökhon földrajza és történelme. Esztergom, 1852.

Demum: Első franczia olvasmányok az altanodák használatára. Esztergom. 1852.

Item: Az Osztrák birodalom álladalomtana. Pest, 1854. Prasch után.

Justinianus Hollósy, in Gymnasio Soproniensi Professor, vulgavit opus:

Könnyen érthető elemei a természettannak alsó reál és gymnasiumi iskolák használatára Schabus Jakabtól, németből forditá Hollósy Jusztinián sz. B. rendbeli áldozár, bölcsészeti tudor, s a sopronyi főgymnasiumban természettani tanár. 2-dik javitott kiadás, 183 fametszettel. Soprony, 1856. n. 8. 202 lap.

Caesarius Vagács, in Gymnasio maiore Sopronii Professor, edidit: M. Olvasmány, főgymnasiumi közép osztályok számára. Pesten, 1854.

Antonius Nyulassy, in Gymnasio maiore Strigoniensi Professor, edidit iustum volumen versuum hungaricorum Strigonii, anno 1851. Item: Uj magyar köszöntő. Esztergom, 1853.

Thomas Fuchs, in Gymnasio minore Papensi Professor, edidit:

Átalános földrajz az algymnasiumi 1-ső Osztály számára. Pest, 1851.

Alexander Winterkorn, in Gymnasio maiore Jaurinensi Professor, scripsit:

Görög Olvasó-könyv a görög nyelvtan I. és II. évi folyamára, Feldbausch és Zupfle után magyaritva. Bécs, 1853.

Praeter enumeratos, in variis paginis, aut fasciculis literariis ad notitiam nostram dissertationes, recensiones, conciones, carmina, notitias diversas in lucem emiserunt: Candidus Szkalka, Nicolaus Sárkány, Valerius Ballay, Pius Krisztiány, Severinus Schmidt, Joannes Nep. Ruzsicska, Sigismundus Simon, Remigius Sztachovics, Florianus Romer, Beda Kovács, Hilarius Kopeczky, Chrysostomus Kruesz, etc.

SECTIO II.

RELIQUA REGNI HUNGARIAE ORD. S. BENEDICTI MONASTERIA.

II.

Abbatia S. Mauritii M. de Beel.

Sita est in Comitatu Vesprimiensi, et intra ambitum dioecesis eiusdem nominis. Cingitur locis vicinioribus Zircz, Csesznek, Ugod et Szent Gál. Via ad eam undequaque est difficillima; etiam frequentior prae aliis inter Ugod, et montem Hajsza barna [1]) pene periculosa est propter fluvium Gerencze, qui undecim et ultra vicibus eam intersecat; et cum ponti locus non sit, caditur potius e ripa, quam itur, usque dum ad Bakonybél penetres. Postquam penetraveris, aperitur vallis mille circiter passus longa et amoena; sed e qua nihil videas praeter iuga montium, et proceras fagos. Ita locus natura sua pro recessu spirituali, et solitudine monastica formatus videtur. Hunc proinde prae aliis Guntherus, in Monasterio S. Mauritii Quercus inferioris (Nieder Alteich) in Bavaria professus Benedictinus, ob spectatam sanctitatem, et sanguinis cum Gisela Regina nexum in Hungariam evocatus, velut maxime idoneum delegit, in quo Monasterium exsurgeret. Eius igitur precibus et hortatu, S. Stephanus Monasterium istud, quod inde a seculo SS. Mauritii et Sociorum Martyrum de Bakonybél audit, sub finem vitae fundavit, anno quippe 1037, ut e praesente diplomate patet:

„In Nomine Domini Dei Summi. Stephanus superna providente Clementia Ungarorum Rex. — Universorum Christi fidelium sane intendat discretio, quod dum in terra Ungariae christianae Religionis per Dei gratiam nova pullularet professio, multi catholici et religiosi viri ex vicinis provinciis, sancti spiritus dono illuminati, coeperunt ad me confluere, quorum consilio et monitione in diversis locis ad Dei servitium aptis, ecclesias et monasteria incepi construere, in quibus e seculo fugientes regulariter possent conversari, et Deo omnipotenti famulari. Igitur inter cetera, in illo loco, qui Bel dicitur, in Silva bocon, quia divino cultui videbatur mancipari valde idoneus, sub titulo B. Mauritii, Christi Martyris, monasterium incepi construere, quod et per Dei adiutorium consummavi, regiis quoque munifi-

1) Hodie in Chartis geographicis etiam Körösheggy audit.

centiis, sicut potui, dotavi, in quo Gerardus Monachus de Venetia veniens primus coepit conversari, et sicut habui potestatem, ut ubicunque, vel in quocunque loco vellem ecclesias, aut monasteria, construerem, ita nihilominus a Romanae Sedis Supremo Pontifice habui auctoritatem, ut quibus vellem Ecclesiis seu monasteriis libertates et dignitates conferrem. Quamobrem in futurum praecavens, ne idem monasterium multorum temporum successione aliquo modo gravaretur, ab omnium Episcoporum potestate et iurisdictione illud liberum esse statui. Quae autem in dotem ipsius contuli, propriis volui vocabulis exprimere, videlicet: tributa de foro Reginae, et de foro Zill, et de portu Arpás in Rába, de portu et de foro in Camarin; piscinas duas in Drava cum piscatoribus, quarum una Zualm, et altera Toplouca, quae separantur rivulo, nomine Burzy. In portu Modosa dedi liberam piscationem, quae vulgo tana dicitur. Praeterea statui, ut in Zelip detur septimus piscis Uzonum, et de piscina Nandur in Tizia detur similiter septimus piscis, sive septimus annus ad piscandum. De fructibus vero arborum, quae ibi sunt, detur septima pars. Piscinam autem Tenerere dedi totaliter. Has omnes piscinas cum piscatoribus suis dedi Beato Mauritio. Villarum autem, vel praediorum nomina sunt haec, quae S. Mauritio contuli: Cuppan, Pananad, Arpas, Magos, Quiar, Nuul, Okol, Poloznuk. In his villulis sive praediis, cuiuscunque conditionis homines sunt ad me pertinentes, Sancto Mauritio dedi, qui secundum ordinem conditionis suae, ita plene serviant Abbati S. Mauritii, sicut solebant servire Regiae Maiestati. Do etiam licentiam famulis eiusdem monasterii in sylva Bocon ligna incidere ad omnia opera monasterii et praediorum eius. Porci quoque Abbatis in eadem libere pascantur. Sunt praeterea quatuor lapides viciniores ad monasterium, qui vulgariter his vocabulis nuncupantur: Hygeskw, Kertuskw, Feerkw, Idwoskw, in his a quocunque hominum ferae fuerint interfectae, dimidiam partem illarum ministri Abbatis accipiant cum cutibus earundem. Adhuc autem subiungens statuo, sit ipsum Monasterium ab omni inquietudine semotum, Abbasque eius a monachis illius loci, partis sanioris libere eligatur, electus vero, a quo voluerit, consecretur Episcopo, infula quoque, annulo, baculo pastorali decoratus, nullius Episcopi subiaceat potestati, nisi Strigoniensis Archiepiscopi tantummodo generali assistat Synodo, ut ibi salutaria monita audiendo se, suosque subiectos valeat salubriter instruere. Sitque illius loci monachis et clericis licitum sacros ordines accipere, a quo voluerint Episcopo, tantummodo catholicus sit. Populus quoque eidem loco subiectus, et omnes supervenientes hospites, qui ad eiusdem monasterii capellas, terras, praedia, seu quascunque Possessiones, habitandi gratia accesserint, in cuiuscunque Episcopi dioecesi fuerint, decimas suas de vino, de segetibus, sive aliis nascentiis, et de pecudibus vel animalibus nulli Episcopo dent, nisi proprio monasterio, suoque Abbati. Liceatque etiam eidem Abbati in praediis et possessionibus monasterii sui Oratoria, et Capellas construere, consecrationes vero earum, a quo voluerint Episcopo petere, et ille Episcopus, ut divinae benedictionis partem habeat, petenti satisfaciat. Alioquin ultionem divinae indignationis incurrat. Praecipio itaque firmiter statuendo sub testificatione Salvatoris Domini nostri Jesu Christi: ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Praefectus, nec aliquis potens homo, sive magnus, sive parvus, de praefato monasterio et eius iure infrascripto se aliquo modo intromittat in tributis, in reditibus, in praediis, in mancipiis, in terris, in vineis, in decimationibus, tam populi sui et hospitum suorum, quam praediorum, in piscationibus, in ripis, in placitis, et in universis

bonis sibi collatis, sive conferendis : sed ita libere possideat, sicut Episcopi sua possident iura. Si quis autem christianae religionis de huius monasterii libertate et nostra constitutione aliquid subtrahere, vel minuere temptaverit, circumvallet anathema perpetuale, et componat viginti marcas purissimi auri, medium Camerae Regiae, mediumque Abbati et rectoribus saepe dicti monasterii. Cunctis autem servantibus illius iura sit pax a Deo Patre, et Jesu Christo Filio eius. Amen. Anno dominicae incarnationis Millesimo trigesimo septimo, indictione quinta, Epacta I. Concurrentia V. existentibus Hungariae Primatibus: Dominico Archiepiscopo, Modesto Episcopo, Urzio, Chuncio, Tomoyno Comitibus. Signum Domini Stephani incliti Regis. Dominicus Archiepiscopus Vice-Cancellarius pater est.[1])

Praesens Monogramma, ex authentico transsumto Caroli I. Regis Hungariae desumtum, sicut multum ad illud diplomatis Stephanei de anno MI. accedit; ita multum ab eo, quod Péterfyus in Historia Conciliorum Hungariae Tomo I. pag. 5; et post eum Kollár: Hist dipl. Juris Patronatus Regum Hung. pag. 88. exhibent, abludit. Ceterum, ut fide dignitas diplomatis Monasterio Beeliensi dati eo firmior, et a periculis itinerum immunis evadat; primo illud Bela IV. novo diplomate asseruit; deinde Carolus I. ex Transsumto Belae IV.; denique Ferdinandus I. ex Transsumpto utriusque Regis anno 1558 descriptum confirmavit. [2])

Statim sub initium fundationis Abbas Beéliensis usus est privilegio a S. Stephano concesso, se per quemcunque Episcopum inaugurandi, dum se per Modestum Episcopum Jaurinensem, non vero per vicinum Vesprimiensem, nemine contradicente, benedicendum curavit. Similiter Petrus, primus Abbas Szalavariensis, seu S. Adriani de Zala per Bonipertum Quinqueecclesiensem, non per Stephanum Vesprimiensem Abbas benedictus est, licet etiam haec Abbatia intra Dioecesim Vesprimiensem sita fuerit. [3])

Sancti Gerardus et Guntherus Solitudinem Beeliensem plurimum illustrarunt. Erat Gerardus, dum ad Hungariam venisset, teste S. Stephano, ut in diplomate loci huius vidimus, Monachus de Venetiis, ex monasterio S. Georgii maioris Ord. S. Benedicti, quem Jerosolimas tendentem Dei providentia suaviter omnia disponens invitum fere ad Hungariam deduxit, ubi per S. Regem Duci Emerico Magister datus fuisse dicitur. Quantus et qualis moderator fuerit, discipuli sanctitas postea declaravit. Emenso cum tam insigni fructu Magisterio, secessit in Eremum Beel vocatam, ubi septennium asperam quidem carni, sed spiritui suavem duxit vitam. Unde Ecclesiae, ac Regni necessitatibus ita exigentibus, evocatus, Episcopus Csanadiensis ordinatur; ad quem mox ex variis locis viri religiosi confluunt. Ipse vero baptizando, praedicando, templa ac monasteria erigendo, pauperes sublevando, B. Mariae Virginis cultum impense propagando, postquam prophetico Spiritu plura praedixisset, usque ad S. Stephani Regis obitum et ultra Ecclesiam Dei illustravit. Tandem Apostolatus, et Episcopatus cursum agone martyrii anno 1047, sub Andrea I. Hungariae Rege, ab Hungaris ad avita sua sacra reverti conantibus, interemtus consummavit. Celebratur eius festum in Ecclesia hungarica 24 Septembris.

Guntherus S. Stephano per Giselam Reginam agnatus erat. Thuringus is fuit, qui, ut dictum, in monasterio Bavariae Quercus inferioris Monachum indutus, ita virtutibus inclaruit, ut S. Stephanus,

1) Caps. 14. A. —Ex Transsumto authentico Caroli I. Regis.— 2) Caps. 16. A.— 3) Róka: Ep. Vesp. p. 16.—

eiusmodi virorum cupidissimus, eundem semel, iterum ac tertio per Legatos in Hungariam invitaverit, ac tandem pertraxerit. Hic pavonem assum eius precibus vitae redditum esse, ad quem edendum contra praescriptum regulae suae urgebatur, Wolfertus monachus, synchronus testis refert. Id hodie multis displicet, praecipue quibus aut abstinentia monachorum, aut ecclesiae jejunia non placent. — Aulae regiae frequentiam devitaturus, utque solitudinem, cui caussa pietatis assveverat, porro etiam continuaret, in Bohemiam profectus, prope Pragam in Rinchnach densissima silva semet abdidit; ubi per Ducem Bohemiae Bredislaum, quem olim de sacro fonte susceperat, anno 1045 inter venandum mirabiliter repertus, et ad deserendam eremum per Ducem frustra provocatus, sequente die in cella sua praesente Duce, et Severo Episcopo animam Deo reddidit, in monasterio Brzenoviensi sepultus. [1]) Exstant vestigia Eremitorii, quod traditio ad S. Guntherum refert, in silva ad fontem lauri, vulgo Borostyánkút non longe a monasterio dissitum conspicua, quem vicina plebs a seculis cum quodam devotionis sensu frequentat, et non raro salutarem experitur. Singularem denique huic loco honorem conciliavit Maurus, qui, teste biographo S. Gerardi, unicus huius socius ibidem vixit, eique in Episcopatu (nonnullis eruditis hodie id negantibus) successit.

Antiquissimus Abbatum asceterii huius, quorum memoriam vetera documenta conservarunt, est Josephus circa annum 1086, cui proximus, magno annorum intervallo remotus comparet Petrus I., qui circa annum 1204 quamdam terram de villa Scis (Szerecseny) iudicio Archiepiscopi Joannis adversus Castrenses Vesprimienses Ecclesiae suae vindicavit. [2]) Tum Jacobus I., qui Synodo nationali Strigoniensi cum Favo Abbate S. Martini anno 1256 interfuit, et Georgius. [3]) Item fine Seculi XIII. Demetrius, anno 1301 Hervicus, post hunc Leo, Thomas, Jacobus II., Joannes I. Iste anno 1333 Mandatum Elisabethae Reginae ad Thomam Transsilvaniae Vajvodam, ceterosque Comites et Castellanos, nominatim: de Chesnuk (Csesznek) et S. Martini impetravit, ut eum cum universis Bonis adversus violentos invasores tueantur. — Hoc aevo inquisitio per Capitulum Jaurinense instituta docuit, Conventum S. Mauritii de Beel a multis retroactis annis authentico Sigillo publico, et fide dignitate gavisum fuisse. [4]) Eodem adhuc seculo Nicolaus I. Capellam S. Crucis mendicanti Fratri Joanni ad exstruendum ibi Eremitorium donavit, et titulo Datiae per Clementem VI. impositae, anno 1338 pro suo monasterio unam Marcam budensem persolvit. Item Georgius II, anno 1351 electus, et per Augustinum Distillariensem Episcopum, Vesprimiensis Praesulis Suffraganeum benedictus est. [5]) Huius tempore monasterium cum nonnullis documentis combustum est. Eodem adhuc seculo Petrus II., Stephanus I., Paulus, Joannes II., nulla re insignes, praeter primum, qui multa bona dilapidavit. [6])

Initio seculi XV. Martinus Abbas fundum curialem Budae procuravit, et pro defensione Confiniorum titulo medietatis fructuum suorum 132 fl. pendit. [7]) Hunc excepit primus Gubernator Abbatiae, Andreas Archiepiscopus Spalatensis, quem Michaël I. Abbas secutus est anno 1415, cum Abbate Zircensi Andrea inde ab anno 1415 usque 1449 ob possessionem Akoly (Akli) ad Ecclesiam suam pertinentem multum luctatus. Hunc excepit Commendatarius Abbas Gregorius, Milcoviensis Episcopus ab anno 1450 usque 1458 conspicuus. Erat Suffragà-

[1]) Mabillon: Acta SS. Ord. S. Bened. Secul. VI. Part. I. p. 480. — [2]) Caps. 51. R. — [3]) Péterffy: Conc. Hung. p. 87. — [4]) Caps. 48. Vv. 51. M. — [5]) Caps. 55. J. — [6]) Caps. 5. X. — [7]) Caps. 51. B. 5. —

neus, et Vicarius Generalis Dionysii Archiepiscopi Strigoniensis. Post hunc Ladislao I. Abbati successit ipse Dionysius Archiepiscopus titulo Gubernatoris,[1]) a quo Abbatia ad Ladislaum II. Abbatem est devoluta. Huius aevo anno 1469 Ganna, Polyán, et Borsod Monasterio S. Mauritii parebant;[2]) a cuius Abbate Thomas de Debrenthe, Nitriensis Episcopus, harum possessionum Colonos sibi ad subarandas terras in Debrenthe humanissime expetit. Ladislao Abbati, velut stabili hoc seculo alternandi lege, successit celebratus Valentinus Poenitentiarius, et Capellanus Pauli II. Summi Pontificis, ut Commendatarius Abbas anno 1471, quem Nicolaus V. Papa olim invito Joanne Hunyady Regni Hungariae Gubernatore, et Regni Statibus contradicentibus, in Praeposituram Dömösiensem Olivetanorum, in Paulinorum Prioratum conversam, illocare frustra nitebatur. Idem per Papam Legatus ad Hungaros in caussa expeditionis adversus Turcas missus fuit.[3]) Post hunc Ladislaus III. Abbas, tum Nicolaus Vidfy Lector et Canonicus Vaciensis, Gubernator; abhoc iterum Ladislaus IV. Abbas.

Seculo XVI. primus occurrit Michaël II. Abbas, qui sine Fratribus vixit, sed per Vladislaum II. Regem Conventum restituere sub poena depositionis iussus est. Huic successit Blasius anno 1506, qui vivens Abbatiam cessit Jacobo III.; tandem Patronatu in hanc Abbatiam a Rege Archiabbatiae S. Martini collato, Jacobus IV. per Matthaeum Archiabbatem anno 1512 constitutus Abbas, eodem anno collationis Literas a Rege acquisivit. Praelio ad Mohács, regno fatali, obtenta ob senium venia, non interfuit; sed mox Joanni Zápolya sub interminatione poenae infidelitatis 4 pullos equos sine mora mittere,[4]) et cum Abbatibus de Kapornak, et Zircz contributionem pro 3 peditibus in arce Vesprimiensi constitutis pendere coactus est.[5]) Per Capitaneum Bakyth V mensium carcere maceratus, deinde in Monasterio suo arcte custoditus, tandem ad Regem profugit. Anno 1525 cum Sanctimonialibus Vesprimiensibus cambium super Gerencsér cum Balaton-Kajár „interveniente consensu et voluntate Dominorum Matthaei Abbatis S. Martini in Regno Hungariae Supremi Praesidentis, et Joannis Pilisiensis Abbatis Ordinis divi Bernardi similiter Praesidentis suorum," inivit.[6]) Iurium Ecclesiae suae toto regiminis sui tempore defensor solertissimus.

Post Jacobum Benedictus I. Abbas anno 1542 et sequente comparet. Tum Joannes II. de Csanád anno 1551 citra votum Archicoenobitarum per Ferdinandum I. Regem Archiabbas nominatus. Demum Ladislaus V. de Pécsváradja, una S. Martini Archiabbas. Desiit anno 1563. Post hunc Ladislaus VI. de Bykol anno 1582. Huic successit Stephanus Fejérkövy, Gubernator S. Martini, qui huius aeque Gubernator, non secus ac Joannes Kutasy, Mathesi Himmelreich, uterque Georgius, iuribus Abbatiae sedulo invigilaverunt. Georgio Himmelreich adhuc iuvene eam Stephanus Szuhay Episcopus Agriensis, et Aerarii Regii Praefectus, titulo tutoris per Regem Georgio assignati administravit.

Seculo XVII. Stephanus Baksay Canonicus Jaurinensis, Abbas S. Jacobi de Lébeny, per Georgium Himmelreich, qua Commendatarium Archiabbatem nominatus anno 1611, comparet usque 1630, quo defunctus est; utriusque Abbatiae iurium diligens defensor. Post quem Michaël Kopcsányi, Canonicus Jaurinensis anno 1633 Abbas de Beel; quo tempore Secretario Synodi provincialis Tyrnaviae celebratae adiunctus fuit. Serius, anno

---

[1]) Caps. 58. Tt. — [2]) Caps. 56. Mm. — [3]) Schwandtner: Epist. Joannis de Hunyad. Tom. 2. — [4]) Caps. 51. Hh. — [5]) Caps. 42. O. — [6]) Caps. 17. Z. — Eo Abbate, anno 1527 Monasterium conflagravit. —

1638 Praepositus Posoniensis, et Abbas S. Mauritii de Beel, denique anno 1644 Episcopus Vaciensis. — Georgium Dienesevics Ordinis S. Pauli primi Eremitae Placidus I. Archiabbas nominavit anno 1648. — Ab hoc tempore Abbates ex Archicoenobitis eligi coeperunt, quales erant Benedictus II. anno 1659. — Stephanus Olasz usque 1665. — Joannes III. Krakoványi, antea Prior Archicoenobii, cum obligatione degendi in S. Martino, donec Abbatia restauretur, per Placidum I. Archiabbatem anno 1665 constitutus, anno 1672 desiit. — Gerardum Simoncsics anno 1673 Aegidius Gencsy Archiabbas nominavit, qui mox praedium (hodie pagus est) Abbatiae suae, nomine Koppán, Martino Ujfalusi, Abbati B. M. V. de Zircz „certo praetextu" praeter omne ius et fas vendidit; Aegidio contra factum, etiam iuri Patronatus Archiabbatiae adversum, frustra protestante.[1])

Postquam Gerardus et Martinus Archiabbates Abbatiam hanc nemini contulissent, Coelestinus Göncz per Placidum II. Archiabbatem anno 1693 nominatus, seriem Abbatum Seculi XVII. clausit, et eam Seculi XVIII. inchoavit, eiusque titulum, uti reliqui plerique ex Religiosis eius Seculi assumti Abbates, desolata et non restaurata Abbatia usque annum 1709 tenebat; quo anno Archiabbas electus, eam Francisco Vidlics, Viro sedulo contulit, qui in restaurando Monasterio et Ecclesia usque annum 1730 solertissime versabatur, ubi fluvium Gerencze domicilio suo sat importunum fruges molere, et asseres parare coegit; Molam Papensem ab antiquo ad Ecclesiam S. Mauritii pertinentem, sed combustam et desolatam restauravit; eam vero in Moriczhida ab eiate Communitate revindicavit.

Hoc defuncto, Benedictus Sajghó nulli eam contulit, licet per Regiam Maiestatem identidem commoneretur. Imo diserte rescripsit, locum hunc Abbatem non mereri, eo quod proventus Abbatiae in solum Abbatem facile insumerentur; mens autem Fundatoris fuisset, ut plures ibi potius Deum laudent, quam ut omnia in unicum convertantur. Igitur Administratores sano consilio constituebat, qui Abbatiam ex eius imperio moderarentur, quorum nonnulli munere suo cum insigni Abbatiae lucro defuncti sunt. Hos inter praecipuus P. Aemilianus Pirnecker, qui omnem Ecclesiae, ac monasterii structuram absolvit, molam in Kajár, vineam in Promontorio Pázmánd procuravit. Paupertatis religiosae amantissimus, Monasterium ita locupletavit, ut anno 1757 consummatum, praeter tres Patres ibi iam degentes, alios duos cum 5 Clericis Philosophiae operam daturis alere potuerit. Deduxit hos illuc P. Daniel Somogyi, serius Archiabbas, quo intonante, Chorus inde ab annis 232 neglectus, in Festo S. Martini restitutus est. Ibidem per Clericos studentes singulis mensibus disputationes philosophicae, convocatis aliunde, praesertim Papa ex Paulinorum Ordine oppugnatoribus, instituebantur. Fine anni scholastici universam Philosophiam inter tubarum et tympanorum sonitum singuli fere Clerici defendebant. — Eodem Aemiliano Administratore, una Priore, Ecclesia, cuius primarium lapidem cum Reliquiis Sanctorum ad medium Sanctuarii occasum versus Benedictus anno 1750. 29-a Aprilis deposuit, per eundem 31-a Julii anno 1753 benedicta est; at Aram maiorem primum anno 1758. 13-a Decembris benedictam obtinuit. [2])

Restaurato hac ratione Monasterio Zorardus Graczer, Archicoenobii Prior, per Danielem Archiabbatem anno 1768 Abbas datus est, qui combusto Monasterio, anno 1781 die 20-a Julii obiit. Successit Chrysostomus eodem anno 16-a Augusti per Da-

[1]) Caps. 15. B. — [2]) Diarium Bakonybél. Fasc. 8. 22. —

nielem cum consensu Conventus S. Martini nominatus, qui agnita per Paulum Kiss Praepositum Vesprimiensem, et Davidem Zsolnay Generalem Vicarium, nexu amicitiae sibi a puero intime junctum, Ecclesiae S. Mauritii exemtione, per Josephum Pierer Episcopi Jaurinensis, Comitis Francisci Zichy Suffraganeum, assistente Sigismundo Grubanovics Albensi Praeposito, cognato suo, et Samuele Vajda, Abbate Tihaniensi, 2-a Septembris solenniter benedictus est. [1]) Sub huius regimine anno 1787 die 20-a Januarii Abbatia sublata, et 1802 cum ceteris Abbatiis filialibus, et cum Archiabbatia restituta est. Idem hoc anno Archiabbas clementer nominatus, exemplo Benedicti Sajghó, nec hanc, nec aliam Abbatiam filialem contulit, quamdiu rerum potiebatur. Fungi desiit anno 1816.

Chrysostomo ad honorificam quietem reposito, Augustinus Taucher, praevia Candidatione per Capitulum generale Praeside Georgio Kurbélyi Commissario Regio, alias Vesprimiensi Episcopo iussu regio instituta, anno 1817 altissimo Loco nominatus, anno 1824. 25-a Junii in Acidulis Füredienſibus, ubi medelam quaesivit, mortem reperit, in Tihan sepultus. In Dioecesi Quinqueecclesiensi 6 annis Theologiae Professor, 25 annis Parochus, 20 annis Vicearchidiaconus, 26 annis Consistorii episcopalis Assessor, aetatis suae anno 54-to S. Ordinem ingressus, post probationem in S. Martino Concionator, dein biennio Theologiae Professor, tandem Collegii Jaurinensis, inde Residentiae Soproniensis Superior, demum in S. Martino Spiritualis, singulari humanitate, modestia, devotione, et patientia infulas consecutus, infirma licet valetudine, ad 75-um aetatis annum est eluctatus.

Defuncto Augustino annis octo vacavit Abbatia, donec per Thomam Archiabbatem, ut supra relatum est, e consilio Conventualium anno 1832 Isidoro Guzmics collata fuisset. Vir hic literis, praesertim patriis unice deditus, Eremum suam habitatu commodam, et gratam praestare pro viribus est conatus. Derivatio aquae a fonte perenni ad Monasterium per hortum, huiusque praesens species, eius opus sunt. Ingenii ejus partus typis vulgatos supra inter Auctores Archicoenobitas retulimus. Praeter haec versus occasionales sui generis plures, et insignes edidit. Obiit insignis vir, scriptor indefessus, fervidus amicus, discretus Abbas, pius Religiosus, intemeratus Sacerdos die 1-a Septembris anni 1839, aetatis anno 54-to. Digna defuncto encomia dedit Academia hungarica, in cuius generali Conventu ei, qua membro prius Ordinario, deinde honorario parentatum fuit.

Ab obitu Isidori Abbatia haec sexennio Abbate caruit, quippe ad annum usque 1845, quo eam obtinuit Reverendissimus Dominus Nicolaus Sárkány, SS. Theologiae Doctor collegiatus, Ins. Ordinis Francisci Josephi Imperatoris Eques; in ornanda Ecclesia sua, eiusque prosperitate amplificanda hodieque indefessus.

Incolunt monasterium praeter Abbatem 3 Religiosi, quorum unus Prioris, et Bonorum Administratoris, alter Spiritualis, tertius Parochiae Administratoris Officio fungitur.

---

[1]) Bakonybél: Fasc. 8. 22. —

III.

Abbatia B. M. V. et S. Aniani Ep. et Conf. de Tihan.

Andreas I. Rex Hungariae belli curis solutus, ad restauranda, quae primo regiminis anno sua conniventia Religioni christianae intulit damna, et ad cultum divinum augendum, Abbatiam Tihaniensem erexit, cuius ita Thuroczius meminit: „Rex Andreas juxta lacum Balatun construxit monasterium in honorem S. Aniani, in loco, qui dicitur Tyhon.“ Est autem Tihan peninsula in Comitatu Zaladiensi, et Dioecesi Vesprimiensi, superficie unius quartae quadrati milliaris, qua Continenti adhaeret plana; cetera saxis ad 40 usque 50 orgias ex lacu Balatone eminentibus cincta, quorum unus ramus eam in duas valles dividit. Has ob situm inclinationis saxorum ad horizontem circa commune centrum, recto cono vacuo horizontaliter secto similem, et productorum vulcanicorum, uti tophi vulcanici, basaltis in variis formis, brecciae vulcanicae et aliorum praesentiam, ex potentis olim Vulcani crateribus ortum ducere multi credunt. Ibidem occasione cellae vinariae, in medio peninsulae ad pedem collis Kiserdő dicti paratae, et verticali spiramento provisae, observata sunt strata diversa hac serie: Marga argillacea in summo, lapide calcareo mixta ad 2 pedes. — Lapis calcareus densus $^1/_2$.' — Marga argillacea indurata dendritica (Köllhammer). — Porphyrus basalticus 2'. — Basaltes amorphus, et conglomerata granorum basaltis calce unita. — Breccia vulcanica diversi coloris, 3'. — Argilla communis 3'. — Calcareus densus fasciatus. 2'. — Argilla plus minus indurata intermixto Calcareo, partim reniformis, cum Breccia et arena. Praeter haec lapis corneus, Spathum scintillans (Feldspath), silex, lithoxylon, Myites, turbinites, etc. in copia reperiuntur. Prospectus e Monasterio per totum fere Balatonem ad 10 milliaria longum, et partes Comitatuum Vesprimiensis et Simeghiensis patet; occasum versus extremo aquarum fine,[1]) utpote sub horizontem depresso, non conspicuo. — Denique septemtrioni obversus Ecclesiae paries peculiari prorsus ratione echoicus est; nam versum hexametrum etiam quinque dactylis et spondeo constantem, in statione ad 260 circiter orgias distante impigre pronunciatum, plene et distincte reddit; cuius rei caussa Tihan ab hospitibus vicini fontis acidularis Füredienses frequentatur, qui ibidem lacum Kisbalaton dictum admirari solent, ita a natura conformatum, ut non tantum formam, seu figuram magni lacus exprimat, sed etiam, quod iure mirandum, ipsum huius situm erga plagas coeli exhibeat, ita ut eius quoque peninsula boream versus, pars longior oc-

[1]) Calculus docet, Spectatorem ex huius monasterii tractu superiore, utpote 41 orgiis superficie Balatonis altiore, huius aquas occasum versus tantum usque 4 milliaria geogr. conspicere posse; remotiore aquarum parte sub horizonte depressa. Tota enim Balatonis a Tihan usque Keszthely longitudo 7 milliaribus geogr. aequalis, tantum e montis 126 orgias alti vertice conspici posset, qualis peninsulae Tihaniensi non obtigit. —.

casum — brevior ortum versus tendat. Credebatur cum Balatone communicare, sed instituta libellatio, et ante plures annos plenus in eo aquae defectus contrarium ostenderunt.

In hoc igitur amoenissimi situs loco placuit Regi Andreae Monasterium exstruere, cuius iura sequenti diplomate suo asseruit:

„In Nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis. Andreas, Dei annuente Clementia, Pannoniorum invictus Rex. Quoniam nonnulli mortalium plerumque hebetati mente, sive per ignaviam, seu per negligentiae culpam, saepissime etiam per secularis rei curam non multo post tempore perituram, quae viderant, et audierant, oblivionis levitatibus inscii, immemoresque crediderunt; doctores, philosophi, patresque nostri quam plurimi consilio, prudentia, suaque invenerunt industria, ut quidquid humanae filii propaginis ratum fieri decernerent, per manus scriptorum jugi studio literarum memoriis commendarent, ne per cariosam vetustatem posset deleri apud posteri successores aevi. Id ergo, quia utile ipsis visum est, et bonum, cunctis modernis sapientibus utilius id ipsum videatur, et optimum. Unde itaque Christianissimus Sceptrifer Andreas, jussu auctoritativo, sub cartali testamento hujus privilegii exarari edixit thomo praesente seriatim monstrante, quidquid ad Ecclesiam S. Mariae, sanctique Aniani Episcopi et Confessoris in loco, qui vulgo dicitur Tichon super Balatin pro sua, et conjugis, filiorum, filiarumque, et omnium parentum suorum, vivorum, sive defunctorum salute tradidit in terris cultis, et incultis, in vineis, in agriculturis, in servis, in ancillis, in equis, in bubus, et ovibus, et porcis, in apibus, et ipsarum custodibus, et in ornamentis ejusdem Ecclesiae honori pertinentibus. Tradidit enim inibi gloriosus praefatus Rex locum praescriptum, in quo eadem insula scilicet fundata est Ecclesia cum suis terminis, quorum nomina sic adnotantur... (Haec ob asperitatem veterum vocabulorum, et dudum extra usum positorum hic exmittuntur). . ad servitium quoque divinum strenue et indefesse peragendum, sed et ad laudem ac sanctorum venerationem, monachorum gregem ibidem aggregavimus, et necessaria quaeque ad victum, potum, seu vestitum forent, ex regali habundantia administravimus, ne in Dei servitio tepescant, vel vacandi occasionem habeant. Ne autem in processu temporum super his quae ad honorem Christi, et ibi degentium, sibique famulantium sustentationem ad praefatam ecclesiam contulimus, aliquam patiantur calumniam, singillatim cuncta in praesenti cartula notarii manu adsignata habentur. — Sunt igitur aratra 20 cum 60 mansionibus,[1]) vinitores cum vineis 20, equites 20, piscatores 10, agasones 5, bubulci 3, pastores ovium 3, subulci 2, apinarii 2, coquinarii 2, sutores 2, fabri 2, aurifex 1, dolatores 2, molendinarii cum molendinis 2, tornator 1, vestimentorum ablutor 1, cerdo 1, ancillae 10, praeter haec sunt emissarii 34 cum subditis equabus, vaccae 100, oves 700, porci 100, apium vasa 50, praeter haec ad necessaria fratrum per singulos annos constituimus de armento regali 50 poletros.[2]) Inter omnes namque sunt servorum ecclesiae mansiones 40. Haec omnia libera donatione ad praefatum coenobium contulimus, et ne quis per succedentium temporum curricula aliquid ex his defraudare, vel retrahere audeat, interminando detestamur. Si quis autem malo defraudatus consilio istius decreti transgressor repertus fuerit, sequestratus a Deo, perpetua feriatur vindicta, et 12 libras auri persolvere cogatur.

---

[1]) Hodie Sessiones colonicales. — [2]) Idem, quod pullus equinus; hung. C s i k ó. —

Et ut haec descriptio rata, atque inconvulsa permaneat, sigilli nostri impressione signavimus, fidelibusque nostris corroborandam tradidimus.

+ Signum Benedicti Archiepiscopi. + Signum Mauri Episcopi. + Signum Clementis Episcopi. + Signum Lazari Abbatis. + Signum Gilcom Comitis + Signum Zache Comitis palatii. + Signum Vojceh Comitis. + Signum Nicolai Episcopi.

+ Signum Lutovic Comitis. + Signum Irnei Comitis. + Signum Viti Comitis. + Signum Martini Comitis. + Signum Heliae Comitis. + Signum Andreae Comitis. + Signum Fancel Comitis. + Signum Nane Agasonis. + Signum Cupan Judicis. + Signum Preca insertoris. + Signum Celu Ministri. Anno salutiferae Incarnationis unici numinis coeli septemplicis, universaeque creationis millesimo quinquagesimo quinto, feliciter regnante praefato victoriosissimo Principe, anno regni sui nono, et cum eo nobilissimo Duce Bela, conscriptum est hoc privilegium a beatissimo praesule Nicolao, qui tunc temporis vicem procurabat Notarii in curia regali, consignatumque manu regis jam saepe praescripti, praesentibus testibus."[1]) Monogramma cum originali congruit.

Abbatiae huius Bona in originalibus instrumentis literariis diverso tempore diversa, et iam aucta, iam imminuta sic recensentur in bulla Clementis Papae IV. anno 1266: 1-mo Locus ipse, in quo praefatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis. 2-do Urüzkö, seu Üreskö, modo Remetelakás, cum Capellis S. Michaëlis, et S. Dominici, S. Mariae Magdalenae, et S. Elisabethae. 3-io Villa Apathi.[2]) 4-to Portus supra lacum, qui Balaton vocatur. 5-to Praedium Asszófö. 6-to Villa Kövesd. 7-mo Praedium Eörvényes. 8-vo Villa Udvari. 9-no Villa Dörgicse. 10-mo Váson. 11-mo Villa Philepp. 12-mo Villa Urskal, seu Köveskál. 13-io Villa Tusok. 14-to Villa Berénd. 15-to Villa Szöllös iuxta locum, qui dicitur Apácza-Somló. 16-mo Villa Szöllös apud Vesprimium. 17-o Praedium, quod Papfoka hungarice appellatur, item ius patronatus in ecclesia loci eiusdem S. Michaëlis. 18-vo Praedium Ujlak cum iure patronatus in capella S. Margarethae sita in eodem praedio. 19-no Praedium Keigh, seu Kék supra Füred Vesprimium versus. 20-mo Praedium Arács. 21-mo Insula Loszka cum omnibus appertinentiis suis. 22-do Villa Kodork, nunc Kádarka. 23-io Villa, et praedium Szántód. 24-to Praedium de Száraztó, seu Szárszó. 25-to Praedium, et villa de Giznao iuxta Firegh. 26-to Praedium de Teleki. 27-mo Villa Szupok, nunc Csopak. 28-vo Villa Lapa. 29-no Praedium Gamás. 30-mo Villa Dőz. 31-mo Villa Ságh iuxta Jóka. 32-do Csihal. 33-io Kap. 34-to Praedium Martos iuxta Bucsák. 35-to Praedium de Urakuttya. 36-to Villa Báránd iuxta Tholna. 37-mo Villa de Fod. 38-vo Villa et praedium de Bezenyö in partibus Bodrogh cum iure patronatus ibidem in capella S. Mariae. 39-no Lacus Mortunus cum omnibus terris ad ipsum pertinentibus. 40-mo Homok. 41-mo Kolon.[3]) Observandum hoc loco est, enumeratas in bulla possessiones, et praedia, pauca tantum ad Monasterium Tihaniense integra pertinuisse; nam in plerisque tantum portiones aliquas eius fuisse, tenores bullae indicant. Idem de sequentibus tenendum,

---

[1]) Tihan: Fasc. I. 1. 2. — [2]) Ad introitum Peninsulae Tihan, cuius Ecclesiae rudera hodieque visuntur — [3]) Tihan: Fasc. I. 9. —

Ex literis Metalibus omnium possessionum, paucis exceptis, ex mandato Ludovici Regis Hungariae anno 1358 peracta metatione, sequentes prodeunt:

Tolnavár.
Főkút.
Fede.
Báránd.
Martusz.
Szokol.
Kuppan.
Szüdényi.
Igal.
Tőcs.
Baar.
Hydas.
Megere.
Saágh.
Gamás.
Száraszó.
Berey.
Bálványos.
Török.
Fok.
Kőröshegy.
Göngös, alias Gyöngös.
Báránd.
Keveháza.
Cheöz.
Chon.
Szőllős.
Arács.
Gelemir.
Szőllős alterum.
Füred.
Kék.
Szőllős tertium.
Pécsel.
Pécsel alterum.
Udvari.
Dörgicse.
Eörvényes.
Aszófő.
Insula Tihaniensis.
Mons Halom.
Eörskál.
Eörs.
Apáthlaka.
Falud.
Philöpp.
Capulch.
Kövesd.
Csopak.
Csopak-Kövesd.
Molendinum infra villam Vázon.
Balavár.
Silva Páth.
Villa Szórok.
Universim 54.[1])

Ex literis confirmationalibus Andreae II. Regis, a Sigismundo Rege anno 1392 transsumtis, ad Ecclesiam Tihaniensem pertinebant:

Tihan.
Uruzkő.
Körményes, seu Örményes.
Udvari.
Pécsel.
Kövesd.
Aszófő.
Papfoka seu Fok.
Bezenő.
Szecső.
Nyaczi, seu Nyirád.
Turuk.
Öregezi.
Szőllős.
Vászoly.
Belén.
Beluh.
Phülöpp.
Szőllős alia.
Cheuz.
Bálványos.
Praedium Mostu.
Füred.
Csatár.
Fedeh.
Igol, seu Igal.
Füreghi.
Csopak.
Boglár.
Thluki, seu Teleki.
Számpthó, seu Szántód.
Turk, seu Töröki.
Universim 32.[2])

Ex literis demum fundationalibus, et ex Bullae pontificiae confirmatione, tertia pars tributi forensis de Simek, item tertia pars in Thelena, seu Tolna cum portu et tributo, monasterio huic appropriata fuisse patet, sicut ex eadem bulla etiam de Pesth idem legitur. Item Vesprimiensis mercati pars Regis in Cacabis, et comestilibus: in Druz in omnibus ferramentis. Ceterum praesens possessionum, villarum, praediorum farrago non ad iactandam Abbatiae Tihaniensis veterem opulentiam, quae nihil in se laudis habet, sed ad veterum Christianorum in Deum devotionem oculis subiiciendam relata esto. Quam Andreae regis aemulatus pro viribus David Dux Hungariae, cum consensu Regis Ladislai anno 1095, qui S. Regi ultimus vitae fuit, huic Monasterio Aranyos 5 mansionum, et terram trium aratrorum, cum 5 piscinis in Danubio, utpote: Pudrig, Eüri, Veimir, Plás, et Strisin donavit.[3]) Andreas II. 1000 Zuanos Salis Albaeregali acquirendos cum privilegio sibi superfluos ubicunque vendendi, et possessionem Paska filii Büurgös de Füred, sitam inter eiusdem monasterii terras, in terreno Villae Füred cum omnibus utilitatibus et universis vineis contulit.[4])

Primus huius Monasterii Abbas creditur fuisse Lazarus, qui in diplomate fundationis quarto loco subscriptus legitur. Idem postea Episcopus Vesprimiensis creatus fuisse videtur. Huic proximus, qui

[1]) Tihan: Fasc. I.—17. — [2]) Ibid. Fasc. I.—21. — [3]) Tihan: Fasc. I. 3. — [4]) Ibid. Fasc. I. 7.

nobis innotuit, Petrus anno 1091 diplomati fundationis Monasterii S. Aegidii de Simighio subscripsit. Tum Aegidius, cui Bela III. possessionem Urkuta anno 1184 a suis Udvornicis ademtam restituit. Seculo XIII. Uros anno 1205 comparet, sequente anno Abbatiam S. Martini consecutus; dein Joannes I. anno 1221. Laurentius anno 1231. Paulus 1251. Hieronymus 1270. Cosmas 1274. Andreas 1275 usque 1283. Hoc Abbate Petrus III. Episcopus Vesprimiensis Abbatiam hanc fere penitus desolatam ab Electo Strigoniensi Lodomerio I. erga duas villas Sermen, et duarum Parochiarum Wylle, et Tholnuk decimas acquisivit ita, ut Abbas Tihaniensis per Episcopum Vesprimiensem institutus, ad Synodum Archiepiscopi accedere, et in signum pristinae subiectionis, cereum 10 marcarum ponderis Ecclesiae Strigoniensi offerre in Synodo teneatur.[1]) Post hunc Thomas I. anno 1288. Raynaldus anno 1298.

E seculo XIV. Thomas II. anno 1327 notus est, cuius tempore Carolus Rex Hungariae, amisso parvulo filio Carolo, votum vovit reddendi Ecclesiis suas possessiones; qua ratione Abbatia Tihaniensis 8 Possessiones recepit, e quibus hodie nec unicam possidet. Post hunc, sed anno primum 1350—1253 occurrit Bertholdus, sub quo Conventus Tykoniensis (sic) publica fide gaudebat.[2]) Tum Joannes II. anno 1358—1365. Nicolaus 1367. Denique Georgius 1382 usque 1399, qua strenuus recuperator Bonorum identidem comparet. Inter cetera Fr. Joannem anno 1393 ad Mariam Reginam misit cum querela, quod quidam Praelati Tihanienses Bona huius Abbatiae adeo dilapidaverint, ut vix aliquot Religiosi servitio divino interteneri possint. Unde Regina omnes feudationes et alienationes dato privilegio irritas declaravit.

Seculo XV. duo tantum Abbates regulares memorantur, utpote: Demetrius, et Ladislaus. Iste ab anno 1453 ad 1466; prior ab anno 1411 ad 1418, qui possessionem Arács per Joannem II. anno 1360 acquisitam cum Briccio de Arács ex aequo partitus est; et ius gladii a Rege Sigismundo consecutus. Idem Concilio Constantiensi cum Nicolao de iuxta Grón, Thoma de Siklós, et Francisco de Kapornak. regis iussu interfuit. Post hos Seculo XVI. comparet Simon, Abbas Commendatarius, cui anno 1505 Thomas Episcopus Moldaviensis successit; ne tradito Antonio Thaub episcopatu suo, „in dedecus pontificalis dignitatis mendicare cogeretur," Abbatiam hanc ab Uladislao II. Rege consecutus. Occasione Reformationis S. Ordinis ab Archiabbate Matthaeo duriuscule tractatus est Hunc excepit Joannes Calipolitanus Episcopus anno 1520, quo vivente Archiabbas facultatem a Rege obtinuit ab obitu Commendatarii huius regularem Abbatem constituendi. Quare huic Joannes III. ex Archicoenobio Abbas suffectus est circa annum 1525. Verum secuta mox clades Mohacsiana fecit, ut dilabentibus Religiosis Monasterium desolaretur, Bonaque Castro Tihaniensi attribuerentur, quae nonnisi XVII-mi Seculi exordio, per Mathiam Herovics, Electum Episcopum Csanadiensem, et Praepositum Albensem regio mandato munitum, a Paulo Vincze arcis et Praesidii Tihan Praefecto et Capitaneo Regio recuperata sunt.

Porro anno 1643 Michaël Ramocsaházi Abbas; at post hunc iterum Commendatarius Hyacinthus Mokripodari Ordinis Praedicatorum Episcopus Scopiensis, Canonicus Strigoniensis, Archidiaconus Sasvariensis, et Consiliarius regius occurrit, qui circa annum 1650 omnia huius Abbatiae Bona primo pro 900, deinde 500 fl. annuis elocavit. Tenuit Abbatiam annis 8. Hunc excepit Octavius Salutius,

[1]) Róka: Vespr. Praes. p. 149. — [2]) Caps. 51. E 4. —

Canonicus Jaurinensis, qui anno 1676 ad canonicam Residentiam provocatus, ab arcis Praefecto Zichy testimonium obtinuit, inde a decennio, quo is in vicina regione morabatur, nullum Abbatem in Tihan habitavisse. Successit Petrus Kuzmics Episcopus Scordonensis, Praepositus Albaregalensis usque 1687 nulla re hic acta cognitus. Denique ultimus Abbas Commendatarius Stephanus Telekessy, Episcopus Csanadiensis, Capituli Jaurinensis Custos et Canonicus, quo vivente anno 1701 per Raymundum Regondy, Conventus Altenburgensis in Austria inferiore Abbatem, depensis ad Caesareo-regium Aerarium titulo expensarum belli 20,000 fl. redemta fuit haec Abbatia, et S. Ordini S. Benedicti restituta ita, ut Abbas sufficientes Religiosos inducat, eis Abbatem praeficiat, et divinum Cultum promoveat.

Raymundus, ut Caesaris Leopoldi I. voto satisfieret, Amandum Kayser, Altenburgi S. Regulam S. Benedicti professum, Abbatem in Tihan constituit, qui per Josephum I. Regem Hungariae anno 1710 confirmatus, omnem lapidem movit, ut alienata Bona recuperaret. Verum non obstante continua sua sollicitudine, homo exterus lingvae, et iuris, ac consvetudinum patriae novae ignarus, incassum laboravit. Cum igitur sibi ubique, et in omnibus obices poni, Archiabbatiam vero ad procurandam sibi hanc Abbatiam pronam experiretur: eo rem perduxit, ut Placidus Much, Raymundi in Abbatia successor, instrumentum venditionale suo, et Conventus sui nomine, et utriusque sigillo munitum, Capitulo Jaurinensi exhibuerit, quo Abbatiam Tihaniensem cum omnibus Fundis, et appertinentiis, exceptis pecoribus, Archiabbati Coelestino Göncz 20,000 flor. occasione celebrandae fassionis simul ex integro deponendis se vendidisse fassus est.

Fassione celebrata, et Abbate Amando interea fatis functo, Archiabbas anno 1716 Abbatem S. Mauritii de Beel, Franciscum Vidlics, Ordinis Diffinitorem Tihaninum misit, qui Abbatiam cum omnibus Bonis reciperet. Verum, cum Archiabbas emtioni huic consensum regium procurare neglexerit, et P. Anianus Thurnay, unicus superstes ad S. Anianum Professus, hanc emptionem, velut simoniacam, et Jus patronatus regii enormiter laedentem, fortissime impugnavisset, Abbatiam vero sibi, tanquam patriae filio, et de ipsa optime merito, nunc autem religioso domicilio destituto conferri petiisset: factum est, ut Camera Regia eodem anno Christophoro Wagner Fiscali regio commiserit, ut Abbatiam pro parte Fisci regii occupet. Quod cum iste fuisset exsecutus, nihil mansit residuum, quam coram Judicibus Nobilium, et Juratis Assessoribus adversus factum protestari.

Repraesentatio per P. Anianum, iurium bene peritum, regiae Maiestati substrata eum sensum excitavit: ut, specie facti clare exposita, etiam ab Universitate Scientiarum Viennensi, nominatim a Facultate Juridica opinio expeteretur, an emtio haec reapse sit simoniaca labe inquinata. Salvo melius sentientium iudicio censuit Facultas, non esse talem eo potissimum fundamento, quod „a RR. PP. Jesuitis Praepositurae Lelesziensis et Jaszoviensis Abbati Bernecensi, et per hunc iterum Lucensi, atque ab aliis aliae fuerint divenditae, quin tamen auditum fuisset, eosdem contractus legali Simoniae morbo laborare", minimeque opinandum sit praefatae Societatis Patres, aliosque Praelatos et Antistites, religione et Canonum doctrina conspicuos, si licitae non forent, similes emtiones, venditionesque fuisse inituros. Quapropter Aniani quidem petitio reiecta fuit: Abbatiam tamen Camera regia nonnisi post biennium persolutis prius per Archiabbatiam 3500 fl. tradidit, cui Archiabbas anno 1719 Villebaldum Grassó, ad S. Martinum professum, Abbatem praefecit, eodem anno et mense

per Carolum Regem confirmatum, ad huius mandatum per Cameram regiam introductum, et installatum.[1])

Primis annis multum luctandum erat Villibaldo Abbati. Omnia enim in turbido erant: iura, bona, aedificia. Jura vetera, inhaerendo fundationalibus et subsequorum Regum confirmationi, revindicaturus, evocavit fere omnes bonorum ad Abbatiam Tihaniensem pertinentium usurpatores; sed incassum. Nam fundamento allegatae novae impetrationis, et subsecutae praescriptionis, a restitutione absoluti sunt. Copiosa proinde bona fundationalia ad paucas possessiones restricta sunt, utpote: Oppidum Tihan, totales Possessiones Asszófő, Örvényes, portiones item in Füred, Arács, Szőllős, nec non in praedio Fülöpp, omnes Szaladiensis; totalem Tósok Vesprimiensis Comitatus. Denique totales possessiones: Endréd, Szamárdi et Teleki, totaliaque praedia Nagy Kapoly, et Szántód, nec non Jaba, ac portiones in possessione Kapoly, in Comitatu Sümeghiensi. — Aedificium monasterii undequaque hiabat. Postquam enim in Castrum olim conversum fuisset, strenue quidem a suis Capitaneis defensum, tecto tamen inde ab anno 1684 caruit. Altenburgenses Benedictini sub initium impetratae Abbatiae partem orientalem stramine texerunt; reliqua patebant. Aggressus est Villebaldus et monasterii, et Ecclesiae structuram, et huius quidem super vetere catacumba, in qua Fundator Andreas I. Rex Hungariae sepultus quiescit. Duxit utriusque aedificationem, sed ultimam manum addidit Augustinus Lécs, eius in Abbatia Successor.

Augustinus iste, antea Theologiae in Jaurinensi Seminario Professor, dein Prior Archicoenobii, defuncto Villebaldo, anno 1740 Abbatiam a Benedicto Sajghó acquisivit, per Regiam Maiestatem confirmatus, et per Archiepiscopum Colocensem, Gabrielem Patachich benedictus. Inter continuas cum vicinis Nobilibus, et aliis Bonorum Ecclesiae suae usurpatoribus lites, praeter absolutam Monasterii et Ecclesiae structuram, fonti acidulari Fürediensi celebritatem procuravit. Relicta post se praeclara memoria obiit 21-mo Januarii 1760.

Huic eodem anno successit Samuel Vajda, Theologiae Professor, dein Administrator Cellensis, quo in munere anno eodem primum lapidem praesentis monasterii Dömölkiensis 14-to Martii deposuit. Per Benedictum Archiabbatem nominatus, occasione benedictionis consvetum iuramentum Archiabbati nuncupavit. Vir iste, pacis amans, anno 1778 occasione dismembrationis Dioeceseos Vesprimiensis, cum in Bulla Papae exemptionis Parochiarum Abbatiae mentio nulla occurreret: Episcopi Vesprimiensis Josephi Bajzáth Jurisdictionem, quam hucusque Archiabbates S. Martini ab anno 1719 exercuerant, in mutati status caussam non inquirens, ultro agnovit; et per id eius anno 1811, Actore per Reum Judice caussae constituto, penitus amittendae fundamenta iecit. Ecclesiam in Zamárdy, Aszszófő, et Kapoly; Capellam in Acidulis Fürediensibus, absoluta praesentis Rotundae fabrica nuper solo aequatam aedificavit. In egenos adeo benignus, ut saepe ipsemet eguerit. Opera, quae omnia in Tihan elucubravit, supra inter Auctores Archicoenobitas allata sunt. Eo Abbate Ordo Benedictinus, nominatim Abbatia Tihaniensis 11-a Januarii anni 1787, desiit: qua deserta, Samuel Sabariae celebrato Sacerdotii sui Jubileo, 29-a Septembris anni 1795 obiit, per omnem vitae cursum cunctis carissimus.

Restitutae cum ceteris anno 1802 Abbatiae Tihaniensi, Chrysostomus Archiabbas nullum Abbatem praefecit. Quo ad quietem honorificam reposito, Paulus

[1]) Tihan: Fasc. 3-ii. 12—24.—

Horváth anno 1816 per Conventum electus, per Franciscum I. Regem confirmatus, unaque totius Congregationis S. Martini Administrator constitutus, passim Regentis Abbatis S. Ordinis nomine veniebat. Natus in Szent Bék-allja Comitatus Zaladiensis 5-a Februarii anni 1753, Regulam benedictinam anno 1775 professus, Philosophiam Viennae in Aula Cisterciensium S. Crucis degens audivit, et Mathesim applicatam publice defendit. Inde redux 8-a Decembris 1778 primum Sacrificium peregit. Mox Comaromium dispositus, ibidem ab anno 1779 usque 1785 Grammaticam et humaniora studia publice docuit. Sublato S. Ordine Parochiae administrationem in Varsány obtinuit. — Restituto S. Ordine Sopronii triennio Poësim docuit, anno Residentiae et Gymnasio praeerat. Unde anno 1807 ad S. Martinum evocatus, hic Prioris munus usque 1815 obiit, et anno sequente, qua Comaromiensis Residentiae Superior, et eiatis Gymnasii Director favore Fratrum Abbas Tihaniensis primo loco Regiae Maiestati propositus est, per quam postea confirmatus, unaque toti Congregationi regendae praefectus fuit. Quae hoc in officio gesserit, supra suo loco narratum est. Obiit, iubilaris sacerdos 10-ma Septembris, anno 1832, anno aetatis 80-mo quem sibi ultimum fore sanus et vegetus adhuc, saepius praedixerat.

Elapso ab obitu Pauli Abbatis quinquennio, successit Adalbertus Bresztyenszky, per Archiabbatem Thomam anno 1837 e consilio Conventualium nominatus, et secuta regia confirmatione, obtentis ab eodem Thoma Collationis Abbatiae literis, per Episcopum Vesprimiensem Josephum Kopácsy, die 22-a Aprilis, Dominica in Albis depositis, anno 1838 in S. Martino benedictus. Per breve, quod ei, ut tunc res erant, per Comitia regni domi agere licuit, tempus, restauratae Ecclesiae ac monasterii; Ecclesiae item in Acidulis Fürediensibus forma rotunda, et eleganti stilo a fundamentis erectae; demum oeconomiae melius constitutae, et necessariis aedificiis provectae, denique auctorum in Acidulis praenominatis hospitiorum laudem habet. Opera eius mathematica supra laudavimus. AA. LL. et Philosophiae Doctor, eruditis Societatibus: Jenensi mineralogicae ut honorarium; hungaricae, ut correspondens Membrum adlectus fuit. Obiit die 15-a Februarii, anno 1850, dignitatis suae 12, ab obsequiorum promtitudine, ab activa caritate, et intimo status sui obligationum sensu, cetera praeter, celebratus.

Inhabitant nunc monasterium hoc 4 Religiosi, quorum unus Prioris, alter Bonorum Administratoris munus obit; reliqui curae animarum vacant.

Hoc loco aptissime adduci merentur memorabilia, et plane stupenda antra sacra, e durissima petra excavata. Nomen eis ab origine Uruzkö, seu Üreskö erat. Modo Remetelakás dicuntur, sed postquam helvetica confessio Tihaninum penetravit, eius adseclae Leánylakás (domicilium puellae) compellare nituntur, ad exstingvenda suis principiis contraria monumenta: Hungaris enim Remetelakás, Eremus est. Sed frustra conantur; manet usque adhuc Remetelakás. Situs eremi huius fere septemtrionem respicit, qua parte mons assurgit 40 circiter orgias altus a ripa Balatonis. Ascensus ab hac satis lenis ducit usque medium; abhinc horrescit in saxa, quae perforata, et excavata non solum arte, sed labore omnino herculeo cellas monachis ordine inaequali, prout semet saxa tractari patiebantur, praebuerunt. Sedilia, mensulae, omnia saxea. Paulo ante medium Seculi prioris in una ex his cellulis elevata sunt duo virorum cadavera e fossa saxea, tumbae nullo vestigio exsistente. Bina conclavia laxiora sunt: unum, quod regula S. Benedicti Oratorium dicit, modo Capitulum appellatur. Intranti a sinistris occurrit capella, in qua tumba arae ex eadem materia, saxo nempe, et in eius medio pro re-

liquiis secundum ritum Ecclesiae profundior excavatio adhucdum videntur. E capella duo ostia patent, quae, columna e saxo exsculpta disiungit, ad sic dictum Oratorium, ad quod pii Monachi pro spiritualibus colloquiis, et oratione solebant convenire. Praeter hanc etiam altera Capella superest integra, e qua pariter itur ad aliud conclave, seu cellam privatam. Unicum antiquitatis loci huius documentum exsistit notum, e quo discimus, anno 1270 in Insula Tihan exstitisse Prioratum S. Nicolai in Unizkő, seu Üreskő, cuius tunc Prior, Salomon vocabatur.[1]) Cohaeserint eo tempore saxa huius domicilii fortius; at nunc similium rerum curiosis lustratoribus dictum esto, ut antra haec potius ab extus admirentur, et a foris inspiciant, quam ut ea ingressi certae mortis adeant periculum. Avelluntur enim interdum tabulae, strata saxea montis huius efficientes, ea extensione, ut pondus earum multis Centenariis aestimetur. Ita anno 1809 accidisse idem, qui haec scribo, expertus sum cum horrore, dum in cella, quam pridie cum 5 hospitibus citra ullam periculi suspicionem pererrabam, molem fere 5 pedes longam, ultra 3 latam, 1 crassam, recens avulsam conspexi; quae extensio in lapide calcareo circit. 18 Centenariis respondet.

Tectum huic antrorum seriei vineae praebent, quarum vites, cum ob duritiem soli palis destituantur, mutuo colligatae se invicem sustentant. Eremitorium aeque, ac tota fere peninsula puteis caret; unde Incolae, quorum maior pars piscatu fere vivit, ex Balatone aquam per interiectum montem summa cum difficultate, praesertim intempesta hieme, coguntur baiulare. Capitur ibi praeter alios Danubio contentos, celebre gulae illicium, Perca lucioperca (Fogas) et statis temporibus alter piscis, vulgo g a r d a Clupeae harengo in multis similis; iste tanta copia, ut vigiles in specula constituti, gregatim venientem ex mutato lacus colore a longe agnoscant; quorum clamore populus excitus relictis omnibus humanis, et, si casus ferat, divinis negotiis ad lacum devolat.

---

[1]) Fejér: Cod. dipl. V. 1. 79. —

IV.

Abbatia B. Mariae Virginis de Dömölk.

Abbatiae huius fundationem Belae II. tribuendam non absque verisimilitudine censeo, coniecturisque, et traditioni aliquid deferendum, ubi rei certae certa origo assignari et deprehendi nequit. Communem traditionem confirmat nobilitatio Lucae, et Michaëlis, quos nunc dictus rex, pro strenue navata opera in aedificio supra montem Saagh, illum Löke, hunc Mike nominatos praedio Mesteri sub monte Saág sito donavit. Aedificium, num intentione munimenti, an monasterii a Bela Rege coeptum fuerit, arduum est divinare; sed illud nunquam fuisse perfectum, examinanti compagem ad oculum patet. Forsitan ob difficillimam materialium ad praegrandem montem administrationem, et victualium, aquae potissimum penuriam opus desiit.

Monasterium benedictinum subinde infra montem hunc Saág aedificatum est, de quo quidem Synopsis historica de ortu Cellae Marianae in Hungaria typis edita, sic habet: „Cella S. Mariae in Hungaria et dioecesi Jaurinensi, sita est in possessione Abbatiae et Monasterii Dömölkiensis circa annum 1446 pro Ordine S. Benedicti aedificati, in quo iam olim Statua B. V. Mariae valde miraculosa colebatur, ut scribit C. Princeps, Paulus Eszterházy. Jacet sub monte Saág nuncupato, quem ut traditio fert, Bela II. Rex Hungariae muro circumduxit.“ Sed fallitur, quisquis fuit Synopsis huius auctor, in anno aedificati monasterii, si de prima eius fundati aedificatione loquitur. Praeterquam enim, quod Seculum XV. benedictini monasterii fundationi serum videatur; adest authentica Transactio inter Jacobum Abbatem Ecclesiae S. Mariae de Demunk,[1]) una cum Patronis Ecclesiae, filiis Merse, et Martinum, filium Papa, respectu terrae Kamund vocatae inita; e qua patet, Abbatem, et Monasterium iam anno 1252 exstitisse.

Post cladem ad Mohács parem cum aliis sortem subiit, desolatumque est. Grandioris molis, et structurae fuisse, e muris iam solo aequatis adparet. Ecclesia superstes adhuc est, et usque ad abolitionis annum 1787 usui sacro serviebat. Visuntur adhuc supra fornicem conclavia Monachorum, qui cum vastum monasterium restaurare non possent, abalienatis omnibus fere Bonis usque ad annum 1739 eadem incoluerunt duo tresve cum Abbate loci. Statua B. Mariae Virginis, quae olim in ea Ecclesia miraculis fulgebat, occasione desolationis Regno, et Ecclesiis Sec. XVI. per Turcas adductae, ad Dénesd, possessionem Archiabbatiae, Posonio duobus milliaribus distantem pro securitate translata,[2]) adhucdum pie colitur, et

[1]) Caps. 11. F. — [2]) Sunt, qui eandem iconem nunc in Capella quadam Ecclesiae S. Gotthardi Ord. Cisterciensis ad limites Hungariae coli dicant. At secus est. Statuam enim, quae in Capella Castello Schlösalberg, monasterio S. Gotthardi vicino, adiecta colitur, Oddo Koptik, Abbas Dömölkiensis anno 1739 huic Abbatiae donavit: seque illam Salisburgo ad Hungariam tulisse dicit. Heimb: Notit. hist..... S. Gotthardi. Pag. 60. —

cum vicina Virgineae Matris ope frequentatur.

Reddita est loco prisca pietas, et mare gratiarum apertum opera et pietate Oddonis Koptik, O. S. Benedicti Abbatis Dömölkiensis. Viri huius rara fuit eruditio, pietas, et dexteritas. Postquam in Universitate Salisburgensi per omnes fere Facultates Professorem, et postea Cancellarium eius egisset, ad Cellensem in Styria thaumaturgam Thesaurarius constitutus, mirum dictu, quanta pietate hoc munere defunctus sit. Emeruit egregia virtute, ut a Benedicto Sajghó Archiabbate, exterus, ad S. Lambertum in Styria Professus, Dömölkiensi Abbatia honoraretur. Detulit secum in Hungariam Ectypon Thaumaturgae Cellensis, statuam ligneam, ad quam, ut eo ferventius Dei Genitricem coleret, in medio campo Poordömölkiensi rudi opere aediculam struit, et pone hanc sibi Cellam subterraneam pro solitaria habitatione ponit anno 1739. Hic adeo propitiam reddidit Coelorum Reginam, ut gratiis omnem late viciniam compleat, supplicum vota donis praevertens. Anno 1745 rudem illam Capellam meliorem in formam redigi, et fornice muniri, murisque, qua sacrarium extendi debebat, circumduci expensis suis iussit Camerae Hungaricae regiae Praeses Comes Georgius Erdödy.

Crebrescentibus in dies signis, Episcopus Jaurinensis, cui tunc ea Castriferrei Comitatus regio in spiritualibus parebat, ut dignissimae Virginis cultum eo amplius apud oves sibi subiectas promoveret; pro pastorali munere, et singulari sua in communem gentis hungarae Dominam pietate, ad omnem canonicarum sanctionum rigorem exacta instituit examina. In quibus, nube testium convictus, etiam omni exceptione maiorum, Edictum suum episcopale die 21ª Octobris signatum, 7ª Novembris anni 1745 curavit promulgari, quo „S. hanc Statuam superfluente misericordissimi Numinis benedictione variis complurium Christi fidelium necessitatibus subvenire, diversaque curationum, ac gratiarum dona iisdem exhibere, idque in Consistorio ipso, adhibita omni cautela, et diligentia per Tridentinum Concilium praescripta, rite compertum esse; ideoque S. hanc Statuam tanquam Gratiosam publico fidelium Cultui exponendam esse declaravit"; quod Edictum ibidem coram viginti circiter millibus peregrinorum publicatum fuit. Demum novis Inquisitionibus peractis, alterum Decretum die 17ª Novembris eiusdem anni prodiit, in quo dicitur „Venerandam illam Statuam extraordinaria gratiarum et curationum, quin et miraculorum luce clarescere; et Deum in illo loco complura omnipotentiae suae prodigiosa opera edere, et manifestare; atque idcirco non solum ut Gratiosa, verum etiam, ut Miraculosa fidelium venerationi exponenda declaratur."[1])

Concursus hominum, teste praecitata Synopsi tantus erat, ut aliquando ad 50 hominum millia convenerint, quos inter non pauci Magnates Regni visebantur. Plurimi tamen aderant, dum S. Imago exaltaretur, et coronis Erdödianis episcopali manu redimiretur. Ne porro devotioni fidelium Romana quoque Sedes deesset, Indulgentiae plenariae quotidianae per Benedictum XIV. Summum Pontificem sub solitis conditionibus sunt tributae, postquam Cardinalis Paulutius Camillus de rei veritate convictus, tam de fide, quam de fassionibus testium Pontificem fecisset certiorem. Omnia vero, tam nempe gratiae, quam miracula ad Statuam vulgo Kis-Czelensem patrata, suis vestita nominibus, et circumstantiis diligenter conscripta, munificentia Comitis Ludovici Battyányi, emeriti Hungarico-Aulici Cancellarii, tunc Hungariae Palatini, cum imaginibus typo edita sunt.

---

[1]) Topogr. magna R. H. p. 118.—

Successive Ecclesia, pia Superiorum Loci cura, et praeprimis Archiabbatiae sumtibus, ampla et nitida super Capella surrexit. Ecclesia haec, quanta est, ab imo fere ad fornicem usque plena splendebat anathematis, seu pictis tabulis votivis, e quibus opitulatricis Virginis, Dei Matris, opem legere licuit. Haec serius aesthesis deponi iussit. Gazophylacium quoque, sublata anno 1787 Abbatia, evacuatum, insigne spatium praebebat ad audiendum sacrum sermonem, cum copia hominum maior adcurrit. Concursus hominum ex omni Hungaria, et vicinis provinciis adhucdum continuatur, forte in Regno Hungariae frequentissimus. Aetate nostra inter maxima miracula referendum videtur, quod patrocinio B. Virginis Mariae quotannis tot millia peccatorum ibi ad seriam poenitentiam convertantur.

Monasterium primum, illud in campo Dömölkiensi, tumultuario opere ab Oddone (Lambertini, quorum erat, Otthonem vocant) Koptik aedificatum fuit e tignis ad durationem temporis exigui. Cubicella, ambitus, ceteraque omnia conclavia perangusta; dum vel una porta aperiretur, omnia tremuerunt. Capellam muratam, et fontem, quae adhuc ad Ecclesiam visuntur, sinu suo complectebatur. Inde metiaris, quantae extensionis fuerit gracile aedificium. Quod antequam suapte collaberetur, de novo struendo deliberatum fuit. Hac intentione veteris monasterii rudera eviscerata, sufficientem pro novo materiam praebuerunt. Etiam tabulae lapideae, quae modernum aedificium foris inferne cingunt, illius sunt reliquiae. Bini tractus, orientalis, et meridionalis absoluti sunt, et Religiosis sufficiunt; non item hospitibus. Abolito S. Ordine ad vacuum Religiosis monasterium maxime ingemiscebant pii fideles, qui plurimi quotannis eo pro devotione proficiscebantur; et ob defectum Sacerdotum sine solatio spirituali reverti cogebantur, qui nunc eodem restituto sublatus est.

Abbatia haec inde ab initio seculi XVI. per Archiabbates S. Martini iure Praesidentiae perpetuae conferebatur; nunc inter filiales censetur. Primus, quem novimus, Abbas est Jacobus, qui anno 1252 terram trium aratrorum[1]) Kamund dictam recuperavit. Hunc magno intervallo sequitur Nicolaus, cuius aevo, anno 1348 Conventus Ecclesiae huius publica fide, et authentico Sigillo gaudebat. Anno 1410 Sebastianus Abbas exercituantes Praedialistas in Kis-Dömölk aluit. Demum Joannes, annis 1457 et 1459 Abbas de Egyházas-Dömölk occurrit. Sec. XVI. Valentinus per Archiabbatem Matthaeum constitutus anno 1516, usque 1538 et ultra cum uno tantum Fratre in Dömölk habitavit.

Seculo XVII. Joannes Keöntheös, Praepositus Örsiensis, et Parochus Soproniensis, Commendatarius Abbas circa annum 1619, comparet. Tum anno 1622 Joannes Viszkeleti, per Bethlehenium constitutus, tenuit Abbatiam annis tribus. Demum Georgius Dienesevics, aeque Commendatarius per Georgium Himmelreich Archiabbatem nominatus anno 1622. Idem et anno 1629 occurrit, in tuendis Abbatiae Juribus indefessus. Erat una Parochus Ecclesiae S. Martini, S. Montis Pannoniae. — Seculo eodem, restituto S. Ordine, Mathias Pálffy nemini, Placidus I. Archiabbas eam Abbatiam Emerico Seifrid contulit, et ab huius obitu anno 1662 Ladislao Győry, Conventus S. Martini Priori. Hunc excepit Benedictus Diener, Abbas Poor-Dömölkiensis ante annum 1672, tum Adalbertus Posgay, anno 1678 defunctus. Postea Bernardus Miskolczy, insignis Novitiorum Magister olim; a cuius resignatione, per fractas aetate vires adducta, Aegidius Karner per Placidum II.

[1]) Nomine Aratri veniebat hoc aevo spatium terrae, fere 260 nostris iugeribus aequale, si haec a 1200□° computentur. Verbőczy. P. I. Tit. 133. §. 47. —

Archiabbatem constitutus fuit anno 1698, eamque etiam postea, ut Archiabbas, dignitatem retinuisse videtur.

Seculo XVIII. primus occurrit Hieronymus Csatay, qui verisimiliter per Coelestinum Archiabbatem nominatus, anno 1723 Literas Credentionales Benedicti Archiabbatis, iter Romanum meditantis, subscripsit Scilicet: Benedictus comperto Abbates Nullius ad Concilium Romam evocari, id se quoque respicere ratus, Romam proficisci intendebat, sed a Nuntio apostolico Viennae meliora edoctus, audito literas Papae Synodum provincialem celebraturi tantum 4 Italiae Abbates Nullius concernere, supersedit. — Porro Abbate Hieronymo anno 1731 Patres: Anselmus Maracskó, Bonifacius Lancsics, et Emericus Mákóczy, nondum existente monasterio, in Poor-Dömölkiensis Ecclesiae tecto degentes, in nexu Intimati Exc. Consilii Regii de 6-ta Aprilis 1731 de Protestantium publico Religionis exercitio ad Loca articularia restringendo sonantis, 16 vicinas Ecclesias a Protestantibus repugnantibus, et necem intentantibus receperunt, et usque annum 1736 administrarunt; donec eas Episcopus Jaurinensis Adolphus inter suae Dioeceseos Clerum distribuisset. Obiit Hieronymus anno 1735.

Hieronymo suffectus est anno 1739 Ottho alias Oddo Koptik, ad S. Lambertum in Styria, ut supra dictum est, regulam S. Benedicti professus, et ad Scientiarum Universitatem Salisburgensem, Theologiae, aliorumque Studiorum Professor emeritus. Excellens iste vir, ad quidquid animo conceperat, efficiendum, et ad quidvis strenue audendum a natura comparatus, et usu rerum roboratus circa annum 1739 Collegium Nobilium Josepho-Carolinum procurata exterorum ope, et concessione Pontificia, Salisburgi per Benedictinos gubernandum erexit; in quo nobilis iuventus decentibus, et reipublicae utilibus studiis, et artibus erudiretur, lingvis cultioribus imbueretur, et potissimum in moribus, et dogmate catholico firmaretur. Cumque observaret, se longe facilius in solidanda hac sua fundatione progressurum, si aliquod dignitatis ecclesiasticae ornamentum praeseferret: titulum Abbatis ab Archiabbate Benedicto petiit, qui Zelum viri et devotionem, singularem eruditionem et modestiam cupiens honorare, eum, licet exterum, Abbatem de Dömölk nominavit. Quapropter Oddo, cum ad canonicam residentiam in Dömölk urgeretur, fundatique a se Collegii gubernium, citra eius detrimentum nondum posset deponere, apud Exc. Consilium Regium, et plures Regni Hungariae Proceres egit: ut, cum bellum ab Imperatore Carolo VII. immineret, Collegium hoc ad locum securiorem, utpote Manesdorf, et si hic quoque periclitaretur, ad Hungariam quoque transferretur.

Haec Oddonis providentia eo evasit, ut Exc. Consilium Regium propositionem hanc, velut Regno Hungariae utilem, Regiae Maiestati repraesentaverit, eo „quod plurimae quidem in Regno adessent Scholae, sed in quibus lingva tantum latina, velut ceterarum scientiarum rudimentum doceatur; Seculi autem eruditio aliarum quoque scientiarum et artium, lingvarumque cognitionem deposceret; ad quam adspirantes magnis sumtibus ad exteras oras migrare; nobilis autem juventus magnis opibus destituta, domi otio, aut agriculturae vacare cogeretur.“ Itaque iam de succursu pecuniario cogitatum; ad quem provocatus Benedictus Archiabbas opinionem a Conventu expetiit. At iste, collaudato egregie Oddonis Patriae salutari consilio, censuit eundem ad opulentiora Monasteria pro petendo iuvamine inviandum esse, pollicitus se pro viribus concursurum, ubi collegium in Hungaria plene coaluisse conspexerit.[1])

[1]) Opinio haec in literis Conventuali parvo sigillo signatis data est, quod non 5 Corda, nec voculam PAX,

Praesidium Collegii huius Nobilium, iam nunc Equestris titulo decorati, ut Archiabbas susciperet, adduci non potuit; quamvis per primos Procerum fuerit provocatus. Negotium tamen ita maturuit, ut Augustissima Domina M. Theresia Földvariensem Abbatiam 27000 fl. annue inferentem resolverit, et pro ea hunc ad scopum procuranda S. Crucis in Austria Ordinis Cisterciensium Abbas, petitam summam se soluturum fuerit pollicitus: dum interea Benedictus tantundem promittendo, et ius in Abbatiam hanc sibi competere praetendendo totum negotium ita involvit, ut omnia penitus adhaeserint.[1]) Ita salutare Oddonis consilium, S. Ordini decorum, Ecclesiae utile, Pontifici, Curiae romanae, ipsi adeo Reginae apostolicae exoptatissimum una cum incredibili Oddonis opera in eo locata evanuit, obsoleti Juris umbrae misere immolatum. Nihilominus ex hac Oddonis Abbatis idea, subsecuta mox Academiae Nobilium Theresianae, et postea Insignis Ordinis equestris S. Stephani Regis Fundatio, per Apostolicam Reginam facta, profluxisse videtur. Porro

Cura haec transferendi in Hungariam Equestris Collegii non adeo sibi totum Oddonem vendicavit, ut desolatae suae Abbatiae minus intenderet. Quapropter illico a sui nominatione restaurationem eiusdem animo complexus ad Dömölk abiens, cum nullam ibi aedem habitabilem reperisset, in specu subterraneo degebat, cultui imprimis B. Mariae Virginis deditus, cuius simulacrum e Cellis maioribus, ubi Thesaurarii munere antea fungebatur, secum attulit. Singulari vero sua devotione, modestia, urbanitate et rerum cognitione, aliisque dotibus ita sibi vicinorum animos conciliavit: ut eodem adhuc anno a Comite Cziráky, Francisco Nagy, et aliis Nobilibus liberam in eorum silvis ligna aedilia, et alia caedendi facultatem gratis obtinuerit. Exornabat mox altaria veteris Ecclesiae, mappas, seu tobalia et vestes sacras sedulo comparabat. Virgini vero Cellensi, didita eius gratiarum fama, interea dum aedes sacra exsurgeret nova, tholum campestrem erexit, ad quem primus peregrinator Comes Cziráky cum sua domo, et ingenti hominum frequentia in festo S. Jacobi anno 1739 accessit, et sequente die tercenti fere fideles ad montem convenere. Haec initia Cellensis Thaumaturgae, quam deinde post quinquennium praeviis severis et accuratis examinibus gratiosam, et thaumaturgam edicto Episcopi Jaurinensis Francisci e Comitibus Zichy, tunc Loci huius Ordinarii, fuisse declaratam supra vidimus.

Quo amplius praeclarus vir in augendo cultu divino, et propaganda, firmandaque in Regno Hungariae religione catholica summa omnium bonorum laude laboravit, eo acriorem apud desides incurrit invidiam; qui se virtutibus eius obscurari rati, eo rem perduxerunt, ut nunquam satis laudandus vir, Abbatia sua privatus ad Monasterium Gottvicense Ordinis S. Benedicti in Austria fuerit relegatus; ubi exacto quadriennio, anno 1755 pie obiit. Hoc exsule, et postea usque annum 1768 Abbatia per Administratores ex Archicoenobio missos providebatur, quorum opera praesens Monasterium et Ecclesia surrexerunt. Exstincto Benedicto Archiabbate obtinuit eam a Daniele Archiabbate Eme-

---

sed idipsum exhibet, quod in magno Conventus sigillo publico visitur. Quanta sigilloram privatorum inconstantia! — [1]) Intendebat Oddo cum hoc equestri Collegio speciem cuiusdam Ordinis Stellae aureae connectere, cuius Insigne iconibus SS. Josephi, et Caroli Borromaei ornaretur, Collationis eius taxa sex aureis definita, unde fundus solvendis Professorum Equestris Collegii salariis conflaretur. Ordo iste instar Unionis Catholicorum scopo tuendae, et propagandae Religionis Catholicae spectabatur, cui plurimi Magnates adscribi anhelabant. Eius Statuta per Oddonem frustra concepta, et totam negotii huius historiam fusius descriptam vide in Scripto periodico hungarico: Religio. Budapesten, 1851. 70. 71. 72. szám, cuius auctori hanc in rem documenta ex Archivo S. Martini S. Montis Pannoniae subministrata servivere.

ricus Mákóczy, quo anno 1783 defuncto, collata est Casparo Nemes, Archicoenobii Priori, qui sublato S. Ordine, anno 1801 obiit. Restituto S. Ordine Abbatia haec usque annum 1832 vacavit, quo per Archiabbatem Thomam Godefridus Wekerle constitutus, huicque anno 1830 defuncto Leo Gácser suffectus est anno 1838. 28. Sept. 1856 defunctus. De his plura supra pag. 147.

Degunt in hoc monasterio 4 Religiosi; quorum unus Prior una Parochiam Oppidi Kis-Czell administrat; alter Abbatiae Bona procurat, et, uti et reliqui, cura animarum occupatur.



V.

Abbatia B. M. V. et S. Benedicti de Pécsvárad.

Inter religiosa domicilia Regni Hungariae, ordine antiquitatis secundum locum occupat Abbatia Pécsváradiensis, olim de Monte ferreo dicta. Genesiarcham eundem cum Archicoenobio S. Martini de S. Monte Pannoniae colit S. Stephanum, qui in sui diplomatis decursu tempus et fundati, et consummati huius monasterii exprimit, inquiens: „Circumscriptio nostrae donationis ante nostram coronationem fuit assignata ante annos quatvordecim, priusquam fundamentum foderetur; quintodecimo vero anno a fundatione monasterium jam dictum est consecratum anno ab incarnatione Domini MXV.“ Latuisse haec Stephanei diplomatis clausula videtur virum alias non indiligentem Inchofferum, qui ad annum MVII. scribit: Coenobium Montis ferrei in gratiarum actionem pro recens nato filio Emerico erectum fuisse. Erectum autem est loco pro Regularibus opportunissimo, cui hortus, aquaeductus, et omnia in Regula S. Benedicti requisita proxima sunt. Ecclesiae abbatialis parietinae adhuc visuntur, sed jam solo aequatae, ductae per aream modernae domus Officialium; in qua vetera quoque Abbatum cubilia supersunt, literarum conservationi accommodata.

Est porro Pécsvárad oppidum in provincia Baranyiensi nulli secundum, et intra ambitum Dioeceseos Quinqueecclesiensis, ab urbe episcopali duorum milliarium intervallo distans. Situs loci undequaque amoenus, e quo secundum decurrentem Danubium prospectus longissime protensus, sub oculos sistit omnia fere Bona Monasterii. Supra mons Mecsek assurgit, olim ob ferri fodinas ferreus dictus, e cuius altiori latere procurrens rivus cellas Monachorum circumibat, hortosque rigabat. Jam tempore S. Stephani frequens ibi oppidum fuisse diploma eius docet, quod nundinarum singulis diebus dominicis, et feriis quartis ibi celebrandarum ius tribuit, et duas Parochias memorat. Subinde in Codice Vaticano Collectorum Poloniae et Hungariae initio Sec. XIV. et postea inter Parochos Abbatiae Varadinensis leguntur: Paulus S. Petri de Varadino, item Stephanus de Al-

ba Ecclesia. Ubi notandum, Sacerdotes Abbatiae Varadinensis in Archidiaconatuum Dioecesanorum censu non connumerari; sed semper seorsim sub titulo Sacerdotum Varadii recitari, tanquam non Episcopo Quinquecclesiensi, sed Abbati duntaxat subiecti. Cuius immunitatis, et aliarum libertatum et Bonorum, ut firma et perennis sit possessio, S. Rex Monasterio huius tenoris diploma largitus est:

„In Nomine Domini Dei Supremi. Stephanus superna favente Clementia Hungarorum Rex. Credimus, et vere scimus, si locis divino cultui mancipatis potestates atque honores augmentaverimus; id non solum laude humana praedicandum, verum etiam divina mercede remunerandum. Quocirca omnium Sanctae Dei Ecclesiae, et fidelium nostrorum, praesentium atque futurorum solers comperiat intentio, quod nos per Dei subsidium ob animae nostrae remedium, et pro stabilitate Regni nostri, monasterium Sanctae Dei Genitricis Mariae, et S. Benedicti ad radicem montis ferrei diligenter construximus. Omni autem cura adhibita, ne monasticae religionis contemplatio aliqua temporum necessitate compressa mutaretur ad laevam, idem Monasterium ex donativis nostris, consensu et confirmatione auctoritatis apostolicae dotavimus terris, silvis, piscinis, vineis, villis, populis tam liberis, quam servis. Liberis scilicet ducentis militibus, quos sub talem redegimus militiam, ut, si forte in regione suboriatur seditio, ad monasterii armata manu concurrant custodiam, et Abbati regalem visitanti praesentiam duodecim equites servitium studeant exhibere; ministris qui serviunt cum equis CLVI, item ministris, qui serviunt cum equis, et curribus CDIX; vinitoribus CX, aratoribus XXXVI, apiariis XII, tributariis fori XX, piscatoribus L, et fabris X, praeparatoribus vasorum ad cellarium VI, tornatoribus XII, pistoribus IX, aurificibus V, cocis IX, figulis III, coriariis VI, pistardis[1]) V, carpentariis VIII, molendinariis IV, opilionibus XIII, agasonibus III, subulcis III, ministris hospitum III, ministris infirmorum IV, pulsatoribus V, balneorum servituti deputatis, quos a Stuba stubarios vocare possumus VI. Quorum omnium, militum videlicet, ministrorum quoque et ceterorum cujusque ordinis mancipiorum loca, locorum nomina, et numerus in praesenti privilegio continentur; mansiones*) MCXVI, quae simul adunatae faciunt villas XLI. Prima Foltes nominatur, quae ab oriente terminatur Salsuch, ab austro Aruk, ab occidente Chimurcu, Ozou, a septemtrione Kuzi. Secunda Tomur nominatur, quae ab oriente terminatur Baluanus, ab austro Áruk, Ousu, ab occidente Nogu-tholicum, a septemtrione Megye.[2])"

... „Praeterea ex consensu et confirmatione auctoritatis Apostolicae non solum praescripti populi, verum etiam qui infra terrae ipsius monasterii circumscriptionem possessionem habent, decimationibus curavimus praeditare; eadem etiam auctoritate Apostolica mediante decrevimus: ut praefati coenobii Abbas generali tantum et solenni Synodo duntaxat Strigoniensis Archiepiscopi interesse teneatur; attamen seu a Metropolitano, seu quolibet alio Episcopo, omni contradictione cessante, confirmationem, consecrationemque suscipiat, et ejus monachi ad ordines promoveantur; more etiam Episcoporum cum mitra, sandaliis et annulo sive in solenni curia, sive episcoporum conventu vel in

---

[1]) A contundendis in P i s o n e, seu pisandis rebus ita dicti videntur; quo in labore p i s t i l l i s utebantur. [2]) Hac ratione omnes fere villae enumerantur, quae cum in singulis transsumtis aliter sonent, non est visum operae pretium hic exscribere, cum nihil doceant, et in Codice diplomatico Fejérii T. I. et T. III. 2. 121. adeoque bis legi possint.— *)Cum ex Verböcz: P. I. Tit. 133. §. 47. facile eruatur, terram unius Aratri 256⅓ circit. iugeribus (a 1200⁰ □) aequari; et diploma Andreae I. (supra ad Tihan) in 20 aratris 60 mansiones, seu familias fuisse dicat: terram unius M a n s i o n i s circ. 85 iugeribus nostris aequari clarum est. — Alibi quoque uni aratro tres Mansiones assignatae leguntur. —

quolibet loco religioso liberrime possit assistere, et divina officia celebrare. Duas praeterea Capellas regias, capellam videlicet B. Petri, monasterio connexam, et alteram, quae vulgo Alba Ecclesia vocatur, cum earum Parochiis et omnibus pertinentiis contulimus praefato Monasterio; in quibus Sacerdotes ab Abbate constituti praefato populo divinum plenarie exhiberent servitium; chrismata vero et oleum infirmorum quilibet Archiepiscopus vel Episcopus dare teneatur. Praefati vero monasterii populum jam saepe dictum, de spiritualibus instruendi et judicandi Strigoniensi Archiepiscopo, et Abbati committimus. In civili autem caussa nulli liceat iudicare praeter Abbatem, nisi forte, pro qua sangvis effundi deberet. Forum etiam bis in hebdomada stare concessimus, duobusque in locis, unum superius juxta S. Petrum die dominico, aliud vero in vico inferiori quarta feria; omneque tributum ex eis proveniens usui jam dicti monasterii contulimus; nec non et salicidio ab omni inquietudine liberrimo, quod nec tributariorum cupiditas, nec possit potentum violentia perturbare. Insuper et liberorum denariorum tertiam partem, qui ex advenis in terra Ecclesiae habitantibus debentur, ad calceamenta fratrum concessimus. Silvarum quoque proventus ubique Ecclesiae pertinentes, ut in tributis porcorum, seu arundinetorum nulli omnino liceat possidere, nisi Abbati; in fontibus vero infra terminos dicti monasterii exsistentibus molendina, sive piscinas absque Abbatis permissione nulli liceat facere. Nobiles autem sive ignobiles infra terrae ipsius monasterii circumscriptionem possessionem habentes, si post temporum curricula e donatione nostra obtinuisse dixerint, et contumelia affecti ecclesiae contrarii, vel ejus populo fuerint, exterminentur, cum rebus mobilibus expellantur; quia quod Deo contulimus, id offerre homini nequaquam debuimus. Quodsi Abbatis imperio non recesserint, potestas regis, ablatis rebus omnibus, eos crudeliter expellat, ne palliata iniquitas in monasterii pullulet excidium. Aquae etiam conductu, qui eius fratrum officinas circumiret, idem ordinavimus monasterium. Altaria his decoravimus ornamentis, videlicet: XXIX casulis, dalmaticis XIX, tunicis XVIII, cappis LX, palliis altarium XXVII, mantilibus XXIX, palliis ad cooperiendum sedilia IV, albis L, camsis de pallio X, et aliis XV, tapetibus ante altaria X, crucibus IX, pulvinariis VII, altaribus ad viam V, thuribulis IV, candelabris VI, calicibus XI, baceollibus*) XII, urceis V de argento, stanneis III, stolis et manipulis XXX, libris vero quorum praecipua auctoritas fulget in Ecclesia, tum Bibliotheca, [1]) nocturnalibus IV, antiphonariis V, lectionariis cum Evangeliis Missalibus VI, psalteriis IV, gradualibus V, regulis II, Baptisteriis[2]) II, glossariis III, ac homiliarum volumine I, equis CXX, vaccis LXXXIV, ovibus DDLXIV, porcis CXXXII, capris XCII. Et ut ipsum monasterium ab inquietudine sit semotum, praecipimus: ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, seu aliqua persona nobilis, vel ignobilis de fato monasterio aliquomodo se intromittere in mancipiis, terris, vineis, ripis, pratis, piscinis, cultis et incultis salicidiis, decimationibus, et omnibus his, quae in suprascriptis reperiuntur sine concessione Abbatis ejusdem monasterii audeat; quod si fecerit, componat C libras auri optimi, mediam Camerae regiae, medietatem vero Abbati, et ut plus divinae irae occursum paveat, sciat se a Patre, Filio, et Spiritu Sancto, et a Genitrice Dei, Sanctisque Apostolis Petro et Paulo, et a S. Benedicto, in cujus honorem situm est prae-

---

[1]) Hoc loco per Bibliothecam Sacra Biblia utriusque Testamenti intelliguntur, ut hoc aevo alias passim. — [2]) Erant rituales libri, quibus ritus Baptismi conferendi continebatur. — *) Id est: pelvibus. —

dictum Monasterium perpetuo anathemate damnandum, et ante tribunal Christi rationem redditurum. Quod ut verius credatur, hanc paginam manibus propriis roboravimus sigilli nostri munimine in ipso die consecrationis monasterii per ministerium Domini Astrici Archiepiscopi Colocensis, et primi Abbatis praescripti Monasterii, nobiscum omnibus regni Principibus ibidem assistentibus confirmamus unanimiter. Circumscriptio nostrae donationis ante nostram coronationem fuit assignata ante annos quatvordecim, priusquam fundamentum foderetur; quintodecimo vero anno a fundatione Monasterium jam dictum est consecratum anno ab incarnatione Domini MXV. — Signum Domini Stephani Incliti Regis."[1])

Hoc privilegium postquam in Camera sua cum pluribus aliis documentis, et clenodiis conflagravisset; Geysa II. Rex Hungariae ex instrumento domestico, seu Copia ut dicimus, restauravit. Quod, qua de caussa, et qua circumspectione sit exsecutus, sequente diplomate testatur: „In nomine Sanctissimae Trinitatis, et individuae Unitatis. Notum sit omnibus Christianis, tam modernis, quam successoribus. Quod ego Geysa secundus, Hungarorum Rex, piissimi Belae Regis filius, Ganfredo Abbate S. Benedicti de radice ferrei montis adhuc superstite maximum periculum Ecclesiae S. Benedicti, perversitate hominum exigente, ex divino contigisse iudicio, compatienter perfero. Nam Capella S. Benedicti, in honorem S. Joannis Baptistae consecrata, ipsa videlicet Camera est incensa, et Sanctissimi Stephani Regis aliud privilegium magnum, sigilli sui munimine roboratum, et apostolica auctoritate confirmatum; secundum quoque privilegium Ducis Damoslai, tertium privilegium pii Ladislai Regis; quartum privilegium secundi Belae Regis, Almi Ducis filii, cum aliis rebus ecclesiasticis, scilicet crucibus, calicibus, plenariis[2]) auro, et lapidibus pretiosis adornatis, in eadem camera sunt combusta. Horum vero privilegiorum exemplaria pro diversis negotiis scilicet, quae solent emergere, absque sigillaris impressionis firmamento in camera ejusdem Abbatiae monasterii, ab horrendo combustionis infortunio, divina sic volente clementia, sunt servata. Ex quorum testimonio haec in praesenti privilegio sunt redacta. Tanta igitur clade facta, praedictus Abbas Ganfredus mortis debitum persolvit. Successor ejus, scilicet Petrus Abbas, filius Comitis Thuross, praememorata privilegiorum exemplaria meo, omniumque Primatum conspectui restauranda deportavit. Proinde ego Geysa, ecclesiarum Dei profectui congratulans, dilapidationi vero, atque detrimento compatiens, consilio et consensu nostrorum Principum, scilicet Martirii Archiepiscopi, Mikonis, Lucae, Absalonis, Anthimii, Valterii, et ceterorum Episcoporum exsistentium, Beli, Appae, Henrici, et ceterorum Principum virtute radiantium hoc restaurari feci privilegium, Paschate Baachii celebrato, per Barnabam nostrum Cancellarium ad praedicta exemplaria. Nam proxime praeterito anno caussam praedicti Abbatis Ganfredi, et Quinque-Ecclesiensis Episcopi Anthimii, ejusque Capituli ob Capellas in honorem S. Petri, et Omnium Sanctorum consecratas, decimarumque duodecim villarum, scilicet Hethe... Insuper et decimas hospitum, aliorumque Nobilium, sed et ignobilium intra metas praedicti monasterii possessiones habentium, ex consensu partis utriusque distinguere et definire rogantis, cum Archiepiscopo Strigoniensi, qui Judex est utriusque ecclesiae ordinarius, et cum eisdem

[1]) Ex Cod. dipl. Fejérii, collatis Transsumtis Andreae II. 1228; et Bonifacii IX. 1403. — [2]) Plenarii nomine hoc aevo veniebat Arca, seu Theca magni pretii, in qua Sanctorum Reliquiae conservabantur. — Du Cange: Glossar. Parisiis. 1845.

supramemoratis illustribus Episcopis, et Principibus aequanimiter juri consentanee determinavimus. Tunc supradicta privilegia diligenter inspecta dictis exemplaribus concordaverunt. Quapropter hoc ipsius privilegium sigilli proprii munimine manu propria roboravimus. Praeterea : non solum Privilegium renovavimus, sed etiam ecclesiastica ornamenta renovari, ecclesiasticum excidium debita patroni condolentia restauramus. Anno incarnationis dominicae millesimo centesimo quinquagesimo octavo. Hujus renovationis privilegii testes sunt praedicti Episcopi, et Principes ; insuper Canonici Baachienses Obsa Decanus, Esau Cantor, Cheke, Benjamin sacerdotes, Azarinus, Latinus, et ceteri Canonici : Jobbagyiones ejusdem castri, Sampa, Suga, Sokron, Sermes, et ceteri quamplurimi."[1])

Praesenti diplomate, praeter D. Stephani, etiam aliorum huius Monasterii benefactorum conservata est memoria, quae cum privilegiis periisset, nisi oblivioni Geysa Rex occurrisset. Conservavit igitur memoriam 1-me Damoslai[2]) Ducis, qui „exceptis praescriptis idem decoravit atque dotavit Monasterium, scilicet tabula argentea ante altare Beati Benedicti, et altari argenteo ad viam id est Ecclesiae in honorem omnium Sanctorum dedicatae, in qua persoluto mortis debito, sub altari corpus eius honestissime est sepultum. Praeterea vero transactis multorum temporum curriculis, cum corpus eius effoderetur, sufferendum in monasterium Beati Benedicti, mirabile signum sub oculis omnium ibi circumstantium apparuit, ut oleum purissimum tantae quantitatis in sepulchro cum suis ossibus inveniretur, quod vix quinque vel sex sextarii potuissent capere, quod cum iisdem ossibus inde translatum est, et ante altare SS. Trinitatis cum honore summo traditum est sepulturae. Duobus ex iisdem Dux praediis ditavit Monasterium."

Conservavit 2-do Liberalitatem S Ladislai, de qua haec adsunt : „Haec autem felix providentia Regis Ladislai dicto monasterio contulit mansiones ducentas, quae faciunt quinque praedia... Praeterea tributis forensibus duorum locorum ditavit Monasterium ad ius regale pertinentium, ut ex his cera comparetur ad domum Dei illuminandam; Thus ad altaria Turificanda." 3-o Conservavit memoriam recessus, et grati animi Belae II. Regis, de quo ibidem haec leguntur : „Haec quoque a Secundo Bela, olim Ducis filio, praefato scilicet Monasterio condonata; qui dum omnium rerum temporalium compelleretur necessitate, et Corporis coarctaretur debilitate, ad Monasterium Beati confugit Benedicti, ibique ab Abbate, et Fratribus, ceterisque familiaribus illius loci honorifice susceptus, et non pauca temporum per curricula rebus de Ecclesiasticis summo tentus in honore victui, vestituique tam sibi, quam suis omnibus necessaria ministrando, tum demum post revoluta duorum annorum tempora, cum a conventu licentiaretur, ob salutem suae animae, et pro collatis sibi beneficiis cum gratiarum relationibus dona promisit non modica se daturum, si quando jure sublimari hereditario contingeret, et ditari. Divina tandem annuente clementia in sede Paternae dignitatis collocatus, et Regio sceptro sublimatus, praedictae promissionis non immemor, ecclesiasticam volendo expensam recompensare, tributum forense... supra memoratis Fratribus dedit pro calceis, et calceamentis, et tres vineas propria cum pecunia comparatas cum tribus mansionibus Ecclesiae contulit pro Sutuariis." Tria haec privilegia non in

[1]) Koller : Hist. Episc. Quinq. I. p. 202. — [2]) Damoslaum hunc Koller censet fuisse Ducem totius Hungariae, quem Henricus Imperator Petrum reducens, abhorrentibus ab isto Hungaris, Ducem teste Aloldo, „ex suis" Hungariae praefecit ; quem alii cum Agmunda Regis Andreae I. coniuge, huius fors cognatum ad Hungariam venisse putant. — Slavicae originis fuisse ipsum nomen docet.

forma factae Donationis, in apographo Strigoniensi, sed in forma simplicis narrationis continentur; prout et hic inserta sunt.

Ne vero vel tractu temporis, aut quocunque vitio suspicio de authentia diplomatis Geysae II. oriri, et apographa in eo recitata in dubium vocari possent, singula Carolus Rex anno 1323 novo diplomate confirmavit, quod sic sonat: „Karolus Dei gratia Ungariae Rex... ad universorum tam praesentium, quam futurorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod religiosus Frater Nicolaus Ord. S. Benedicti Abbas de Pécsvaradino nomine eiusdem ecclesiae ad nostrae Maiestatis accedens praesentiam, exhibuit nobis privilegium D. Geysae II. quondam incliti Regis Hungariae, felicis recordationis, progenitoris nostri reverendissimi, confirmans privilegia B. Regis Stephani... Nos igitur iustis, et legitimis petitionibus ipsius Nicolai Abbatis fidelis nostrae Regiae Maiestatis inclinati cum favore praedictum privilegium Domini Geysae Regis, non abrasum, non cancellatum, nec in aliqua sui parte vitiatum de verbo ad verbum cum signo Sanctissimi Regis Stephani in eodem habito transscribi facientes approbamus... Datum per manus discreti Viri Ladislai Alben. Eccl. Praepositi, aulae nostrae Vice-Cancellarii dilecti, et fidelis nostri anno Domini 1323, quarto Nonas Junii; regni autem nostri anno similiter 23." Idem fecit Bonifacius IX. ad preces Emerici Abbatis anno 1403.

Monasterii huius, et totius familiae benedictinae in Hungaria praecipuum decus, S. Anastasius Astricus, primus ejus Abbas erat et Architectus. Is Romae in Monasterio SS. Bonifacii et Alexii monachus, cum S. Adalberto ad Episcopatum suum Pragensem, quem ob pervicaciam Bohemorum deseruerat, iussu Pontificis redeunte, ad Bohemiam cum pluribus sociis, ejusdem Coenobii Fratribus ad finem Seculi X. venit; ubi exstructo sibi et suis e liberalitate S. Adalberti, et Boleslai Ducis Bohemiae Coenobio Abbas praefuit. Paulo post, S. Adalberto Bohemiam iterum deserere coacto, per S. Stephanum ad Hungariam evocatus, teste Chartuitio, Monasterium ad radices montis Ferrei aedificavit; cui cum non longo tempore praefuisset, Episcopus Colocensis constitutus, et per S. Stephanum Romam Legatus missus est, ubi a Silvestro II. Summo Pontifice titulum Regis, Sacram Coronam, Crucem apostolicam, et Ecclesiae hungaricae coordinandae jus pro Stephano, tunc Duce anno 1000 consecutus est. Post paucos annos Sebastiano Archiepiscopo Strigoniensi, ex Asceterio S. Martini ad eam dignitatem assumto, oculis capto suffectus est; sed post triennium, recuperato a Sebastiano visu ad suam Sedem Colocensem rediit retento titulo et pallio archiepiscopali, sed ad successores minime propagato. In Synodo Francofordiensi, caeco adhuc Sebastiano, se Anastasium Archiepiscopum Ungrorum subscripsit; cum nullus alter, praeter Strigoniensem in Hungaria tunc Archiepiscopus exstiterit. Non Stephanum tantum, sed etiam Henricum Imperatorem consiliis ejus usum fuisse constat; inter quae illud potissimum celebratur, quod huic abdicare imperium, et monasticum institutum ingredi meditanti persvaserit; maneret, et in divinitus suscepto Imperio potius religiosum gereret animum, quam deposito imperio Rempublicam vulneraret.[1]) Memoriam Sancti hujus Acta Sanctorum Ordinis benedictini duce Mabillonio ad 12-am Novembris recolunt.

Alter hujus Monasterii Abbas erat S. Bonifacius Martyr, quem Astrico Abbati successisse, deinde a S. Stephano in partes Hungariae inferiores praedicandi Evangelii caussa missum, ibi gladio in

[1]) Inchoffer: Annales eccl. Hung. IV. ad annum 1019. —

vertice percussum, et licet supervixerit, martyrii corona frustratum non fuisse, narrat Chartuitius. Eundem Fesslerus, [1]) rerum hungaricarum scriptor celeber, ex Abbate Pécsváradiensi Episcopum Agriensem fuisse constitutum asserit. — Si uni e S. Gerardi Biographis, cuius fidem doctissimus Koller in Historia Mauri Episcopi Quinqueecclesiarum adversus Ignatium Battiani Episcopum Transsilvaniensem merito elevat, credere liceret; post Bonifacium Anastasius Abbas veniret memorandus, qui Mauro Episcopo, apud quem S. Gerardum hospitem praedicando in Hungaria Evangelio idoneum sibi visum reperit, auctor fuerit, ut eum ad S. Stephanum deducat: id, quod cum tempore aditi per Maurum aeque ac Gerardum episcopalis officii nulla ratione componi posse videtur.

Igitur Bonifacium longo tam temporum, quam meritorum intervallo sequitur Dethmarus ob spectatam virtutem a Carolo I. Rege in Capellanum regium cooptatus. [2]) De Ganfredo, Petro, Nicolao, et Emerico iam supra relatum est, qui postremi tres privilegia Monasterii per Reges Geysam II. et Carolum I. tum Bonifacium IX. Summum Pontificem confirmari procuraverunt. Horum postremus, Emericus Silvestri, per eundem Bonifacium IX. Papam e iure reservationis Abbas nominatus fuit, velut „Monachus eiusdem Monasterii, Ordinem ipsum expresse professus, et in Sacerdotio constitutus, cui de religionis zelo, literarum scientia, vitae munditia, honestate morum, spiritualium providentia, et temporalium circumspectione, digna testimonia perhiberentur."

Eugenius IV. Petrum Abbatem S. Aegidii de Simighio vacanti Monasterio Pécsváradiensi praefecit, Vesprimiensi, et Quinqueecclesiensi Episcopis praecipiens, ut nomine romanae Ecclesiae solitum debitae fidelitatis iuramentum ab eo excipiant, quale hodiedum praestant Abbates, qui auctoritate apostolica, non auctoritate Ordinarii benedicuntur. Evocatus eo fine Petrus Abbas Quinqueecclesias anno 1439 die 14to Aprilis in Capella S. Andreae ad latus cathedralis Ecclesiae constructa, flexis genibus Sacrosanctis Dei Evangeliis manu dextra tactis, velut filius obedientiae in hunc modum iuravit: „Ego Petrus Abbas Monasterii S. Benedicti Pécsváradiensis, Ordinis eiusdem Sancti, Quinqueecclesiensis Dioecesis ab hac hora, in antea, fidelis et obediens ero B. Petro, sanctaeque romanae Ecclesiae Domino meo Papae, suisque successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio, consensu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum; seu capiantur mala captione. Consilium vero, quod mihi credent, sive per se, sive per suos nuntios, aut per literas, ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum romanum et regalia S. Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendam, salvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo, et in suis necessitatibus adiuvabo . . . Possessiones vero ad Monasterium supradictum pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquomodo alienabo.. inconsulto romano Pontifice. Sic me Deus adiuvet, et haec Sancta Dei Evangelia"... Juramenti huius tantum fragmenta hic inserta sunt; integrum, cui lubet, in Pontificali romano reperiet, ad Benedictionem Abbatis auctoritate apostolica.

Petrum hunc inter primos fuisse, qui Abbatiam hanc a Sede apostolica reservationis iure obtinuerunt, inde patet, quod Franciscus, et Dominicus Cardinales et Camerarii, Henrico Episcopo Quinqueecclesiensi anno 1438 praeceperint, ut, „cum omnes Ecclesiarum Praelati per Sedem apostolicam promoti unum commune,

[1]) Geschichte der Ungarn. — [2]) Pray: Diss. de dextra S. Stephani. —

et quinque minuta servitia praestare debeant, neque tamen Pécsváradiensi Monasterio, cuius reditus in curia romana ignorantur, taxa imponi possit; in Monasterii eius reditus diligenter inquirat; ac inquisitionem in publicam formam redactam cum Procuratoribus Petri Abbatis ad apostolicam Sedem transmittat. Quae reipsa iussu eiusdem Henrici Episcopi per Gregorium de Egerszegh Archidiaconum Baranyiensem, et Casparum Calsroph Archidiaconum de Regey, Canonicos Ecclesiae Quinquecclesiensis acta, facta, examinata, calculata, et rationata sunt, 1439-mi anni die 11-mo Aprilis in Stuba*) maioris habitationis Domini Abbatis." [1])

Conventus Monasterii, dum viguit, publica fide dignitate gaudebat. Documentum huius rei praebet cetera inter Transsumtum Donationis terrae in Kaplan sitae in favorem Sororum Monasterii B. M. V. Budae in insula constructi, confectum, subscribentibus Elia Decano, Matthaeo Cantore, Bonifacio Custode et Adriano Cellerario exsistentibus anno 1274. Mos iste subscriptionis in aliis quoque omnibus Conventibus observabatur.— Desolato a clade Mohacsiana monasterio, Abbatia haec bene meritis viris ecclesiasticis ab Augustis Regibus conferri solebat. Saepe solus titulus, interdum etiam realitas cum possessione omnium Bonorum: donec tandem eam anno 1777 Augusta Regina M. Theresia Scientiarum Universitati, Tyrnavia Budam translatae solenni diplomate in perpetuum donavisset. Hodie titulum eius gerit Ill. ac Rssmus D. Josephus Viber Cons. Episcopus Halyensis et Electus Bosonensis, E. M. Strigon. Custos et Canonicus, Eminentissimi Cardinalis, Principis Primatis, et Archiepisc. Strig. Joannis Scitovszky de Nagy-Kér in Pontificalibus Suffraganeus, in Spiritualibus Vicarius Cathedralis et Causarum Auditor Generalis, AA. LL. et Philosophiae, item SS. Theologiae Doctor Collegiatus.

---

[1]) Koller: Hist. Ep. Quinqu. III. ad hunc annum. — *) In Monasteriis S t u b a hoc tempore id erat, quod hodie Capitulum dicimus; id est: amplius conclave, in quo Religiosi variis de caussis congregari solent. Alias apud Germanos iam balneum, iam tabernam vinariam indicabat.

VI.

Abbatia S. Adriani Mart. de Szala.

Patrem et conditorem itidem habuit Regni Hungariae Apostolum, et Regem, S. Stephanum. Nomen habet a vetere Castro nobis Szalavár dicto, a quo demum ad totam eiatem provinciam denominatio propagata est, quae ab eo dicitur Szala-Vármegye. Originem, et auctorem Castri discimus ex historia conversionis Carantanorum, quae ita: „Rex (Ludovicus Pius Galliae) Bribino Trayzmae baptisato, praestitit aliquam inferioris Pannoniae in beneficium partem, circa fluvium qui dicitur Sava.[1]) Tunc coepit ille ibi habitare, et munimentum aedificare in quodam nemore, et Palusellede fluminis", seu palude Selle: iuxta itinerarium Antonini, Salle, nostro tempore Szala. Munimentum illud eadem historia Salaburgin; monumenta seculi IX. et X. Mosburg, quod e germanico versum, Castrum palustre significat, Slavi denique Salapungin appellarunt. „Postquam (prosequitur eadem historia) praefatum munimen aedificavit, construxit primitus Ecclesiam, quam Luipramus Archiepiscopus, quum in illa regione ministerium Sacerdotale potestative exercuit, in illud veniens Castrum in honore S. Dei Genitricis Mariae consecravit." anno videlicet 850.... „in qua ecclesia Adrianus modo humatus pausat." anno 873.

Munimenti huius facile ea fuerint fata, quae proprietati Ezilonis filii Bribini, scilicet Castro Vesprimiensi acciderunt. Circa finem Seculi noni, aut initium decimi Castrum Besbrem iussu Arpadi ab Usubu, et Euset expugnatum in possessionem Hungarorum venit teste Anonymo Belae Regis Notario. Eo torrente ceteram Ezilonis ditionem cum munimento Mosburgensi occupatam fuisse is nescit, qui ignorat Arpado decretum fuisse omnem Attilae ditionem, tanquam suum heredium revindicare. Sed qualiscunque evaserit status eiatis munimenti, et in eo Ecclesiae Marianae; attamen S. Adriani, incliti Dei Martyris, memoria non intercidit; quin, adeo recens duravit: ut praeconceptum monasterium sub eius nomine fundaverit S. Stephanus, restaurato veteri aedificio, aut certe Castro in monasterium converso. Locus undequaque aptus fuit viris Religiosis, qui à consortio hominum natura sua sepositus, solitudinem, et ei amicam pietatem aluit. Circumcingitur fluvio Szala, qui ea in regione ad amplum spatium diffusus adeo tandem lentescit, ut fluere non advertas. In medio stagni assurgit altius quodpiam spatium, quod olim munimento, subinde monasterio serviebat. Aditus non tam difficilis, quam periculosus. Cum enim ob profundam uliginem pons solidior erigi non possit, e viminibus superstrato stramine via ad vetera rudera deducit; insvetis viatoribus ad singulos passus metuentibus, ne via in superficie aquae suspensa collotenus in coenum demergantur: uti id

[1]) Slavorum vulgus in enuntiando literam l cum litera v permutare notum est. Illi S a l a sonat S a v a.

quidam se prioris seculi fine fuisse expertum narrat.

S. Stephanus Ecclesiam monasterii de Szala per Modestum, et Bonipertum Episcopos curavit consecrandam, qua occasione etiam Literas fundationis edidit. Primus eas Franciscus Kollar e Sylloge veterum Diplomatum ab Adamo Rajcsányi Augustae M. Theresiae oblata, publici iuris fecit, ubi hoc diploma ex Autographo Literarum Sigismundi Regis exscriptum exhibetur. Edidit easdem et Bonaventura Pitter, Praepositus Rajhradensis in opere de Vita S. Guntheri anno 1762; quod exemplum, cum orthographiam veterum magis referat, Kollerus quoque in Hist. Episc. Quinqueeccl. I. pag. 81. sequi maluit, huius tenoris:

„In Nomine Domini Dei Summi. Stephanus superna providente clementia Hungarorum Rex. Credimus, et vere scimus, quod si locis divino cultui mancipatis possessiones atque honores adaugmentaverimus, id non solum laude humana praedicandum, verum divina mercede remunerandum. Quocirca omnium Sanctae Ecclesiae fidelium, nostrorumque praesentium, atque futurorum solers comperiat intentio, quod nos divino instinctu fundavimus monasterium in Insula Saladiensi Ordinis S. Benedicti, quod ab anno Incarnationis Domini Millesimo decimo nono per Dei subsidium, et animae nostrae remedium pro stabilitate regni nostri ad finem perduximus, in quo iussu nostro dedicata est Ecclesia Beati Adriani quae est in Szala, simul cum duabus Capellis, una, quae est in honorem S. Georgii; altera, quae est in honorem Sancti Laurentii a duobus Episcopis Modesto[1]) et Boniperto, ubi ordinavimus Abbatem latinum, nomine Petrum, conferendo eidem potestatem, ut in dioecesi Capellarum antedictarum processu temporis, quod necesse est fieri, plures Capellae possint aedificari, quae tamen ad iam nominatas Capellas tenebuntur habere respectum. Contulimus etiam eidem auctoritate apostolica nobis annuente, ut in praescriptis solennitatibus ornamentis Pontificalibus uteretur. Condonavimus etiam ut capellas Sacerdotibus possit investire, et dedimus S. Adriano ad serviendum praedia, decimas, et piscinas, quorum nomina haec sunt: Tisciam cum Ecclesia sancti Adriani, Rada, Sniger, Szalavár, Chaz, Borúl, Cendy, Nimygh, Bessynew, Fizek, cum duodecim aratris. Et etiam dedimus redditus Fori Chan, Csorgow, et redditus Coloniensis aquae, et pontis civitatis, et decimas equorum nostrorum in Insula, quae vocatur Chepel, in poledris,[2]) et ducentas ulnas de subtili panno pro indumentis Fratrum, de Camera nostra. Villae decimarum hae sunt: Probor, Kurkow, Szölös, Kustyan, Mand, Devecser, Egrugh, Patsch, Kesztel, Koruntal, Varvus, Hidvégh, Mayarad, Sklot, Kolon, Komár, Kolumbok, Schopy, Stolcz, Biqui, Wolupna, Reche, Merenye, Karus, Sobor, Zobor, Urustán, Urugh, Kerechen, Gelse, Rayk, Bigug, Patha, Igrucz, Raduk, Gestred, Slavonica Rakolyan, Hungarica Rakolyan, Lengyel, Gethye, Pisteka, Horvát Istebor, Kal, Poklonya, Aracha. Et ne Episcopus Parochianus iniurias, querimonias, in collatione decimationis praedictarum villarum pateretur, sibi alios terminos decimationis assignando contulimus. Quodsi ipse contra nostra statuta, quod absit, inique agere, vel quaerere voluerit, ante Deum iudicem vivorum et mortuorum in die iudicii se contendere nobiscum sciat. Sit id ipsum monasterium ab omni inquietudine semotum. Praecipimus etiam sub testificatione Domini nostri Jesu Christi, ut nullus Potentum,

---

[1]) Modestum hunc Kollerus Vesprimiensem, utpote, Loci Ordinarium credit, quem alii Jaurinensem Praesulem faciunt. Bonipertum Quinqueeclesiensibus praefuisse, nullus dubitat. — [2]) Hinnulis; seu recetius latine: pullis equinis. —

vel aliquis magnus sive parvus, de iam dicto monasterio aliquomodo se intromittere in mancipiis aut terris, vineis, decimationibus, piscationibus, ripis, placitis, sine consensu eiusdem Abbatis audeat, vel praesumat. Piscinae autem hae sunt: Alba piscina cum quinquaginta piscatoribus, in villà Podgrad; aliae minores piscinae Modacsa pro Uzonibus. Piscina Civitatis iuxta Dravam in Boka cum duodecim piscatoribus, et in Insula. Item in Drava duodecim libras cerae, et duodecim pelles vulpinas, et duodecim pelles spinolarum. Si quis autem potens voluerit auferre, aut abstulerit, vel destruere de hoc, quod nos Rex Stephanus dedimus Sancto Adriano, ira Dei et nostra sit contra illum, et componat quinquaginta libras auri optimi, medium Camerae nostrae, ac medium praefato Monasterio, suisque Rectoribus; maledictionisque perpetuo vinculo aeternaliter feriatur. Et ut verius credatur, hanc paginam sigillo nostro autentica corrigiae appensione iussimus sigillari."

Quinquennio post, quam Ecclesia fuerit dedicata, sanctus Rex prioribus nonnulla addidit, quorum donationem sequente diplomate firmavit: „In Nomine Domini Dei summi. Stephanus suprema providente clementia, Hungarorum Rex. Quia ex officio nobis incumbente tenemur invigilare, ne iura, libertates, et decimationes ecclesiarum et monasteriorum regni nostri, nobis a sancta Sede apostolica commissarum, et praecipuae ecclesiae B. Adriani Martyris pretiosi, de insula Salaiensi per nos ob specialem devotionem fundatae, per ministros earundem dispergantur, una cum praelatis et baronibus regni nostri ad petitionem Viri fratris Petri, primi Abbatis eiusdem Ecclesiae anno millesimo vigesimo quarto crastino festi assumtionis B. Virginis, quum essemus in Alba, inito consilio diligenti, cum matura deliberatione duximus decernendum, quod nullus Abbatum aut conventus dictae ecclesiae decimas, possessiones, aut conditiones manu mittere,.. absque regia licentia, et consensu speciali alienare, aut distrahere, habeat facultatem. Si quid vero contrarium factum fuerit, eorum facta, vel acta.. omni stabilitate caritura. Sacerdotes vero Capellarum D. Georgii, et S. Laurentii de Patha et Rakolyan cum ceteris Sacerdotibus ad ipsum monasterium spectantibus, congregationi ipsius Abbatis propter verbum Dei, et bonum obedientiae, ad praeceptum ipsius, quoties visum fuerit, teneantur interesse. Et quia idipsum monasterium amplectimur speciali dilectione, etiam... concessimus.. in secula statuendo, videlicet: ut nullus praeter personam regiam, vel eum quem elegerit Abbas, populos ipsius monasterii praesumat iudicare,... etiam a gravaminibus quae per collectores victualium, et denariorum.. fisco regali exigendorum.. penitus sint exemti... Insuper, ne ipsis fratribus vel ad eosdem pertinentibus.. remotius quaerendi, aut emendi incumbat necessitas, dedimus eisdem fora in die lunae in villa Barand, et die veneris in villa Szalavár, ad quae fora quilibet liberam veniendi et recedendi... et in omnibus possessionibus ipsius ecclesiae contra fures, et malefactores officiales eorundem singulis singulas poenas condignas iudicandi, exercendi, et infligendi.. habeant plenarie potestatem. Contulimus etiam praelato monasterio piscinas simul cum insulis aquae Balatini, una cum silvis adiacentibus ipsius Ecclesiae, Balavár, et Murul nuncupatis cum duodecim piscatoribus in portu eiusdem aquae commorantibus, pro mensa fratrum. Addidimus etiam piscinam Plyske cum villis et praediis, videlicet: Bornuk, magnum Bok, Sargan, Akarpataka, cum terris et silvis adiacentibus Kour, Velgh, Rokolyan, Odornuk, Boyuk, redditus fori Chan prope fluvium Szala, Kaina cum viginti quatuor conditionariis: Appathi penes Rednek, Budun, Bath, Zeöleös prope aquam Ba-

latini, Bulcsen cum piscinis suis in fluvio Drava, praedium Szent Adrián martyr vocatum, terram Tityam cum capturis piscium, ac utilitatibus universis et ex omnibus.. plenam decimam de praedictis possessionibus. Et sicut id ipsum monasterium devotionis affectu sequestratim propter religionis disciplinam devote servandam.. in insula ad hoc apta locavimus, et fundavimus: ita ab omnibus inquietudinibus ac molestiis volumus idipsum esse semotum, quietum et exemtum... Et ut verius credatur, hanc paginam... propriis manibus, ob reverentiam B. Adriani sigilli nostri authentici munimine corrigiae appensione roboravimus consignando." [1])

Successores Reges, S. Stephani pietatem aemulantes, etiamsi novas donationes non fecerint monasterio; illud tamen in suis iuribus, et libertatibus conservare nitebantur. Ita S. Ladislaus anno 1091 cum ad Szaladiense monasterium divertisset, exhibita sibi D. Regis Stephani privilegia novo diplomate roboravit, in quo... „cum, inquit, caussa devotionis ecclesiam B. Adriani pretiosi Martyris Christi in insula Szaladiensi visitare divertissemus, religiosus Vir, Abbas Stephanus et fratres eiusdem ecclesiae populos suos per diversos collectarum exactores miserabiliter fuisse aggravatos nobis conquerendo significare curaverunt, petentes... populis sic aggravatis... relevationis remedium... adhibere dignaremur, literas... Regis Stephani.. exhibendo. Quorum tenoribus perlectis comperimus.. Primo, quod idem sanctissimus Rex praedictam Ecclesiam sive Monasterium... copiose, et large.. dotavit. Secundo conspeximus, et comperimus.. ipsum Monasterium ab omni inquietudine debere esse remotum. Nos igitur eiusdem Sanctissimi Regis Stephani felicibus vestigiis inhaerentes, concessimus in secula statuendo, ut quemadmodum a iudicio... omnium Judicum... expediti sunt penitus, et exemti; ita et a vexationibus... quae per Collectores tam victualium, quam denariorum.. possent eis imponi, et mandari praedicti Abbas, et Conventus, eorundemque populus expediti habeantur penitus, et exemti; ne ipsum Monasterium per huiusmodi gravamina ad paupertatem et exinanitionem redactum, quod absit, in eo per subtractionem necessariorum aut alimentorum divinae laudis organa suspendantur.... praesentes ipsi Monasterio ac suis Rectoribus super hoc, ob reverentiam B. Adriani in privilegium firmitatis perpetuae concessimus literas, sigilli nostri munimine roborandas.[2]) Datum Simighii tredecimo Kal. Januarias. Anno Domini Millesimo nonagesimo primo." Omnia haec Privilegia Ludovicus I. Rex ad preces Nicolai Abbatis de Szala, Capellani sui, benigne confirmavit.

Veneranda haec a Regibus nostris Monasterio Szalaiensi indulta privilegia, et ab aliis confirmata anno 1256 Synodo nationali exhiberi oportuit. Rem Péterffyus in Concil. Eccl. I. p. 86. sic narrat: „Exarsit paucis ante nunc memoratum annis inter Zelandum Episcopum Vesprimiensem, et Blasium Abbatem de Zala Ord. S. Benedicti, alias S. Adriani Mart. controversia de limitibus Parochiarum: erant aliquae iuris dubii: ille Vesprimiensi Ecclesiae, iste monasterio assertas volebat. Res ad Synodum delata, productae utrinque literae, et Abbas quidem diploma fundationis a D. Stephano Rege anno 1019 signatum exhibuit: „ubi (quum) fines Abbatiae, et Parochiarum numerum eidem additarum Patres recognovissent, pro Blasio dixerunt. Recruduit rursum pugna eadem sub Thoma II. Archiepiscopo et Ladislao Abbate anno 1371. De-

[1]) Katona: Hist. crit. RR. H. I. 313. — [2]) Pitter: Thesaurus absconditus. p. 161. cum necessaria correctione anni dati diplomatis ex Katona: Hist. crit. ad hunc annum. —

mum tertio sub Joanne IV. Archiepiscopo, et Petro Abbate anno 1471; utrobique pro Monasterio triumphatum." Dicitur etiam exstare Decretum in Archivo archiepiscopali sub L Q 19, et F 231., quod Ecclesiarum Komár, Kalas, Kolon, Galambok, Kada (?), Rakolyán, Pacha, Igrojácz, Rajk dependentiam non ab Episcopo Vesprimiensi, sed ab Abbate S. Adriani de Szala doceat. Ceterum teste Fejér (Cod. dipl. Tom. IV. Vol. 2. pag. 155) inter MSS. Hevenesiana simile Decretum reperitur; quod, quum eius aevi mores non parum illustret, ex citato Codice dipl. maiore sui parte communicamus, ut sequitur.

„Nos Stephanus, Dei gratia, Archiepiscopus Strigoniensis et cet. Significamus omnibus per praesentes literas, quod in synodali nostra congregatione, in die festi S. Lucae Evangelistae, universis Abbatibus, Praepositis, et Clero nostrae Dioecesis solenniter celebrata, vir religiosus Frater Blasius, Abbas monasterii de Zala, de medio aliorum surgens querulosa et lamentabili voce... retulit in hunc modum: Quod venerabilis in Christo Pater, Dominus Zlandus Episcopus Vesprimiensis tam decimas frugum, quam vini singulis annis sibi, et ecclesiae suae provenire debentes, ex donatione sanctissimi Regis Stephani eis donatas... per exactiones (?) (fors exactores) decimarum suarum defalcaret, et pro se ipse occuparet, nec non quosdam sacerdotes et capellanos.. sub obedientia sua, in decimatione et obedientia sua contentos, scilicet plebanos, et ad ipsum pertinentes molestare, et aggravare indebite contra iuridicas statutiones non cessaret. Quibus sic auditis iam dictus Vener. Pater, Dominus Zlandus, Episc. Vespr... in eadem congregatione coram nobis adstans contra eundem Abbatem respondit eo modo: quod ipse decimas suas.. in nullo occupasset, nec occupare intenderet... sed idem Abbas memorata sua praesumtione quosdam Sacerdotes in Dioecesi sua exsistentes, sibi et ecclesiae suae applicasset, et attraxisset iniuste... Hoc percepto praedictus Abbas Zaladiensis quosdam suos Sacerdotes, Capellanos, et Plebanos... scilicet villarum Eulicz, Komar, Karos, Kolon, Galambok, Rodna, Zabar, Rokolyan, Pacha, Ygricz, et Rajk, ... in praesentiam nostri praesentavit, et statuit.. quos cum in praesentiam Abbatum et Clericorum ad conscientiam ipsorum Deo habitam, de eo, utrum sub obedientia praescripti D. Zlandi Ep. Vespr., aut ipsius Blasii Abbatis, sive aliorum Praedecessorum suorum exstiterint, et adhuc exsistant, requisitis (lege: requisivisse), huiusmodi praescripti Sacerdotes Ecclesiarum praedictarum, tam in suis, quam etiam universorum sociorum suorum sub obedientia praefati Domini Abbatis ubilibet exsistentium: sub obedientia et disciplina praenotati Abbatis Zaladiensis, et suae ecclesiae semper.. ex donatione.. sanctissimorum Regum, et nunquam Episcopi Vesprimiensis se mansisse ac stetisse affirmarunt. Ac ipse Abbas ipsius Ecclesiae Zaladiensis singulis annis in die sive termino ipsis deputato Capitulum sive Congregationem generalem ipsis celebrasset, nec non divini sermonis praedicatione ad Spiritualia informasset instituta... Unde nos praedictorum Sacerdotum responsis auditis.. cum etiam idem Abbas et Conventus in spiritualibus et temporalibus ad nos refugium habeat speciale, ac sub nostra exsistat legitima protectione, iustitiamque a nobis expeterent sibi administrari... perlectis literis privilegialibus SS. Regum Stephani, et Ladislai super donatione praescriptarum decimarum ecclesiae Zaladiensis, nec non obedientia praedictorum Sacerdotum confectis, volumus, et firmiter sub virtute s. obedientiae vobis Ecclesiarum Rectoribus de Villis Komár (etc. ut supra) et aliis universis sub decimatione praedictae ecclesiae Zaladiensis exsistentibus.. praecipimus per prae-

sentes, quatenus praedicto Abbati et aliis successoribus suis debitam . . obedientiam et reverentiam, tanquam personae nostrae, prout iusto Praelato Vestro, in singulis, quibus decet, sicut ad haec tempora fecistis, impendere studeatis; ac decimas suas . . . tam Nobiles, quam ignobiles, in parochiis vestris habitos,.. extradare facere plene et integre procuretis. Episcopus vero Vesprim. molestandi et aggravandi omnino nullam in vobis habeat, et super vos potestatem. Si vero secus facere intenderitis, .. per censuram ecclesiasticam, iuris tramite observato, contra vos, et quoslibet detentores decimarum praescriptarum procedemus. Haec vero praemissa ubilibet solenniter et pure in Ecclesiis vestris diebus Dominicis volumus per vos proclamari. Datum tertia die congregationis nostrae annotatae anno gratiae MCCLII."

Floruit Monasterium istud pietate, doctrina, et regulari observantia usque ad cladem Mohacsianam. Post hanc plurimae viris Religiosis erant exhauriendae calamitates a vicinis Canisensibus Turcis, qui igne, ferroque tamdiu saeviebant, donec plerique Religiosi fuissent iugulati, ceteri dispersi. Incolis postea vacuum monasterium adeo subsidit, ut cespes occupet locum Deo devotum, et nec offendas lapidem in tota Insula, e quo advertas ibi condam munimentum, aut monasterium stetisse. Desolato monasterio unus Abbatiae titulus superstes mansit, quem Reges Hungariae more aliarum Abbatiarum viris ecclesiasticis conferre solebant; donec anno 1715 Ordini Benedictino, et nominatim Conventui Gottwicensi eiusdem Ordinis in Austria sito incorporata, et Conventus isto in possessionem Bonorum legali modo fuisset introductus. Placuit huic, neglecto vetere insalubri loco, [1]) novam in ulteriore ripa Szalae fluminis, in sui iuris vico, Szala-Apáti dicto, habitationem defigere; et optimo id sane consilio, quod tamen ob desertum fundationis locum obtrectatoribus non caruit. Profecto, cum ad insulam aditus arundinetis et carectis undique occlusus esset, nonnisi gravissimis, et ultra vires exporrectis impendiis novis hospitibus nova domus strui debuisset; et cum vel maxime propter loci fidedignitatem, quae post restitutionem Abbatiae, anno 1751 pariter est restituta, promtior pro expeditione literarum sedes aptanda fuerit, eam in illa insula erigi ratio non svadebat.

Restituta Abbatia pluribus annis per Religiosos privatos, Administratores dictos procurabatur, quos Abbas Gottwicensis pro suo arbitrio delegit, et instituit. Facta deinde est conversio rerum, et iussu Augustae M. Theresiae Praelatus Gottwicensis Abbatem infulatum Szala-Apátio praeficere coactus est, quum antea Gottwicenses Abbates huius quoque Abbatiae titulum gessissent. Primus filialis Abbas ita constitutus erat Urbanus Schaukögl anno 1770, cui anno 1774 successit Dominicus Janske, in S. Martino per Comitem Franciscum Kornis de Göncz-Ruszka, consecratum Episcopum Juliopolitanum, Abbatem B. M. V. de Bihar, Praepositum S. Adalberti de Jaurino, Ven. Capituli Jaur. Canonicum et Episcopi Jaurinensis Francisci e Comit. Zichy in Pontificalibus Suffraganeum solenniter benedictus, qui postquam SS. Theologiam plurimis annis Clericis Religiosis tradidisset, hanc tulit Abbatiam pro proemio laborum. Is prae aliis squalorem pristinae residentiae, et veteris ecclesiae detersit; illam ad cultum et omnem pro se, et suis commoditatem, ecclesiam vero ad decorem, de novo educendo. Duravit ad annum 1802. Huic

---

[1]) In dirutis recenter penitus primitivi monasterii de Zala reliquiis, die 9-a Febr. anni 1855. numi bracteati, iisque similes sat magno numero reperti sunt; e quibus liberalitate Vener. Conventus de Zala Collectioni numismaticae Archicoenobii S. Martini CX, et in his LXX diversae species obtigerunt. —

succesit mox Wolfgangus Schlichtinger, duravitque ad annum 1831. Ab huius obitu Abbates Gottwicenses eam nec ipsi conferebant, nec titulum eius Abbatiae gerebant usque annum 1847, quo eam Engelbertus Abbas Gottwicensis, aut verius eius titulum obtinuit. Quod antequam factum fuisset, vacante Abbatia, in Comitiis Regni de tollenda eius ab Abbatia matre dependentia, et imponenda eidem adminus unius Gymnasii intra provinciam Szaladiensem erigendi provisione agitabatur. Hodie in Schematismo Imperii austriaci idem Reverendiss. D. Engelbertus Schwerdfeger, Gottwicensium Abbas, Caes. R. Consiliarius, simul axiomate Abbatis S. Adriani de Szala-Apáthi ornatur. *)

VII.

Abbatia S. Hypoliti de Zobor.

Zobor, mons est in Comitatu, et Dioecesi Nitriensi, arci eiusdem nominis, eleganti et celso positu ab ortu solis obiectus, atque per plures Comitatus e longinquo conspicuus. Nomen habet a Zoborio belliduce Zwendibaldi, qui contra Zuardum, Cadusam, et Hubam, Duces Arpadii Nitriam fortissime tuitus, in monte hoc generosam vitam suspendio finire debuit, montique huic nomen eius ad hoc usque aevum adhaesit. Montem hunc Zwendibaldus e regno depulsus, teste Cosma Pragensi, anno 893 petiit nemine conscio, vitamque ibi cum tribus eremitis austeram egit, nec nisi paulo prius, quam obiret, quis esset, aperuit. [1]) Praelusit Zwendibaldus (Swatoplugus) suo hoc pio recessu, viamque illustri exemplo commonstravit S. Stephano ad fundandum ibi monasterium; quod ab hoc S. Rege fundatum fuisse, quam certum, tam incertum est, quo anno surrexerit; cum diploma fundationis omnem antiquariorum operam hucusque eluserit, nullibi sane rationabilius quaerendum, quam in tabulario Episcopatus Nitriensis, ad quem seculi prioris fine bona huius Abbatiae amotis inde Camaldulensibus fuerunt applicita; tum in Archivo Camerae Regiae, postquam eius Bona nunc iam Fundo Religionis sunt attributa.

Zoboriensis Monasterii iura Rex Colomannus egregie vindicavit, multis proin ab eius Abbate Godofredo laudibus cumulatus. „Temporibus, inquit, gloriosissimi Colomanni Regis, quem Deus inaestimabili temporalis, et aeternae gloriae sanctitatis gratia perfuderat, et illustris viri Laurentii Strigoniensis Archiepiscopi, quum ego Godofredus Zuburiensis ecclesiae Abbas, omnia praedia, hominesque eius ecclesiae in pace possiderem;... seditione Ducis Atha Moraviensium sedata, ipsa praedia magno labore collegissem in unum, hominesque ecclesiae, qui praesumtuose se liberos esse asserebant, ipsi ecclesiae, dictante iustitia coram praefato Rege, atque praedicto Archiepiscopo, et

[1]) Apud Katona : Epit. chron. I. 18. — *) Hof- und Staats-Handbuch des Kais. Oester. 1856. II. 117.

aliis principibus suis reparassem; terminum etiam terminorum illorum, ut pestilentia totius erroris vitaretur, summa diligentia a senioribus hominibus perscrutabar. Quum igitur ego Godofredus prout potui, requisivissem Colomannum victoriosissimum Regem, et Laurentium Archiepiscopum, regnique principes, Cosmam videlicet, et Moysen, qui testimonium perhiberent veritati, humiliter adiens, censurae regalis praesentiae magnum fore errorem inter praedicta praedia manifestavi. Tunc vero Rex plenus gratia, testimonio praedictorum Comitum, venerabiles Viros in prestaldos mihi constituens videlicet Cepham, curialem Comitem Comitis Moysi, aliumque Bathona nomine terminos cunctorum praedictorum S. Ypoliti per ipsos signari praecepit... Facta autem est haec charta anno MCXIII. concurrente septima Epacta, XI. Indictione regnante Colomanno Rege piissimo Hungariae, praesidente Strigoniensi sedi Domino Laurentio Metropolita, confirmatum est hoc Privilegium S. Ypoliti, et sigillatum per manus domini Manassis, Episcopi Zagrabiensis iussu praedicti Regis." [1])

Primus Abbatis munere in Monasterio Zoboriensi functus est Philippus, sub cuius regimine illustrem reddiderunt montem eiatem Andreas Zoerardus, et Benedictus. Horum acta mirabilia Maurus Episcopus Quinqueecclesiensis, de quo supra, in eorum biographia refert. Placet huc aliqua exscribere, ut glorificetur Deus in Sanctis suis. „S. Spiritus, inquit Maurus, instinctu tactus, ex rusticitate, quasi rosa ex spinis ortus, nomine Zoerardus, hanc in patriam de terra Polonorum advenit, et a Philippo Abbate, cuius monasterium Zobor nominatum in Nitriensi territorio ad honorem S. Hypoliti M. situm erat, habitu accepto, et Andreas nominatus, eremiticam vitam agere statuit. Ibi vero quanta contritione cordis, et corporis maceratione seipsum afflixerit, ex relatione eius discipuli B. Benedicti cum ipso conversantis, quae audivi, paucis literis mandare decrevi. Ego quidem Maurus, nunc Deo miserante Episcopus, tunc autem puer scholasticus, virum bonum vidi, sed quae eius esset conversatio, non visu, sed auditu percepi. Ad nostrum ergo monasterium in honorem beati Pontificis Martini consecratum quum iam dictus Monachus Benedictus saepe venisset, mihi haec, quae sequuntur, de eius vita venerabili narravit." Hic pluribus vitam eius austeram adumbrat; quomodo videlicet studio vitae sanctioris in eremum (quae hodie Szkalka, prope Trencsénium) se receperit; quomodo quadraginta dierum ieiunium totidem nucibus contentus exegerit; quercinum truncum sepibus circumdederit, ac ex omni parte ligneos clavos, et acutas arundines infixerit; insuper ex ligno circulum, cui quatuor lapides alligaverat, circa caput suspenderit, ut si quam in partem corpus sopitum inclinaret illinc arundinis acumine, hinc lapidis ictu somnus excuteretur; denique ferrea catena latus cinxerit; quam exesa carne iam ad costas usque penetravisse, post mortem innotuerit „Cuius, inquit, catenae partem mediam a patre eodem impetravi, et nunc usque custoditam, petitioni Ducis chistianissimi Gejsae cum desiderio mihi pro ea instanti negare nequivi." Relatis ex Abbatis Philippi narratione duobus miraculis, vitam Andreae concludit.

Discipulum ac inusitatae austeritatis aemulum Zoerardus S. Benedictum habuit, cuius vitam eadem biographia compendio sic refert: „Haec, inquit, quae iam dicta sunt, discipulo eius Benedicto referente cognovi, qui et ipse, patre suo defuncto, locum eundem inhabitare decrevit. Cumque per tres annos exemplo Magistri districte vitam ageret, latrones

[1]) Katona: Hist. critica R. H. III 212. —

supervenientes, et multam apud ipsum pecuniam esse sperantes, ductum ad ripam fluminis Wág iugulaverunt, et in ipsam aquam demerserunt. Diu vero corpore eius quaesito, et non invento, per integrum annum visa est aquila in ripa fluminis Wág, quasi quaedam observatura, sedere : per quam de corpore certi effecti, quemdam in aquas immergi fecerunt; et sic integrum, quasi nuper obiisset, invenerunt."[1]) Simul Zoerardus, et Benedictus in Ecclesia S. Emmerammi Nitriae conditi. simul ab Ecclesia hungarica 17.° Julii coluntur. E reliquiis, praeter S. Zoerardi ossiculum ostensorio argenteo inclusum, nihil iam superest in cathedrali Ecclesia Nitriae : quo reliquum devenerit, ipse novit, qui custodit ossa sanctorum suorum. Pretioso vero sepulcro praedictos Sanctos, anathematis, et ornatu reliquo spoliavit Matthaeus Trencséniensis initio Seculi XIV.

Istud quoque Monasterium per S. Stephanum possessionibus, et praediis liberaliter dotatum fuisse, dubio vacat; sed quae illa fuerint, defectu documentorum definiri nequit. Post cladem Mohácsianam[2]) adplicata bona immobilia Episcopatui Nitriensi. quae fuerint, illis tantum notum esse potest, qui tabulario eius vicini sunt. Anno 1500, consentiente Alexandro Papa VI. Praepositura Dömösiensis in ius eiusdem Episcopatus venit; quo item anno Abbatia Zoboriensis eo fuerit devoluta, minus constat. Caruit certe sacris incolis usque Seculi XVII. exitum; quo tempore, agente Blasio Jaklin, Nitriensi Antistite, Camaldulensibus tradita, hisque Decreto Josephi II. Imperatoris Asceterio excedere jussis, primum Episcopatui Nitriensi, ut supra iam attigimus, postea Fundo Religionis addicta fuit, cuius Bonis hodiedum accensetur. Eius titulo hodie potitur Reverendissimus D. Joannes Krajcsik, Cath. Eccl. Nitriensis Canonicus, Juris universi Doctor Collegiatus.

---

[1]) Mabillon: Acta SS. Ord. S. Ben. Sec. VI. P. 1. p. 76. — [2]) Sunt, qui hoc iam Mathiae Corvini Regis aevo factum fuisse asserant. Vide: Religio és nevelés. 1841. II. pag. 252.—

VIII.

Abbatia SS. Petri, et Pauli de Tata.

Initia sua refert ad aetatem S. Stephani, cuius indultu speciali fundata est a Comite Deodato. Fuit autem Deodatus S. Stephani lustricus pater, de quo Thuroczius[1]) ita loquitur: „Intravit ergo primo Deodatus de Comitibus S. Severini de Apulia, qui fundator exstitit monasterii de Tata, et parator. Iste etiam cum S. Adalberto Pragensi Episcopo S. Regem Stephanum baptisavit. Cuius quidem monasterii nomen pro eo Tata appellatur, quia quum B. Rex Stephanus ipsius nomen ob reverentiam non exprimeret, sed eum Tata appellaret, abolitum est nomen Deodati, et Tata exstitit vocatus. Unde etiam ipsius monasterium taliter est vocatum.“ Dubium quidem est, an S. Stephanus ob reverentiam Deodatum Tatam appellaverit: certum tamen est ab eodem Deodato Tatam in Comaromiensi provincia loco amoeno sitam non tantum olim possessam, sed etiam Coenobio, cuius Thuroczius meminit, ornatam fuisse, in honorem SS. Apostolorum Petri et Pauli aedificato. Testatur id diploma Belae IV. per Ladislaum IV. transsumtum hoc modo:

„Ladislaus Dei Gratia Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramiae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, omnibus Christi fidelibus praesentes literas inspecturis Salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam... tenore praesentium volumus pervenire, quod Vir Religiosus Frater Leonardus, Abbas Monasterii Beatorum Petri et Pauli Apostolorum de Tata Jaurinensis Dioecesis, ad nostrae Serenitatis accedens praesentiam exhibuit nobis Privilegium D. Belae, Illustris Regis Hungariae Avi nostri praedilecti, felicissimae recordationis super facto possessionis eiusdem Monasterii, duplici sigillo suo confectum datum et concessum, postulans a nobis, piarum precum suffragiis suppliciter et devote, quod nos praedictum privilegium ratum et adprobatum habentes, nostro dignaremur privilegio sublimiter confirmare, cuius quidem privilegii tenor talis est:“

„In Nomine Sanctae Trinitatis, et individuae Unitatis. Bela Dei gratia Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramiae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex, omnibus Christi fidelibus praesens scriptum inspecturis Salutem in omnium Salvatore. Universorum notitiae volumus declarare, quod antecessores nostri piae memoriae Gejsa Dux, et S. Stephanus filius eius primus Rex Hungariae, plantatores et amatores primitivi, Gratia Spiritus Sancti, novellae fidei christianae per partes Hungariae, ob gratiam et merita Comitis Deodati, qui erat unus ex principalibus principibus tunc Regni Hungariae, qui quidem Comes adiutor convertendi gentes incredulas, et rebelles

[1]) Chronic. P. II. c. 10. —

fidei veritati, ac Legis divinae propugnator ac propagator una cum Duce Gejsa supradicto, et ceteris Nobilibus terrigenis et advenit, et Episcopis extitit gloriosus; qui etiam S. Regem Stephanum praenominatum cum S. Adalberto Episcopo de fonte baptismatis sublevavit; — magnam partem Regni Hungariae eidem Comiti Deodato hereditarie tradiderunt, et contulerunt, praecipue tamen villam, quae Tata nominatur,... perpetuo possidendam... Cum idem Comes Deodatus absque heredibus permaneret, et proles non haberet, cogitans apud se tanquam bonus et fidelis aemulator fidei christianae, habens spem retributionis divinae in futurum, et in animae suae remedium, de consensu... S. Regis Stephani praedictam villam Tata cum omnibus Juribus.... pro Testamento perpetuo Monasterio Beatorum Petri et Pauli Apostolorum de dicta Tata, quod ipse Comes fundaverat, et dotaverat, legavit, donavit, et in aevum concessit. Et in signum huius rei et facti praefatus Rex S. Stephanus dictam villam ob reverentiam, et memoriam dicti Comitis Deodati, et Testamenti facti per ipsum, Tata nominavit, quod Pater Spiritualis interpretatur vulgariter, volens per hoc intelligi imposterum, quod esset donatio et concessio spiritualis et non secularis, videlicet: Testamentum Ecclesiae et Monasterii Beatorum Petri et Pauli Apostolorum de Tata in aeternum duratura, et nullatenus in secularibus mancipanda. Praeterea, cum Regum sit Ecclesias Christi magis augere, quam bonis minuere; melius protegere, quam destruere, optimum vero plus Deum timere, quam terrena rapere, et possidere iniuste: ideo ne Dei Omnipotentis, et Sanctorum Apostolorum, et Beati Regis Stephani indignationem incurreremus, sicut nec acquirere, nec attrahere nobis debemus, neque volumus, omnia suprascripta firma et rata et in perpetuum duratura per omnia confirmamus, duplicis Sigilli nostri nihilominus munimine roborando. Datum per manus Venerabilis Patris Dei Gratia Philippi Archiepiscopi Strigoniensis, Aulae nostrae Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo Ducentesimo sexagesimo tertio, Regni autem nostri anno vigesimo octavo, Decimo quinto Kalendas Aprilis."[1])

Diplomati huic illud videtur occasionem praebuisse, quod quidam Nobilis Vir Stephanus, filius Matthaei, villam Tata circa anuum 1250 iniuste occupaverit, quam nec post sententiam iudicis, Ecclesiae Tatensi faventem, usque annum 1260. restituit. Docent hoc literae Alexandri IV. R. P. huius tenoris. „Alexander Episcopus Servus Servorum Dei charissimo in Christo filio Illustri Regi Hungariae salutem et apostolicam benedictionem.... Dilecti filii Abbas et Conventus monasterii de Tata, Ordinis Sancti Benedicti, transmissa nobis petitione monstrarunt, quod quum felicis recordationis Innocentius, Praedecessor noster, Venerabili Fratri nostro Episcopo Vesprimiensi dedisset sub certa forma per literas Apostolicas in mandatis, ut si eidem legitime constaret, villam de Tata ad dictum monasterium pertinere, illam amotis exinde quibuslibet illicitis detentoribus eidem monasterio restitueret; idem Episcopus, quia sibi de hoc legitime constitit, praedictam villam authoritate literarum ipsarum sententialiter restituit Monasterio memorato. Nosque, quod ab eodem Episcopo supra hoc provide factum exstitit, per nostras literas duximus confirmandum. Quia vero Nobili Viro Stephano Mathey, familiari suo, dictam villam detinente, contra Deum, et iustitiam occupatam idem Abbas et Conventus de restitutione habita sententia huiusmodi, nullum poterant consequi finem justitiae suae; cum propter factionem suam nullus de parti-

[1]) Caps. 8. J. —

bus illis castrensibus restitutionem memoratam velit executioni mandare, Serenitatem tuam attente requirendam duximus et rogandam, quatenus dictum Nobilem, quod villam ipsam eisdem Abbati et Conventui restituere non intermittat, eosque illam de cetero possidere pacifice permittat, regia potestate compellas.... Datum Anagniae. V. Kal. Maii. Pontificatus nostri anno VI." [1])

Prater villam Tata possessionum alia nomina, quas Deodatus monasterio suo contulisset, non noscuntur. Fuerint illa diplomate fundationis comprehensa, sed istud occasione irruptionis Tartarorum interiisse videtur; cum Bela IV. adversus suum et aliorum Regum Hungariae morem, nunc relato diplomate non fundationale diploma transsumat; sed narratione simplici praemissa, illius Monasterii ius in villam Tata, velut indubium confirmet. Ceterum poterat sola haec villa, cuius veteres terminos non novimus, iustum, et redditibus admensum frugalium Religiosorum numerum alere; qui reapse nunquam erat tantus, ut Monasterium hoc inter insigniora Regni Asceteria censeri meruisset.

Est Tata castrum vetus in Comitatu nunc Strigoniensi, cum subiecto Oppido duobus milliaribus Comaromio remotum, de quo ita Olahus in sua Hungaria seculo XVI. descripta: „Tata, arx regia inter Strigonium et Jaurinum ad latus meridionale occurrit, medio (verius uno) milliari a ripa Danubii distans, insignis Mathiae Regis aedificiis. Alluit huius muros orientales latissimum vivarium, piscibus multigenis memorabile in orientem ad unum milliare protensum. Imminet arci oppidum, situm in monte, qui marmor rubrum continet." Situm hic erat Monasterium ad occidentalem ab arce quondam regia partem, occupabatque spatium veterioris oppidi ab eadem arce ducentis circiter passibus semotum. Eius rudera solo aequata, et per mediam plateam currentia, praedicta arce aliquantum humiliore, campis vero Tatensibus altiore loco ducta, Seculi prioris fine adhuc bene conspicua fuisse dicuntur. Lacui aquae calidae, intra septa monasterii concluso nomen vulgo barát fördő (Balneum monachorum) et fonti vicino, papkut (puteus sacerdotis) adhaerens, memoriam loci religiosi inter incolas conservat, quorum plures domus ex diruti monasterii lapidibus dicuntur surrexisse. Hodie Tata Comites Eszterházios agnoscit dominos, estque Caput Dominii praecipuis Regni Dominiis merito accensendi. Titulum autem Abbatiae gerit Reverendissimus Dominus Ferdinandus Sterne, Cath. Eccl. Jaurinensis Canonicus, Insignis C. R. Ordinis Francisci Josephi Imperatoris Eques, et Scholarum elementarium per Alm. Dioecesim Jaurinensem Supremus Inspector.

[1]) Fejér: Cod. dipl. T. IV. Vol. 3. pag. 24. —

IX.

Abbatia S. Georgii Mart. de Csanád.

Fundata a Sancto Gerardo primo Csanadiensi Episcopo, vivente adhuc S. Stephano Rege sub annum circiter 1035 dicitur, quam tamen hoc sub titulo unquam Csanadini exstitisse, ostendi nequit. Unde error manaverit, patebit ex iis, quae mox ad Abbatiam B. M. V. de Csanád adferemus. Hic ea solum de caussa locum sortita est, quia eius titulus per Reges Apostolicos bene meritis Viris ecclesiasticis conferri solet, quo hodie Reverendissimus D. Stephanus Oltványi, Cath. Ecclesiae Csanád. Praepositus Maior Infulatus et Canonicus fruitur.

X.

Abbatia B. Mariae Virginis de Csanád.

Biographus S. Gerardi, unicus est, ut videtur, eorum fons, quae sive de hac Abbatia, sive de ea S. Georgii de Csanád putatitia hucusque innotuere. Hunc Ignatius Comes de Batthyán, Episcopus condam Transsilvaniensis, Vir magnae eruditionis in opere: S. Gerardi Episcopi Csanadiensis Scripta, et Acta hactenus inedita sub titulo Legendae maioris edidit, in quo duo monasteria occurrunt a S. Gerardo exstructa: quorum unum S. Georgii Martyris, alterum B. Mariae Virginis compellatur. De illo Anonymus iste Biographus apud Batthyanium pag. 331 haec habet: „Crescente.. numero fidelium et Clericorum, Vir Dei per Urbes singulas fabricabat ecclesias: principale quoque monasterium, quod in honore B. Georgii Martyris ad litus Morosii construxit, sedem Morisenam appellavit. Beatus autem Rex Stephanus ipsam nobiliter dotalibus muneribus exornavit, in quo monasterio aram ad honorem Dei genitricis erigens, et ante ipsam thuribulum argenteum fixit, duos provectae aetatis adhibens homines in ministerio ad vigilandum, quatenus ad nullius horae spatium ibi odor Thymiamatis deesset.“ Alibi vero (p. 328.) postquam de nobilium iuvenum sub Valtheri ma-

gisterio in literis profectu narravisset, „Isti sunt, inquit, primi Canonici in monasterio beati Georgii ordinati, quos Episcopus sub maxima diligentia nutriebat; eo quod non essent alienigenae, sed patriotae; quatenus per eos Ecclesia Dei posset magnificentius exaltari.“ Ex his clare patet Biographo nomine Monasterii S. Georgii Ecclesiam cathedralem cum adiuncta Canonicorum tunc adhuc cum Episcopo sub eodem tecto viventium habitatione venire, nomenclatione hac aevo illo plurimum usitata.

Monasterium B. Mariae Virginis Csanadini exstitisse, et ab eo S. Georgii, de quo nunc egimus distinctum fuisse, cetera inter ex eo biographiae loco evidens est, ubi (pag. 354) altercatio inter Canonicos Csanadienses, et Philippum Abbatem B. Mariae Virginis de loco Sepulturae S. Gerardi Pestino relati orta describitur. „Ibi ergo, inquit biographus, Philippus Abbas cum Canonicis, et Monachis induti ornamento sacerdotali cum magna processione sanctum corpus tollentes ad monasterium beatae Virginis, quod ipse vivens pro sepultura construxerat, iuxta Ecclesiam S. Joannis Baptistae deduxerunt; factaque est altercatio inter Philippum Abbatem et Canonicos. Dicebant enim Canonici, quod in Ecclesia Cathedrali deberet sepeliri ; e contra Philippus Abbas auctoritate apostolica, quam Vir vivens procuraverat pro sepultura sua, dicebat sepeliri in monasterio Beatae Virginis. Tandem (lege : tamen) primo Canonici sanctum corpus portantes ad Ecclesiam S. Georgii... nullatenus deponere potuerunt : nec se deponi permisit, nisi in loco memorato. ubi elegerat sepulturam. Unde hi, qui feretrum portabant, ibant cum miraculo, sequentes, quo ducebantur inviti. Cum autem ventum fuisset ad praedictum locum sepulturae, tanto pondere portantes sacrum corpus oppressi sunt, ut. ..si eis hoc gravamen in via accidisset, ipsum corpus reliquissent.“

Duo igitur distincta monasteria: unum Cathedrale, alterum stricte monasticum S. Gerardus exstruxit, et quidem sub titulo B. M. V. cui Abbas praeerat, priori vero Episcopus, in quo Canonici Ecclesiae S. Georgii degebant. Unde una tantum Csanadini Abbatia, ea nempe B. M. Virginis eruitur. In horum aedificatione S. Gerardus per S. Regem Stephanum, et (si Wionis textu contenti sumus) per Reginam sublevabatur. Ita enim biographus : „Monasterio autem beatae Virginis, ubi sibi locum sepulturae elegerat, illa vice (nempe apud Regem exsistens) quingentarum marcarum summam a Domino Rege obtinuit cum decem petiis purpurarum vel quinquaginta petiis pannorum : a Regina vero quatvor petias purpurae ac totidem sindones. Ad opus quoque Sancti Georgii martyris mille marcas promisit, quas in diebus suis integraliter iuxta promissum adimplevit.“ Postremum hoc M marcarum oblatum ut reginae clarius assereret Wion, post vocem Sindones posuit relativum: quae, quod in primitivo textu deest. Ceterum etiam sine hac interpolatione, contextus idem fere praestat, quod Wion obtinere studuit.

E singulari cultu, quo S. Gerardus (eodem biographo teste) Sanctam Dei Genitricem prosequebatur, in totam gentem hungaram illa prae aliis nationibus christianis Mariam colendi pietas videtur derivata; quam ut prisci Hungari testatam facerent: nunquam eam aliter, quam Hungariae Reginam et Magnam Dominam compellarunt, et nec compellaverunt unquam, nisi prius reverenter caput nudavissent. Quam reverenter hodie purissimae Virginis nomen ex ore hungaro prodeat, tristis experientia quotidie docet.

Nomen primi Abbatis huius monasterii pariter ex eodem biographo discimus, qui (pag. 352) sic habet : „Maurus Episcopus Csanadiensis, et Philippus Abbas monasterii beatae Virginis de Cha-

nadino, quem S. Gerardus adhuc vivens abbatem praefecerat in praedicto monasterio, abierunt ad Regem Endre (Andream) cum multitudine nobilium de episcopatu Chanadiensi, petentes, quatenus corpus beati Gerhardi Martyris, quod sepultum esset in Capella Beatae Virginis in Pest, permitteret libere ad Sedem Morisenam transferre." Perstitisse monasterium hoc in suo statu ad Ludovici I. Regis aetatem, et S. Gerardi corpus in ecclesia eiusdem monasterii eo regnante adhuc quievisse, testis est continuator biographiae supradictae, qui ad annum 1361 refert, quod Regina Elisabetha, Caroli Regis vidua, materque Ludovici Regis, „ex quo de quadam infirmitate sua per merita S. Gerardi convaluisset, ideo eadem Domina ex devotione, quam ad ipsum Sanctum Gerhardum habebat, monasterium ipsius Viri Dei in aedificiis extendit, et pluribus ornamentis pretiosis et calicibus decoravit; insuper sepulcrum de argento et auro mirifici operis Reliquiis eiusdem Sancti relevandis parari fecit." Mabillonius scribit, sancti Martyris corpus Venetias fuisse translatum circa annum MCCCC., illudque ibi in Ecclesia S. Donati servari, translationemque factam esse 23-a Februarii, qua Martyrologium benedictinum S. Gerardi meminit. Cum translatione corporis S. Gerardi etiam monasterium mox desiisse facile coniicias e circumstantiis temporum illorum. Nam, si quae alia regni Hungariae provincia, vel maxime Csanadiensis, tanquam imperio turcico vicinior, iam Seculo XV. furori barbarorum patuit. Monasterium Benedictinis vacuum Patribus Franciscanis restaurandum, incolendumque superiore Seculo traditum est. Abbatiae huius in Schematismo regni Hungariae, et eo Dioeceseos Csanadiensis nulla mentio.

XI.

Abbatia S. Gerardi, alias Bernardi de Csanád.

Monasterium S. Bernardi Ord. S. Benedicti memorat Alexander Papa VI. in bulla sua, qua Episcopatui Csanadiensi Bona huius monasterii omnia anno 1493 in perpetuum unit, Ordinem benedictinum in monasterio supprimit, et exstinguit, ipsum vero aedificium Fratribus Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum concedit.[1]) Ignatius Batthyáni supralaudatus Praesul, qui monasterii huius exsistentiam primus ex hac bulla eruit, existimat monasterium hoc idem esse cum eo B. M. Virginis, cuius Abbas pro S. Gerardi corpore olim decertabat; cumque S. Bernardi dicatur forte Cisterciense evasisse, cui praedicatum S. Benedicti aeque conveniat. Verum quidem hoc, si regulam utriusque S. Ordinis spectes: at fatendum est Romanae Curae stilum in re tam gravi praesertim, qualis est unio

[1]) Batthyáni: Series Episc. Csanad. p. 115. —

beneficiorum, cum exstinctione, et suppressione Ordinis coniuncta, solere accuratum esse; neque Benedictinos nigri Ordinis cum Cisterciensibus confundere. [1]) Ceterum cum praeter memoratam bullam nuspiam eius mentio, imo neque, uti Cisterciensis, in Annalibus Cisterciensibus reperiatur: difficilior quaestio moveri posset, unde ei titulus S. Gerardi accesserit; quam ego, una cum reliquis circa eam Abbatiam dubiis, aliis decidendam relinquo. Titulus eius hoc Seculo conferri coepit, quem ultimo tenuit Josephus Róka, Eccl. Cathedralis Csanadiensis Cantor et Canonicus. Eadem nuper admodum Reverendissimo D. Joanni Bapt. Limbeck, Albaregalensi Canonico, et Juris Canonici Doctori collata fuit.



XII.

Abbatia B. Mariae V. de Saár.

Etiam Saár-Monostor dicta, fundata ab Ovone, alias Samuele Aba, in quo idem, per Henricum Imperatorem praelio victus et caesus, sepultus dicitur.[2]) Qui Monasterium hoc per monachos Cassinenses susceptum fuisse tradunt, sic fabulam texunt. Sub extremos, inquiunt, dies S. Stephanum monachos Benedictinos e monasterio Cassinensi postulavisse, e Leone Cardinali Ostiensi certum habemus, qui in Chronico suo Cassinensi ita scribit: „Circa hoc tempus sanctae memoriae Stephanus Hungariae Rex, qui gente sua ad Christi fidem conversa multis virtutibus post mortem claruit, auream crucem valde pulcram S. Patri Benedicto direxit, multis Abbatem efflagitans precibus, ut de fratribus loci huius aliquot sibi ad monasterium in illis partibus ordinandum mittere non differret. Ad quem cum Abbas nequaquam negligens duos de prioribus huius monasterii fratribus transmisisset: iam eo defuncto Salamon,.. qui in Regno illi successerat, honorifice nimis eos recepit.“ Addit Gattula monachus aeque Cassinas ad eum Leonis locum: „cum tamen non deessent tunc temporis in Hungaria alii Ordinis nostri monachi, ut advertit Mabillonius.“ Et reipsa iam aderant septem monasteria partim a Stephano, partim ab aliis fundata; sed erant procul dubio in iis etiam necessarii monachi. Quos itaque S. Stephanus monachos e Cassinensi Coenobio ad ordinandum in his partibus monasterium poposcit, nullorsum constitui possunt, quam ad istud Saáriense, quod S. Stephanus pro coronide piarum suarum fundationum fuerit meditatus, quodque morte praeventus cum explere non potuisset, Aba Rex fundavit, monachosque, secundum tabularium Archicoenobii, Cassino evocatos a D. Stephano eidem illocavit. Ita illi.

Verum obest, quod idem Leo Car-

[1]) Huc accedit, quod, cum Cisterciensis Ordinis Abbatiae titulum B. M. V. quasi ex instituto gerant: non sit verosimile, eum S. Bernardi substituisse novos incolas adversus morem sui Ordinis. — [2]) Thurocz. Chronic. II. 37. —

dinalis ibidem narrat, illi autem studiose reticent, duos nempe illos Cassinates mox quinque pluvialibus optimis cum aliis non paucis donis per Regem, indubie Petrum donatos, et ad Abbatem suum remissos fuisse. Igitur per S. Stephanum regem Cassinates fuerunt quidem evocati; sed per Samuelem monasterio Saáriensi illocati non fuerunt. Nec obest Tabularium Archicoenobii, quod hanc in rem nihil praeter anonymam Seculi XVII. exeuntis scartetam continet, omni fide et auctoritate ob luculentos, quibus abundat, errores, merito destitutam.

Fuit Aba Samuel, sororius S. Stephani, fundator primum cognominis arcis Abaujvár dictae; deinde sacri domicilii Saáriensis. In Regem contra exauctoratum Petrum communi Hungarorum voto electus anno 1041, regium nomen, et sceptrum triennio tenuit; sed anno 1044 per Henricum III. Imperatorem, Petrum solio regni restituentem, devictus, „Tisciam (Tibiscum) versus fugit; et in villa quadam Scioba (Timon Csabam existimat) ab Hungaris, quibus nocuerat, crudeliter jugulatur. Cuius quidem corpus est sepultum in Ecclesia, quae fuerat prope ipsam villam. Post aliquot autem annos, cum esset effossum e sepulcro, sudarium, et ipsius vestimenta invenerunt incorrupta, et loca vulnerum resanata. Tandem sepelierunt corpus in proprio monasterio in Saár.“ Ita Thuroczii Chronicon II. cap. 37.

Abbatia haec sita erat in Comitatu Hevesiensi prope Gyöngyösinum, in Dioecesi Agriensi. In Regestro Decimarum Papalium de anno 1332 et sequentibus memoratur; desiisse videtur cum plurimis aliis post cladem Mohacsianam. Sigismundus Rex Jus patronatus in eam anno 1421 contulit Stephano Kompolt de Nána, quo tempore adhuc, imo et Seculo XVII. sub titulo B. M. V. conferebatur, cui caussa ignota ille S. Andreae successit, qui iam anno 1760 occurrit, et hodiedum viget. In monte, qui possessioni Saár incumbit, hodiedum collapsorum lapidum informis congeries monasterii locum monstrare dicitur. Defectu literarum fundationis dotatio eius ignota est. Si Bona eius aut vicino episcopatui Agriensi, aut eius nominis Capitulo, aut Cleri Seminario attributa sunt, optimo sunt loco. Plurima documenta hanc Abbatiam concernentia in Archivo Archiepiscopali Strigoniensi sub signo A. 3. Fasc. 396 latere dicuntur.[1]) Ultimus, qui eius titulum habebat, est Illustriss. ac Reverendissimus D. Augustinus Roskoványi de Eadem, Episcopus Vaciensis, AA. LL. Philosophiae, et SS. Theologiae Doctor. — Eum recens obtinuit Reverendiss. D. Franc. Xaverius Putz, Cath. Ecclesiae Jaurinensis Canonicus, Archidiaconus Mosoniensis, AA. LL. et Philosophiae Doctor. —

[1]) Si Bona huius Abbatiae Archiepiscopatus Agriensis tenet: etiam literalia instrumenta ibi deposita esse vix licet dubitare. —

XIII.

Abbatia S. Andreae de Vissegrád.

Deficiente fundationis instrumento de aevo Abbatiae Vissegradiensis fideiussor est biographus S. Gerardi, qui eam ab Andrea I. Rege fundatam memorat his verbis: „ipse etiam Rex, pietate valde Christianus, duo monasteria construxit: Tichonicum, et iuxta Visegrád.“ Verosimile est, utramque Abbatiam una inchoavisse Andream Regem. Postquam enim pro mercanda corona Hungariae Scythicos ritus resumere Hungaris admisisset, peccatum correcturus, et scandalum reparaturus, totum se pietatis operibus addixit. Bina proin haec sacra domicilia suae ad Deum conversionis, et seriae poenitudinis testimonia exerrantibus mortalibus reliquit.

Quae post fundationem fata monasterii fuerint prospera et adversa, omnia latent usque medium Seculum XIV. Anno 1342, si Schmitthio, Agrienses Episcopos illustranti credimus, auctore Chanadino de Thelegd Archiepiscopo Strigoniensi Ordo S. Benedicti in hoc Coenobio Capitulum provinciale celebravit. „Collectis Patribus praesedit Villhelmus Abbas S. Martini de S. M. Pannoniae, Vir prisci moris, et religiosae disciplinae perseverus exactor. Aderant, inquit, primi Ordinis Consultores: Sigefridus, tunc Abbas S. Benedicti de juxta Gron, serius S. Martini, Definitor Capituli; Thomas Abbas de monte Zobor, Definitor Capituli. Nicolaus Abbas de Pécsvárad, Definitor Capituli, Joannes Abbas de Kolos, Definitor Capituli; Benedictus Abbas de Sexárd: Ladislaus Abbas S. Mauritii de Beel; Henricus Abbas de Zebegény; Daniel*) Abbas S. Andreae de Vissegrád; Michaël Abbas de Almád, aliique pervigiles disciplinae regularis custodes.“

Anno 1348, cum Ludovicus Rex et Elisabetha Regina Scepusiensem Episcopatum erigi peterent a Clemente VI. Romano Pontifice, iste Nicolaum Quinque-ecclesiensem Episcopum, et duos Abbates: Siffridum de juxta Gron, et Danielem S. Andreae de Vissegrád arbitros constituit: qui negotii statu in facie loci, ut dici amat, examinato, opinionem suam ad Pontificem perferrent. [1]) — Carolus II. Rex Hungariae post sui coronationem die 39-a anno 1386 iussu, aut svasu Reginarum Elisabethae, et Mariae a Blasio Forgách concisus, in claustro, inquit Thuróczius, S. Andreae infra arcem Vissegradiensem constructo, non paucos per annos in tabidum cadaver redactus, intumulatus iacuit. Caussam addit, quod debitum Ecclesiae romanae homagium praestare noluerit, ac ideo ab Urbano VI. Rom. Pontifice excommunicatus fuerit.

Denique Abbatiae de Vissegrád 1372 Nicolaum Abbatem praefuisse, patet e syllabo pensionum papalium. Nam praedictus Abbas C. aureos dependebat. [2]) Istud argumento est, Andream regem Abbatiam homonymam aeque locupletem fundavisse, ac liberalis fuerat erga Tihaniensem. At quae bona eidem attribuerit, nec coniectura

---

[1]) Confer supra. pag. 89. — [2]) Topograph. magna. p. 232. — *) Huius Successor Otto, anno 1366 in Capitulo gener. ut 2-dus Praesidens occurrit. Caps. 23. A. —

assequi licet; ita tempus edax rerum omnia monumenta absumsit. „Hic pariter dicuntur habitasse Paulini ad eundem D. Apostolum; opinor, in locum priorum adductos," inquit Ladislaus Thuroczius. Ita est; sollicitavisse Paulinos Mathiam Corvinum, atque etiam postea Uladislaum II. Reges Hungariae pro hac Abbatia memoriae proditum est; sed eam illis traditam fuisse Annales S. Ordinis Paulinorum non docent. Nunc inter Bona S. Coronae censetur. Hodie titulo eius honoratur Illustriss. ac Reverendissimus D. Antonius Korizmics, Electus Episcopus Baciensis, Cath. Ecclesiae Vesprimiensis Canonicus.

XIV.

Abbatia S. Demetrii M.

Quam verum est: Regis ad exemplum totus componitur orbis! Andreae Regis exemplum Rado[1] Palatinus imitandum sibi sumpsit, qui non ignarus filios S. Benedicti plurimum in convertendis eo tempore Hungaris, ac in fide stabiliendis desudavisse, novum verae Religionis praesidium excitaturus in occupatis ad Savum fluvium plagis eidem S. familiae Coenobium cum Regis consensu constituit; ac ab eodem et Bela, quem Adalbertum hic vocat, confirmationem huius fundationis, aliarumque donationum suarum in publicis regni comitiis, Albae regiae celebratis petiit, et obtinuit. Fundationem sui monasterii literis donationalibus inseruit, quibus beneficia ecclesiae episcopali Quinqueecclesiensi collata munivit, tum: „rogavi, inquit, etiam gratiam Dominorum gloriosissimi Andreae Regis, et optimi Ducis Adalberti, ego Rado Palatinus, ut monasterium meum S. Demetrii supra Zavam fluvium, quod multis bellicis laboribus cum tota provincia illa sanctae coronae rectificavi, et iterum acquisivi, quia illud monasterium est in parochia S. Petri Quinqueecclesiensis, sicut in spiritualibus, ita etiam temporale dominium, quod ego Rado in illo habeo, quod patronatum vocant, dedi etiam S. Petro Quinqueecclesiensi et Patri nostro Episcopo Mauro, ubi etiam sepulturam volo; et commisi animae suae, quod semper ibi post meam mortem memoria animae meae et uxoris meae Luciae fiat; et volui, quod curam ipsius monasterii semper ipse Episcopus, vel post eum qui fuerit habeat; et curam omnium ecclesiae possessionum, seu monasterii ipsius, quidquid ubique per regnum Gloriosissimorum Dominorum meorum ipsum monasterium possidet, Episcopus Quinqueecclesiensis teneat. Ego autem Andreas Rex, et frater meus Dux Adalbertus dilectus, quia audivimus et scimus, quod ad animae nostrae salutem est, si nos nostris fidelibus

[1]) Huic Palatino chartae coaevae nomen Radovan tribuunt, quod slavae originis vocabulum Gaudentium, aut Hilarium exprimit. —

Baronibus pro anima sua ordinantibus consentiamus, ideo Rado Palatino a nobis cum sua uxore petentibus praedictas ordinationes omnes suscepimus, et fieri permisimus, sicut ipse Palatinus ordinavit, et sigillo regali sigillavimus; quicunque autem contrarium facere voluerit, seu attemptaverit, primo Deo coeli, et Gloriosissimae suae Genitrici, beatissimae Virgini Mariae, et Beatissimo Petro Apostolorum Principi, et beato Demetrio Martyri obnoxius fiat, insuper poenae C librarum auri subjaceat; huius poenae medietas regio fisco inferatur, ac alia pars dimidia ecclesiae beati Petri sine aliqua misericordia et remissione persolvatur, maledictionem omnipotentis Dei, et gloriosissimae Virginis Mariae, Genitricis eius, ac beati Petri Apostolorum Principis et beati Demetrii Martyris incurrant omnes nostri successores regiae posteritatis, omnes etiam Barones, qui in suo tempore Regis iustitiam iudicaverint, si ipsi non servaverint omnia, quae hic conscripta sunt, et etiam si per alios homines non fecerint servare. Amen. Datum secundo nonas Junii, indictione decima, anno incarnationis Domini millesimo quinquagesimo septimo, regni nostri anno duodecimo, actum in Alba regia in congregatione regni." [1])

Ubi monasterium S. Demetrii situm fuerit, variant auctores. Cardinalis Pazmanus illud in Sirmio fundatum asserit, cuius sententiam sequutus Katona opinatur monasterium S. Demetrii loco Dimitrovicz, vel Mitrovicz nomen suum indidisse. At contra utrumque docte observat Koller, id in Sirmio esse non potuisse. Nam, praeterquam quod Sirmium dominationis graecae tunc fuerit, etiam certum est, limites Episcopatus Quinqueecclesiensis in Sirmium protensos nunquam fuisse.[2]) Quare cis Savum quaerendum est monasterium S. Demetrii, quo et S. Ladislaus in designatione limitum Dioecesseos Quinqueecclesiensis deducit, inquiens: quidquid autem Savae concludit fluvius ad ius dioecesanum, et iustam decimationem Quinqueecclesiensis Ecclesiae commetatur. Quemadmodum ergo provincia, quam Rado Palatinus sanctae coronae rectificavit, in Sirmio figi non potest: ita suapte consequitur e diplomatis sensu in Cis-Savano tractu statuendam. Citra dubium etiam est, plurimos ex Hungaris scythicas superstitiones suas, quas sub initium sui regiminis Andreas rex concesserat, etiam post resipiscentiam regis continuare voluisse. Hi cum provincia, non Sirmiensi, quae tunc Hungaris non paruit, sed Cis-Savana sanctae coronae rectificati sunt, et rebelles ad obedientiam compulsi.

Kercselichius[3]) monasterium isthoc infra Jeszenovecz exstitisse adfirmat, ubi reipsa ad Savum fluvium in mappa a Lazio ponitur locus: Szent Dömötör. Sed nominis similitudo certitudinem non evincit. Verum ubi ubi situm fuerit, illud certum, opulentam fuisse eius fundationem. E decursu diplomatis patet, plures per regnum possessiones ei fuisse attributas: at quae illae fuerint, nullo earum syllabo superstite, definiri non potest. Forte ariolari licet, eas aut inter Episcopi aut inter Capituli, ac Ecclesiae cathedralis possessiones censeri; et ita opinari fide fundationalium literarum licet, quarum auctoritate omnium Ecclesiae S. Demetrii possessionum, et ipsius monasterii cura eiatibus Episcopis concreditur. Desiisse monasterium iam ante annum 1332 ex eo coniicitur, quod in censu Ecclesiarum Quinqueecclesiensium ne memoria quidem eius occurrat. Rationes, et tempus eius interitus inter tot, et tantas regni huius vicissitudines nec divinando assequi licet.

---

[1]) Koller: Hist. Ep. Quinqu. I. pag. 152. — [2]) Hist. Ep. Quinqu. I. 152. — [3]) Notit. praelimin. pag. 104.—

Rado, fundator Abbatiae S. Demetrii, Vecellini de Vazurburc, ob interfectum Cupan Ducem Simighiensem S. Stephano rebellem celeberrimi filius fuisse videtur; teste enim Thuroczii Chron. Vecellinus genuit Radi. Radum autem non alium a Rado Palatino esse inde probari potest, quod, cum Vecellini posteri opibus, ac dignitate in Ungaria floruerint, in Radonem autem nostrum praeter nomen, claritas famae, ac praecipuae in Regno dignitatis splendor conveniat, nemini melius ea, quae habet Thuroczius. convenire possunt. Rado iste Andrea regnante Palatini officium gessit, ut e praecedente diplomate patet, quo et res ab eo gestae continentur. Filium genuit Miscam, hic Cupan, et Martinum, iste vero genuit Opus praeclarum et multis tempore Salomonis regis editis facinoribus insignem. Illud praeterea ad Rado Palatini gloriam pertinet, quod nobilissimae in Hungaria Familiae Jákó progenitor fuerit. Auctor eius est Keza, qui in appendice sui Chronici haec habet; „postmodum intrat de Vazarburg Comes Vezelinus.. istius generatio de Jáki dicti sunt.“ È vetustissima, et illustri de Jákó Familia ii, qui hodie in Ungaria cogniti sunt, Comites Sztáray de Nagy Mihály originem trahunt; quemadmodum ex autographis Regum diplomatibus, quae in stirpis cimelio asservantur, plane constat. Ad haec accedit, quod Familia in Bavaria, quae ad eundem Vezelinum sese refert, simillima illis, quibus Sztáraiani utuntur, signa gentilitia circumferat.[1])

Abbatia haec S. Demetrii unita est Episcopatui Quinqueecclesiensi mediante nova Donatione Leopoldina anni 1703. 19-nae Aprilis, vi cuius Franc. Vilhelmus e Comitibus Nesselrode per Capitulum Strigoniense in omnia huius Episcopatus postliminio restituti Bona introductus fuit. Eadem in Schematismo regni Hungariae constanter Abbatia S. Demetrii de Sirmio nuncupatur, et a multis annis nemini collata fuit. Anno 1826 eius titulum habuit Franc. Kolungjich, SS. Theologiae Doctor; hodie eum tenet Reverendiss. D. Casparus Radics, Parochus Vinkovciensis.

---

[1]) Koller : Hist. Episc. Quinq. I. p. 148. —

XV.

Abbatia B. Mariae V. de Kolosmonostor.

Kolosmonostoriensem Abbatiam in Transsilvania sitam nemo nescit. Verum cum Bela IV. eam inter monasteria Regni Hungariae referat, propter fundatorem, et fundationis aevum huc reponere placuit. Fundata est Abbatia sub venerando nomine B. Virginis Mariae a Bela I. Ducene Transsilvaniae, et Transtibiscanarum partium adhuc, an iam Rege Hungariae non habeo unde asseram. Primaevum fundationis diploma occasione irruptionis Tartarorum concrematum esse, diploma Belae IV. docet, qui eodem originem Abbatiae, bona, privilegia, et adversa ad suam usque aetatem fata recitat. Quod tale est:

„Nos Bela Dei gratia Rex Hungariae . . memoriae commendamus tenore praesentium significantes . . . quod Sancta Mater Kolosmonostura in honorem B. Mariae Virginis dedicata, cuius fundator, et dotator Rex Hungariae proavus noster felicis recordationis miro modo fuit, tandem per beatissimum Regem Ladislaum foecundioribus redditibus, et possessionibus lautioribus eadem ecclesia exstitit ampliata, sic et per Successores Reges Hungariae, nostros progenitores, diversis possessionibus, ac multimodis libertatibus decorata, super alias ecclesias Abbatiales regni Hungariae, per tot donationes, et libertates per Sanctos Reges eidem concessas fulgebat, et residebat pacifice, et quiete. Sed, proh dolor! nostris in temporibus praedicta ecclesia Monostura funditus, et in toto destructa exstitit et combusta, bonis omnibus ipsius ecclesiae et privilegiis Sanctorum Regum super possessionibus et libertatibus, ac tributis, emanatis, ablatis penitus, ac combustis, monachisque suis plurimis interemptis. Volentes nos igitur vera Jesu Christi vestigia imitari, ecclesiam Kolosmonosturam ipsius sangvine dedicatam, de perditis restaurare, suis possessionibus, libertatibus, ac tributis emanatis . . . pristinis controversiis sub munimine sigilli nostri authentici, quas possessiones Abbatiales, et libertates possessionum abbatialium, nec non tributorum, villarum, et oppidorum in praesentem chartam nostram, ex certa nostra scientia inseri faciendo communiri; ne de memoria hominum elabatur, et ipsa ecclesia Kolosmonostura iure suo defraudetur, et tantae libertatis venustas per sanctos Reges concessa, per perfidos in iudicio aliquando successivis temporibus deformetur. Volumus etiam, ut nomina possessionum abbatialium conscribantur, et demum libertates inserantur, ut processu temporis in suis tenutis ab impugnationibus, et inquietantibus salva consistat libertate. Nomina autem ipsarum possessionum abbatialium haec sunt: prima videlicet villa sub ipso monasterio Beatae Virginis situata, deinde.... in partibus transsilvanicis sub metis antiquis, et terminis signorum et limitum existentes. Libertates autem praedictae ecclesiae per sanctos Reges condonatae hae sunt: Praenominatus Bela Rex, proavus noster, et beatissimus Rex Ladislaus, et alii nostri progenitores decimas omnium praedictarum possessionum, oppidorum, universaliter iam prae-

dictae ecclesiae applicarunt, et condonarunt; demum et nos applicamus, et condonamus perpetue exigendas. Et quia quod semel Deo dedicatum est, amplius ad profanos usus non debet revocari, volumus, et perpetua sanctione stabilimus, quod praedictae libertates in omnibus possessionibus praedictis, cum omnibus utilitatibus, et possessionariis iuribus ac tributis in dictis villis... more solito, sicut exigi consveverunt: Abbas eiusdem monasterii nunc constitutus, et in futurum constituendus pro dicto monasterio liberam exigendi habeat potestatem, regni nostri lege, et consvetudine requirente, in toto, et integre et in qualibet sua parte, ad modum, quem sancti Reges ob Dei reverentiam, ac mercedem sempiternam ordinaverunt..... Datum Budae, feria secunda proxima post dominicam: Invocavit anno Domini MCCLXIII." [1])

Ea, quae hoc diplomate de privilegiorum sanctorum Regum super possessionibus, et libertatibus monasterii huius emanatorum combustione memorantur, egregie illustrant literae Honorii III. Papae, anno 1222 ad Episcopum Vaciensem, Abbatem Egriensem, et Praepositum Vaciensem datae hoc tenore: „Honorius... Gravem dilectorum filiorum — Abbatis et conventus Monasterii B. Mariae de Clus recepimus questionem, quod cum Monasterium ipsum, quod ad nos nullo medio pertinet, non solum Apostolicae Sedis, sed etiam regalibus fuisset privilegiis communitum; bonae memoriae W. Episcopus Albensis, sequens tyrannidem A. praedecessoris sui, qui olim destructo eodem monasterio L. antecessorem ipsius Abbatis crudeliter captivarat, eundem Abbatem et duos ex fratribus suis, una cum R. I. A. et B. Canonicis Albensibus.. Dei timore postposito, cepit immaniter, et eis traditis custodiae carcerali, supradictum monasterium violenter aggrediens, privilegium ipsi ab Apostolica Sede indultum igne combussit, et eius regale privilegium aqua delevit. Unde, cum Abbas et conventus praefati amissis privilegiis ab iniuriatorum suorum calumniis nequiverunt se postmodum tueri, monasterium ipsum, quod bonorum temporalium ubertate floruerat, ad tantam inopiam est deductum, quod fratres ibi Domino servientes sufficientiam panis habere non poterant, unde suo satisfacerent exactori; et ne possent ab imminentibus oppressionibus respirare, famuli Episcopi memorati, et Canonicorum Albensium suae paupertatis residuum in superfluis commessationibus consumserunt. Unde nobis humiliter supplicarunt, ut ne, quod absit, per amissionem privilegiorum suorum monasterium ipsum penitus destruatur, paterna sibi dignaremur sollicitudine providere: facientes eis suae libertatis privilegium renovari, et de praedictis iniuriis iustitiam exhiberi. Quocirca discretioni Vestrae.... praecipiendo mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, et inquisita super praemissis omnibus plenius veritate, quae inveneritis, intra quatvor menses post susceptionem praesentium vestris nobis literis fideliter intimetis, praefigentes partibus terminum competentem, quo nostro conspectui per se, vel procuratores idoneos repraesentent, quod super his statuerimus recepturi .... Datum Laterani XI. Kal. Julii. Pontificatus nostri anno sexto."

Bela III. Abbatiae Kolosmonostoriensi opera Saxonum in ripa Samusii anno 1192 velut in defensionem, et securitatem servorum Dei adiecit castrum Clus, aut Colus, dein Kolosvár, hodie pasim Örvár dictum, e veteribus sextae Trajani coloniae ruderibus. Hodiedum in monasterio Patrum Franciscanorum, et porta Samusiana duae lapidum inscriptiones loquuntur restauratum, quod subinde a Sigismundo Rege privilegio regiae urbis ex-

[1]) Fejér: Cod diplom. Tom. IV. Vol. 3. pag. 106. —

cultum, Kolosvaria, seu hodierna Claudiopolis est. Castrum, et urbem Claudiopolitanam dicto monasterio recentiora esse, manifesto indicio est, quod nec in donationalibus, nec in Statutoriis, in quibus vicini, et commetanei convocati nominari solent, bonorum huius monasterii ulla dicti castri, aut civitatis mentio fiat.[1])

Monasterium adhuc anno 1366 floruisse, cuius Abbas Otto Capitulo generali sub praesidio Ladislai II. Abbatis S. Martini celebrato interfuit, ex Archivo S. Martini constat.[2]) Anno 1515 Capitulum generale Martinum Abbatem de Tata, olim S. Martini monachum, Abbatem Kolosvariensem nominavit, et Episcopo Albensi[3]) confirmandum praesentavit. Mox a clade Mohacsiana fuisse desolatam, Transsilvaniae temporis eius adiuncta svadent. Sed non prima haec eius clades fuit; nam per Tartaros anno 1241 eversam Thomas Archidiaconus narrat, quam deinde Bela IV. Rex restituit, et combusta eius privilegia, dato, ut vidimus, novo diplomate instauravit. Anno 1285 per Tartaros instinctu Cumanorum reversos penitus devastata est, mox Bonis eius ad Laicos devolutis; sed per Andream III Regem agente Henrico Abbate Loci, iterum resurrexit. — Post Cladem Mohacsianam anno 1556 Bona eius Fisco addicta leguntur. Anno 1581 per Stephanum Báthory de Somljó Poloniae Regem, ac Transsilvaniae Principem proprio aere redemta, et Societati Jesu in sortem fundationis Collegii et Academiae Claudiopolitanae collata fuit, unde tamen his iterato migrandum fuit. Anno 1693 Leopoldus Imperator Bona Societati Jesu restituit, qua per Clementem XIV. suppressa anno 1773 eadem Fundo Studiorum cesserunt, titulo Abbatiae in Joannem Delpini Orphanotrophii Theresiani Cibiniensis Directorem translato, quo nunc Ill. ac Rssimus D. Antonius L. B. Geramb, Coll. Eccl. Posoniensis Canonicus fruitur.

Exstat hodiedum vetus abbatialis ecclesia e sectis lapidibus structa, et pro firmitate solidis fulcris munita. Quotannis solennis eo Claudiopolitanorum processio locum habere, et sincera ad Dei matrem devotio porro quoque a Christi fidelibus continuari dicitur. Rudera pone Ecclesiam supra fluvium Samos extra pomoeria urbis per amplum spatium porrecta etiamnum ostendunt amplitudinem Monasterii, quod adhucdum primaevo nomine Monostor dicunt Hungari. Asservabatur ibi tabularium provinciae, seu Archivum nomine B. M. V. de Kolosmonostra notum; id postea maioris commoditatis et securitatis gratia ad principem urbis Claudiopolitanae ecclesiam translatum est, cuius singulari custodiae unus de gremio Ven. Capituli assignatur, qui Archivi Conventus B. M. V. de Kolosmonostra Conservator Capitularis audit. Nunc ista cura Rndssimo D. Stephano Kedves de Csik Szent Domokos, Abbati B. M. V. de Salomon, Cath. Ecclesiae Albae Transsilvaniae Canonico, I. Ord. Caes. Austr. Franc. Jos. Equiti, incumbit. — Habuit teste Pázmáno Abbatia Kolosmonostoriensis Abbatiam filialem de Egeres, de qua nostri Archivi documenta silent. Sola, puto, Pázmánii auctoritate titulus eius conferri solet, quo postremum Reverendiss. D. Ignatius Schlauf, Decanus ac Parochus Cibiniensis, Ins. Ordinis Caesareo-austriaci Francisco Josephini Eques fruebatur.

---

[1]) Kaprin. Hist. dipl. I. 21. — [2]) Caps. 23. A. — [3]) Cave, putes hic Albensem Hungariae, seu Albaregalensem intelligi; qualis usque annum 1777 nullus erat. —

XVI.

Abbatia SS. Salvatoris de Sexard.

Fundatorem, et Patronum venerátur Belam I. Regem Hungariae, qui, ut Thuroczius[1]) perhibet, monasterium construxit S. Salvatoris in loco, qui dicitur Zewkzárd. „Hic enim Bela, inquit, erat calvus, et in colore brunus, propterea suum monasterium ad suam dispositionem Zewkzard appellavit.“ Unde patet compositae vocis una parte brunum, altera parte calvum significari. Ladislaus Thuróczi e S. Jesu meminit fragmenti fundationis Abbatiae huius, quae facta sit anno 1061, Regni Belae I. primo. Queritur Katona, se nullis precibus integrum diploma obtinere potuisse. Nos, an exsistat, quaerimus.

Delegit Rex Bela pro monasterio locum in provincia Tolnensi positu amoenissimum, nec profunde depressum, neque nimis elevatum, sed molliter assurgentem. Explicatur in eo planities, monasterii et oppidi capax, cui ad meridiem et occidentem montes sat alti eriguntur, non steriles, sed optimi vini feraces. Ad orientem, et septemtrionem aliquot milliaribus extensam planitiem despicit, qua parte protenso gaudet prospectu. Nobilissimum monasterium clades Mohacsiana incineravit, cuius lapides dispersos seculo XVIII. Comes Joannes Trauthson, Canonicus Salisburgensis, et Abbas Sexardiensis colligi, et in amplum, splendidumque palatium componi fecit. Residentiam hanc, aere numerato suam fecit Comitatus Tolnensis, in qua suae regionis negotia usque annum 1830. tractabat, quo novum et amplius Praetorium adquisivit.

Abbatiam suam Bela Rex amplis redditibus et iuribus dotavit, unde ea semper inter magis insignes censebatur. Habuit Abbas suos libertinos, seu nobiles praediales, quorum munus erat militare, praecipue in defensionem Abbatiae, adversus iniquos eiusdem invasores. Degebant hi in districtu Sárköz dicto, quem Danubius et Sárviz brachiis suis in insulam triangularem eo loci, ubi Sárviz Danubio mergitur, coarctant. In horum censu erant Faiszenses in Comitatu Solthiensi, qui soli retinuerunt vetera privilegia, ceteris ad subditorum sortem redactis. Modernum Dominium de Sexard, his fere possessionibus continetur: Sexard, Grabócz, Möss, Faisz, Agárd, Eőcsény, et diverticulo Nyamád, ac praedio Nyánya. Sed decima vini Sexardiensis talis, tantaque erat, ut sola fere dominio mediocri aequivaleret. Anno 1351 praeter praedia, seu, uti in documento, in Capituli Quinqueecclesiensis Archivo conspicuo, appellantur, Deserta, 28 possessiones ad Abbatiam pertinebant, quo tempore 100 equites ad exercitum Regis mittere obligabatur.[2])

Erat huic monasterio anno 1074 Abbas Vellerinus nomine, alias Willer-

[1]) Thurócz: Chron. II. c. 46. — [2]) Danielik: Emlékkönyv. II. p. 371. —

mus, qui comperto Vidum Salomoni Regi in monasterio Sexardiensi tunc moranti persvasisse, ut Gejsam Ducem in vicina regione venationi vacantem capiat, et capti oculos eruat, hunc misso cum literis celere nuntio tempestive, ut sibi caveret, admonuit. Quem cum consiliis suorum, occulte Vido faventium, irretitum de sua salute nihil metuere, sed venationem prosequi cognovisset, unaque mandatum Regis, de capiendo Gejsa, Vido datum propriis auribus latens in choro, excepisset: posito habitu monastico laicalem induens, gladiumque accingens ascendit equum; quo citissime ad Ducem pervectus, mane dormientem excitavit, stupentemque praesenti periculo eripuit. Fidem hanc Abbatis in Gejsam Ducem Chronicon Thuróczii grato eius in Patrem Ducis Belam, monasterii sui fundatorem animo, merito adscribens, omnem huius rei seriem pluribus exponit. [1])

Anno 1305 Abbas Andreas sub Vissegrado navigans a Bohemis captus est, et longo tempore in carcere afflictus. Nicolaus Abbas anno 1396 a Bonifacio IX. Summo Pontifice ob insignes virtutes, et nominis famam meruit collaudari. Anno 1404 ab eodem Pontifice Joannes Dux Opuliae, Episcopus Wladislaviensis, Abbas Commendatarius constitutus fuit. [2]) Reformato Seculi XVI. initio S. Ordine, Abbatiam tenuit Michaël, qui anno 1517 abdicans eandem Joanni, monasterii S. Martini professo, per Capitulum Generale Abbatum Benedictinorum in S. Martino, Praeside Matthaeo Archiabbate celebratum, electo tradidit. Electionem hanc Thomas de Bakócz Archiepiscopus Strigoniensis ita ratam habuit, si ceteros inter Conventus Sexardiensis, et S. Martini, huiusque Archiabbas consensissent. Atque iste fuerit ultimus Abbatum regularium huius loci, subsecuta mox clade Mohacsiana, quae eam cum plurimis aliis desolavit. Sedes tunc erat Sangiacatus mox Sexardia, et anno 1560 per Marcum Horváth Capitaneum Szigetvariensem Turalbego, Sexardiensi Capitaneo infensum, exusta est. Idem accidit anno 1598 per liberos milites christianos, quibus pro stipendio praeda fuit. [3])

Super ruderibus Ecclesiae abbatialis supra laudatus Princeps Trauthson Archiepiscopus Viennensis, et Abbas de Sexárd, novam Ecclesiam forma gothica aedificavit, ad cuius latus exsistit Sacristia sub fornice, penes quam rudera Sacelli, in quo dicitur sepultus Bela I. [4]) Ita acta Visitationis canonicae eiusdem Ecclesiae anni 1776. Sepultum fuisse hunc Regem Sexardiae, Thuróczii Chronicon, et Simon de Keza docent.

Abbatia haec ab origine exempta fuit a iurisdictione Quinqueecclesiensis Episcopi, quanquam intra eius Dioeceseos ambitum sita fuerit. Ad Strigoniensem synodum vocatus Abbas comparere obligabatur, et provisio Parochiarum eiatium post desolationem monasterii quoque, non Quinqueecclesiensis Episcopi, sed Strigoniensis Archiepiscopi partium erat; cum hae paris essent conditionis cum Monasterio, cui adiunctae erant. Circa annum 1776, similes Parochiarum per Regnum Hungariae plurimarum exemtiones sublatae sunt, et istae quoque naturali suo Dioecesano restitutae. Quoad regularem iurisdictionem Abbatia haec Archiabbati S. Martini, qua Praesidenti perpetuo, sic, sicut omnes reliquae Regni Abbatiae, subordinata fuit; quin ideo iste Abbatem auctoritate sua praeficere, aut per Conventum S. Martini eligi procurare potuerit; hoc enim solius Capituli Generalis erat. — Ladislaus II. S. Martini Abbas, [5]) ex Abbatia hac qua eius Abbas, postulatus fuit anno 1365.

---

[1]) Part. II. c. 52. — [2]) Confer supra pag. 95. — [3]) Danielik: Emlékkönyv. II. 372. — [4]) Ibidem, — ubi haec fuse narrata reperies. — [5]) Non Archiabbas. Nam S. Martinus hoc aevo Archiabbates nondum habuit; quorum dignitas primum Seculi XVI. initio coepit. —

Denique anno 1777 ab Augusta Maria Theresia Universitati Scientiarum Tyrnavia Budam translatae, et anno 1780 constabilitae in perpetuum adplicata et donata est. Titulus tamen eius hodieque confertur, quem diu gessit Illustrissimus, ac Reverendissimus D. Josephus Várady, El. Episcopus Ansariensis, Cath. Ecclesiae Sabariensis Praepositus Maior et Canonicus, primo anni 1858 mense defunctus. —

XVII.

Abbatia de Graab.

Abbatiae huius origo, titulus, et fata ignorantur. Sita fuit prope Sexardinum in vico Gráb, nunc Grabócz, vix uno milliari remota, quapropter filialis Abbatiae Sexardiensis, utpote quasi per eam fundata, credebatur. Id solum ex Archivo S. Martini de ea constat, quod anno 1345 per Siffridum, praeclarum S. Benedicti de iuxta Grón Abbatem, qua per Generale Capitulum ad recuperanda et restauranda alienata Monasteria in sensu Bullae Clementis VI. electum Procuratorem, e manibus secularium erepta fuerit, et restaurata; quodque anno 1366 Abbatem Conradum infeliciter electum, imo intrusum habuerit, qui ob scandalosam vitam, et bonorum dissipationem in Generali Abbatum Capitulo, sub praesidio Ladislai II. Abbatis S. Martini celebrato depositus, et custodiae Abbatis Pécsvaradiensis traditus fuit. [1]) Ceterum: si Abbatia haec per eam de Sexard fundata fuisset, eique filiationis nexu coniuncta; non est credibile, ut Abbatia Mater, tunc firmiter consistens, fuisset Bonorum filiae suae alienationem admissura; aut si hoc quacunque demum de caussa impedire nequivisset, curam restaurationis ita excusserit, ut necesse fuerit negotium hoc per Generale Capitulum Abbati de iuxta Grón committi. — Monasterium opitulante Dominio Sexardiensi restauratum Calugeri monachi inhabitant. Titulus Abbatiae non confertur.

---

[1]) Caps. 26. S. — 23. A. — In hoc Generalis Capituli Decreto, 7 Abbatum sigillis munito, Abbatia de Grab in dioec. Colocensi sita perhibetur. Igitur: vel vetus Grab cum hodierno Grabócz, provinciae Tolnensis, et dioec. Quinqueeccl. vico idem non est; vel Sec. XIV. provinciae Tolnensis pars orientalis dioecesi Colocensi adscripta erat; cuius rei aliud monumentum, quod sciam, non exsistit.

XVIII.

Abbatia S. Jacobi de Silisio.

Fundavit hanc Abbatiam Atha, vel Acha, etiam Otto [1]) dictus, Comes Sümegiensis, qui Regem Salomonem, et Gejsam Ducem rogavit, ut Coenobii dedicationem, quod in Zelyz e fundamentis eduxerat, praesentia sua dignarentur, splendidioremque redderent. „In reversione vero eorum, inquit Thuróczius, e bello anno 1065 Atha Palatinus rogavit Regem et Ducem, ut in constructione monasterii sui, quod in honorem S. Jacobi aedificaverat in Zelyz, interessent, quod et factum est.“ Non defuerunt, qui hanc Abbatiam in Zelyz Comitatus Barsiensis, ad fluvium Granum posito erectam opinarentur, ea potissimum ratione ducti, quod hic pervetustum sit templum S. Jacobo sacrum. At horum opinioni adversatur itineris ratio, quod ex Carinthia, ubi tunc bellabant, per Vesprimiensem, et non per Barsiensem Comitatum agendum erat; deinde relatio Petri Pázmán apud Péterffyum, qui hanc Abbatiam in Dioecesi Vesprimiensi collocat his verbis: „S. Jacobi de Silisio in Dioecesi Vesprimiensi, Comitatu Szaladiensi, fundata ab Atha Palatino Ungariae, tempore Salomonis Regis anno 1064.“ Fundationis literas iam anno 1061 exstitisse discimus e fragmento earum per Conventum Sexardiensem transsumptarum, quod in Fejér: Cod. diplom. I. pag. 398. legi potest.

Locus Abbatiae recte collocatur in Dioecesi Vesprimiensi, in qua dum decimam papalem Jacobus Berengarius, et Raymundus Bonofatus collegissent, ab anno 1332 usque annum 1337 haec adnotantur: „D. Blasius de S. Jacobo de Silisio solvit 20 pensas parvorum. Item: D. Blasius de S. Jacobo de Silisio solvit 40 grossos, et 10 pensas parvorum. Item: D. Blasius de Zilisio solvit duas marcas parvorum.“ [2]) At, licet tempore Pázmáni forsan fuerit in Comitatu Zaladiensi, si pars provinciae Sümeghiensis per Turcas non occupata, Zaladiensi adiecta fuit: nunc tamen, cum supra fluvium Kapos exigua ab oppido Kaposvár distantia exstiterit, in Comitatu Sümeghiensi sitam dicere oportet.

Situs Abbatiae collinus est supra Kaposvarinum, undequaque amoenissimus. Ascendenti per viam regiam Szigethum versus lata se superius explicat planities, tota vitibus consita. Inter meras vineas in margine collis, et crepidine vicina fluvio Kapos sunt rudera monasterii, et ecclesiae abbatialis. Anno 1776 quidam illac praetervectus, in septemtrionali ecclesiae muro Sanctorum pictas imagines inter tanti temporis varias tempestates distincte conspicuas se spectavisse adseverat. — Abbatia haec ab anno 1818, quo eam Andreas Szabó Episcopus Cas-

[1]) Fejér: Cod. dipl. I. 398. — [2]) Pray: Diatr. in Dissert. de S. Ladislao. pag. 243 etc. —

soviensis tenebat, continue inter vacantes Abbatias reales in Schematismo Regni Hungariae conspicitur.

Abbatia S. Jacobi, quae in priore huius Operis editione sub Num. XIX. pag. 135. memoratur, cum nihil adsit, quo eam exstitisse probari possit: e numero Abbatiarum expungenda est. Inde enim, quod Parochus S. Jacobi in Archidiaconatu Saladiensi titulo decimae papalis 50 parvos solverit, Abbatiam S. Jacobi exstitisse in Comitatu Saladiensi, nemo sanus concludet.

XIX.

Abbatia de Zázty.

Abbatiam hanc, cuius nec Pázmánus nec alter facile, nisi post Prayum meminit, sola huius fide damus, qui in sua Diatribe in Dissertationem de S. Ladislao.. Rege pag. 66. Petrum Comitem sub Salomone Rege Abbatiam Zázty fundantem adducit, adiiciens fragmentum Literarum fundationis hoc tenore: „Tandem ego Comes Petrus rogavi Regem cum Duce Magno, et cum Duce Ladislao... ut autem hoc meae concessionis donum sequenti aevo inconvulsum permaneat, testimonio aliquorum nominibus attestari fecit Rex Salomon: Dux Magnus, Dux Ladislaus, Archiepiscopus Dersfi, Episcopus Jeronymus, Episcopus Alexius, Palatinus Comes Radovan,[1]) Comes Erney, Comes Wydus, Comes Markuch, Comes Illyia, Comes Pethe, Comes Hetey, Comes Martinus, Comes Vessár.“ Idem fragmentum Katona ex Prayio ad suam Historiam criticam T. II. p. 221. assumsit; censetque fundationem anno 1067 locum habuisse. Abbatia haec in Schematismo Regni Hungariae non exprimitur. —

---

1) Idem, qui supra Palatinus Radó, Abbatiae S. Demetrii Fundator. —

XX.

Abbatia S. Benedicti de Quinqueecclesiis.

Nulla fere alia memoria Abbatiae huius exstat, quam quod in catalogis Abbatiarum S. Benedicti Ordini erectarum ponatur; et quod titulus hic ab Apostolicis Hungariae Regibus conferri soleat. Petrus Pázmánus eam in suo catalogo ponit anno 1070 viguisse. Qui Regem Salomonem eius fundatorem arbitrantur, aiunt: eum, — cum sciret Andream Regem Genitorem suum duo praegrandia monasteria, et alios suos in Regno Praedecessores Episcopatus, Monasteria, Ecclesias quamplurimas fundavisse; cumque videret Palatinum suum Acham, seu Ottonem, et Petrum Comitem vestigia suorum Regum in hisce pietatis operibus sectatos fuisse: filium et nepotem piissimorum Hungariae Regum, — non posse existimari regnum tenere voluisse, sine quopiam pietatis specimine; si vero Abbatiae huius, quae eo regnante viguit, fundatio ei non tribuatur, non reperiatur in tota historia domestica quidpiam, e quo appareat, optimum Christianum suae in Deum devotionis aliquod monumentum reliquisse. — Intra pomoeria urbis Quinqueecclesiarum anno 1776 rudera Ecclesiae, et Monasterii huius penes hortum episcopalem conspicua erant. Titulo Abbatiae ultimus gaudebat Stephanus Burgics, Oppidi Valpó Parochus. Hodie vacantibus accensetur.[1])

1) Hof- und Staats-Handbuch. 1858.

XXI.

Abbatia S. Benedicti de iuxta Gron.

Monumentum est Geysae I. Regis Hungariae, qui id anno 1075 constituta isthic Abbatia, et familia S. Benedicti liberaliter posuit, atque Conventum S. Benedicti de iuxta Gron voluit appellatum. Firmavit fundationem suam regio diplomate, quod nimis prolixum in Cod. diplom. Fejérii T. I. pag. 428. reperitur, ex authentico Transsumto Maximiliani Regis, in Archivo primatiali exsistente descriptum; e quo isthic sequens fragmentum sufficiat:

„In nomine Sanctae Trinitatis, et individuae Unitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Ego Magnus, qui et Geysa supremus Hungarorum Dux, postea vero Dei gratia Rex consecratus, Belae regis filius, cernens huius seculi bona esse momentanea, superna autem esse perpetua, magno amoris desiderio ecclesiam construere adoptavi ad laudem Dei, et sanctae Mariae semper Virginis, sanctique Benedicti, purissimi monachorum patris, ac ducis; illique favente Deo monasterium constitui. Igitur ipso opitulante, qui omnia fecit, ad praedictum S. Benedicti monasterium hereditates in terris cultis, et incultis, vineis, ac vinetis, pratis, et pascuis.. contuli, atque dedi. Et hoc omnibus Episcopis, Abbatibus, nec non et Principibus regni nostri notum fieri volui. Terram, per cuius medium transit flumen, quod vocatur Gron, ubi etiam Ecclesiam S. Benedicti construxi... dedi cum propriis certis metis, ac terminis. Dedi.. in piscina, quae vocatur Voyoser.. duas partes, nam tertia pars est Abbatissae de Tormova, in confinio Bihor civitatis... et aliam circa.. aquam Tiza, quae vocatur Alpár cum propriis terminis... primum a ripa Tizae procedendo ad quasdam arbores, est terminus cum episcopalibus S. Mariae Vaciensis, dextra autem pars devenit in partem S. Benedicti... ubi finiuntur partes Cseringradiensium civium..."

Enumeratis deinde ad XL. variis terris, pluribus tributis, et X. piscinis donatis, prosequitur: „In supradictis vero terris, in Hungaria, scilicet in Meler, Sapi, Pelu, Sagy, Alpár, Chonu, et Fizegh quotquot voluerit Abbas, homines cum aratris ponat; latae enim, longaeque sunt et magnae. Donum etiam dedi Deo, et S. Mariae, Sanctoque Benedicto, ego Rex Magnus, statuens auctoritate regali, quod omnis vagus et profugus, sive homo sive iumentum, si in monasterium aut inter familiam, seu inter bestias S. Benedicti deveniat, in illis non habeant potestatem nuntii Regis, neque Ducis... sed sint in potestate S. Benedicti, et sui Abbatis, et secundum consvetudinem Hungarorum faciat Abbas, et indicet; praeterea ego Magnus qui et Geysa, gratia Dei Pannoniarum Rex consecratus... statui, ut Ecclesia illa decimas suas omnes, et omnium hominum suorum tam liberorum quam servorum ubique.. habeat... Anno Domini Millesimo Septuagesimo quinto. — Praesente Ladislao Duce

germano meo carissimo, Nehemia Archiepiscopo Strigoniensi exsistente, Desiderio Episcopo Colocensi, aliisque Episcopis, scilicet: Aaron Episcopo, Francone Episcopo, Lazaro Episcopo, Episcopatus suos feliciter gubernantibus. Jula Comite Palatino, ceterisque regni mei Principibus... et ut regalis mea institutio futuris temporibus firmitatem obtineat, manu propria subterfirmavi et sigillavi."

Possessiones ad Abbatiam S. Benedicti de iuxta Gron, ceteras inter sunt: Oppidum S. Benedicti, quod vico gemino constat: alter in eam vallem abit, qua Granus delabitur; alter, qua rivus huius descendit. Judaei hinc excesse iussi, quorum domicilia longo ordine substructa opifices incolunt Christiani; Udvard, de cuius incolis Thuróczii Chronicon, „cum se, inquit, a debita servitute eiusdem loci Abbatis Cend nominati, alienassent, Andreas Rex cum Palatino Dionysio sententionavit contra infideles servos Abbatis, quod semirasis capitibus eidem Ecclesiae redderentur."[1]) Szelepcsény, Teszár, Ebedécz, Nagy-Vezekény agro ubere, colonis frequentibus; Rohocznicza, Valkócz, Kowarovce eximius vicus, et cum incolarum frequentia, tum agri praestantia memorandus; Nemesén, Kiss-Apáthi et Pesszér. Possessiones hae in provincia Barsiensi exsistunt, suntque nunc Juris Capituli Strigoniensis titulo Abbatiae S. Benedicti, et iure collationis regiae. Seminario iunioris Cleri e Bonis Abbatiae huius addita sunt in Comitatu Honthensi Oppida: Szebekléb, et Németi, cum vico Baráti.

Archiepiscopi Strigonienses egregiam olim navabant operam in tuendo monasterio S. Benedicti iuxta Gron. Necdum evoluto a fundatione integro seculo Comes Barsiensis, Othmarus, aggressus est Abbatem in iure suo turbare, et quod consequi solet, bona rapere. Marcellus Archiepiscopus veritus, ne profanatio rerum ecclesiasticarum male coepta, ultro propagetur, et patrimonium Christi cuiuscunque arbitrio pateat: zelose Abbatem Henricum contra Comitis impetitiones coram Stephano II. Rege Hungariae tuitus, impetravit literas regias, quibus fundi a Geysa I. anno 1075 descripti, rursus eidem Abbatiae adscribuntur. [2])

Inter Abbatias Ord. S. Benedicti in Regno Hungariae fundatas prima occurrit Abbatia S. Benedicti de iuxta Gron, cuius Abbas a fundatione monasterii longo tempore usu pontificalium caruit. Ut vero hic honor celeberrimae huic Abbatiae addatur, Andreas II. Rex Ungariae, e caussis in sequente diplomate expressis, procuravit: „Andreas Dei Gratia Hungariae... Rex... Inde est, quod nonnullae regales Abbatiae in regno nostro constitutae, de indulgentia Domini Papae, infula, annulo, sandalibusque decorentur, visum fuit nobis, quod congruum esset rationi, ut Abbatia S. Benedicti de Grana, quae antiquitate temporis, et dote regali fulgebat, eadem fungeretur porro gratia. Et quoniam nostro tempore Gregorius de Crescentio Cardinalis functus officio Domini Papae, regnum nostrum visitaturus intravit, consentaneum aequitati fore perpendit, ut ad preces nostras Abbas, nomine Ivo, qui tunc temporis praeerat illi Abbatiae, nec non et successores sui eodem honore fulcirentur; cum praefatum monasterium hoc nec dignitate, nec honore minus aliis esse videatur; quia, sicut nostrum est Ecclesias vel Abbatias dotibus ditare: sic nostrum interest, easdem honoribus sublimare. Et ut concessio ad preces nostras obtenta ius et robur firmitatis haberet perpetuum, privilegium a Domino Gregorio praefato Cardinali obtinuimus, et nostrum eidem concessimus habere. Datum per manus Magistri Thomae, aulae

[1]) Part. II. c. 80. — [2]) Schmitth: Archiep Strig. —

nostrae Vicecancellarii, anno ab Incarnatione Domini MCCIX. [1])

Aedificium monasterii ad modum arcis in elevatiore, et petrosa Grani ripa ad occidentem consedit, loco prorsus amoeno, prospectu septemtrionem versus praecipue oblectante. Sacram aedem habet S. Benedicto dedicatam, planeque ita structam, uti est aedes Budensis S. Stephani, praeterquam, quod hic sit gemina turris, una tantum Budensi. Augusta in ea sunt omnia, et sculpturis antiquis decora.*) Pugna Mohacsiana, illa Hungariae, sed vel maxime Religioni infausta pugna, coaevo penicillo ad vivum depicta in eiate ecclesia cernitur; quam, ut posteri non solum legant in annalibus suis; sed, veluti in campo peracta est, etiam videant, proximis annis renovata est. [2]) Ad dextrum altaris latus Archivum est, prisca lege Coenobio huic attributum, monumentis antiquis refertissimum. Saepe ab hostibus impetitum, tandem benedictinum esse desiit.

Possidet Ecclesia haec insignem Reliquiam sacram, vestigium scilicet guttae Sanguinis Domini, de quo Topographia M. Regni Hungariae haec tradit. „Gloriatur illustre hoc Sacerdotium sacro Cimelio, puta particula telae, quasi gosypinae, ex aliquo patientis Dei — Hominis Linteo rescissae, (S. Veronicae Sudariolum imperiti vocitant) lytro salutis humanae, pretiosissimo Christi Salvatoris sanguine etiamnum rubentis. Inaestimabilem hunc thesaurum dono dederat Benedictinis Patribus Mathias Corvinus Rex; cui debita veneratio cum semper alias, tum cumprimis habetur, quando ad positum in adiacente oppido huic colle sumtu Provinciae Barsiensis patienti Servatori sacellum quotannis e voto die 3-a Maii ad avertendam pestem solenni ritu supplicationes fiunt". Regi a Paulo II. Papa Cimelion donatum creditur.

Inter Abbates sacri huius Instituti, quorum memoriam literae conservaverunt, eminet Siffridus, qui inde ad S. Martinum postulatus, ibidem anno 1364 obiit, primus omnium S. Martini Abbatum lapide sepulcrali honoratus. De hoc supra inter Abbates S. Martini suo loco actum est. Huius successor itidem Siffridus anno 1366, inter 5 Diffinitores per generale Capitulum electos, primo loco legitur. Anno 1518 Ludovicus II. Rex Abbatiam hanc Secretario suo contulit praemonito Matthaeo Archiabbate, qua S. Ordinis Praesidente. Erat Secretarius ille Franciscus Aczél, qui in sensu Decreti Uladislai II. Regis se, ubi Abbatiam acquisiverit, vestem Ordinis sumere, et eius Regulam profiteri velle pollicitus est; verum obtenta Abbatia, non obstantibus iteratis Archiabbatis monitis, neutrum praestitit. Anno 1534 Ferdinandus I. Rex eam Fratri Francisco Josephyth Ordinis S. Francisci de observantia, Episcopo Segniensi contulit. Tenebat tunc Abbatiae Bona Christophorus de Turri, qui ea e Turcarum potestate sua virtute non pridem eripuit; nec nisi persolutis bis millo florenis Abbati Commendatario cedere intendebat, unde Josephythius summa hac a Balthasare Bánffy de Tallowcz cum consensu Regis mutuo accepta, Abbatiam redimere coactus est. In Literis consensus regii ad hanc redemtionem obtenti memorabile illud, quod Regia Maiestas in redemtionem hanc ita consenserit, si illa legitime, et sine simoniaca pravitate fieri possit. Tandem anno 1565 Maximilianus II. Imperator, Rex Hungariae, vigore cuiusdam transactionis, et Inscriptionis Regis Ferdinandi I. Abbatiam hanc cum omnibus suis iuribus, et Bonis Capitulo Strigoniensi contulit. [3]) Anno demum 1570 idem Augustus privilegium Coenobii S. Benedicti pro eodem Canonicorum Collegio confirmavit, ut vetere instituto a

[1]) Novák: Vind. dipl. Steph. p. 145. — [2]) Vályi: titulo: Sz.-Benedek. — *) Bel. Notitia Hung. IV. p. 270.— [3]) Capsa 18. N. —

certis Sacerdotibus instrumentorum publicorum cura habeatur. Quapropter hodiedum ibidem Locus Credibilis[1]) vulgo dictus exsistit. Titulus Abbatiae huius conferri non solet. —

XXII.

Abbatia B. Mariae V. de Pagrány.

Sita est in Comitatu, et Dioecesi Nitriensi, medio duntaxat milliari ab Episcopali urbe Nitriensi remota. Solo gaudet ad agricolationem eximio. De Abbatia pauca admodum exsistunt monumenta, certa fere nulla, nisi qnod titulus eius a Regibus nostris conferatur, qui earum tantum Abbatiarum titulos conferre solent, quas aliquando exstitisse non dubitant. Ecclesiam Pagrányiensem coaevam monasterio S. Benedicti de Gron scimus ex relatione eximii Viri, eiatis Parochi, cuius testimonio aedificata est anno circiter 1075 a Geysa I. Rege Hungariae. Structura legem artis gothicae sequitur. Parva mole sua erat, pro ea videlicet aetate, quando claustralia oratoria solis monachis, extraneis raro patebant. Videmus etiam maiorum abbatiarum ecclesias non fuisse prolixas; sed postea, cum pleraeque successu temporis evaderent una parochiales, fuisse ampliatas. Ecclesiae primitivae in Pagrány addita est pariter serius navis cum duabus turribus tempore incerto, fortassis, cum impopularetur; ut nempe simul serviat populo fideli pro adorando Deo. Rursus restaurata est ea providentia, ut opus Geysaianum integrum adhuc persistat.

De monasterio idem refert: Abbatem, et quidem prope ecclesiam resedisse, sed residentiae eius rudera nulla exstare, nisi quod in area parochiae fundamenta cuiusdam aedificii iam terrae immersa reperiantur. Grangia monachorum Benedictinorum fuerit, quae ad S. Benedictum de iuxta Gron pertinuerit, cui Geysa fundator, cetera inter in villa Pagran curiam suam, et Capellam honori S. Martini dicatam donavit, uti hoc in eius diplomate pag. 218. citato legere est. Quando Abbatia evaserit, ignotum. Titulum hodie, teste Schemat. Dioeceseos Vesprimiensis, gerit Reverendissimus Dom. Joannes Kutschker, Colleg. Ecclesiae Cremsiriensis Canonicus Honorarius; Caes. R. Minister. Consiliarius; Sublimioris Instituti Presbyt. Vienn. ad S. Augustinum Superior Director; Augustae Aulae, et Palatii Caesareo-Regii Parochus. — Cur Schematismus Dioeceseos Nitriensis huius Abbatiae nullam faciat mentionem, compertum non habeo. —

[1]) Locum credibilem Hungari, praeter Capitula Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum, et nonnullius Collegiatae, illos Benedictinorum et Praemonstratensium Conventus appellamus, qui lege regni publicae fidei tabularia possident, quibus regnicolae Testamenta, et varii generis Contractus, praesertim perpetuos, praemissa coram Religiosis deliberatae suae voluntatis, ut vocant, fassione, securitatis gratia, concredere sueverunt.

XXIII.

Abbatia S. Martini Ep. de Mogyoród.

Alias Monyoród, vicus a victoria, quam Geysa Dux, et S. Ladislaus de Salamone reportarunt, celebris. Superat eius monumentum hodieque in ruderibus templi, ibidem a S. Ladislao D. Martino positi. Fuerat hic olim Abbatia eius nominis a S. Ladislao erecta. Scilicet Geysa et Ladislaus prope Vacium et montem Mogyoród conflicturi cum hoste, ille D. Virgini, hic S. Martino votum vovit, ad imitationem S. Stephani contra Cupam Comitem Sümeghiensem bellaturi; quod, si victoria potiti fuerint, honoribus eius Sancti in conflictus loco ecclesiam et monasterium sint aedificaturi. Voto concepto, Ladislaus victor, ut semet eodem solveret, locum vestigavit, in quo Divo Martino, Opitulatori suo, ecclesiam cum monasterio conderet in perenne grati animi monumentum.

Ergo in latere septemtrionali montis Mogyoród separatus collis inventus est; apertus is, et spatiosus amoeno in occasum et septemtrionem prospectu. Impendet valli, quam modo coloni incolunt. Hoc eminente in clivo, et aquam e rupe in vallem profundente positis festinis operis sacra aedes surrexit. Bonfinii tempore in ea mortuorum in pugna assiduae inferiae celebrabantur. In dotem, ut idem Bonfinius narrat, optimas hostium exuvias contulit, proventusque non mediocres adiecit, qui scilicet ex villa Mogyoród, eiusque agro proveniunt.

Everso post longum tempus monasterio cum ecclesia, post recuperatam Budam omnia huius Abbatiae Bona Episcopatui Vaciensi sunt attributa. Tum Michaël Carolus e Comitibus Althan, Episcopus Vaciensis e rudere Coenobii, et Ecclesiae in medio villae Mogyoród elegans templum anno 1750 pietati populi excitavit. Carolus autem e Comitibus Eszterházy, pariter Vaciensis Praesul anno 1761 Parochiam, et sacrum Curionem illic instituit. — Quamvis autem primaevus Abbatiae huius titulus S. Martinum [1]) respexisse videatur: tamen ista hodie cum eo B. Mariae Virginis conferri solet; errorene, an ratione, antiquorum diplomatum testimonio fundata, non liquet. Titulum hunc hodie possidet Reverendissimus Dominus Franciscus Taithy, Cath. Ecclesiae Vaciensis Lector, et Canonicus. —

---

[1]) Monasterium hoc anno 1366, nec B. M. V., nec S. Martini, sed S. Georgii Martyris titulo insigniebatur, ut ex publicis Generalis Capituli tunc in eo celebrati literis, in caussa depositi Abbatis de Grab datis, constat. Quod cum omnes totius Regni Abbates Benedictinos uno eodemque tempore sinu suo exceperit: bene amplum fuisse, facile coniicere licet. (Caps. 23. A.)—

XXIV.

Abbatia S. Aegidii de Simigio.

E pluribus Ecclesiis, et Coenobiis a Divo Ladislao Rege vel erectis, vel dotatis una e praecipuis est Abbatia S. Aegidii de Simigio, seu Somogyvár. Somogyvár arcem quondam fuisse in confesso est, a qua demum tota provincia nomen suum sortita est. Num arx ipsa a D. Ladislao in Coenobium reformata sit, difficile est definitu. Coenobii rudera per campos Somogyvárienses late proiecta adhucdum conspiciuntur. Sic nempe iam seges est, ubi Troia fuit. De hac Abbatia Petrus Pázmánus certis documentis destitutus hoc duntaxat notavit: „De Simigio S. Aegidii Vesprimiensis Dioecesis, viguit anno 1302.“ Verum Fejér in suo Codice diplom. sistit Tom. I. pag. 468. Literas fundationis huius monasterii ex opere gallico M. Menardi, Parisiis anno 1750 edito, et historiam civilem, ecclesiasticam, et literariam Civitatis Nemausi, Gallis Nismes, complexo. Earum potiorem partem huc exscribere lubet, quae sic sonant:

„Universalis, et catholica sancta mater ecclesia e diversis partibus unigeniti filii Dei sanguine unita, caritativa compassione per omnes orbis fines diffundi volens notificat, tam praesentibus, quam futuris, se esse auctam in Pannoniae partibus una regali Abbatia MXCI. anno dominicae Incarnationis, indictione VIII.[1]) regnante Ladislao, gloriosissimo eiusdem regionis Rege. Locus autem ille, in quo Deus praeelegit sibi sanctam fundari ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, vocatur Sumich, nobilissima urbium terrae, quam cum territorio suo praedictus Rex, audiens opinionem meritorum beati Egidii Confessoris ad honorem Sanctae, et individuae Trinitatis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et S. Egidii confessoris pro redemtione animae suae, et antecessorum suorum, et omnium fidelium christianorum, in praesentia dompni Odilonis abbatis... dedit, et ipsi abbati et successoribus suis ad regendum regulariter tali tenore, ut quicunque usque ad finem Seculi Sumichiensis abbas fuerit, abbati, qui tunc temporis fuerit in monasterio S. Egidii, in Valle flaviana, obedientiam veram promittat, et usque in finem vitae suae teneat. Praeterea vero ipse elegantissimus rex antecessoribus suis non se inferiorem iudicans ea conditione, et tam perpetuo iure libertatis supradictam fundavit ecclesiam, ut post Deum et Sanctos eius, in quorum honore dedicata est, eiusdem Ecclesiae abbas ipsum solum audiat, soli inclinet, ipsum in omnibus necessitatibus tutorem et iudicem suarum rerum tantummodo cognoscat, salvo episcopali iure. Atrium autem eiusdem ecclesiae, ad quod

[1]) Indictio VIII. Incarnationis dominicae anno 1091. non respondet, sed XIV. Igitur: vel Fejérii calamum notam temporis describentem, erroris; vel Menardi literas falsitatis arguere oportet. —

omnes ... christianissimus rex taliter consecrari fecit, ut omnes illuc pro tutamine fugientes tam corporis, quam animae solamina reperiant, et sui vel suarum rerum praeiudicium non sentiant. Quapropter, sicut regale est monasterium, ita omnium bonorum consensu regalis est prohibitio, ne quis mortalium, praeter ipsum regem, super res Ecclesiae iudicare praesumat. Atrium vero, si quis quod absit, violaverit, legem patriae persolvat in undecuplum. . . . Dator istius praecepti rex Ladislaus. Testes, qui cum eo fuerunt: Dux Lambertus frater eius; Dux David consobrinus; Gerazdavus, filius Regis Ruthenorum, gener ipsius; Almarus Vesprimiensis Episcopus; Comes Palatinus Petrus, et Comes Acha; Michaël, Seraphin, Copan, capellani eius; Rodbertus de Gozlavia spatarius [1]) eius; Arnulphus legatus ipsius. Receptores vero istius doni, vel praecepti sunt isti: Teuzo sanctae romanae ecclesiae legatus; dompnus Odilo S. Egidii abbas. Monachi qui adfuerunt: Petrus Praepositus, qui postea primus inde Abbas effectus est; Rostagnus Rainonis; Petrus Arinarius; Ugo, et Daniel, capellani eius; duo Diacones; Petrus et Rostagnus, Petrus Camerarius; Dalmatius Decanus. Clerici et laici, qui cum abbate fuerunt: Petrus Pictaviensis Grammaticus, Petrus Ugonis, Rajmundus Felicis, Bernardus Amarici, Rajnaldus Arvei; Maimbaldus et Arveus, et alii quam plures."

„Hic subscribuntur singulatim honores supradicto monasterio ab ipso rege donati: Sumich cum territorio suo; ecclesia eiusdem loci cum servis et territorio suo; Patria villa cum servis et territorio suo; Pincinaticorum villa ... Villa S. Georgii ... villa curualis ... villa vinitorum... triginta vineas cum vinitoribus suis; in LX vineas medietatem cum vinitoribus suis; domus CCC servorum, et C militum domus."

„Ego frater ille, promitto stabilitatem meam, et conversionem morum meorum, et obedientiam coram Deo et sanctis eius, secundum regulam S. Benedicti in hoc monasterio S. Egidii, salva obedientia in omnibus, et subiectione monasterii S. Egidii in valle flaviana siti in praesentia dompni P. abbatis. — Notum sit omnibus Sumichiensis coenobii fratribus... Dompnum Odilonem, abbatem S. Egidii, ex consensu Dompni Petri, eiusdem loci abbatis, et fratrum ibidem degentium, hanc professionem in praedicto Coenobio observandam perpetuo iure confirmavisse, et sui impressione sigilli sub eodem anathematis vinculo inviolabiliter decrevisse. Quam si quis maligno zelo ductus temerario ausu violare praesumserit, et praedictum Coenobium ab unitate capitalis nostri segregare voluerit, cum Dathan et Abiron se dampnandum sciat. Ut autem hoc edictum indissolubile permaneat, a praedictis patribus sancitum est, ut nullus omnino monachus de monasterio S. Egidii vallis flavianae, sine literis commendatitiis, et sigillo confirmatis in Sumiciensi congregatione recipiatur. Et idem decretum de Sumiciensibus apud S. Egidium observetur. Huius edicti testes, et confirmatores sunt: dompnus Odilo, abbas S. Egidii; dompnus Petrus, abbas Sumicensis; Dominus Teuzo, Cardinalis; dompnus Petrus, abbas S. Martini; dompnus Petrus, abbas Tichoniensis; Petrus Prior, Petrus Decanus, Laurentius Decanus, Petrus Minerbensis, Mainerius, et Joannes, capellani Dompni Odilonis abbatis; frater Odo, huius decreti scriptor, et ceteri fratres."

Eundem Abbatiae huius Fundatorem praedicat etiam Bulla Paschalis Pa-

[1]) Id, quod Armiger. Dignitas erat in Orientis Imperio sat illustris, e quo ad plerasque Aulas Europae propagata est. —

pae II. quam Pray ex Baluzii Miscellaneorum L. II. p. 183. ad quem per Samarthani Galliae christianae Tomum 6.um p. 484. fuerat inviatus, excerptam, Dissertationi suae de S. Ladislao Rege inseruit. Bulla haec id praestat, quod nunc recitati documenti Menardiani,[1]) alioquin non ex authentico aliquo scripto, sed ex privati duntaxat auctoris opere per Fejérium desumti fidem confirmet, quae ob formam internam ab ea diplomatum diversam, et nonnullas phrases prorsus mirabiles, et auribus diplomaticis insvetas, facile vacillare potuisset. Praestat autem hoc ita, quod easdem libertates, quas in dicto documento legimus, iisdem fere verbis confirmet Papa; ut proinde idem repetere, et Bullam huc exscribere non lubeat.

Monasterium Somogyváriense vi diplomatis fundationalis, et Decreti pontificii adeo semet subordinatum tenebat monasterio S. Aegidii in Gallia, ut nec admitterentur ad sacram professionem, nisi Galli Novitii, nec in Abbatem assumi quispiam posset, nisi ex Gallia oriundus. Quare etiam monasterium passim latinum dicebatur, quo nomine italici quoque homines eo tempore in Hungaria veniebant. Existimaverint scilicet Simigienses filialem nexum se facilius conservaturos, si Gallum semper haberent Abbatem. Sed Reges Hungariae, et ceteri quoque Hungari morem hunc, nationis hungaricae contemptum interpretati sunt. Igitur Emericus Rex, ut Hungaris ad regalem fundationem aditum aperiat, anno 1204 exserte praecepit, ut monachi in locum tunc defuncti Abbatis Hungarum Benedictinum eligerent. Id Simighianis renuentibus, ipse Bernardum Spalati Dalmatiae Archiepiscopum, Gubernatorem dedit. Quo regis facto ad S. Sedem Apostolicam delato, Innocentius III. Papa has ad eum literas expedivit:

„Innocentius servus servorum Dei Carissimo in Christo Filio Henrico, Illustri Regi Hungariae salutem, et Apostolicam benedictionem. Venientes ad Apostolicam sedem dilecti filii . . monachi S. Aegidii de Hungaria nobis lacrymabiliter intimarunt, quod eorum Abbate defuncto, alium sibi secundum antiquum, et approbatum morem sui monasterii elegerunt, quod hactenus tam Abbates, quam monachi consveverunt habere latini. Sed Tu Fili carissime, (quod cum devotione, et reverentia retulerunt) regium sibi noluisti praebere consensum, affirmans, quod in alium quam Hungarum, minime consentires. Ven. autem Frater noster B. Spalatensis Archiepiscopus hoc attendens, ad praesentiam tuae serenitatis accessit, et monasterium ipsum impetravit. De quo, si verum est, valde miramur, quia licet professione sit monachus, et natione latinus; cum tamen Pontificis gerat officium, Abbatis non debuit ministerium usurpare. . . . Quia vero nec novum est, nec absurdum, ut in regno tuo diversarum nationum conventus uni Domino sub regulari habitu famulentur, licet unum sit ibi latinorum Coenobium, cum tamen ibi multa sint Graecorum, serenitatem regiam rogamus attente, et monemus, quatenus in statum debitum revocato, quod non tam proprio motu, quam alieno consilio diceris concessisse, non impedias nec impediri facias, quominus praefati monachi secundum consvetudinem hactenus observatam assumant sibi personam idoneam per electionem canonicam in Abbatem.“ [2])

Eundem in modum Archiepiscopo Spalatensi scriptum fuit, quem Pontifex cetera inter sequentibus verbis redarguit: Ecce, qualiter ecclesiasticam libertatem diligis, et defendis! qualiter apostolicae Sedis honorem promoves, et procuras!

---

[1]) Quamvis nec indubitati diplomatis S. Ladislai, quod S. Martino datum supra suo loco recitavimus, forma communem sui aevi morem sequatur; ut tamen praesenti documento Menardiano regii diplomatis fundationalis honorem tribuamus; impetrare a nobis non possumus. — [2]) Katona: Hist. crit. IV. 735.—

qualiter pontificalem modestiam exhibes, et observas! qualiter monasticam regulam prosequeris, et zelaris! Certe, nisi praescriptos excessus per teipsum corrigas, et emendes, et a similibus abstineas, et attendas; nos quanto familiarius te diligimus, tanto districtius puniemus; ut poena unius sit cautela multorum; et iusti lavent manus suas in sangvine peccatoris " Quantum gravis haec tam Regis, quam Archiepiscopi reprehensio profecerit, ignoratur. Id tamen certum, eundem Pontificem monasterium S. Aegidii de Simighio anno 1211 sub B. Petri, et suam protectionem suscepisse, et libertates, ac immunitates a Regibus et Principibus ei concessas, dignitates quoque, ac antiquas et rationabiles consvetudines auctoritate apostolica confirmavisse.[1])

Eugenius IV. Pontifex singulari honoris praerogativa Petro, Monasterii S. Aegidii de Simighio Abbati digniorem Praelaturam, vacantem nempe Abbatiam Montis ferrei, seu Pécsváradiensem contulit; qui mox consvetum iuramentum coram Henrico Episcopo Quinqueecclesiensi nuncupavit. — Inter dignitates, quarum Innocentius Papa III. supra meminit, non videtur postrema fuisse, quod S. Aegidii Conventus prisco tempore publica fide gavisus fuerit, id quod iam anno 1255 locum habuisse Archivi Archicoenobii documenta testantur.[2]) In eodem privilegia et libertates Ecclesiae Quinqueecclesiensis transsumptas fuisse anno 1404, ex Kollero notum est. —

Abbates S. Aegidii, quorum memoriam Tabularium S. Martini conservavit, pauci numerantur. In his Gilbertus anno 1210 ratione decimarum Capellae S. Petri in Simighio cum Uria, S. Martini Abbate, Arbitris mediatoribus ita convenit, ut salvo in reliquis decimationis iure, 80 hydriae vini m e n s u r a e Simighiensis, ad usum Fratrum pro bono pacis, libere inveherentur, et antiquius iniuste denegatae decimae debitum S. Martino persolvatur. Testantur id literae Capituli Strigoniensis, quas, cum decursum litis, et Judicum Arbitrorum eius aevi procedendi morem ob oculos ponant, his proferre opere pretium videtur. Tenor earum est:

„Petrus Praepositus et totum eiusdem loci Capitulum omnibus, ad quos literae istae pervenerint, orationes in Domino. Inaestimabile beneficium est, oblivionis nescire defectum, et quaedam vere similitudo coelestium, tempora decursa habere in memoria. Verum, quia labilis est hominum memoria, et rerum turbae non sufficit, ad futurorum cautelam humana providentia adinvenit, ut ea, quae inter homines sive in iudicio, sive extra iudicium legitime geruntur, litteris commendentur, quarum officio, quae processu temporis paulatim elabitur, fugiens memoria revocetur. Notum sit ergo tam praesentibus quam futuris, quod sinceritas pacis, quae inter Monasteria beati Martini de Pannonia, et S. Aegidii de Symigio caussis emergentibus dudum fuerat vitiata, ut detersis contentionibus in pristinum deinceps statum restitueretur, inter ipsorum dispensatores, Abbatem videlicet Uriam et Abbatem Gilbertum cum suorum Conventuum legitimo consensu convenit, ut Johannes Strigoniensis Archiepiscopus, nec non Comes Tiburtius inter ipsos amicabiliter componerent. Constitutis ergo partibus in Compositorum praesentia, et hinc inde propositis variis dissensionum causis, ceteris ad invicem sibi remissis, sub quatvor articulis totam suae dissensionis materiam concluserunt. Decernentibus igitur dictis Compositoribus convenit inter partes, ut Abbas S. Aegidii de decima vini, quod annuatim in cellarium Symigiense ad usum fratrum infertur, LXXX hydrias Symigiensis Comitatus pro bono pacis deduceret, salvo

[1]) Katona: Hist. crit. V. 126. — [2]) Caps. 6. H. —

iure decimationis Ecclesiae beati Martini in reliquo, et in ceteris cellariis Symigiensis Ecclesiae. Item, cum Abbas S. Martini ius decimationis Capellae beati Petri in oppido Symigiensi praeter quartam ad suum Monasterium pertinere proponeret, inficiante penitus parte adversa, imo iuris Monasterii Symigiensis esse in solidum constanter asserente: dicti Compositores cum voluntate partium Abbati S. Martini sacramentum detulerunt; ita tamen, ut si illud sibi anceps videretur, Abbati Symigiensi liceret referre. Item, cum esset contentio inter partes super decima villae cuiusdam nomine Szobodi iuris Ecclesiae Symigiensis, asserente Abbate beati Martini decimam illius ad suum Monasterium praeter quartam pertinere; decreverunt ad consensum partium, ut staretur sacramento trium Jobagionum monasterii beati Martini, quos Abbas Symigiensis vellet admittere. Quarto vero, cum Abbas S. Martini Abbatem Symigiensem super praeteritis quibusdam decimis usque ad summam decem márcarum impeteret, et Abbas Symigiensis solutionem quibusdam Jobagionibus Ecclesiae beati Martini factam esse, Hemerico scilicet, et Nicolao, in modum exceptionis obiiceret: eodem postulante, et approbantibus Compositoribus placuit adversae parti, ut eorum sacramento, si hoc ipsi inficiarentur, esset contentus. Verum, quum omnis aetas ab adolescentia in malum prona est, et ad dissentiendum natura proclivis, et plerumque, quos amor virtutis a malo non revocat, timor poenae coërceat; ad corroborandum supradicta, partes ad invicem sibi stipulati sunt poenam L marcarum in transgressorem committendam. Tandem vero die statuto, Abbas S. Martini constitutus in praesentia nostra, de sua iustitia plurimum confisus, non tantum delatum sibi sacramentum non retulit, verum illud personaliter praestitit cum se sexto. Ad nominationem vero et electionem Abbatis Symigiensis tres Jobagiones beati Martini decimationem dictae villae Szobodi iuris Ecclesiae beati Martini esse, praestito sacramento firmaverunt. Praedicti vero Jobagiones Hemericus et Nicolaus super praemissis diligenter interrogati, omnino inficiati sunt; et se nihil eo nomine recepisse in nostra praesentia iuramento praestito docuerunt. Ut ergo haec in posterum illibata permaneant, ad petitionem utriusque partis, nec non Pristaldi Gervasii ad hoc specialiter destinati, praesentem paginam confecimus, et sigilli nostri munimine roboravimus. Anno ab incarnatione Domini M. CC. X. Regnante feliciter glorioso Hungarorum Rege Andrea. Domino Johanne Strigoniensi Cathedrae feliciter praesidente. Bogeslao Waciensi, Pethse Geuriensi, Kalano Quinqueeccl. Episcopis. Poth Comite Palatino, Marcello Bachiensi, Jula Budrucensi [1]) Comitibus. Magistro Jacobo Lectore Strigoniensi, Ubaldo Poson., Benedicto S. Thomae Praepositis, Dominico Cantore, Michaële Custode, Apollinari Nitriensi, Pethone Borsiensi [2]) Archidiaconis; Sothomoz Decano, Alberto, Chise, Wos, [3]) Sedech. Cyriaco, Marcello, Isaac, Forti, Anania. Alexandro, Nicolao, Philippo, Salomone. Amando Canonicis, et aliis quam pluribus." [4])

Alter S. Aegidii Abbas, cuius Archivum nostrum meminit, erat Hillibertus, quem iura Monasterii S. Martini in decimationibus agrorum et cellariorum S. Aegidii malitiose, et inique perturbavisse, successor eius, Abbas Herveus, coram iudicio publice fassus est Perhibent id literae Dionysii Palatini, quas, utpote illius aevi litigantium candoris non minus, quam providae Judicum circumspectionis testes pariter totas damus. En illas!

---

[1]) Bodrog. — [2]) Barsiens. — [3]) Vas. — [4]) Caps. 31. R. Descriptum ex Originali, Orthographia nostro aevo accommodata. —

„Dionysius Dei gratia Palatinus, et Comes de Zounuk : Universis praesentes literas inspecturis salutem in Domino. Oblivionis subrepente caligine rerum memoria gestarum in tempore a mentibus evellitur humanis, nisi super iis caute provideatur vivaci literarum commendando testimonio. Hinc est quod ad universorum notitiam praesentium simul ac posterorum harum testimonio duximus perveniendum; quod cum Venerabilis Abbas Urias S. Martini de sacro Monte Pannoniae Abbatem et monachos S. Aegidii de Symigio ad nostram citasset praesentiam super decimis praediorum, horreorum, cellariorum, et populorum suorum, et parochianorum Capellae S. Petri et aliarum rerum, quae ad Symigiense pertinent Monasterium; dicebat, quod cum decimae praedictorum omnium in ius, et proprietatem suae Ecclesiae deberent pertinere, ipsi Abbas et eius Conventus contra iustitiam detinerent. Cuius Abbatis audita oppositione Abbas et Conventus de Symigio omnia praedicta iura Ecclesiae S. Martini pertinere non negabant. Cuius responsionem cum audivissemus, subdidimus interrogantes, si formidine Abbatis antedicti perterritus, aut propter ignorantiam et ignaviam, vel forsan de ipso loco recessurus hoc faceret, nolens defendere ius Ecclesiae suae. Qui nulla caussarum praedictarum hoc sic respondisse asserebat, sed quia iuri Ecclesiae supradictae S. Martini omnia recognoscebat praenominata provenire. Ipse etiam Abbas S. Martini adiungebat super omnibus praemissis se instrumenta habere tam Judicum, a sede Apostolica delegatorum, Jauriensis videlicet Episcopi et Abbatum Varadiensis et de Beel ; et insuper literas ipsius Abbatis et Conventus S. Aegidii de Symigio; quas cum nobis praesentari fecissemus, et perlegi praesentatas, invenimus, sicut ipse Abbas S. Martini affirmabat, Abbate S. Aegidii et Conventu non contradicentibus contineri. Quarum tenor talis est : . . . Notum facimus omnibus Christicolis tam praesentibus quam futuris quod ego Herveus Abbas S. Aegidii de Symighio et nos Monachi eiusdem Monasterii, constituti videlicet in praesentia Jauriensis Episcopi, et Abbatis Varadiensis, et Abbatis de Beel a Domino Papa delegatorum Judicum pro caussa scilicet, quae vertebatur inter Abbatem et Monachos S. Martini de Pannonia et Nos Symigienses communi consilio et consensu totius nostri Capituli, nolentes sequi malitiam et iniquitatem Hilliberti Abbatis, et suorum fautorum, qui perturbabant possessiones Monasterii S. Martini de Pannonia in decimationibus aratrorum, horreorum, cellariorum propriorum, et populorum nostrorum, ac parochianorum Capellae S. Petri, nolentes etiam contraire privilegiis S. Regis, et Romanorum Pontificum, sed malentes iuri parere, quam improbe litigare, promittimus, et firmiter nos, nostrosque successores obligamus ad solutionem praedictarum decimarum, quia eas de iure debet habere, plenam et integram praefato Monasterio faciendam; videlicet: de omnibus aratris, horreis, cellariis propriis et populis nostris parochianis Capellae S. Petri, non impediemus, non faciemus impediri nec per nos, nec per successores nostros; sed omnium praedictorum decimas dictum Monasterium pacifice et quiete possideat, sine nostra, nostrorumque successorum contradictione. Et ut perpetuitatis robur obtineant, has literas fecimus nostro et Conventus nostri sigillo roborari. Actum est hoc anno dominicae incarnationis MCCXV. — Nos autem Dionysius Palatinus audita confessione Abbatis et Monachorum S. Aegidii, inspectis instrumentis Ecclesiae S. Martini supradictis, adiudicavimus, statuimus omnium decimationes supradictorum iuri Ecclesiae S. Martini in perpetuum possidendas. In cuius rei testimonium et

perpetuam memoriam praesentes literas concessimus sigilli patrocinio roboratas. Datum anno Domini MCCXXXVIII."*)

Occurrit demum quidam Petrus Chaholy. Commendatarius S. Aegidii de Simighio anno 1506, qui, cum Matthaeo Abbati S. Martini, Ordinem S. Benedicti Wladislai II. Regis, et Julii II. Pontificis iussu reformanti, parere detrectavisset, per Judices a Sede Apostolica delegatos in ordinem redactus, [1]) et fors beneficio privatus est; nam iam anno 1511 Gregorius Abbas de Somogyvár in publico instrumento comparet, quo praecipua Unionis ex potioribus Monasteriis ad votum Regis constituendae capita stabiliuntur. [2]) Quo deinde anno monasterium hoc desolatum, exustum, dirutum fuerit, non constat. Ante cladem Mohacsianam id factum non fuisse, docent Relatoriae Conventus eius literae, anno 1525 ad infelicem Regem Ludovicum II. super eo datae, quod Valentinus Török de Enyingh, Nicolaus More de Chwla, Nicolaus Dersfy, et alii potentes Nobiles Comitatus Simighiensis in praesentiam regiam pro Matthaeo Archiabbate S. Martini fuerint evocati, eo quod decimas non in natura, sed in denariis persolvere voluerint. [3]) Disperso Conventu Abbatiae titulus bene meritis Viris ecclesiasticis una cum Bonis conferebatur, quibus Ferdinandus II. Imperator, Hungariae Rex desolatae per Turcas minoris Praeposituraе de Albaregali possessiones: Hosszupácz, Német-pácz, et Sz. András-pácz, in Comitatu Zaladiensi exsistentes adiecit, donec Albaregia turcicae tyrannidi erepta in statum pristinum reverteretur; id, quod e supplice libello Pauli Jagustich, Sedis Apostolicae Protonotarii, Juris utriusque Doctoris, Lectoris et Canonici Ecclesiae Zagrabiensis, ad Caes. Regiam Maiestatem fine obtinendae huius Abbatiae directo discimus. [4]) Jam solus eius titulus per Apostolicum Regem confertur, quo hodie gaudet Reverendiss. D. Vincentius Jaross de Nemes-Miticz, Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Canonicus.

XXV.

Abbatia S. Michaëlis Archangeli de Batha.

Initia sua debet S. Ladislao Regi, teste Benedicto XII. Papa, cuius unius auctoritas in aliorum documentorum defectu praeprimis valere, et supplere debet fundationis literas, quae in communi fere monasteriorum veterum naufragio una perierunt. Non est dubium eam a Rege, in res sacras ita propenso, liberaliter fundatam fuisse; at simul etiam adversarios expertam fuisse discimus e bulla eiusdem Pontificis anno 1337 expedita hoc tenore: „Benedictus servus servorum Dei. Ven. Fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem, et Apostolicam benedictionem! Ex-

*) Descriptae sunt hae literae ex Archivi Archicoenobii huius Libro rubro, Sec. XIII. conscripto, qui document aab altioris duntaxat gradus Personis profecta complectitur. — [1]) Caps. 40. D. — [2]) Capsa 24. J. — [3]) Caps. 59. Mm. — [4]) Caps. 53. Ll. — Libellus iste nullum quidem annum exhibet; primis tamen imperii Leopoldi I. annorum decadibus eum tribuere, adiuncta, quae attingit, svadent. — .

igit officii nostri debitum, ut indempnitatibus Ecclesiarum, et Monasteriorum omnium occurrentes Praelatis, et Ministris eorum . . . iustitiae plenitudinem impendamus. Porrectae siquidem nobis dilectorum filiorum. . . Abbatis et Conventus Monasterii Sancti Michaëlis Archangeli [1]) de Bata, Ordinis Sancti Benedicti quinqueecclesien. dioec. petitionis series continebat, quod licet dictum monasterium, quod Beatus Ladislaus Rex Ungariae fundavit, ac multis villis, castris, et praediis dotavit, consvevisset hactenus reflorere in spiritualibus, et temporalibus multipliciter abundare; tamen Ven. frater noster Ladislaus Archiepiscopus Colocensis villam dictam Appati, alias Nodyarki coloc. dioec. valoris annui trecentarum marcharum puri argenti ad ipsum monasterium pertinentem detinet occupatam; et tam ipse, quam praedecessor suus Archiepiscopus Colocen. qui tunc erat, per viginti sex annos villam eandem occupatam detinuerunt indebite, ac iniuste. Ven. quoque frater noster . . . Episcopus Quinqueeccl. suumque Capitulum oppidum dictum Narad cum sex villis, et multis bonis aliis ac possessionibus. . . similiter occuparunt, et detinent occupatum. Et nihilominus Aegidius dictus de Bocoloza, et Stephanus dictus de Curnisso laici... qui praefati monasterii falso praetendunt se fore patronos, iam dictum Monasterium privilegiis, calicibus, ornamentis pretiosis, et pontificalibus, ac mitris, annulis, baculis pastoralibus, libris, auro et argento copioso, nec non multis villis, vineis, piscariis, praediis, et aliis bonis plurimis . . . spoliarunt, et eis detinent spoliatum. Quocirca fraternitati tuae. . . mandamus, quatenus. . . simpliciter, et de plano, sine strepitu et figura iudicii facias auctoritate nostra super praemissis iustitiae complementum. . . . Datum Avinione V. Kal. April. Pontificatus nostri anno III." [2])

Sita est Abbatia haec in Comitatu Tolnensi loco depresso, ubi flumen Sárviz in Danubium cadit. Tota haec regio palustris est, et a frequenti aquarum exoneratione uliginosa, humanae sanitati multum adversa. Rudera quaepiam adhuc videntur ibidem caricetis immersa. Accrevit monasterio locus, qui hodie sub nomine oppidi de Báta venit. Aliter, et fors rectius sentit Reverendiss. D. Michaël Haasz, Praepositus S. Benedicti de Sümegh. Is nomen loci a Bato, praecipuo Pannoniorum adversus Romanos Duce derivat, qui invisum genti suae romanum iugum excutere conatus, sed ad Dravum victus, et Romam ductus Tiberio Caesari de seditione sciscitanti fortiter respondit: caussam ei Romanos praebuisse, qui gregibus suis non pastores, sed lupos praeficerent. Ceterum Fessler, celeber auctor narrat, Monasterii veteris rudera in monte oppido imminente eius aevo adhuc conspicua de magna eius extensione testimonium praebere; sed haee paucis abhinc annis solo aequata sunt. Sane, primaevum monasterium montem insedisse spectata Ordinis Benedictinorum consvetudine, etiam si rudera non loquerentur, verisimile est: fieri tamen poterat, ut commoditatis, aut cuiuscunque alterius rei caussa, sic ferentibus adiunctis, serius aliud in loco depresso structum fuerit; si rudera, quae in cariceto dicuntur exsistere, tanta sunt, ut ex iis ad monasterium concludere necesse sit.

Joannes de Gara in praelio contra Joannem Hervoya Ducem Spalatensem, clientelam Regis Sigismundi excutientem pugnans, captus, et in vincula coniectus, obtenta libertate sua vincula, seu ut Thuróczius loquitur: „ingens ferramentorum pondus, quibus vinctus erat, in monasterio de Batha ad gloriam pretiosissimi sanguinis Domini redemptoris nostri, pro illius, quod ibidem voverat, redemtione voti, futuram

[1]) Nunc Abbatia haec sub titulo B. Mariae V. conferri solet. — [2]) Koller: Hist. Episc. Quinq. II. 467. — [3]) Danielik: Emlékkönyv. II 880. unde omnia fere, quae de hac Abbatia sequuntur, desumsimus. —

ad memoriam reliquit." P. IV. C. 16. — Bonifacius IX. Papa Mauritium, Pécsváradiensem monachum anno 1403 Abbatem ibidem constituit. — Nicolaus V. Papa, ceteros inter, Ladislaum Abbatem de Batha ad Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis restaurationem a proportione proventuum monasterii concurrere iubet. — Calixtus III. imminente periculo turcicae in Hungariam expeditionis Joanni Cardinali Diacono litem inter Episcopum Quinqueecclesiensem Nicolaum et Abbatem de Batha Ladislaum super decimis de Bátha, Apáthi, et Háy dirimendam commisit. Memoratu digna sunt verba Pontificis concernenti Rescripto inserta: „Non expedit, inquit, in Romana Curia litigare hoc praesertim tempore;" tum subdit: „nos, qui omni desiderio cupimus dictos infideles opprimi, et omnem occasionem tam publicam, quam privatam, quae his impedimentum aliquod offerre posset, removere, motu proprio" etc.

Pridie cladis Mohacsianae Ludovicus II. infelix Hungariae Rex, in hoc monasterio agebat, ubi Paulum Tomory, et Joannem Zápolya summos Duces belli constituit; huius absentis, donec apelleret, vices fratre eius Georgio obituro. Post cladem, 1ª Septembris Religiosi fuga salutem quaerentes, nominatim: Joannes Csuvák, Paulus Kálmány, Dionysius Bátay, Emericus Bajay, et Gregorius Babocsay, quos totidem cives eiates comitabantur, cum sacris vestibus magni pretii a Joanne Corvino, et aliis Regni optimatibus, et opulentis civibus olim Ecclesiae huic donatis ad oppidum Alsok [1]) pervenerunt. Quo comperto Matthaeus de Tholna Archiabbas, Matthaeum Lectorem Michaëlem de Jaurino Cellerarium, et Nicolaum Capellanum suum expedivit, qui sacram hanc supellectilem ab eis reciperent, quod hi, frustra illis renitentibus, fideliter exsecuti sunt. Existimaverit scilicet Matthaeus Archiabbas sibi, qua Ordinis Benedictini Praesidenti perpetuo, curam huius etiam monasterii incumbere; securiusque pretiosa haec in arce S. Martini conservatum iri, quam si periculis itinerum turbulentis, ut erant, temporibus exponerentur. Ex octodecim ita salvatis paramentis tria erant donum Augustini Nagy, civis Báthensis; quod indicat, cives Báthenses sub dominio monachorum opulentiores longe fuisse, quam unquam postea.

Anno 1617 Abbatiam hanc Georgius Zlatinay a Mathia II. Rege obtinuit ita, ut omnes eius proventus percipere possit, uti „quidem per moderni temporis constitutionem, et turcicam tyrannidem licet." — Anno 1639 tenuit eam Michaël Veresmarti Canonicus Posoniensis, per Petrum Pázmánum ad fidem catholicam reductus. Scripsit is ad suos subditos Batenses lingva patria opus, cui titulus: Intő és tanító levél mellyben a régi keresztény hitben a bátaiakat erősiti apáturok. Pozsony. MDCXXXIX. Quod antequam ederet, Archiabbati Mathiae Pálffy amico suo misit, per quemdam eruditum Religiosum Archicoenobitam, quem non nominat, sedulo revidendum. Opusculum est, iudice D. Praeposito Haasz, seu materiam, seu formam spectes, insigne, stilo plano, rudis plebeculae ingenio, et captui accommodatissimum. Eius unum exemplar fisco oppidi (Város-ládája) thesauri instar imponi, aliud Parocho loci tradi iubet, ex quo populum intra et extra Ecclesiam erudiat, cui etiam Rituale, tum Biblia hungarica interprete Georgio Káldy Soc. Jesu, et librum sermonum sacrorum eiusdem Káldy dono misit. [2]) Repulso Turca, potissimum Religiosi S. Francisci Religionem catholicam in oppido Bátha conservarunt.

Anno 1690 collata est Abbatia Jacobo Ferdinando Jani Episcopo Saman-

---

[1]) Hodie Szent-Mártou in Monte Pannoniae. — [2]) Confer supra pag. 124. —

driensi, quem anno 1704 furentes Rákóczíani noctu ibidem domi suae crudeliter trucidaverunt. Hoc vivente Placidus Archiabbas eam Ordini Benedictino petebat restitui, et a Leopoldo I. Imperatore promissum accepit, congrua eatenus, ubi vacaverit, dispositum iri. Sed licet Carolus III. Rex prius promissum anno 1724 confirmaverit, effectus non respondit; negotio in dependenda, titulo expensarum belli, redemtionis taxa subinde adhaerente. Quapropter anno 1728 Cardinali Sigismundo Kollonics Viennensi Archiepiscopo collata fuit, qui novam in Bátha erexit Ecclesiam, eique conservandae 1500 fl. attribuit. Hoc defuncto anno 1751 Archiabbas Benedictus pro ea M. Theresiae Reginae Posonii supplicem libellum porrexit, sed responsum accepit, eam iam collatam esse. Assignata scilicet fuit Collegio Societatis Jesu Nobilium Theresiano Viennae fundato, postquam Odonis Koptik, Abbatis Dömölkiensis talem Convictum pro Ordine S. Benedicti lucrandi molimen aliorum culpa intercidisset. Sublata Societate Jesu, Josephus II. Imperator anno 1784 hanc Nobilium Academiam pariter sustulit, et ex Abbatiae proventibus 16,000 florenorum stipendiis Nobilium publice studiis operam navantium assignavit. Hodie iterum Academia Theresiana possidet oppidum Báta et Bátaszék, item possesiones Decs, Pilis, Nyék, Nána, et Várdomb, cum pluribus praediis. Oppidum Báta iam dudum, Abbatum suorum benevolentia, a manualium, aut currulium laborum servitio immune fuit.

Memorabilis est haec Abbatia etiam propter evidens miraculum, quo in sacra hostia sangvis cum portiuncula quadam Christi carnis conspicua fuit, „ut affirmant, inquit Ranzanus, innumeri, qui viderunt.“ Verantius quoque in suo itinerario Batham olim sacro sangvine memorabilem affirmat.[1]) Gregoriancz pariter in Breviario rerum hungaricarum „ultra Budam, inquit, Paks, Tolna, Sexard, et Bátha, Abbatia opulenta, et sacramento miraculoso olim celebris, quam flumen Sáros (nunc Sárviz) praeterfluit.“ Quid? quod et Garaianum catenarum anathema, supra pag. 229 relatum, ad idem miraculum evidenter alludat? et pretiosae sacrae vestes, quarum supra meminimus, e singulari fidelium in Sanctissimam Eucharistiam devotione S. Michaëlis Ecclesiae accessisse videantur.

Schematismos Regni Hungariae Abbatia S. Michaëlis Archangeli de Bátta primum circa annum 1834 ingressa est, cuius titulo fruebatur Reverendissimus D. Josephus Farkas, Cathedr. Eccl. Quinqueecclesiensis Lector et Canonicus. Iidem Schematismi Abbatiam B. Mariae Virginis de Batta iam inde ab anno 1760 memorant, quae, utpote toti retro historiae ignota, nunquam exstitisse, et a priore solo nomine differre videtur. Titulo eius ornatur hodie Reverendiss. D. Jos. Ferenczy, Metrop. Eccl. Agriensis Cantor et Canonicus.

---

[1]) Hac de causa olim haec Abbatia etiam Sacratissimi Corporis Christi titulo gaudebat. Patet hoc ex Decreto Ludovici II. Regis, quo Matthaeo Archiabbati anno 1521 graviter iniungit, ut Abbatem S. Michaëlis Archangeli, et Sanctissimi Corporis Christi de Bátha a dissipatione Bonorum suae Abbatiae, et colonorum oppressione coerceat et si necessitas id secum tulerit, ipsa etiam Abbatia privet. — Caps. 65. Ss. —

XXVI.

Abbatia B. Mariae V. de Szent Jobb.

Varia est Abbatiae huius compellatio: dicitur enim de S. Jobo, sacrae dexterae S. Stephani, Szent jobbkéz; Szent Jogg, tandem etiam de Berekys. Aliquam notitiam de ea reliquerunt Chartuitius, et Bonfinius. Ita ille: „illud vero, inquit, tantum in fine codicis adiicere libet, miro divinae benignitatis munere diu quaesitum, et minime repertum annulum cum ipsius beati Regis dextera, post eius peractam translationem inventum esse. Nam Monachus quidam, nomine Mercurius, qui cum esset clericus, thesauri beatissimae semperque Virginis Mariae custos fuerat, et iam amore coelestis patriae seculo valefecerat; ea hora, qua S. Regis tumulus apertus fuit, ne quid sacrarum reliquiarum ad se raperet, obiurgatione Regis, procul inde remotus fuit. Sedenti igitur in choro tristi vultu, iuvenis quidam, candido amictus habitu, pannum involutum tradidit, ita dicens: hunc pannum tibi servandum commendo, opportuno tempore in lucem proferendum. Sacro inde ministerio expleto, monachus in quodam angulo domus explicat pannum, integramque pii Regis manum, cum annulo mirifici operis cernens, expavescit; nulloque conscio, ad monasterium suum, cui praefectus erat, eam absportabat, tempus a iuvene sibi memoratum praestolaturus. Et diu sane thesauri illius, in agro absconditi, solus ipse custos pervigil fuit; deinde monasterii eius fundatoribus rem aperuit. Postremo appropinquante iam tempore, quo erat illud arcanum in publicum efferendum, ad Regis quoque notitiam perduxit. Is vero mox accitis Episcopis, et Hungariae primariis viris, cum multa interim Christus miraculorum beneficia exhiberet, celebrem praefixit diem, beatae Regis dexterae elevandae.“ [1])

Timon haec figit ad annum 1078, ubi de S. Ladislao sic loquitur: „Idem Abbati Mercurio monasterium instaurat ad radices montis Carpati, ob dexteram S. Stephani asservatam, quam divinitus a iuvene, candida veste amicto, panno involutam acceperat.“ Prosequitur historiam Bonfinius, cuius chronologiam Timon secutus est: „id autem salutis anno supra millesimum septvagesimo octavo accidisse illius coenobii scripta, et privilegia sane testantur, Abbatiamque regiae dextrae nunc appellant. Cui tempestate nostra Antonius Salonensis, vir magno ingenio, ac sacris literis non mediocriter eruditus praefuit, et privilegia . . . nobis ostendit.“

Eadem haec privilegia cum iis fuerint, de quibus Marcellivichius apud Kercselichium sic loquitur: „Exstat antiqua litera plicata, an copia, an authentica, ob antiquitatem nescitur, in qua Carolus Rex ad preces Joannis Abbatis ecclesiae S.

---

[1]) Schwandtner: Script. rer. hung. I. —

Dexterae confirmat privilegium condam Belae Regis, in quo idem Bela exponit, qualiter Simon Abbas Berekis petierit, ut privilegium Stephani Regis, Regis Jessae (Geysae) filii, avi ipsius Belae, in quo universa Bona monasterii Berekis continentur, renovaret; quod privilegium in se contineret, . . . quod anno regni S. Ladislai septimo, Christi vero 1078 [1]) revelata est dextera S. Stephani Regis, quae in revelatione eius corporis furto sublata, et per Mercurium, Patrem Kapanani Albensis Praepositi, qui Mercurius postea eiusdem ecclesiae Archiabbas exstitit, in eum locum, in quo nunc adoratur, ablata fuerat. Quo audito Ladislaus Rex stipatus nobilibus ad eam adorandam, et ad corpus reportandam advenerat; sed, quum ab eodem Mercurio didicisset, hoc divino factum esse consilio, ut eo S. Dextera collocaretur: veritus S. Rex, ne S. Stephanum regem offenderet, de suorum consilio monasterium ligneum in honorem B. M. Virginis in eodem loco fundavit, ac ex suis Udvornicis praediis dotavit. Moriens deinde Almo Duci, ut e muro aedificaret monasterium, commisit; quod et fecit."

„Colomannus deinde monasterium tributo per Ladislaum Regem dato privavit, illudque filiis Pauli, Palatini Comitis, et Cornelio commisit, qui post privilegium S. Ladislai combusserunt. Postea vero, cum piissimus Rex Geysa, Belae Regis filius hoc comperisset, monasterium profanatum, ab Agriensi Episcopo, ac a Ded. Episcopo Vaciensi cum consensu Lucae Archiepiscopi consecrari fecit, tributumque restituit et a plebano custodiendum dimisit. Mortuo hoc rege, Jeronymus, et Cornelius, abbate expulso, praediisque direptis, monasterio diruto, locum fecerunt desertum. Quare coram rege Stephano, regis Jessae filio, secundum canones convictos idem Lucas Archiepiscopus excommunicavit, denunciavit. Rex deinde monasterium restituit, soliusque Regis, et Archiepiscopi Strigoniensis auctoritati subiecit." [2])

Monasterii locum Bonfinius ad Carpathi montis radices figit, cui Marchelevichius congruit, qui producto documento monasterium illud Berekis appellat. Est autem Berekis, ut Pray observat, idem cum Szent Job, Bihariensis provinciae oppido, quod tribus milliaribus Varadino boream versus disiungitur, id, quod nomen suum non Jobo debet, sed Dexterae S. Stephani, quae patrio sermone Szent Jobb audit. Istud serius corruptum in Szent Jog abiisse docet Collectio Decimarum papalium, ubi Paulus Abbas de Sz. Jog 4 marcas solvisse scribitur. Imo istud ipsum nomen sigillum etiam Conventus eiatis, qua olim Loci credibilis, exhibet.

Coenobium isthoc pro Benedictinis fundatum fuisse, et id adhuc seculi XV. fine eos incoluisse Prayius [3]) utcunque ostendit. Verum anno 1510 illud S. Pauli I. Eremitae occupatum detinebant; adversus quos Matthaeus Archiabbas, qua totius S. Ordinis Benedictinorum per Hungariam Generalis Praesidens, apud Julium II. Papam praesidium quaesiverat, et delegatos per hunc Judices e Colocensi Capitulo: Praepositum scilicet, Cantorem, et Generalem Vicarium obtinuit. [4]) Quorum sententia quidem hac in caussa ignoratur, certum tamen est Abbatiam hanc Paulinorum Ordinem suam fecisse e sequentibus literis: „Nos Capitulum Ecclesiae Scepusiensis . . . . quod Religiosus Frater Georgius, Prior Generalis Fratrum Eremitarum Ord. S. Pauli primi Eremitae regulam S. Augustini Episcopi profitentium, personaliter coram nobis constitutus exposuit. . . . Quomodo proxime elapsis annis, postquam Egregius

[1]) Male istud pro 1083. — Error inde facile ortus, quod oscitans librarius loco MLXXXIII, scripserit MLXXVIII. — [2]) Katona: Hist. crit. II. 455. — [3]) De Dext. S. Steph. p. 33. — [4]) Caps. 35. M. —

Franciscus Némethi a fidelitate S. C. Regiaeque Maiestatis Domini nostri Clementissimi defecisset, idem claustrum Sz. Jog vocatum in Comitatu Bihariensi exsistens habitum ad praefatum Ordinem Eremitarum de iure pertinens cum omnibus oppidis, possessionibus, praediis, villis . . ad dictum claustrum de iure et ab antiquo spectantibus . . . a praefato Ordine abalienatum pro se occupasset, occupatumque etiam modo teneret, et possideret potentia mediante. . . . Datum feria sexta, proxima post festum Simonis et Judae Apostolorum, anno Domini 1563."

Abbatia haec etiamnum inter reales est; conferturque ab Apostolicis Regibus nostris cum honoris titulo, etiam realis Bonorum possessio. Defuncto Comite Carolo Hannibale a Dietrichstein L. Barone in Rabenstein, Finckenstein, et Landskron, Metropol. Salisburgensis, et Cathedr. Augustanae Ecclesiarum Canonico Capitulari, qui eam 57 annis tenuit, collata est Antonio Mandics, Episcopo Pristinensi, et Locumtenentiali Consiliario anno 1794. Anno 1806 eam Stephanus L. B. Fischer de Nagy-Szalatnya, Perpetuus in Bacsko, Episcopus Szathmariensis obtinuit, a quo tempore Szathmarienses Episcopi constanter eius titulo, et reditibus potiuntur: quos non pridem defunctus Excellentissimus Dominus Joannes Hám, Szathmariensis Episcopus, fundatis in civitate, Szathmár-Németi dicta, Fratrum et Sororum Misericordiae domiciliis optime collocavit.

XXVII.

Abbatia S. Helenae de Földvár.

Fundavit hanc Bela II. coecus dictus, qui oculorum defectum vigili cura, flagranti pietate, magnifica liberalitate, mira providentia, cèterisque virtutibus egregie sarsit. Inter reliqua pietatis, et liberalitatis opera unum e primis censenda est Abbatia de Földvár, titulo S. Helenae insignita, fortassis ad perpetuandam Helenae Reginae, coniugis suae pientissimae in tam praeclaro opere memoriam. Digna plane erat constanti apud posteros memoria prudens Regina, quae regimen coeci Regis ita moderabatur, ut Regno Hungariae undequaque felicitatem procuraverit. Eam Urosii, Serviae Principis filiam fuisse notum est. Certus, quo eam fundavit, annus defigi non potest, ob defectum literarum fundationalium, quas Calanus Quinqueecclesiensis Episcopus violenter occupavit, et simul, ut opinor, etiam suppressit; cum eae nunquam postea in lucem productae compareant. Caussam Episcopo ita agendi non puto aliam fuisse, quam exemptionem, quam Rex Bela monasterio attribuit, communi Episcopali Jurisdictioni contrariam; uti id sequens Innocentii III. Papae Rescriptum innuit:

„Vaciensi, et Cenadiensi Episcopis et Abbati Siricensi . . (Zircensi) . . . Cum dilecti filii S. Abbas de Földvár et Magister Obertus nuncius Ven. fratris nostri C . . . Quinqueecclesiensis Episcopi

pro quaestione, quae vertitur inter eundem Episcopum, et ipsum Abbatem ad nostram praesentiam accessissent; Nos eis dilectum filium nostrum G. S. Nicolai in carcere tulliano diaconum Cardinalem concessimus auditorem. In cuius audientia Abbas proposuit memoratus, quod, cum esset in procinctu itineris ad romanam Ecclesiam veniendi, et supradictus .... Episcopus ad Monasterium suum hospitandi caussa venisset, privilegium, quod clarae memoriae B. quondam Rex Hungariae super Ecclesiae suae libertate concesserat, quam a Jurisdictione prorsus Episcopi exemptam esse proponit, et pecuniam, quam paraverat ad expensas itineris, illi abstulit violente, ipsumque in Claustro quodam Cisterciensis Ordinis carceri mancipavit; ne posset vel ad Regem ire, vel Romanam Ecclesiam visitare. Subsequenter vero, cum ad suam Abbatiam eum dictus Episcopus remisisset, et coram Rege proposita super hoc querimonia fuisset, inficiatus se privilegium eius et pecuniam accepisse, dictus Abbas, ut suis, et Ecclesiae suae gravaminibus provideret, vocem ad nos appellationis emisit... Datum Laterani III. Kal. Febr. anno 1199." — Quamvis autem Obertus, Calani Procurator responderit, Abbatem super falsitate privilegiorum ab Episcopo convictum, non appellantem nec contradicentem, fuisse depositum, et ad monasterium Cicador ad poenitentiam peragendam missum, ea nondum peracta Abbatiam suam per potentiam laicalem invasisse, Clericos verberasse; ideoque per Episcopum pluries citatum, et contumacem excommunicatum fuisse, et hoc non obstante divina officia celebrare, et bona monasterii dilapidare; non negat tamen privilegii, et pecuniae rapinam, ob quam Calanum Abbas coram Pontifice accusavit. Quapropter Papa sapientissime disponit, ut Abbas ab excommunicationis vinculo absolvatur; cumque propter monasterii libertatem Calani Jurisdictioni non subiacuerit, et propter appellationis remedium ab Episcopo tutus esse debuerit, in veritatem horum Abbatis allegatorum Judices sedulo inquirant; et, si ea vera esse compererint, Episcopo silentium imponant, et Abbatem plene indemnem praestent; reformantes in statum debitum, quidquid post recessum Abbatis circa monasterium invenerint immutatum.[1])

An Episcopus, an Abbas coram delegato hoc iudicio succubuerit, definiri nequit. Quod enim Abbas coram Rege frustra questus fuerit, contra Abbatem nihil probat, qui magna Calani auctoritate[2]) factum negantis opprimi poterat. Suspensum ab officio pontificali Calanum non fuisse credo; nec debuit suspendi, si convictus tam privilegium, quam pecuniam illico restituit. Laudem Innocentii, meo iudicio, multum temperant illa verba: „qui eum hactenus in Ecclesia Dei columnam immobilem novimus perstitisse, nec cadere posset absque gravi, et grandi ruina, maiori forsan Ecclesiae, quam personae." Qui legit, intelligat!

Et reapse monasterium hoc ab Episcopi Quinqueecclesiensis Jurisdictione fuisse exemptum, adeoque Calanum eam in Abbatem illum inique exercuisse, constat ex rescripto Bonifacii IX. Papae de anno 1400: „Dudum siquidem, inquit, ad nostram notitiam deducto, quod de antiqua, et adprobata, et hactenus pacifice observata consvetudine Péchvaradiense, et Sexardiense, ac de Bata et de Földvár ... monasteria sub omnimoda iurisdictione in Spiritualibus Archiepiscopi Strigoniensis pro tempore exsistentis pleno iure fore dignoscantur."[3]) Quam exemptionem Pius Papa II. anno 1464 con-

[1]) Koller: Ep. Quinq. I. 306. — [2]) Totius Dalmatiae, et Croatiae Gubernator erat. — [3]) Péterffy: Concil. Hung. II. 288. —

firmavit. — Anno 1225, Honorius Papa III Episcopo Vaciensi, et Abbati Földváriensi mandat, ut Monasterio S. Martini ab Andrea II. Rege satisfactionem super variis damnis procurare conentur. Uladislaus II. anno 1494 contulit Abbatiam Petro, Colocensi Archiepiscopo, quae non multo post per hostem internum et externum vastata et desolata fuit.

Fuit structura monasterii et Abbatiae loco perquam commodo ad marginem Danubii, quem locum S. Stephanus in diplomate anni 1009 Zemogny appellat vocabulo slavico, quod idem est ac Földvár, quod tunc adhuc Slavi incolebant. Erat olim romanum praesidium Anamatia dictum, ab Aquinco, ubi nunc Vetero-Buda. 61 millibus passuum iuxta Itinerarium Antonini distans; quod nostris undecim geogr. milliaribus respondet.[1]) Desolatum monasterium, cum speciem arcis praeferret, ultimo bello Rakocziano Seculi XVIII. initio, praesidii militaris vicem obibat, quod anno 1705 per Caesareum militem possessum Bothian ex humili genere belli acer et expertus Dux, turbandae inferae Hungariae a Rakoczio praefectus[2]) summa virium contentione frustra oppugnavit; nec nisi educta inde ad Transsilvaniam potiore militiae parte occupavit.[3])

Anno 1714 Franciscanus a Buda appellatus, Provinciae Bosnae Argentinae, administravit qua Parochus oppidum Paks cum Ecclesia diruta, in oppido Földvár degens, in quo erat Ecclesia S. Helenae desolata. Post aliquot tempus Parochia erecta, cum ad Abbatiam exemptam pertinuerit, Strigoniensi Archiepiscopatui adscripta fuit; sed anno 1775 naturali suo Dioecesano per Bullam Pii Papae VI. attributa est; quo tempore iam quae nunc est Ecclesia, per L. Baronem Ladislaum Mednyanszky, Canonicum Strigoniensem, Abbatem de Földvár erecta, stetit in honorem S. Helenae dedicata[5]) anno 1725. Ab hoc Abbate Földvárienses immunitatem a servitiis operarum, vulgo Robot, obtinuerunt, nihil praeter decimam et censum domalem in duobus fl., aut si domus opificis esset, tribus fl. 48 cr. de fixum, exigente.[4])

Anno 1747, Abbatiam hanc Josephus Princeps Hasso-Darmstadtensis tenuit, cuius titulum in Calendario Jaurinensi titulari et politico, cui longe post Schematismus Regni Hungariae successit, sic lego: „D. Josephus Episcopus Augustanus, Abbas S. Helenae de Földvár, Hessiae Landgravius, Princeps Hirschfeldae, Comes in Katzenellenbogen, Dietz, Ziegenburg, Nidda, Schamburg, Isenburg, Ozüdingen.“ Quo mox defuncto, agente potissimum Odone Koptik, Abbate Dömölkiensi, Collegio equestri Nobilium Josepho-Carolino, quod Oddo Salisburgo ad Hungariam transferre conabatur, per Reginam M. Theresiam destinabatur; si titulo redemtionis 27,000 fl. Aerario regio numerarentur. Quam summam, cum Abbas S. Crucis in Austria Ordinis Cisterciensium boni publici caussa, quod ex eius Collegii in Hungaria erectione etiam in Religionem catholicam promanaturum non vane sperabatur, dependere paratum se exhiberet; Benedictus Archiabbas Abbatiam Benedictinam non Cisterciensium, sed Benedictinorum Ordinem respicere quiritatus, tantundem obtulit, non bono Collegii omni respectu Patriae utilissimi: sed ut numerus Abbatiarum Ordinis S. Benedicti, in Hungaria vigentium augeatur. Quo pacto negotium laudati Collegii equestris Nobilium ita confudit, ut Abbatia nec Abbati S. Crucis, seu verius Collegio equestri Nobilium, nec Archiab-

---

[1]) Gehler: phys. Wörterbuch. B. VI. pag. 1249. — [2]) Wagner: Hist. Leop. p. 57. — [3]) Haasz apud Danielik: Emlékkönyv. — [5]) Ibidem. — [*]) Hodie Ara maior pro vetere S. Helenae amoena icone, eam Inventionis S. Crucis, infelicis penicilli opus, exhibet. [4]) Ibidem. —

batiae cesserit, anno demum 1769 tamen in bonum publicum Universitati Societatis Jesu Tyrnaviensi assignata, quam, sublata hac Societate Budam, inde Pestinum translatam hodiedum alit. Titulum eius hodie tenet Reverendiss. D. Sigismundus Daróczy de Király-Darócz, Cath. Ecclesiae Quinqueecclesiensis Canonicus, et Archidiaconus Cathedralis.

XXVIII.

Abbatia B. M. V. et S. Petri Apostoli de Csatár.

Regnante Bela II. fundata est Abbatia Csatáriensis in Comitatu Saladiensi, et Dioecesi Vesprimiensi a Martino, Comite eius Provinciae anno 1138. Variae fuerunt loci denominationes, Chibari, Chitari, Kathari, et tandem aevo nostro universim Csatár dicitur. Primitus Abbatia sub nomine S. Petri veniebat, modo B. Mariae V. audit. Apud veteres Hungaros usu ferme communi, piae fundationes sub Sancto B. V. Mariae nomine, tanquam primariae Patronae, consecrari solebant; quamquam sub alterius Sancti nomine eas vocari vellent. Sic Almus Dux Demesiensem Praeposituram S. Margarethae fundavit, addito praenomine S. Mariae. Idem in Péchvaradiensi, Tihaniensi, et aliis Abbatiis factum. Csatáriensem Abbatiam Comes Martinus D. Petro sacram voluit, et obsoleto iam hoc titulo Abbatia B. M. V. de Csatár dicitur. Primos Benedictinos e templo hierosolymitano Sanctae Mariae de latina dicto, quemadmodum ad S. Aegidium de Simighio ex Gallia, illuc evocatos fuisse discimus e diplomate Stephani III. Regis Hungariae. Benedictinos in Templo hierosolymitano, antequam Templarii fundarentur, a Christianis venia Caliphae fuisse institutos notum est. Horum primarium officium erat, peregrinos advenas secundum regulam ut Christum excipere, et infirmis obsequia humanitatis et christianae caritatis exhibere. Harum rerum de ipsis fama etiam in Hungariam penetravit, et e diplomate Stephani III. mox recitando advertitur hac de caussa eos a Martino Comite horsum fuisse evocatos. Fundationale diploma sic sonat:

„In nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis. Notum sit omnibus S. Ecclesiae Dei cultoribus, tam clericis, quam laicis, quod Rex Bela inclitus in conventu Strigoniensi, ubi filio suo Ladislao communi regni consilio Boznensem Ducatum dedit, in insula Abbatiae Monialium, ubi est Ecclesia Sanctae Mariae, Archiepiscopo Feliciano praesidente, et ceteris Episcopis praesentibus, scilicet: Macario, Saulo, Martirio, Petro, Valtero, Zachaeo, Macellino, et curiali Comite Franzello, Matthaeo Comite, Acus, Dominico, Philippo Teutonico, Dionysio, Misca, Nicolao, Anprud, Georgio Colaensi, et advocatis fratribus cum patribus, quorum omnium hereditatem Martinus Comes diviserat, praesente suo Germano Micusa Comite, et Alpreto Comite, etiam Amando adoptivo filio suo, Mercurio, Alprado,

Rothardo, Joanne, his nihil contra dicentibus Bela rex concessit Martino Comiti ad placitum sua ordinare. Gratiam, quam Pater concesserat, concessit succedens filius in Regnum Geyza, praesente Belos Duce, et Hitelano Praeposito, Quuchino Praeposito, et Calixto, et Juliano Comite, et Rolando, praedium Chibary, in quo monasterium est aedificatum, quod erat cum fratribus suis commune, cambivit mutando a filiis Andreae... Curiam vero illius loci tantummodo dedit uxori suae... ea vero conditione, ut quamdiu viveret, haec omnia sub potestate haberet; si autem matrimonio ducta fuerit, vel morietur, supradicto monasterio remaneant. In eodem praedio dedit monasterio quatvor aratra [1]) cum duodecim mansionibus, insuper dedit homines, qui serviant Abbati, qualiter praeceperit.. Libertos vero, quos emit Martinus Comes a Bodrogiensibus, qui vocantur Grab, et Odmat, quinque domos ad idem officium, quo prius utebantur,.. alios etiam dedit libertos, qui evenerunt sibi de interfectione Joannis... Item dedit praedium de Szala, quod sibi dedit Rex; praedium fertei cum uno aratro, et tribus mansionibus. Praedium Galavi, quod dedit Rex pro praedio suo.. Sár.... dedit monasterio cum decem mansionibus .. praedium Illon, quod emit a Czalaensibus XC pensis, et XVI bobus, et duobus equis, dedit monasterio cum uno aratro, et tribus mansionibus, et uno molendino. Terram vero, quam emit a Joanne filio Zlaust soror, quorum posuit servos suos habitatores.. Tolkaz cum fratribus suis. Terram Cernitz, quam Apa comes acquisivit gratia Regis. Finto mortuo, filio Finti, Rex dedit Martino Comiti. Quaesitor Zah comes illam dedit monasterio. Terram, quam emit a Symeone, filio Nicolai comitis ultra Dravum C pensis, et duobus dextrariis dedit monasterio. Terram, quam habuit gratia Stephani Regis in Zagrabiensi Parochia scilicet Szemeza... Illam Néteg, quam fecit fodi pretio DCC pensis in Zaccam cum duobus piscatoribus, et cum terra unius aratri, scilicet terram Siroe dedit monasterio. In Chitar duas vineas.. cum vinitoribus dedit monasterio, in Treipin unam vineam, cum vinitore, aliam quam dedit Zcabislaus unam in Racolen, unam, quam dedit Sarlat. Dedit monasterio CC equos, et CC boves, porcos CC, et oves MD. Haec omnia cum pastoribus..."[2])

Quantacunque haec dos monasterio Chitariensi a fundatore Martino Comite fuerit attributa, eam nihilominus Magdalena eiusdem coniux auctam, suamque in illud piam liberalitatem hoc instrumento testatam voluit: „Notum sit omnibus.. quatenus ego Magdalena Martini comitis uxor, pro animae meae, dominique mei Martini remedio, proque omnium meorum salute propinquorum S. Petri monasterio, quod in Kathariensi construximus praedio, praedium Mura, quod Dominus meus Martinus pro dotalibus vestibus mihi concesserat, ordinavimus cum duobus aratris, et novem mansionibus.. in eodem praedio dedi novem silvestres equos, et XX porcos, et X vasa apum. In praedio Ferde dedi CLX oves cum pastoribus. Insuper aliud praedium dedi in Sagan, quod emi XXX pensis de filio Petus Centurionis. Praeterea concessi duos cubicularios, unum textorem, unum coquum, et quatvor puellas. In Bogota quinque vineas, cum quinque vinitoribus, quorum duo servi sunt, sine uxoribus; tres vero debitores. In Racolian unam vineam cum vinitore, aliam in Colos cum vinitore. Altomano filio meo... uxori filii mei Altomani unum monile aureum, et armellinas pelles. Hanc autem dispositionem, quam de meis propriis, non de rebus alienis, non pro me tantum, ... supradictae ecclesiae S.

---

[1]) 1025 iugera nostratia 1200 orgiarum quadratarum. Ubi nota, uni aratro iterum 3 mansiones assignari
[2]) Róka: Vesprim. Praesul. pag. 49. —

Petri ordinavi, si quis violenter avertere conatus fuerit, in communi, tremendoque iudicio ante Dominum, coram Sanctis omnibus rationem pertimescat, anathema redditurus."[1])

Ne vero e posteris quispiam bonis monasterio S. Petri traditis ungues apponere posset; fundationem a Martino Comite, uti et per Dobica huic monasterio factam donationem Stephanus III. Rex diplomate sequente confirmavit: „Notum sit omnibus tam praesentibus, quam futuris, quod ego Stephanus Dei Gratia Hungariae .. Rex, ... Vidoni filio Dobica suae, et multorum meorum nobilium petitioni concessi, quod fratribus Jerosolymitanis pro remedio animae meae, atque suae, hoc daret donum, videlicet praedium Szala, et Monasterium in honorem B. Petri dedicatum, ut aliud praedium ex alia parte Szala, tertium vero quod vocatur Chuchinius cum omnibus appendicibus eorum, sine omni contradictione suorum Parentum supradicti fratres, et socii pauperes hospitalis domus ad honorem laudemque Dei in perpetuum tenerent. Ut autem haec institutio firma, stabilisque permaneat.. Smaragdo comite privilegium scribi, et sigillo regali muniri feci.. Data autem haec chartula nono Cal. Novembris, anno dominicae Incarnationis 1166."[2])

Quantum libri ante inventam typographiae artem valuerint, et quam aequus Patronus monasterio de Chatár obtigerit, publicae literae Conventus S. Adriani de Zala, anno 1263 datae loquuntur; in quibus cetera inter haec legimus: „Frater Blasius miseratione divina, Abbas monasterii beati Adriani de Zala, totusque loci eiusdem Conventus: Universis Christi fidelibus salutem in filio Virginis crucifixo: ... Ad universorum ... harum testimonio literarum (notitiam) volumus pervenire, quod Magister Wyd, filius Pethed, de genere Gutkeled, una cum Hypolito, Alexandro, Dama, filiis fratrum suorum coram nobis comparendo dixit, ut, cum in quadam necessitate sua librum bibliaticum monasterii sui de Chatár, quod in sua custodia et protectione speciali fuit ratione patronatus, obligasset pro septuaginta marcis Judaeo Farcasio de Castro ferreo, et idem liber in eadem obligatione fuisset amissus, nihilominus possessionem suam iuxta fluvium Mura, apud Ecclesiam S. Michaëlis existentem, in suum ius proprium cedentem, ac partem suam in Laploch, in Comitatu Simigiensi existentem, quae sibi cedit in divisione, ipsi monasterio beati Petri Apostoli de Chatár, ex permissione, et voluntate bona fratrum suorum personaliter astantium, ac aliorum fratrum suorum, pro quibus Hypolitus, Alexander, et Dama responsum dederunt, perpetuavit irrevocabiliter possidendam. — Ne igitur per quempiam ... ipsum factum queat in irritum revocari, literas nostras privilegiales concessimus nostro sigillo confirmatas. Datum in festo Beatae Elenae reginae, anno gratiae M. CC. sexagesimo tertio. Fratre Geuta decano, Andrea Custode, Benedicto Cantore, et aliis fratribus ibidem salubriter existentibus."[3])

Status Abbatiae Csatariensis post cladem Mohácsianam aeque ac aliorum in Regno monasteriorum tristis evasit. Turca hanc viciniam ferro flammaque devastans, latrociniaque sua undique proferens, in omnes quidem, sed vel maxime in religiosas domos oculos convertit, in quibus advertit e modesto rerum usu amplius quidpiam superesse. Hac occasione etiam monasterium Chatariense exhaustum, desolatumque est, heris suis vel occisis, vel in tutiora profugientibus. Semel vero profugi tunc, nunquam veteres lares repetivere. Ne proinde Abbatiae bona vacarent, certoque Domino carerent, ad XV Colonorum servitia, et trium florenorum pro-

[1]) Roka: Praes. Vespr. — [2]) Ibidem. pag. 65. — [3]) Fejér: Codex diplom. T. IV. Vol. 3. pag. 179. —

ventum annuum redacta Petrus, Castri Monyorokerék Dominus eam Francisco Sacerdoti ad recompensanda eius servitia, quae parato aere non potuit rependere, anno 1544 contulit.

Sed uterque, tam Collator, quam beneficiatus temeritatis suae poenas luit. Nam occasione inquisitionis in Abbates et Praepositos iussu Olahi Strigoniensis Archiepiscopi institutae anno 1557 Petrus Illicinus, Ecclesiae Strigoniensis Procurator, contra Abbatem de Chatár expetiit exsecutionem sententiae „exuendo eum beneficiis, et tanquam Simoniacum perpetuo ligari excommunicatione, et dari sibi citationem ad restitutionem fructuum, et mandatum ad subditos, quod eum non cognoscant pro Abbate.“[1]) De Patrono autem iudicatum est, eum a iure praesentandi hac vice cecidisse; verum idem Procurator petebat „monitorium ad Patronum, quod nunquam posthac iure suo utatur; cum sit privatus tanquam Simoniacus iure praesentandi.“[2]) Hoc aevo ex iure patronatus confertur per Maioratum lineae iunioris Comitum Erdődy de Monyorókerek, ad quem dominium Botfa pertinet. Anno 1786 iussu Josephi II. Imp. Fundo Religionis adplicita, sed anno 1790 recepta, et connitente I. Comitatu Saladiensi Joanni Laky tradita fuit. Ab obitu Josephi Sybrik nuper defuncti, qui eam multis annis tenebat, collata est Reverendiss. D. Joanni Plájer, Parocho Pinka-Miskensi. —

XXIX.

Abbatia SS. Salvatoris de Kapornak.

Quamquam Abbatiae Kapornakiensis nec tempus fundationis, nec fundatoris nomen sit notum; horsum nihilominus eam ponere placuit, cum eiusdem sit cum priore Dioeceseos, et Comitatus. Sancto Salvatori sacram voluit, quiscunque eam fundavit, cuius sigillum exhibet Péterffyus[3]) cum epigraphe: „Conventus Sancti Salvatoris de Copornok.“ E vetustioribus, et observantioribus benedictinae familiae Abbatiis eam fuisse argumento est, quod iam anno 1217 eiates monachi de accurata amussi, et observantia regulae cogitaverint. Exstant nempe in Tabulario S. Crucis in Austria literae, magna sui parte exesae, et mancae, quibus Stephanus S. Gotthardi Cisterciensium Abbas testatur, se ex Romani Concilii Lateranensis decreto cum Roberto Pilisiensi Abbate in venerabile S. Salvatoris de Kapornik O. S. Benedicti Monasterium evocatum esse, atque celebrato ibidem anno 1217 regulari Capitulo sic adstitisse, ut pro posse eidem qua constituendo, qua feliciter, ac fructuose terminando consilium aeque suum atque conatum contulerit.[4]) Scilicet hoc tempore Monasteria Benedictinorum in Congregationes cogi coeperunt, et eorum Abbates singulis trienniis ad Capitulum Generale convenire obligabantur. Quorum

[1]) Péterffy: Conc. Hung. II. 29. — [2]) Ibidem. — [3]) Conc. Hung. I. 52. — [4]) Heimb: S. Gotth. p. 51. —

celebrandorum ratio cum ignota iis esset, statuit Concilium memoratum, ut in huius novitatis primordiis duos vicinos Abbates Cistercienses charitative adhiberent, ad praestandum sibi consilium, et auxilium opportunum; quod iidem in huiusmodi Capitulis celebrandis ex longa consvetudine plenius sint informati.

Sed, quo sanctiora fuere Kapornakiensium conamina, eo vicinior illis incumbebat procella; et qui, vel maxime fulcire debebant regularem disciplinam, maiorem opposuerant remoram. Quemadmodum istud circa Kapornak acciderit, elucet e praesenti Rescripto papali de anno 1237: „Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei . . . Dilectis filiis . . . S. Adriani de Szala — de Tichan, et Suchsard Abbatibus Vespr. et Quinque-eccl. dioec. salutem et apostolicam benedictionem. Dilecti filii . . Abbas, et Conventus monasterii de Caparnuch Ordinis S. Benedicti Vesprimiensis Dioecesis gravem ad nos transmisere querelam, quod Ven. Frater noster Vesprimiensis Episcopus non considerato prudenter, quod Praelatum suis subditis non solum praeesse convenit, verum etiam et prodesse, monasterium ipsum indebitis exactionibus aggravans et molestans, singulis annis unum equum ab iis contra iustitiam exigit, et extorquet, et quoties vult in anno visitationis, vel alia de caussa ad monasterium idem accedens, trahensque moram ibidem cum personarum et evectionum multitudine effroenata, bona monasterii pro sua voluntate consumit; ita, quod Fratres in eo degentes vix habent, unde valeant sustentari; et licet de laboribus eorum decimas accipiat ab eisdem; cogit tamen eos ad solvendum pecuniam pro decimis memoratis, alias eis plurimum gravis, et iniuriosus exsistens. Quare iidem Abbas et Conventus huiusmodi gravamina non valentes ultra tolerare, nostram audientiam appellarunt; et cum idem Abbas iter arripuisset ad nostram praesentiam veniendi, dictus Episcopus in eos generaliter, et specialiter in quosdam eorum, excommunicationis sententiam promulgavit, et in liminibus praefati monasterii spinas in signum apposuit, ne quis illud caussa orandi audeat introire. Unde nobis lacrymabiliter supplicarunt, ut, cum in partibus illis nequeat de pari contendere cum eodem, utpote qui post ipsum Abbatem ad capiendum eum, et carceri mancipandum armatos dicitur destinasse, propter quod ipsi Abbati redire ad propria non est tutum, super hoc paterna sollicitudine providere curaremus.... Datum Viterbii XII. Cal. Junii, Pontificatus nostri anno XI.

Fata reliqua huius Abbatiae ignorantur. Anno 1515 adhuc exstitit, habuitque Abbatem Gregorium nomine. Anno 1538 Conventnm exstitisse docet eius testimonium super eo, quod Valentinus sit verus Abbas Dömölkensis. Tabularium eius publicum ad Szalavár fuisse translatum ex Capitulo Castriferrei, ubi una cum Szalavériensi conservabatur, anni 1751-ni art. 8. docet. Abbatia haec in Comitatu Saladiensi, ut dictum, sita, adhucdum realis est; conferturque a Regia Maiestate viris de Ecclesia et Patria bene meritis. Emericus Okolicsányi, Episcopus Ansariensis, ad Exc. Cancellariam Regiam Hungaricam Referendarius eam Comiti Antonio Amade in 6500 fl. annuis elocavit. Nostro aevo eam Gabriel Balassa, Episcopus Sabariensis, dum Referendarii aulici munere fungeretur obtentam, ad mortem usque retinuit. Nunc vacantibus accensetur.

XXX.

Abbatia S. Stephani Protomartyris de Kaet.

Baluziana pontificiarum epistolarum collectio fundationem monasterii Caëtensis ita narrat: „Dux Belus monasterium S. Stephani Protomartyris in fundo suo proprio Caet in Archi-episcopatu Colocensi fundavit, in quo triginta Benedictini fundati erant.“ Belus iste convixit Belae II. et Geysae filio eius, Regibus Hungariae; ac ideo monasterii huius fundatio ad medium Seculi XII. referri debet. Belus iste Banus erat, et monasterium ab eo fundatum non a nomine, sed officio, quod gessit, denominatum Ban-Monostra, hodie Panoster dicitur, situm inter Illokinum et Petrovaradinum.

Admirandae, et celeres fuerunt Abbatiae huius vicissitudines. Secundum mentem fundatoris ingressi sunt Benedictini monasterium, sed non diu eo fruiti. Cum enim sub id tempus Fratres Abrahae de Valle Hebron in notitiam Hungarorum venissent, et omnis novitas arrideat, illis cedere iussis, Fratres hi monasterium, bonaque occuparunt. Placet conversionem hanc, et posteriora fata peraeque fundationi huic viciniora ex Opere: Katona: Histor. pragm. I. p. 706. huc describere. „Cum, inquit, de monasterio S. Stephani Keo dicto sinistra quaedam audivisset (Innocentius III. Papa) omnem eius emendationem ac instaurationem Saulo Archiepiscopo Colocensi his literis commisit: „Ad audientiam nostram noveris pervenisse, quod incl. record. Dux Belus olim in Archiepiscopatu tuo, in proprio fundo suo, qui appellatur Caet, monasterium in Protomartyris Stephani honore construxit, adeo illud amplis possessionibus, reditibusque ditavit, quod XXX Monachi in eo secundum B. Benedicti Regulam Domino servientes sustentationem sufficienter habebant... Tandem de voluntate regia, bonae memoriae A. (Andreae) praedecessore tuo suum in parte praebente consensum, Canonicis S. Abrahae de valle Ebron idem Coenobium est collatum . . . per quorum administrationem inutilem adeo bona eiusdem monasterii dilapidata noscuntur... quod ipsum coenobium propter nimiam paupertatem deserere sunt coacti, vix in eo tribus solummodo remanentibus.“ His inde propter mores dissolutos eiectis, quid porro faciendum esset, Saulus Innocentium consuluit, qui eidem mandavit, ut in ipsa ecclesia canonicos instituat regulares, qui secundum regulam B. Augustini devotum ibi Domino famulatum impendant.

Tandem postquam intra vix unius seculi decursum tres distinctas demutationes sustinuisset, accessit ei honor episcopalis dignitatis. Ugrinus enim Archiepiscopus Colocensis novum in Sirmiensi provincia Patarenis episcopatum oppositurus, Pontificem, ut eum sibi erigere liceret, accessit; qui, ne tam grave negotium praecipitaretur, per Transsilv. et Csanád. Episcopos inquiri iussit, an fructus debitus ex nova hac Episcope sperari possit. His Metropolitae sui consilium

mire probantibus Gregorius IX. liberam Ugrino potestatem Sirmiensis episcopatus erigendi concessit. „Jam dudum, inquit, provide cogitans, quod Colocensis Dioecesis adeo est diffusa, quod ipsam non valeas iuxta officii tui debitum commode visitare, ne gregi dominico deesset cura pastoris, nobis humiliter supplicasti, ut in monasterio Cuchet tuae Dioecesis episcopalem sedem noviter crearemus, quum paratus esses creando ibidem Episcopatum de propriis tuis, tum de ipsius monasterii proventibus trecentas, et de bonis ecclesiae tuae triginta marcas in annuo reditu assignare.... Nos igitur novam sedem episcopalem in praedicto monasterio statuendi, concedimus facultatem. Datum Perusii XIII. Kal. Febr. pontificatus nostri anno 2°." (1229)

Erectum reipsa Episcopatum hunc, et monasterium in Episcopium conversum fuisse ultro nos edocet Jacobus Sirmiensis Episcopus his verbis: „In monasterio Bani, in domo scilicet habitationis." Seculo XVI. Broderithius Episcopus Sirmiensis ita de eo loquitur: „Prima in Sirmio ab Ujlak recedentibus occurrit Ban-Monastra, sedes Episcopatus Sirmiensis." Locus, qui in Gregoriano Rescripto Cuchet corrupte dicitur, alibi Cheno, vel Keu, seu Kő scribitur. Unde Sirmiensis Episcopatus etiam de Keu, vel S. Irenaei, cui dicatus fuerat, appellatur.

XXXI.

Abbatia B. Mariae V. de Gissing.

Tempus et auctor Abbatiae huius tutissime consignantur fide diplomatis fundationalis, quod in Archivo S. Martini S. Montis Pannoniae in transsumto authentico exsistit, et tale est: „In Nomine Domini Dei summi. Victoriosissimo Geysa Rege regna Pannoniorum strenue, et gloriose gubernante, quando Strigon. Archiepiscopus venerabilis Martirius fuit, Mico Colocensis Archiepiscopus, Lucas Agriensis electus, Belus Banus, et Comes Palatinus erat, Appa Comes, Heyndricus curialis Comes Regis, et alii Primates Regni. Ego Walferus Dei, et praedicti Regis gratia Comes, recolens, et cordetenus amplectens, quia per donaria, Divinae Maiestati fideliter oblata, et per temporalia, seu caduca homines assequi promerentur aeterna, ex gratia et beneficio supra dicti Regis, et favore praenominatorum, et omnium Principum Ungariae, nec non ex voluntate, et auxilio Gervasii Geuriensis Episcopi parochiani, in honore Domini Dei summi, et omnium Sanctorum, specialiter tamen sub titulo Beatae et Gloriosae, semperque Virginis Mariae, ob incrementum, et decorem totius christianitatis, et salutem animarum tam propriae, quam omnium parentum meorum praesentium et succedentium, in loco inhabitato, et solitario, qui dicitur Quyzin monasterium aedificavi, quod suis pertinentiis adornatum ex gratia, et praecepto Regis, et omnium, ut praedixi, totius regni Primatum assensu approbante, maxime autem ex voluntate, et adiutoria benedictione praefati Episcopi parochiani, monasterio S. Martini in sacro Monte Pan-

noniae ob reverentiam et sanctitatem ipsius loci, et propter B. Martini patrocinium, cuius nativitate in eodem loco habita Pannonia gloriatur, quemadmodum in aliis terris regularis disciplinae gratia ad maiora monasteria plerumque constitutae sunt Obedientiae, in obedientiam tradidi ita, ut Archiabbatis S. Martini, et totius eiusdem loci Conventus cum filiis [1]) ecclesiae unanimi electione Abbas in eodem obedientiae loco praeponatur.... Termini terrarum adiacentium cum silvis et pascuis tanti spatii in circuitu habentur; versus ferreum castrum terminus est fluvius.... Hanc ergo chartam Barnabas Notarius ex praecepto Regis scripsit et idem iussu Regis regali, et totius regni sigillo principali roboravit. Anno Dominicae Incarnationis 1157. Cuius statuti, quicunque hominum evacuator esse voluerit, totius Ecclesiae ungaricae sententia communi et auctoritate regali convictus, nisi resipuerit, ante Judicem vivorum et mortuorum cum B. Virgine Dei Genitrice Maria, et S. Martino rationem redditurus contendat."

Postquam locus undequaque perpurgatus, aedificiaque pro monachorum habitatione praeparata fuissent; Sebastiano, tertio eius Abbate, Bela III. Rex svasu quorumdam eundem locum in castrum convertit; et, quod ad privata consilia sequi solet, aliis contulit. Questi sunt iniuriam monachi S. Martini coram Honorio Papa III., qui eapropter Andream II. Regem paterne admonuit, ut monasterio S. Martini, sicuti pater eius Bela Rex promiserat, satisfacere adniteretur. Rescriptum Pontificis sic sonat: „Honorius Episcopus Servus Servorum Dei. Charissimo in Christo Filio A. Illustri Regi Ungariae salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi debeas, ut Princeps Catholicus omnes generaliter Regni tui Ecclesias in sua institia confovere, monasterio tamen S. Martini de Pannonia eo amplius in suo iure teneris, quo certior est, ut dicitur, regalis sublimitas, quod de illo spiritualis tibi utilitas provenit et etiam temporalis. Sane dilectorum filiorum.... Abbatis et Conventus eiusdem monasterii petitio continebat, quod quondam Walfer Comes constructa quadam Ecclesia in monte Quisin munitioni apto, sed loco inhabitabili et deserto, de assensu tandem inel. recordationis G. Regis Hungariae avi tui ... ecclesiam ipsam monasterio praedicto concessit, in qua ... Abbas monasterii memorati Conventum instituit, et tres ei per tempora praefecit Abbates. Postmodum vero Bela Rex, Pater tuus, suggestione quorumdam eandem Ecclesiam, remotis inde personis, cum eodem monte sibi pro munitione recepit, promittens, quod alium locum ad ecclesiam aptiorem, et plura etiam in possessionibus et aliis, quam eadem haberet ecclesia donaret eisdem; quod nec ipse implevit morte praeventus, nec per Te, quem super hoc saepe rogavimus, id hactenus factum fuit. Nunc autem Demetrius Comes montem eundem cum praedicta ecclesia, et possessionibus ad eam pertinentibus ex regia, ut dicit, donatione detinet, et reddere contradicit." ... Datum Lat. Cal. Febr. Pontificatus nostri anno IX."

Ut vero eo certius remedium malo adhiberet Honorius; Episcopo Vaciensi, et Abbatibus Varadinensi, et Földváriensi dat in mandatis, „quatenus, inquit, Comitem ut supra dicta restituat, et Regem ipsum, ut restitui faciat ea, moneatis attentius, et efficaciter inducatis ita, quod studium vestrum per effectum appareat, et nos sollicitudinem vestram possimus in Domino commendare ... Datum Lat. II. Non. Febr. Pontif. nostri anno IX."

---

[1]) Du Cange censet per filios Ecclesiae intelligi Clericos, et Sacerdotes, uni Ecclesiae addictos. Hoc loco intelligendi videntur professi Benedictini in Monasterio de Güssing degentes. — [2]) Caps. 18. R. —

seu anno 1225. — Eo tandem negotium post multos annos deductum est, ut a Bela IV. Rege anno 1263 monasterio S. Martini Vágh-Ujhelyinum cum aliquot vicis pro Német-Ujváriensi, seu Gissingensi Coenobio permutationis iure traderetur. Diploma regium hanc ob rem editum sic fere habet: Attendens Bela, quod monasterium S. Martini per S. Regem Stephanum fundatum, et dotatum ex speciali dilectione sibi conveniret amplexari . . ac etiam illud, quod cum ad partes maritimas tempore persecutionis tartaricae ire debuisset de pecunia eiusdem monasterii octingentas marcas puri argenti recepisset ad usum Nobilium regni sui, qui tunc fame periclitabantur, expendens, quas deinde eidem monasterio refundere nequivisset; ad memoriam revocans quae ab eo monasterio recepisset, tendere in detrimentum animae suae, nisi melius per eum reformata exstiterint; — eidem Monasterio in concambium Castri Kussen seu Ujvár, et pro satisfactione pecuniae acceptae, possessionem suam regalem de Ujhely, quae alio nomine regia villa vocabatur, cum portu super fluvio Vágh, item tributum eiusdem fori; villam Lubo aeque cum portu super fluvio Vágh; villam Vág-Szerdahely, et villam Patvarics, in Comitatu Nitriensi exsistentes cum cunctis utilitatibus suis — de plenitudine gratiae suae, consentiente, donante, et approbante omnia et singula Regina Maria Consorte sua, perpetuo conferenda duxit.[1])

En caussas et iura traditae monasterio S. Martini villae regiae Vághujhely. Atque omnino introducti sunt in eius possessionem patrio more Abbas et Conventus anno eodem per Muthmerium Praepositum Scepusiensem, Reginae Cancellarium. Eodem anno Rex decimas praedictarum villarum alio diplomate monasterio asseruit; et ne a vicinis circa limites turbari possent, possessiones per Kune Banum et Comitem Nitriensem caute limitandas curavit

Hac ratione in monte Güssing monasterio successit Castrum, cuius herus Comes Iván anno 1280 Austriam, et Hungariam latrociniis infestam reddidit, aegre ab ipso Rege Ladislao IV. cohibitus. Quo in ordinem redacto, et ex arce depulso tota ea proprietas regia liberalitate ad Laurentium Ducem Sirmiensem est devoluta; post cuius fata iterum ad coronam Regni recidit, eamque Ludovicus II. Rex Hungariae Francisco Batthyán, Dalmatiae Pro-Regi in praemium meritorum anno 1523 contulit. Abinde tam arcis quam Oppidi Németujvár hereditaria possessio penes Stirpem Battyanianam mansit.

Mons, qui ecclesiae et monasterio spatium cessit, quemadmodum ardui ascensus, ita superno positu laxus, et undequaque amoenissimus est. Separatur ab omni alio monte, quasi acervum foeni in medio campo aspiceres. Introeunti in arcem a sinistris semet sistunt aedificia veteris monasterii. Ecclesia vetus adhucdum stat, et veteri monastico ritu angusta; ut omnino appareat solis monachis paratam fuisse. Vulgo etiam pro divinis praeruptum montem quotidie scandere, arduum fuisset. Quemadmodum vero pius Fundator honoribus omnium Sanctorum, sed praeprimis B. M. Virginis, sacram voluit Ecclesiam; ita in ara, quae unica est, mens eius expressa esse videtur. Arae tabula B. Mariam Virginem in coelos ascendentem exhibet; ceterum omnium Sanctorum, tam in sculpturis, quam in pictura icon collecta artificiose exhibetur. Exsistit etiamnum Inscriptio:

Magnus Valferus magna de Stirpe prognatus
Magnae Deiparae nobile ponit opus.

Penes Ecclesiam visuntur adhuc aedificia monastica, sed haec iam tecto carent; imo

[1]) Caps. 36. T. et V. —

visebantur potius fine Seculi XVIII., dum auctor Monasteriologiae huius locum ultimo lustrabat. Memoriam Abbatiae, quae iam ante sex Secula desiit, conservat titulus eiusdem per Reges apostolicos Viris de Ecclesia et Patria bene meritis conferri solitus, quem hodie obtinet Reverendiss. D. Josephus Kozáček, Cath. Eccl. Magnovaradinensis L. R. Canonicus, Capellanus aulicus ad honores, Districtus Posoniensis Caes. Regius Scholarum Inspector, SS. Theologiae Doctor; Ins. Ordinis Francisci Josephi Austriae Imperatoris Eques. —

XXXII.

Abbatia S. Georgii Mil. et Mart. de Ják.

Jákiensis Abbatia tribus hungaricis milliaribus recedit a Németujvár Sabariam versus aeque in Comitatu Castriferrei. Tempus fundationis ignoratur. Sed plurima sunt apud nos avara scrinia, avari item possessores, qui, nescio quantum sibi decerpi somniant, si sua documenta pandere deberent. Inde est, quod tam difficilis evadat Hungariae historia, tam sacra, quam profana. Vulgaris opinio est, et communis narratio eam a S. Stephano fundatam, quod quidem asseri, aeque ac negari, defectus documentorum vetat. Sed quicunque structuram Ecclesiae, et monasterii attento oculo lustravit, facile consentiet, opinationi vulgari tantundem tribuendum esse, ut eam antiquissimis fundationibus accenseamus.

In Archivo S. Martini tenuis admodum occurrit memoria Jákiensis asceterii. Anno 1515 Matthaeus Archiabbas reprehendit Abbatem de Ják, quod fugitivum monachum contra regulam sine dimissionis literis receperit. Sed si in re obscurissima ariolari licet, fortassis fundatorem eius Jákium, e stirpe Veczellini oriundum, statuere possumus. Notum nempe est e Keza, et Thurócz, Vecellinum Radonem genuisse; Rado Miskam, Miska Martinum, Martinus Opus, Opus Jáki genuere. Si vero haec opinio subsisteret, paulopost Csatariense monasterium, quod Martinus Comes Jákii avus fundaverat, Jákiensem Abbatiam fundatam fuisse credi posset.

Nobilissima Ecclesia, quae adhuc primaeva exstat, vetus aevum et praepotentem, qualis e locuplete Vecellini stirpe Jákius fuit, fundatorem commonstrat. Tota e sectis lapidibus structa, interne per duos columnarum praegrandium ordines trifariam dividitur. Extus singulis pene lapidibus figurae varii generis, vel maxime in frontispicio insculptae sunt. Introitus utrinque lapideis columnis concinnis stipatur, quae supra portam assurgentes, superne concavum efficiunt, sub quo amplum spatium a pluvia tutum exsurgit. Latera introitus cingunt duodecim Apostolorum simulacra viri magnitudine, super quos in medio apparet Princeps eorum Salvator mundi. Demum altissimum frontispicii spatium occupat statua B. Mariae Virginis. Binae turres ad la-

tera eminent, et mirant ecclesiae conciliant gratiam; videntur que per longissima intervalla in amplo circa Sabariam plano.

Interna ecclesiae facies parum, aut nihil de hodierno ecclesiarum cultu habet: Icon S. Georgii in primaria ara picta repraesentat S. Martyrem hastam faucibus draconis imprimentem. Haec recentioris aevi videtur. Ceterum prae omni ornatu est veneranda antiquitas, testis primae Christianorum sanctae simplicitatis. Ecclesiae adiunctum erat monasterium, quod seculo priore dirutum, erigendae Abbatiali Residentiae materiam praebuit. — Abbatia hodieque realis est, conferturque iure patronatus per seniorem Fratrem Comitum Erdődy de Monyorókerék lineae iunioris, sed alternando ita, ut binis vicibus iunior linea, quae in Ják possidet, tertia vice linea senior Vépiensis Abbatem praesentet. Abbas habet in Ják amplas terras, praeterea integras possessiones Magyar-Keresztes, et Tóthfalva; in fluvio Pinka molam, et in Promontoriis Keresztes, et Vashegy vineas. Fruitur his cum titulo Abbatiae Reverendiss. D. Joannes Stegmüller, Dioec. Sabariensis Presbyter, et Ill. D. Stephani e Comitibus Erdődy herulorum Educator. —

XXXIII.

Abbatia B. Mariae V. de Széplak.

Abbatia B. Mariae Virginis de Széplak[1]) olim Benedictinorum, vetustioris est originis, quam ut extricari possint eius initia aut fundatores. De qua nihilominus quaedam ex diplomatibus, libris etiam cum manuscriptis, tum typo expressis excerpta, huc in perennem eiusdem Abbatiae memoriam sunt adposita. Et quod ad situm attinet, amoenissimo ad praeterfluentem Hernadum loco situm est Széplak, Cassovia urbe regia non plene milliari divulsum. Pari fere distantia Széplakino meridiem versus declinat Praepositura Mislensis, atque ita, ut aedes unius ab alterius aedibus commodissime spectari potuerint. Collis, uti opportunum, ita amoenum monasterio praebuerat locum. Visitur nunc sat eminus colle illo Granarium Seminarii Stephanei. Rudera vero monasterii quin ipsius ecclesiae, quae subangusta coniiciebatur fuisse ex rudere, bonam partem materialium suppeditaverunt noviter ponendae Parochiae, quae ad nitorem, commoditatemque Parochi accommodata est; insuper ecclesia parochialis intus et extus ad debitam elegantiam reposita est accurante Parocho Adamo Bartay.

Pertinebant ad hanc Abbatiam integrae possessiones: Széplak, Apáti, Al-

[1]) Descriptio Abbatiae huius tota quanta hic exhibetur, opus est Josephi Mállyo Ordinis Praemonstratensium, sublato Conventu Jaszoviensi Parocho Mindszentiensi, qui comperto Fuxhofferum Monasteriologiam Hungariae molirí, eam illi sub finem Seculi prioris suppeditavit. —

só-Hutka, Zdoba, Rát, Felső-Ocsvár, Beszter, Garbócz, Lebenye, omnes in Abanjváriensi Comitatu sitae. Ita adnotavit in suis manuscriptis veterum monumentorum diligentissimus investigator Gabriel Hevenesi e Societate Jesu. — „Anno 1143 regnante Gloriosissimo Rege Geysa dedicatum est monasterium in Ciplog in honore S. Mariae Virginis.“... Ita ex quodam vetere manuscripto Chronico[1]) adnotavit Koller in Hist. Episcopatus Quinqueecclesiensis T. I. pag. 411. Patet hinc perquam manifeste, Abbatiam hanc LXXIV et amplius annis habitatam fuisse a Benedictinis prius, ac putaverit P. Ladislaus Thuróczy, illiusque chronologiam secuti Bonbardus, et Schmitthius. Neque Catapanus Agriensis Episcopus, neque Thomas huius successor in eius erectionem conferre quidpiam potuerunt, quum praeexstiterit. Ac ideo inter primas sacerrimi huius Ordinis Abbatias collocanda facile cuique videri potest.

Quantum ad Abbatum seriem, hanc ob defectum monumentorum continuam sistere non possumus; sed paucorum etiam nomina vindicare ab oblivione sat est. Antiquissimus eorum, quem novimus, est Cyegel Abbas. Illius fit mentio in opusculo de ritu explorandae veritatis, seu iudicio ferri candentis, quo Gens Hungara in dirimendis controversiis per annos 340 usa fuerat. In hoc ergo opusculo opera Cl. Mathiae Belii recuso leguntur sequentia: „Anno dominicae Incarnationis 1217 in septimana factus est et cet. Cyegel Abbas de Zeplac impetiit Benam...“ Similiter probis omnibus destitutus ad prosequendam litem Joannes Abbas anno 1286 litem minus fundatam pacifice composuit cum Antonio, primo huius nominis Praeposito Jaszoviensi. Controversiam praebuit possessio Supeh dicta, alio nomine Apáthy, et ob nomenclaturam Apáthy Abbas Praeposito litem obmovit. Qualiter lis sopita fuerit documentum reconditae antiquitatis ex Tabulario Jaszoviensi exscriptum luculente declarabit sequentis tenoris:

„Nos capitulum Ecclesiae S. Martini de Scepus tenore praesentium declaramus... Quod viri Religiosi Frater Antonius Praepositus de Jaszov, Ord. Praemonstratensis ab una, et Frater Joannes Abbas de Széplak Ord. S. Bened. parte ab altera, nobilibus Viris Comite de Scephe, et Scepus filio Jacinti de Seche secum adductis coram nobis constituti, propositum fuit, ... quod super facto possessionis Supeh, quam idem Praepositus titulo iuris ad suam ecclesiam de Jaszov pertinere, Abbas vero sub nomine Apáthy ad suam ecclesiam de Széplak esse, et fuisse asserebant; arbitrio nostro, et proborum virorum... se submisissent, et quivis ipsorum.. instrumenta ad manus nostras assignare deberet... Et si quae partium nostrum arbitrium refutaret, poenae XXX marcarum teneatur subiacere ipso facto. Tandem Antonius Praepositus, ut debebat, sua instrumenta efficacissima, scilicet privilegium Belae Regis, et Stephani filii sui primogeniti, Ducis Transsilvaniae... non cancellata, non in aliqua sui parte vitiata super facto possessionis Supeh vocatae nobis exhibuit, quorum privilegiorum tenoribus edocti, comperimus ipsam possessionem Supeh iuxta fluvium Hernad in Comitatu novi Castri exsistentem, iusto tramite ad Ecclesiam de Jászó ab antiquo pertinuisse, et pertinere. Frater Joannes nulla instrumenta ... coram nobis exhibere valuit; ac sic ipsam possessionem Supeh partibus nostrum arbitrium ... acceptantibus, ipso Fratre Joanne consentiente .. saepefatae Ecclesiae de Jászóv decrevimus in perpetuum .. possidendam ... In cuius rei

[1]) Erat illud Chronicon descriptum in Missali membranaceo, quod in Bibliotheca Colleg. Ecclesiae Posoniensis asservabatur, in quo notus ille sermo funebris: Latiatuc feleym continetur.

memoriam .. nostrum privilegium concessimus, munimine sigilli nostri authentici communitum. Datum in Octavis B. Martini Confess. anno Domini 1286.

Anno 1343 Petrus legitur Joannis successor. Is minime contentus amica illa, ac religiosa compositione, quam ante annos 57 Joannes Abbas cum Antonio Jászoviensi Praeposito iniverat, novam resuscitando litem, novam facessivit molestiam moderatissimo viro Paulo II. Praeposito Jászoviensi. Lis haec secunda, quae deinceps haud recruduit nova, rursus amicabili compositione sublata est ; Paulus vero Praepositus possessionem Supeh in iudicio arbitrativo a Petro Abbate, ac Conventu eiusdem pro ecclesia sua, et Conventu Jászoviensi in perenne accepit, sub testimonio Capituli Ecclesiae S. Martini de Scepus.

Ex defectu literalium instrumentorum, uno seculo, minus octo annis tardius producitur in seriem Abbatum Stephanus, cuius memoriam in tabulario Jászoviensi conservavit Statutio, dicta a iuris consultis pura, dum videlicet Hon. vir D. Damianus Praepositus Mislensis ad capessenda iura terrestralia dictae Praepositurae per Regium, et Conventualem Jászoviensem, homines solemniter fuisset introductus. In ea reliquos inter vicinos et commetaneos recensetur Hon. et Rel. vir D. Stephanus Abbas Széplakiensis.

Inolevit mos sub Mathia Corvino, quo ille ius patronatus regii, conferendi dignitates ecclesiasticas, Abbatias pariter ac Praeposituras, de se meritis, aliis ad dies vitae, aliis ad heredes etiam delegavit: ut videlicet, cui vellent, idmodi beneficia, dignitatesque conferrent. Inclita, ac in Comitatu Abaujváriensi florentissima olim familia de Rozgon obtinuerat quoque privilegium Abbates de Széplak denominandi. Igitur Joannes de Rozgon Judex Curiae regiae, et Rajnoldus de eadem Rozgon, Tavernicorum Regalium Magister, tanquam Patroni huius Abbatiae, contulerunt abbatialem dignitatem Stephano, filio Joannis Tokler, Judicis de Kassa: Ita MS. Wagnerianum T. 4. An Stephanus hic regulam S. Benedicti professus fuerit, an vero de Statu Cleri ecclesiastici, an denique a Fratribus conventualibus secundum constitutiones Ordinis receptus, non constat.

Anno 1513 pedum abbatiale gestavit regularis Abbas Fr. Andreas; quod patet ex mandato Regis Wladislai II. ad Civitatem Cassoviensem, ut cum is Andream in suam specialem acceperit protectionem, eum in iuribus suis contra illegitimos impetitores, ac quosvis violentos bonorum Abbatiae invasores protegere debeant. — Sub conniventissimo hoc Principe serpebat iam quidvis agendi libertas, ac res alienas sine metu, ac procul omni respectu personarum rapiendi, occupandique dira cupiditas. Post cladem vero Mohácsianam ad apicem usque pervenit hocce malum. Fatale malum praeventurus Georgius Szakmáry Episcopus Quinqueecclesiensis, cui memoratus Rex Uladislaus tam in hanc Abbatiam, quam in Praeposituram Jászoviensem ius patronatus sui regii speciali titulo concrediderat, anno 1521 vacantem Abbatiam contulit Joanni Chewf Presbytero, procul dubio ecclesiastici Ordinis viro. Ast quidam Ladislaus Nagy nominatum ad Abbatiam Joannem non admisit. Eapropter Episcopus commisit, ut vigore suae collationis dictum Joannem admittat; si quid vero iuris in Abbatia conferenda haberet, id coram sua Maiestate regia produceret.

Cessit commissioni episcopali Nagyius, et Joannes munere abbatiali functus est. Quali in statu res monasterii tunc fuerint, patet ex eo satis, quod Joannes Abbas anno 1524 ad succurrendum gravibus, et urgentibus necessitatibus monasterii sui duas possessiones, Garbócz, et Beszter vocatas, 200 florenis oppignorare coactus sit Michaeli de Zemere, attestantibus literis Conventus Lelesziensis. — Anno insequenti communis naturae debi-

tum solvit Joannes Abbas; res demortui pro libidine temporis illius diripuerunt varii. Praecipui fuere cives Cassovienses, ut adeo eos rogare debuerit Joannes de Zápolya, Wajwoda Transsilvaniae, datis ad eos literis, quatenus res defuncti Abbatis iure mediante restituere vellent supra memorato Ladislao Nagy.

Cladem Mohacsianam difficile dictu est, quantae turbae exceperint, quibus res monasteriorum praeprimis procubuerunt. Grassanti huic malo obicem positurus Ferdinandus, ecclesias pastoribus suis destitutas, monasteria Religiosis pene vacua, in protectionem suam, atque tutelam recepit, aut aliorum etiam tutelae commendavit. Exstant huius commendationis testes literae in Archivo urbis Cassoviensis; quibus anno 1528 idem Rex, considerans damna, et devastationes, in quas disturbiorum temporibus, ac etiam Abbatum suorum negligentia Abbatia de Széplak incidit, ut ea ad pristinum decorem venire possit, ius patronatus regii civitati Cassoviensi, quae bonis Abbatiae vicina esset, contulit. Singularis profecto sollicitudo regia! Sed parum efficax fuit illa urbici magistratus protectio. Enimvero in illo totius patriae nostrae turbine res quoque abbatiae huius convellebantur et pessumibant. Aedes monasterii insessae a milite, res mobiles direptae, possessiones occupatae, et quod amplius, a Joanne Zápolya, suis sequacibus, atque idmodi raptoribus occupatoribusque, Regiae donationis titulo et privilegio fuerunt confirmatae. Talis omnino fuit donatio illa Joannis electi Regis, qua mediante anno 1538 Martinus Gecsei, et Gregorius Lonay non solum in bonis ad Praeposituram de Misle, sed etiam in possessionibus de Széplak, Alsó-Hutha, Garbócz, Alsó-Bogdán, Tsay, Zdoba, Beszter, Felső-Ocsvár, Ras et Lebenye ad Abbatiam de Széplak pertinentibus introducti, et statuti fuerunt. Iniustae donationis titulus hocce bonae fidei velamen praetulit in literis donationalibus: „ob desolationem dictae Praepositurae, et Abbatiae."

Efficacior, et pro bono patriae longe utilior fuerat illa Caesareo-regia ordinatio, qua Emerico Telekesio, supremo militiae Caesareae in Hungaria superiore ductori, Melchiori Robles, urbis Cassoviensis Praefecto, Simoni Forgács, ceterisque Tribunis in mandatis datum est, ut invasores Abbatiae Széplakiensis reprimant, militemque ex ea educant. Fuit enim attributa scholis Tyrnaviensibus. Anno quippe 1561 Cal. Januarii Ferdinandus Imperator Abbatiam Széplakiensem e manibus profanorum ereptam, accedente Sedis apostolicae approbatione contulit Societati Jesu pro condendo Tyrnaviae collegio eo fine, ut Juventutem in literis, et religione erudiret. Initium docendi adolescentes, postquam duo bonarum artium Magistri accesserunt, postremis anni diebus factum. Haec dum agebantur, latitabat Széplakini, fructusque Abbatiae arrodebat quidam nequam Joannes Alaghy; proin Maximilianus Imperator et Rex anno 1565 iura eius Abbatiae tutatus est, mandato suo ad Comitatum Abaujváriensem expedito.

Sed perturbato adeo rerum statu, iura abbatialia una cum fundis eo spectantibus haud stabilita fuere; nam anno 1567 Turca, in Tokajensem, Regécziensem, et Cassoviensem plagam populabundus incurrit, omniaque ferro, et igne vastavit. Neque Collegium Societatis Jesu Tyrnaviae firmo pede constitit; et ideo, teste Timone, de tollendo hoc Collegio in Generali Ordinis Conventu agitatum fuit. Nam Abbatiae Széplakiensis fundi ob Turcarum, Transsilvanorum, Caesarianorum ac Lutheri et Calvini sequacium direptiones, nullum nisi calamitatum, et periculorum proventum dabant. Postquam Jesuitae sub autumnum Tyrnavia emigraverunt, Archiepiscopus Olahus Abbatiam Széplakiensem in usum Seminarii Strigoniensis, quod proxime pro X Alumnis

Tyrnaviae condidit, a Rege Maximiliano impetravit; iamque Tyrnaviensi Seminario S. Stephani clericorum alimenta praebet. Ita Editor Bonbardii. Reddita memorabilis Marci Crisini, sui Praefecti, gloriosa pro fide morte Cassoviae obita.[1])

Széplakini aetate nostra partem possessorii cum aliquot sessionibus colonicalibus obtinebat Ven. Capitulum Agriense, perennali fassione mediante, datis literis fassionis ex Conventu Jászoviensi sub initium Seculi XVI. Partem alteram, eamque prae illa potiorem cum elegante Castello iure hereditario, adscitoque sibi abhinc praedicato possidet Illustrissima L. B. de Mesko familia. Denique Titulo Abbatiae, hodie vacante, novissime gaudebat Illustrissimus ac Reverendiss. D. Joannes Simor, Eccles. Jaurinensis Episcopus, SS. Theologiae Doctor. —

XXXIV.

Abbatia S. Jacobi Apostoli de Lébeny.

„In inferiore provinciae Mosoniensis regione occurrit pagus Lébeny, antiquitus Lyben, memorabilis Abbatia S. Jacobi a Chepano, et Poth Fratribus, de Gente Hedervarya oriundis, ac Hungariae Proregibus, anno 1209 Benedictinae Familiae collata. Lébenyium iuris est hodie laudatae Comitum Zichy Familiae, cum vicino S. Nicolai vico, in quo non ignobile Castellum.“ Ita Editor Bonbardii ad Comitatum Mosoniensem. Hunc omnes fere ceteri historici quoad aeram fundationis secuti, uno anno tardius fundatam ponunt, quam vel confirmata sit ab Andrea II. Rege Hungariae, quod per manus, et ministerium Roberti, Albensis Praepositi, anno 1208 factum est. Fejér: Cod. dipl. III. 1. 59. prolixum hoc diploma, etiam bonorum donatorum anteriores Dominos, et singulorum metas recensens, integrum exhibet; ubi Phocon Comes Mosoniensis, Chepanus Comes Bacsiensis, et filius Stephani, filii Mauri Comitis, fratris ipsorum, Fundatores monasterii huius laudantur. Sed pro huius Phocone, Pothonem legendum esse dubio vacat. — Anno 1214 Fundationem hanc Beutho, Civis Jaurinensis 4 bobus, terra ad unum aratrum, 7 equis et 4 iuvencis (Cacika ozuősző) atque uno Missali dotavit.*)

Nec hanc Abbatiam iam seculo XV. ab iniustis impetitoribus immunem fuisse docent literae Sigismundi Regis Hungariae anni 1421[1], quibus Comitatui Mosoniensi severe iniungit, ut Simonem Abbatem de Lében adversus quosvis impetitores, praesertim contra Thomam de Vitézi, varia damna monasterio huic inferentem tueatur.[2]) Maiore aliena rapiendi campo clade Mohacsiana aperto, Balthasar Lite-

[1]) Topographia M. R. H. p. 169. — [2]) Caps. 11. I. — *) Fejér: Ibidem T. III. Vol. 2. p. 474. Originalis membrana in Tabulario Baronum de Réwa vix 10 quadr. pollices efficit. —

ratus de Wetzeszlavecz eandem cum universis possessionibus arripuit, et non obstantibus iteratis repetitionibus detinuit. Quapropter per Archiabbatem Michaëlem, qua Ordinis Benedictini per Hungariam perpetuum Praesidentem erga mandatum Ferdinandi I., Regis Hungariae, medio Jaurinensis Capituli anno 1539 ad reddendam facti rationem evocatus, succubuit; et auctoritate Alexii Thurzó, Locumtenentis Regii eiectus est; Abbatia vero Archiabbati pro Ordine S. Benedicti consignata fuit.[1]) Inde ortus error, Abbatiam hanc S. Martini filialem fuisse, aut certe hoc facto talem evasisse; quod tamen nec antea, nec postea unquam locum habuit.

Abbatiam hanc Rudolphus II. Imperator, et Rex, Stephano Mathésy, qui eam tenebat, ad Episcopatum Vaciensem ex Csanadiensi translato, anno 1587 Stephano Baxay, meritis pleni Secretarii sui Tiburtii Himmelreich nepoti, iuveni in studiis constituto, cum omnibus appertinentiis donavit ea conditione, ut Stephanus absolutis studiis ecclesiasticum statum ingredi, et interea Tiburtius, eius Patruus, Abbatiam gubernare teneatur; quod et factum est.[2]) Baxay iste, seu ut interdum subscriptus occurrit, Baksay, serius Canonicus Jaurinensis, et Archidiaconus Rabensis, tum Abbas S. Mauritii de Bel, praedium Barmász, nunc Baromház impopulavit anno 1607;[3]) et iura abbatiarum suarum pro eius aevi iniquitate pro viribus tuitus, ad Ecclesiae Lébenyiensis restaurationem, notabilem pecuniae summam testamento reliquit.[4]) Nec veniat cuipiam in mentem, collationem hanc, velut arbitrariam, vellicare. Absentibus enim tunc ex tota hac regione Benedictinis, Abbatia haec melioribus manibus concredi non poterat.

Anno 1631 Georgius Himmelreich, a Schaffenberg Commendatarius Archiabbas S. Martini, Ferdinando II. Regi Hungariae supplicavit, ut vacantem per obitum Stephani Baksay Abbatiam S. Jacobi de Lében fine inhabitationis usque pacatiora tempora ei conferre dignaretur: eo quod arx S. Martini propter continuas Turcarum excursiones adiri nequeat; pollicebaturque, se ad hanc Abbatiam iuxta primaevum eius Institutum Religiosos Ord. S. Benedicti introducturum, si voto potiretur.[5]) Reposuit piissimus Rex, Archiabbatis intentionem sibi placere quidem; sed antequam desolatum claustrum suscitetur, restaurationem templi ex propriis eiusdem Abbatiae proventibus Stephano Sennyey, Jaurinensi Episcopo, qua Loci Dioecesano, commissam esse.[6]) Interim eodem, aut certe sequente anno, agente Petro Pázmán Cardinale, Primate Regni, Abbatia haec collata est Jaurinensi Collegio Societatis Jesu; qua anno 1773 suppressa, Bona eius Fundum publicum ingressa sunt; a quo ad Familiam Zichy permutatione, seu, ut nostri Jurisperiti loquuntur, iure Cambii, Archiabbate in cassum contradicente, devenerunt.

Abbatialis Ecclesia, quam opera Patrum Societatis Jesu restauratam fuisse, inscriptio super principali eius porta testatur, semper in sua integritate mansit.[7]) Visuntur super ea adhuc conclavia quaedam Benedictinorum, qui olim amore sacrae solitudinis, et privatae pietatis, passim super ecclesiis suis cellulas quaspiam habere solebant. Reliqui monasterii fundamenta adhuc visuntur, quae cellam vinariam adhuc usui aptam concludunt. Patres Jesuitae commodam Residentiam ibi aedificarunt; horsum enim solebant Jaurino procurrere ad excutiendos pulveres scholasticos, et animos liberiori aura refocillandos.

Dicitur abbatialis ecclesia Lébenyiensis habuisse aram, Hierosolymis praeparatam, et a piis fundatoribus ei donatam.

---

[1]) Caps. 49. L. 3. — [2]) Caps. 17. K. — [3]) Caps. 65. G. — [4]) Caps. 65. D. — [5]) Caps. 61. W. — [6]) Capsa 58. S. — [7]) Non plene; nam fornix recentioris aevi opus esse videtur. —

Altitudo eius circa IV pedes, latitudo orgia maior. Exprimitur in ea vita Salvatoris nostri Jesu Christi cum adiunctis personarum, locorum, et miraculorum, in ebore exsculptis. Figurae omnes tam industrie et ex artis legibus effictae sunt, ut minimae corporis humani partes distincte cernantur. Adeo artem nostratium sculptorum exhausit ara haec; ut, cum aliquot figurarum defectum ex alabastro reparari oportuisset, statuolae novae prioribus comparatae, umbrae dici debebant. Aram hanc Patres Jesuitae Archicoenobio obtulerunt; ut hac contestatione consensum eiatis Conventus ad Abbatiae cessionem ultro demererentur. — Ita traditio. Qua in re id unicum certum, aram hanc per eos Archicoenobio donatam fuisse. Demerende Archi-coenobii consensu ad cessionem Abbatiae opus non erat; notum enim erat Patribus Jesuitis Archiabbatem adversus eius collationem serio, sed in cassum fuisse protestatum. Sublato S. Ordine ara haec occasione licitationis ad manus Judaeorum venit, una cum cruce eburnea vitiata, viginti aliquot florenis vendita, quam geographi antiquiores multis millibus fl. aestimabant. Nunc in Ecclesia Cathedrali Quinqueecclesiis Sanctuarium ornare [1]) dicitur. Titulum Abbatiae hodie gerit Reverendiss. D. Franciscus Tauber, Collegiatae Ecclesiae Soproniensis Lector, et Canonicus.

XXXV.

Abbatia B. Mariae V. de Almád.

Auctor Topographiae Regni Hungariae inquit: „Habebat Benedictina religiosa familia in Comitatu Szaladiensi Abbatias suas . . . Almadini, et Csatarini, magnae Hungarorum Dominae consecratas, quarum vix nomina retinemus.“ Ita nempe tempus edax nobis invidum fuit, ut amissa realitate, vix nomina rerum nostrarum noscamus. Fautorem Abbatiae huius colimus Comitem Sol, qui in testamento suo liberalem animum suum, erga Almadinum ita declaravit. „Ego Comes Sol... confero quoddam praedium ob remedium animae meae Sanctae Mariae de Almád, cui nomen Vöröstou, cum tribus vineis, et duobus aratris, et servis, exceptis, quos manumisi, et silva, et molendino, et cum omnibus pertinentiis, sicut ego vivens possedi.“ Stephanus, Episcopus Zagrabiensis, Comitis Sol cognati sui testamentum et donationem Abbatiae de Almád factam confirmat anno 1227, episcopatus sui secundo.[2]) Res relictae Legatario, qui una adstitit, dum testamentum conderetur, Abbati Benedicto in perpetuum traditae sunt.

Anno 1342 inter pervigiles observantiae regularis custodes, qui Capitulo

[1]) Si ea, quae de hac ara traditio fert, vera sunt: ara haec cum ea Ecclesiae Quinqueeccl. eadem non est. Haec enim ex albo marmore confecta, non multas icones dicitur exhibere. — [2]) Kercselich: Hist. Eccl. Zagrab. I. 321. —

provinciali, sub praesidio Vilhelmi Abbatis S. Martini in monasterio Visegradiensi celebrato interfuerunt, ponitur Michaël Abbas de Almád. Luculento id est argumento exactae in monasterio Almadiensi disciplinae, et observantiae regularis. Postquam id furore hostili procubuisset: occupavit illud cum Bonis unus e Czoboriis, ad quem anno 1557 decreto Judicum per Archiepiscopum Strigoniensem Olahum ad inquisitionem circa Abbates, et Praepositos constitutorum, expeditum est monitorium, ut rem sacram, et nulla ratione suam dimittere velit. Quo id effectu factum sit, non liquet. An familia de Czobor porro quoque manserit in possessione Abbatiae, huiusque Bonorum, an ad alios, et ad quos devoluta fuerit, ne divinare quidem, minus pronuntiare licet. Exstant in Archivo Archicoenobii de hac Abbatia documenta, sed ex his nihil aliud discimus, quam anno 1427 Franciscum Croyensem Episcopum, et Vesprimiensis Ecclesiae Suffraganeum, Abbatiae huius Gubernatorem fuisse; et Ferdinandum I. Regem Abbatiam de Almád, Comitatui Saladiensi ingremiatam, Petro Bakyth de Lak in tutelam ea conditione cessisse, ut universos eius proventus singulis annis ad studia et necessitates nobilis adolescentis, Pauli Czobor, privigni sui Viennae scholas frequentantis insumere obligetur.[1]) Titulum eius possedit Reverendissimus Dominus Martinus Hosszu, Cathedralis Ecclesiae Vesprimiensis Canonicus, Archidiaconus Szaladiensis, et Decanus Capitularis; quo defuncto eum obtinuit, et tenet Reverendiss. D. Stephanus Krancz, Cathedr. Eccl. Sabariensis Custos et Canonicus.

XXXVI.

Abbatia S. Jacobi Apostoli de Eremo.

Quisquis Regulam S. Benedicti volvit, novit, S. Benedictum tertium genus monachorum, Sarabaitas nempe, qui nulla regula approbati, experientia magistra adhuc operibus servantes fidem seculo, mentiri Deo per tonsuram noscuntur, ex animo odisse. Contra svadet institutum Anachoretarum, seu Eremitarum, qui non conversionis fervore novitio, sed monasterii probatione diuturna, didicerunt contra Diabolum multorum solatio iam docti pugnare. In aliis Europae regionibus plurima benedictinorum eremitarum exempla recenset Mabillonius in Annalibus benedictinis. Circa Monasterium Monserratense in Hispania quam plurimas tales cellulas, quas nostri incoluerunt, adhuc suo aevo seculo nempe XVI. exstitisse, Yepesius in suis Annalibus Ord. S. Benedicti testatur. Hungariam quoque suos habuisse Eremitas, eosque non paucos, quorum Reliquiae seculo priore primum, altissimo iussu, exterminatae sunt, vulgo notum est.

1) Caps. 60. H. —

Andreas II. Rex, praesentem, de qua agimus, S. Jacobi Eremum fundavit anno 1230, assignatis pro sustentatione monachorum, et Eremitarum Capellae 240[1]) iugeribus terrae, ut patet ex eius diplomate huius tenoris: „Andreas Dei gratia Ungariae Rex omnibus Christicolis ad quos literae praesentes pervenerint, salutem in Domino. Ad universorum notitiam praesentium tenore volumus pervenire, quod nos pro stabilitate Regni nostri, et pro salute nostra, ac filiorum nostrorum, videlicet Uriae Abbatis S. Martini de Sacro Monte Pannoniae, et Fratrum eius Capellam S. Jacobi de Eremo, quae per quorumdam malitiam, et invidiam combusta, et destructa fuerat, iussimus reaedificari per Abbatem et Fratres suprascriptos, et eandem Monasterio S. Martini . . . contulimus perpetuo possidendam. Et ut in eadem Capella Monachi, et Eremitae possint degere, ac sustentari, ipsis de terra civilium Simigiensium, ac Udvornicorum nec non Praeconum nostrorum contulimus terram per fidelem nostrum Nicolaum Comitem Mosoniensem assignandam ad duo aratra hoc modo, quod de singulis generibus hominum suprascriptorum iussimus dari octuaginta iugera terrarum. Ut autem haec nostra donatio perpetuae stabilitatis robur valeat obtinere, praesentem paginam duplicis sigilli nostri munimine iussimus roborari. Datum per manus Magistri Petri Aulae nostrae Cancellarii, ac Albensis Praepositi. Anno Verbi incarnati Millesimo ducentesimo, tricesimo."[2])

Eremi huius, quae hodiedum veterem suam nomenclationem retinet, viva vestigia superesse, et integra cubicella per maius spatium a se mutuo dislocata exsistere dicuntur. In turri veteri campanulam veterem seculi prioris fine adhuc pendentem accolae credebant. Silvosam fuisse, et natura eremi deposcebat, et hodieque talis est; sed non diu mansura, plaga illa per Inclitam Familiam Guary, cuius heredium erat, agricolationis gratia sensim arboribus privari solita. Eremi huius vastationem eo tempore accidisse, quo Somogyvariense, Babolcsense, reliquaque Benedictinorum Monasteria in provincia Simighiensi deleta sunt, indubium est. Capellam hanc mox, ut per Uriam reaedificata, et per Andream II. fundata est, Abbatiam evasisse docent literae Gregorii IX. Papae anni 1236, quas infra ad Abbatiam S. Andreae de Bistria daturi sumus. — Abbatia haec, inde ab anno 1750 usque 1846 in Schematismo Regni Hungariae non occurrit; ab anno autem 1847 inseritur quidem, sed inter vacantes duntaxat; ut adeo verisimile sit eius titulum nunquam alicui collatum exstitisse; nisi fors cum ea S. Jacobi de Simigio eadem censeatur, cuius titulo gaudet Illustr. D. Comes Hippolytus Zichy de Eadem, et Vásonkeő, Cath. Eccl. Vaciensis Canonicus, Suae Sanctitatis Praelatus Domesticus.

[1]) Nostris iugeribus 410, per 1200° □ computatis. Vetera enim illa Jugera 2058 orgias □ Vien. seu 864 □ mensuras regales continebant; quarum singulae 9 pedibus, et 3 pollicibus nostris aequabantur. —
[2]) Caps. 6. M. —

XXXVII.

Abbatia S. Andreae Apostoli de Bistria.

Bistriae nomine plura loca veniunt in Regno Hungariae, et in diversis eius provinciis. At nulli horum Abbatia potest accommodari, cum haec in Dioecesi Csanádiensi locata fuerit; Bistriae vero modernae longe inde recedant, aliisque Praesulibus subsint. Abbatiam Bistriensem in Csanádiensi Dioecesi sitam fuisse docet triste fatum eiusdem, et romanum de eo Rescriptum. Benedictinam fuisse e circumstantiis literarum Papae apparet, qui remedium malis ponere volens, solis fere Abbatibus Benedictinis negotium iterato commisit. Fata adversa huius Abbatiae sincerissime describuntur a Gregorio IX. Papa, ut sequitur.

„Gregorius episcopus, Servus Servorum Dei . . Dilectis filiis . . S. Martini de Pannonia, et . . S. Salvatoris de Zocsardu (Sexard) Abbatibus Geuriensis et Quinque-Ecclesiensis Dioecesium Salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius P. Abbas monasterii Bistriensis constitutus in nostra praesentia nobis lacrimabiliter est conquestus, . . quod certa inter ipsum, et . . . . Csanádiensem Episcopum caussa terminata quidem sit a Praenestino Episcopo Legato harum partium; sed praefatus Episcopus eadem sententia vilipensa, illa ab eis exigens, de quibus fuerant sententionaliter absoluti, quia ipsi ea sibi exhibere nolebant, sicut nec etiam tenebantur, cum armatorum multitudine hostiliter ad monasterium ipsum accessit, et ianuis eius fractis dictum Abbatem, et triginta duos monachos, se protectioni apostolicae supponentes, non absque manuum iniectione violenta, nequiter capi fecit, et vinculis ferreis compeditos carcerali custodiae mancipari; nec his contentus indebitam sibi Jurisdictionem usurpans, Cornelium monachum de mandato praedicti Episcopi Praenestini exigentibus suis culpis eiectum, in Abbatem praefecit ibidem. Unde ne tam graves excessus, si non eos poena debita castigaret, transirent aliis in exemplum, dilectis filiis S. Stephani Regis[1] . . . S. Benedicti, et . . . S. Stephani Protomartyris, S. Augustini Ordinis Abbatibus Varadiensis Dioecesis nostris dedimus literis in mandatis, ut si res taliter se haberet, praedictum Episcopum, ut eosdem, Abbatem, et monachos pristinae restituens libertati, eos ad monasterium ipsum, amoto ab eo quolibet iniusto detentore, libere redire permitteret, monitione praemissa auctoritate nostra, sublato appellationis obstaculo coarctarent, iam dictos manuum iniectores omni appellatione remota excommunicatos publice nunciantes, et facientes arctius ab omnibus evitari . . . Cum autem praedicti Judices rite in commisso sibi negotio procedentes . . . longe

[1]) Id est: Dextrae S. Stephani Regis, quae Abbatia hodie sub titulo de Szent Jobb magis nota est. —

plura contra memoratos Abbatem, et monachos praesumpta per eundem Episcopum invenissent, quam fuissent nostris auribus intimata; praefatum Episcopum monuerunt, ut praemissa omnia faciens emendari, supradictos Abbatem et monachos amotis exinde quibuslibet illicitis detentoribus, libere redire permitteret ad monasterium eorundem. Sed idem Episcopus non solum id facere penitus recusavit; verum etiam peiora prioribus fuit eis terribiliter comminatus; propter quod ipsum dicti Judices ab officio et beneficio suspendentes, iam dictos manuum iniectores, excommunicatos publice nunciarunt; quos saepedictus Episcopus in malitia sua fovens, nec ipsos a sua familiaritate removit, nec se etiam gerit pro suspenso in animae suae periculum, et grave scandalum aliorum. Iidem vero Judices processum negotii ad examen apostolicum remittentes praefixerunt eidem Episcopo terminum peremtorium competentem . . . quo compareret coram nobis personaliter super praemissis omnibus responsurus. Verum, cum saepedicto Abbate pro se, et suo monasterio in nostra praesentia comparente, idem Episcopus non venerit in termino, nec post terminum etiam diutius exspectatus, quamquam quidem ad impetrandum et contradicendum duntaxat, vel ad impediendum verius procurator comparuerit pro eodem; nos tamen dicto Abbati, quam eidem procuratori, si forsan posset nominatum Episcopum excusare rationabiliter, Ven. Fratrem nostrum, . Ostiensem Episcopum dedimus Auditorem. Cum autem idem Auditor ea, quae fuerant proposita coram ipso, nobis, et fratribus nostris fideliter retulisset, nos nolentes huiusmodi excessus Episcopi tam enormes poenam effugere debitae ultionis, mandamus, quatenus praedictum Episcopum ad solvendas eidem Abbati, seu procuratori suo omnes expensas, . . . monitione praemissa, auctoritate nostra cogentes, faciatis ipsi Abbati ad prosecutionem negotii necessarias de bonis monasterii provideri . . . volumus autem, quod si excommunicationis sententiam in dictum Episcopum contigerit promulgari, vos ipsum excommunicatum et suspensum publice nunciantes faciatis eandem Excommunicationis sententiam singulis diebus dominicis, et festivis, pulsatis campanis, et candelis accensis per suam, et vicinas Dioeceses publicari... Datum Perusii 14. Kal. Augusti. Pont. nostri anno IX."[1])

Praeconcepta in animo Episcopi Csanadiensis indignatio, et sacrilega ira eo tandem processerunt, ut Abbas Bistriensis ipso aut connivente, vel quod verisimilius est, etiam iubente, crudeliter fuerit interfectus Sic nempe, dum ira immoderatior pectus invadere sinitur, ad grandia crimina insanum deducit. Delatum est facinus ad Pontificem, qui in caussa necis post concordiam cum Episcopo initam patratae, triste negotium iterum Benedictinis Abbatibus commisit his literis: Gregorius . . . Dilectis filiis Varadiensi . . de Tihon . . et Eremo Abbatibus Quinquecccl. et Vesprim. Dioecesis salutem . . . Turbata est anima nostra valde, turbationis caussam flebili casu dante super immanitate detestandi facinoris, quod quidam filii Belial familiares ut dicitur . . Cenadiensis Episcopi in necem bonae memoriae . . . Abbatis monasterii Bistriensis crudeliter perpetrarunt; nec exaggeratione indiget ipsius sceleris magnitudo, cum ipso auditu abominationem generet, et horrorem,... quod post pacem inter eosdem Abbatem et Episcopum reformatam fuit idem Abbas non minus proditorie, quam crudeliter et miserabiliter interfectus. Sane . . . mandamus, quatenus praedictos sacrilegos, et omnes, quorum ope scelus est huiusmodi perpetratum, et qui in hoc

[1]) Reg. Epist Gregor. IX. anni 9-i. —

praestiterint auxilium, consilium, vel favorem faciatis per Strigoniensem provinciam, et alia loca, in quibus expedire videritis,.. excommunicatos solemniter nuntiari, et tamdiu ab omnibus arctius devitari, donec se apostolico conspectui repraesentent, Deo, et ecclesiae, et ipsi monasterio de tam atroci iniuria satisfactionem debitam impensuri . . . Verum, quia in praemissis excessibus eiusdem Episcopi dicitur manus, volumus, et mandamus... Datum Interamni. 13. Kal. Julii, Pontific. nostri anno X." Plus de hac Abbatia non constat, nisi quod ultimus eius titulum S. Andreae quidem, sed de Bistricza gesserit Stephanus Szücs, Canonicus Vesprimiensis, et cognominis Oppidi Parochus.[1])



XXXVIII.

Abbatia S. Benedicti de Skalka, seu de Rupibus.

Fundata a Jacobo Nitriensi Episcopo in Comitatu Trenchiniensi, et Dioecesi Nitriensi ad Vagum fluvium. Fundationis tabulae hae sunt: „Jacobus Dei gratia Nitriensis Episcopus omnibus ad quos literae praesentes pervenerint, orationes in Domino. Notum facimus vestrae dilectioni, quod ad honorem Dei omnipotentis, et Beati Benedicti Martyris in spelunca, quae vulgo Szkalka[2]) dicitur, ubi etiam sanguis eiusdem Martyris usque in hodiernum diem perfusus in pariete speluncae esse dignoscitur, ecclesiam ad titulum Beati Benedicti, et omnium Sanctorum aedificatam, habito consilio, et consensu fratrum nostrorum, Abbatiam secundum Regulam S. Benedicti constituimus, et ad sustentationem fratrum in eadem ecclesia Deo servientium terram Vyes (nunc Ujezd) olim ad Mogos pertinentem, quam idem dudum donavit ecclesiae Nitriensi cum 7 bobus, et 2 servis, nomine Martino et Zamboch, duas vineas Nitriae, cum duobus vinitoribus, filiis Nicolai vinitoris Mikow, et Jowachim, 40 oves cum totidem porcis, 100 Capetias, videlicet quinquagesimam decimarum nostrarum cum mansu, quem in Skala tenuit Vihorlaus, nunc monachus, cum esset parochialis sacerdos, eidem contulimus in perpetuum possidendos. Insuper eleemosynas eidem facientibus authoritate Dei omnipotentis, et nostra quadraginta dies de iniuncta poenitentia misericorditer duximus relaxandum. Fratribus etiam eiusdem loci ob aedificationem proximorum, officium praedicationis, et confessionem recipiendi in nostra provincia commisimus exercendum. Ut autem haec a nobis facta donatio ita in posterum permaneret, quod expressius ad notitiam perveniret singulorum, eam chartis fecimus annotari, et sigilli nostri, ac Capituli Nitriensis munimine roborari. Anno ab Incarnatione Do-

[1]) Schematism. R. Hung. anni 1847. Ceterum : Abbatiam S. Andreae de Bisztricza Schematismus Archi-Dioeceseos Zagrabiensis intra huius ambitum collocat. — [2]) Skala Slavis est Rupes : unde diminutivum Skalka rupeculam designat. —

mini 1224." Has literas Paschasius, aeque Nitriensis Episcopus ad preces Pauli Abbatis de Rupibus anno 1297 transumsit, et contentas ibi donationes confirmavit.[1])

Fundationem Skalkensis Abbatiae post annos 14 liberalitate regia auxit, et confirmavit Bela IV. dato diplomate anno, ut inquit, gratiae 1238, nono Kal. Julii; Regni autem sui tertio; quo mediam partem cuiusdam terrae, nomine Gesztes, ad castrum Trencsiniense pertinentis donat.[2]) A quo, et quando mediam partem decimae totius Comitatus Trencsiniensis, quam tenuisse dicitur, acquisiverit, non constat; ubi merito illud etiam quaeri potest, an eam unquam acquisiverit.

Editor Topographiae magni Regni Hungariae ad Abbatiam de Skalka haec adfert: „Nobilis a positu, religiosus a piis peregrinantium votis, sanctus ab incolatu duorum eremicolarum Andreae, et Benedicti locus, cui de rupibus slavicum nomen Skalka adhaesit. Recedit Trencsénio uno lapide solitudo pulcerrima, in qua Divi Benedicti filiis Jacobus Nitriensis antistes . . . bona Regum gratia posuit Abbatiam SS. Andreae, et Benedicti . . . Matthaeus Trencséniensis, Regni Prorex contaminatissimus, a possessionum amplitudine, vastitate templis, ac Praesulum Carolo I. adhaerentium fundis illata, . . . orbi notus. Huiusque belli tumultu, an alius posterorum erepta sit sacrae Benedictinorum familiae Abbatia, non est in promptu statuere. Sacris destituta Heris Regum voluntate, et Summi Pontificis annutu attributa est Societati Jesu (cessit vero eam Illustrissimus . . . D. Joannes Püski ecclesiarum canonice unitarum Bacsiensis, et Colocensis Archiepiscopus anno 1644) servitque eius tyronibus, ac Trencséniensi Collegio, ad pie relevandum animos, indefesso religiosae vitae studio fatigatos."

Idem continuat: „Imposuerat illi (rupi) sacellum Divae Dorotheae virginis, et Martyris honoribus consecratum Comes Georgius Thurzó anno 1520; quod subinde ornatius redditum assumtae in Coelos Deiparae Virgini dedicatum magna Catholicorum religione frequentabatur. Quorum votis quo plenius satisfieret, obtento... Dioecesani assensu, ipso ab adita per Collegium Trencséniense Soc. Jesu Abbatiae Skalkensis possessione seculari anno 1744 paulo et ipsum amplius redditum est; atque additis duabus cum novo aere campano turriculis, novi item operis altaribus, excultum; devotionem fidelis populi e vicina etiam Moravia concurrentis, non parum auget."

Joannes Balogh Parochus Skalensis iussu Episcopi Nitriensis, Praesulis sui, Xaverii Fuchs, ad Lexicon sacrum Regni Hungariae, cuius editio Seculi prioris fine intendebatur, sed nescio quo infelici fato intercidit, sequentem relationem de sua filiali Skalka fidedigne adornavit. „Parochus constitutus, quae oculis, quoties volo video, et vidi, etiam ex actis horum sanctorum martyrum Zoerardi, et Benedicti Tyrnaviae editis, sequentia adiungo: Visuntur hic vestigia clara in saxo, ubi cubuisse traditione continua sancti nostri perhibentur. Apparet etiam petra ab assiduis genuflexionibus excavata, et appressa digitorum utriusque manus in saxo signa, ad quod se sustentasse perhibentur, dum expansis in crucem manibus orationi diutius vacabant . . Tum in loco, unde D. Benedictus in Vaghum demersus est, tempellum visitur, quod vetustae Abbatiae Skalkensis literae honoribus Sancti huius martyris olim positum fuisse testantur; nunc tamen pro aede B. Virgini sacra habetur, et in eius festivitatibus religiose a Trencséniensibus frequentatur... Et vero exstat hic loci actu quoque, in rupe ab incolatu S. Benedicti martyris ce-

[1]) Fejér: Cod. dipl. T. VI. Vol. 2. pag. 98. — [2]) Fejér Cod. dipl. T. IV. Vol. 1. pag. 131. Hoc diplomate Bela testatum facit, se id misericordia motum fecisse, eo quod ad locum Szkalka divertens observaverit, fratres nimiam penuriam, et indigentiam pati. —

lebri, sacra aedicula, glorioso eiusdem, et S. Andreae Zoerardi institutoris eius nomini constructa, duplex altare continens: unum intra petram e regione cavernae a S. Benedicto olim inhabitatae; alterum subtus istud, quasi in crypta quadam positum; utrumque honoribus eorundem Sanctorum dicatum. Hic ex caverna sua S. Benedictus a latronibus raptus, et in praeterfluentem Vagum praecipitatus est; ac subinde aquilae supra flumen, locumque ipsum, quo sanctum eius corpus demersum est, circumvolantis indicio repertus. Denique aedificium infra Skalkam actu conspicuum, cubiculis, refectorio distinctum, cellariis duobus actu quoque provisum, atque ad Ecclesiam superiorem SS. MM. Andreae, et Benedicti positum olim incoluisse Benedictinos e literis fundationalibus constat. Haec vera fuerunt ante subitam modernam mutationem; nunc vero utraque ecclesia haec infra-Skalkensis desolatur, evacuata a Supellectili sacra, campanis privata, quae de altiori iussu ad ecclesiam possessionis Apáthfalva, quae Parochum recenter accepit, translata sunt." Sublata Societate Jesu Bona huius Abbatiae Fundum publicum ingressa sunt: titulum vero nuper admodum obtinuit Reverendiss. D. Antonius Krajner Budae in Arce ad B. Mariam Virginem in coelos assumptam Parochus.

XXXIX.

Abbatia de Zek.

In Zek olim monasterium, et Abbatiam Ord. S. Benedicti fuisse duae bullae romanae docent. At ubi Zek illud exstiterit, iam eruditissimus Koller dubitabat; nescius an ad Bátha-Szék, an ad Szék, Quinqueecclesiis vicinum, rectius reponeretur. Cum vero non videatur verisimile, ut in Bátaszék, quod iam cum Cicador idem esse, vix licet dubitare, duo tam insignia monasteria steterint; in hodierno autem Szék tempore Georgii Klimo Episcopi Quinqueecclesiensis institutae visitationis acta dicant, duas tertias veteris magnifici templi sufficere, ut Ecclesiae illi nulla parochialis ecclesia in tota Dioecesi praeponi possit, sine ulla cunctatione Abbatiam hanc in hodierno Szék collocamus. Sententiam hanc roborat situs loci montosus, ab hominum societate segregatus, verbo talis, qualem olim monachi pro sede deligebant.

Monasterium de Zek ad preces Ladislai V. Regis Hungariae suppressit Calixtus III. Romanus Pontifex anno 1456. Patet hoc ex Rescripto eius ad Cardinalem S. Angeli dato huius tenoris: „Dilecto filio S. Angeli Cardinali, Apostolicae Sedis Legato ... Sane pro parte carissimi in Christo filii nostri Ladislai Ungariae Regis Illustris nobis exhibita petitio continebat, quod ... idem Ladislaus pro venustate et decore eiusdem oppidi (Budae) ipsam parochialem rectoriae in eadem in collegiatam ecclesiam, et in illa unum Collegium Canonicorum, unamque Praeposituram ... erigi summopere cupit,

et affectat, et.. pro huiusmodi erectionis ... fundatione, vel dotatione faciendis, fructus, reditus, et proventus dictae parochialis ecclesiae minime suppetunt; et si monasterium de Zek Ord. S. Benedicti Quinqueecclesiensis Dioecesis, monasterii nominibus, et Abbatiali dignitate et ordine huiusmodi in eo penitus et omnino suppressis et exstinctis ipsi erigendae Ecclesiae perpetuo uniretur ... erectio et fundatio, et donatio praedictae ex hoc facilius et commodius fierent,... monasterium praedictum, cuius et. ecclesiae praedictae distantiam, fructuum, redituum et proventuum veros valores cum praesentibus haberi volumus pro expressis, ipsi tunc erectae ecclesiae perpetuo unire et incorporare eadem auctoritate procures ita, quod, si monasterium ipsum tunc vacaverit, ex tunc, alioquin cedente vel decedente moderno illius Abbate, seu ipsum monasterium alias quomodolibet dimittente, liceat Capitulo dictae Ecclesiae per se, vel per alium ... corporalem ipsius monasterii, nec non illius domorum, iurium, et iurisdictionum possessionem actualem corporalem et realem auctoritate propria libere apprehendere, et perpetuo retinere ... Dioecesani loci, seu cuiusvis alterius licentia minime requisita. ... Nos dilectis filiis, Conventui, ne de cetero ad electionem Abbatis eiusdem monasterii quoquomodo procedant, ... et ne in praeiudicium erectionis, et unionis huiusmodi vel ad impediendum easdem quidquam innovent... districtius inhibentes,... irritum decernimus, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Datum Romae apud S. Petrum X. Kal. Apr. Pontif. nostri anno 2-°."

Ex Abbatibus huius monasterii unicus notus est Emericus, fors omnium ultimus, qui anno 1450 ex Abbatia S. Gregorii Vaciensis Dioecesis ad eam de Zek postulatus fuit sex annis prius, quam ista Decreto Pontificis fuisset abolita. Tenor Rescripti papalis ad eum dati est sequens: „Nicolaus Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio Emerico, Abbati monasterii in Zek Ord. S. Benedicti, Quinqueecclesiensis Dioecesis Salutem... Exigentibus meritis tuae devotionis, illa tibi libenter concedimus, per quae conscientiae pacem, et animae tuae salutem Deo propitio consequi merearis. Sane pro parte tua nuper nobis exhibita petitio continebat, quod cum olim tu monasterio S. Gregorii O. S. Benedicti Dioecesis Vaciensis praeesses, ac nonnulli Teucri, christiani nominis inimici[1]) septa dicti monasterii ingressi fuissent; tu ... strenuo ac virili animo vim vi repellendo duos intra septa huiusmodi primo, et deinde, postquam praefati Teucri per vim extra dictum monasterium expulsi fuerant,... eosdem Teucros armata manu insequendo ac eos fugando duos alios ex praedictis Teucris propria manu interfecisti. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, tu non alias, quam ut praefertur, in praemissis culpabilis fueris, pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut tibi et statui tuo super his opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur tuis, ac dilecti filii Joannis Vojvodae Regni Hungariae.. supplicationibus inclinati, auctoritate apostolica praesentium tenore omnem a te inhabilitatis, et infamiae maculam per te praemissorum occasione contractam abolemus; et tecum, ut in presbyteratus, ac aliis a te susceptis ordinibus ministrare, nec non monasterio in Zek Quinqueecclesiensis Dioecesis praeesse, ac illud in Spiritualibus, ac temporalibus regere, et gubernare libere ac licite possis et valeas, dispensamus. Datum Romae apud S. Petrum

[1]) Si Rescriptum istud per T e u c r o s Turcas intelligit; nescio, quomodo cum Historia patriae nostrae conciliari possit. —

XIII. Kal. Febr. Pontif. nostri anno III.", id est anno 1450. — Abbatiae huius titulus, forte quod parum sonet, non confertur. —

Monasterium S. Gregorii Ordinis S. Benedicti Dioecesis Vaciensis, cuius nunc recitatum Rescriptum Pontificis meminit, cum nihil ultra de eo sit cognitum; imo nec id constet, an Abbatia, an Prioratus, an Obedientia fuerit, distincto titulo non dignamur.

XL.

Abbatia B. Mariae V. de Kolos.

Koloss vicus est in Dioecesi et Comitatu Nitriensi, qua iste Barsiensem contingit, non tam agri, quam silvarum dives. Olim Abbatiam Ordinis S. Benedicti habuit, exstatque eius memoria in Instrumento per publicum Notarium confecto, quo Joannes Abbas de Batha suam Abbatiam sponte in Generali Capitulo resignat, cui Georgius Abbas de Kolos interfuit, anno 1515.[1]) Qua aetate, et per quem fundata sit, non constat; sed unam ex antiquioribus fuisse inde opinari licet, quod anno 1342 in Capitulo generali Joannes Abbas de Kolos Definitor Capituli fuisse legatur; quod munus, ceteris paribus, vetustiorum Asceteriorum Abbatibus conferri solebat. Antiquissimum tamen diploma, quod se ad hanc Abbatiam refert, novimus illud Caroli I. Hung. Regis, ad preces Ladislai Abbatis anno 1327 datum, quo iste per Capitulum Nitriense in pagis Kolos, Glodna, Pechrus, et Kyrnech statui iubetur; id quod nemine contradicente factum est.[2]) Ecclesia vetustissima etiamnum exstat, sed omnium Sanctorum titulum praefert; verum Abbatia per Reges apostolicos sub eo B. M. V. utpote primitivo conferri solet. Circa Ecclesiam spectabilia sunt rudera monasterii amplissimi, sed solo aequata. Exsistunt et veteres muri, qui quondam monasterium cingebant; modo Ecclesiam, domum et hortum parochialem ambiunt.

Seculo XIV. et adhuc initio XVI. Abbatiam hanc floruisse vidimus; igitur huic etiam clades Mohácsiana, et verius bellum civile illam consecutum exitio fuit. Illud certum, quod monasterium monachis vacuum, Podmaniczkyani in Conservatorium rapinarum, et spoliorum suorum converterint. Quare anno 1547. art. 23. decretum fuit, ut fortalitium in Claustro Kolos per D. Podmaniczky, post dirutum castrum Szerdahely erectum, unde circumvicinis nobilibus, et colonis non parva damna eveniunt, maiestas sua everti, et demoliri iubeat; ecclesia tamen sive templum, integra maneat, et Abbas in ea Abbatia regularis ordinetur. Repetita anno insequenti haec Sanctio regnicolaris; sed fortalitio diruto, monasterium suis ruinis consepultum fuit.

[1]) Caps. 8. D. — [2]) Fejér : Cod. dipl. T. VIII. Vol. 3. pag. 231. —

Korabinszky in suo lexico geographico titulo Koloss inquit: „olim hic Abbatia fuit cum monasterio, in quo praedones semet detinebant.“ Addere poterat: „in quo subinde post exstinctos monachos, praedones se detinebant,“ ne ex obvio sensu minus eruditi cogitent monachos, monasterium Kolosiense incolentes, praedones fuisse. Sed habent similes homines familiaria sibi talia effata. Ego longe aliter animatus sum, qui plane indignor, dum a nostris referri lego, Petrum Bod pro suo liberiori calamo centum baculis pulsatum fuisse: quasi etiam nos indigeremus ad sanctissimae, castissimaeque Religionis nostrae ornatum alienae confessionis homines scomatibus onerare. Interim parcendum viro non indiligenti, qui in suo erudito Lexico, hoc in genere pluries sua sponte cespitat.

Immobilia vacantis monasterii Kolosiensis bona Maximilianus II. Rex Sanctimonialibus Ordinis S. Dominici Tyrnaviensibus contulit. Cum enim hac metu Turcarum, Budam occupantium, ex Insula S. Margarethae dicta, ei Metropoli vicina, Tyrnaviam semet ad claustrum S. Joannis Bapt. recepissent, bonis pristinis privatae, optimi Principis favore Nagy-Koloss, Kis-Kolos, et Jaslovicz, desolati monasterii Kolosiensis possessiones, impetrarunt. Hoc subsidio provisae, Deo famulatae sunt Tyrnaviae usque ad annum circiter 1614, quo monasterium suum Patribus Societatis Jesu cedere iussae, Posonium se ad Clarissas receperunt; quibus tandem sensim emortuis, hae in possessione bonorum perseverarunt; donec altissimo iussu claustrum earum abolitum, et Bona fundo Religionis addicta fuissent.[1]) Titulo Abbatiae huius ornatur hodie Ill. ac Reverendiss. D. Augustus Comes Forgách de Ghymes et Gács, Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis, et Eminentissimi ac Reverendissimi Domini S. R. E. Presbyteri Cardinalis, Principis Primatis, et Archi-Episcopi a Latere Canonicus, I. Ord. Hospit. S. Joannis Hierosolymitani Eques.

XLI.

Abbatia B. Mariae V. de Babolcha.

Inter celebriora inferioris Pannoniae oppida recitat Ptolomaeus Carinianam vallem, quam Bonbardii editor Babolchae respondere auctor est. Quicunque vero novit soli ubertatem, et reliqua naturae beneficia, non mirabitur Babolcsam olim cultam, habitatamque fuisse. Postquam Hungari Pannoniam suam effecere, surrexit Babolcsae Abbatia, cuius auctor, aetas, ipse titulus ignoratur. — Vicesimo nono post cladem Mohácsianam anno Babolcsa in iura devenit Andreae Báthori, here-

[1]) Bel. Notit. Hung. II. 32. —

diumque evasit illustris huius familiae. Tutati sunt suam Babolcsam a Turcis Báthorii: attamen anno 1664 armis Mahometis IV. succubuit, qui sacra et profana hic adeo confudit, ut monasterium et Ecclesiam commune rudus tegeret. Videntur Evangelicae Confessioni addicti veterem abbatialem Ecclesiam pro oratorio restauravisse; quod cum clam et citra consensum, imo scitum Regium praesumserint, eo privati sunt. Recuperata tandem armis Christianis provincia Sümeghiensi, facta est Babolcsa iuris Véghiani, quae Incl. familia hodiedum eam possidet; estque pro capacitate oppidi Ecclesia parochialis satis ampla ibidem instituta. Titulo Abbatiae huius sub nomine B. M. V. conferri solito potitur hodie Reverendissimus Dominus Georgius Budatinszky, Cath. Ecclesiae Neosoliensis Praepositus Maior, et Canonicus, AA. Lib. et Philosophiae Doctor. —

XLII.

Abbatia B. Mariae V. de Bihar.

Bihar veteri aevo arcem fuisse ad sistendas Cumanorum, Tartarorum, et aliorum in Hungariam procursiones, historiae patriae produnt. Eam non incelebrem fuisse, ex eo confit, quod toti eiati Comitatui nomen suum tribuerit. Quas subinde subierit vicissitudines, quibusve obiecta fuerit adversis casibus, non est huius loci describere. Quod huc adtinet, id solum est, quod ipsum munimentum in monasterium suo tempore fuerit conversum; quemadmodum vidimus Szalavár a S. Stephano, et Somogyvár a S. Ladislao suarum provinciarum capita Benedictinis collata, et munimenta in Coenobia conversa. Unde fundatio eius ad prima tempora videtur reponenda; nam sequiore aevo non munimenta in monasteria, sed e converso monasteria in praesidia transiisse novimus. Sic vidimus monasteria de Gissing, de Bozok, Koloss in eam conditionem reducta.

Initia Bihariensis Abbatiae nullo certo documento constant; neque scitur, quo tempore desierit. Praesto tamen sunt literae Innocentii III. R. P. ad Emericum Regem Hung. ad finem Sec. XII. scriptae, e quibus cum aliqua veri specie deduci potest, monasterium hoc Emerici Regis et Innocentii III. aetate per quemdam Comitem de Bihar fundatum fuisse. Verba Pontificis sunt: „Carissime in Christo fili, tuis precibus annuentes, monasterium illud, quod B. quondam Comes de Bichor aedificare incepit, et morte praeventus consummare non potuit, in locum tutiorem... transferendi, si de assensu dioecesani Episcopi fieri poterit, liberam tibi concedimus auctoritate apostolica facultatem.“[1]) — In Catalogo Pazmaniano nomen duntaxat Abbatiae huius occurrit inter reliquas Ordinis S. Benedicti. Lendvay aeque parcus est de ea. „Abbatia, inquit, de Bihar, in Dioecesi

[1]) Katona: Hist. crit. T. IV. p. 500.

Varadinensi. De hac a moderno Episcopo requiritur, num aliquae literae exstent de ea in Archivo S. Martini? Eum ad Consistorium Strigoniense direxi, nec sine fructu." Certe non sine fructu, nam Episcopi Varadinenses oppidi Bihar possessionem adepti, etiamnum eiusdem sunt Domini; titulo Abbatiae nunc penes Illustriss. ac Reverendiss. D. Carolum Pavics, El. Episcopum Rosonensem, Cath. Eccl. Bosnensis, seu Diakovariensis Praepositum Maiorem exsistente.

XLIII.

Abbatia S. Joannis Bapt. de Jánosi.

Plures in Hungaria possessiones exsistunt sub nomine Jánosi. At, quae Abbatiam habuit, in Comitatu Kiss-Honthensi medio duntaxat milliari a Rima-Szombat recedit. Pauca admodum sunt, quae nomen et famam eius ab obscura oblivione tutantur. Abbas Jánosiensis anno 1629 censetur inter Abbates Archiepiscopo Strigoniensi subordinatos.[1]) Teste Péterffyo prope Rima-Szombat Abbatia molendinum habuit, in quo ultimus Abbas a molitore occisus fuit. Talia fata circa plures Abbates, et Praepositos regulares occurrunt in Historia Hungariae. Seculo enim XVI., postquam divisio animorum in puncto Religionis apud Hungaros facta est, plurimi se obsequium Deo praestitisse existimaverunt, si veteris religionis cultores, praeprimis eius Ministros, occidissent. Abbatialis Ecclesia duabus turribus conspicua, e quadro lapide structa reparatione indiget, sed omni dote destituitur. — Abbatiae huius titulum tenebat Reverendiss. D. Schehovics Franciscus, Metr. Ecclesiae Agriensis Canonicus. —

[1]) Péterffy : Conc. Hung. II. 268. —

XLIV.

Abbatia SS. Cosmae, et Damiani MM. de Ludány.

Ludány, vicus est in Comitatu Nitriensi Archidioeceseos Strigoniensis. Dividitur in castellarem, et abbatialem secundum Belium: ille ad castelli heros, ad Abbates iste prisca aetate attinuit. Castellum, quod alteri inaedificatum est, communitum bellis turcicis fuisse apparet hodieque Erat quondam Csechorum, Dolygoriorum, Babindaliorum, et Kozariorum; iam Comitibus Erdődi paret. Abbatialis Abbatiam habuit SS. Cosmae, et Damiani Martyrum. Prisca aetate fundatam fuisse apparet ex eo, quod Andreas II. Dux adhuc, hortatu Emerici Regis, fratris sui, multa liberalitatis argumenta posuerit ecclesiae et Abbatiae SS. Cosmae et Damiani.[1]) Fundator tamen et initia eruderata nondum sunt. In archivo S. Martini praeter eius urbarium recentioris aevi nihil reperitur.

Post occupatam a Solimanno Budam theatrum belli in superiores quoque Hungariae Comitatus conversum est, quorum arces, et praesidia ut plurimum armis Turcarum procubuerunt, ab eis longissimo temporis intervallo insessa. Quae tunc fuerit monasteriorum conditio, facile coniectatu est. Abbatia, de qua hic agitur, devoluta est iure occupationis ad Petrum de Ludány, et subseque per genus foeminum ad Joannem Csech, ab hoc ad Thomam Dolgor, et tandem ad Gregorium Babindali. Postremus hic praesumsit in ipsam Abbatiae collationem semet immittere, eamque Georgio de Ludán, emerito, aut quod verius, eiecto e sacro consortio Canonico Nitriensi contulit, quam ducta uxore turpiter temeravit: ut omnino meruerit homo sacrilegus ea sub Nicolao Olaho Archiepiscopo Strigoniensi privari anno 1557. Sed ne possessio Abbatiae constanter incerta vagaretur, anno 1656 adplicata et incorporata est Ven. Capitulo Nitriensi, ut hoc subsidio auctum, cum maiori decoro eiati Ecclesiae servire possit.

Ecclesiae Abbatialis praesentem statum optime descripsit Joannes Poludvorni, Alsó-Ludaniensis Parochus in sua ecclesiarum suarum intuitu facta relatione, quam iussu Cardinalis Josephi Batthyáni Archiepiscopi Strigoniensis pro conficiendo sacro Lexico Regni Hungariae adornavit. Ea talis est: „Alsó-Ludán est in Comitatu Nitriensi, vicina oppido Nagy-Tapolcsán: Apátur-Ludán olim, nunc crebrius Alsó-Ludán adpellata possessio. In hac, cum diebus antiquis Patres Benedictini exstitissent, duae numerabantur Ecclesiae: Abbatialis SS. Cosmae, et Damiani una, altera Parochialis SS. Trinitati dicata. Utraque, cum antiquissima sit, quo Fundatore surrexerit, documentorum inopia, penitus ignoratur. Illa abbatialis, in

[1]) Katona: Hist. crit. IV. 592

qua, duo si demas mensibus singulis celebrari solita per RR. DD. Racsay, et Keszthelényi fundata Sacra, rogationum item processionem, nulla divina inde a Benedictinorum abscessu habentur, lapsu temporis ita ruinata est, ut Ven. Capitulum Nitriense, e iure suo patronatus, indignam censuerit reparatione tanto magis, quanto minorem videbat duarum in unum interitum inclinantium ecclesiarum in exiguo pago egentiam. Fixum igitur erat alterutram diruere."

„Cum porro parochialis amplior, firmiorque, illa vero exiguitate sua populo recipiendo incapax videretur: in hanc abbatialem statuta fuit disiectionis sententia. Occasione canonicae visitationis, quam anno 1711 ... Josephus Comes a Batthyán Princeps, Primas, et Cardinalis ... instituerat personaliter, petita ab eo facultas abbatialem Ecclesiam diruendi, materialia eius pro aedificio parochiali, quod tunc quidem luridissimum erat, nunc vero a fundamentis circa annum 1788 erectum et commodum, et satis decorum est, adplicandi. In meliorem vero ecclesiae parochialis subsistentiam, loco conservationis antiquae abbatialis ecclesiae, Ven. Capitulum Nitriense florenos D tunc pollicitum est, quos etiam spero idem brevi praestiturum. Placuit Visitatori consilium. Arula igitur principalis SS. Cosmae et Damiani Martyrum ad ecclesiam parochialem translata, ac dextrum ad latus collocata prope ecclesiae portam. Campanula unica ex turricula lignea deposita, campanilique parochiali aeque ligneo, et humili (carebat enim hucusque turri ecclesia) adpensa, reliqua sacra supellex ecclesiae, casulae praesertim, sicut antiquissimae, ita utcunque adhuc bonae ecclesiae parochiali resignatae sunt. Ipsa porro ecclesia abbatialis diruta, ac materialia eius in aedificium cumprimis parochiale, dein usus in varios ita insumpta sunt, ut ruinatos muros in viridem hortum conversos nunc cernere possis; neque ullum illius amplius exstat vestigium; nisi recens adhuc loci memoria." Hucusque eruditus ille Parochus, qui fidedignam veteris huius ecclesiae de facie terrae deletae historiam circa finem seculi XVIII. adnotavit. Nempe: Jam seges est, ubi Troia fuit. Titulus Abbatiae huius conferri non solet. —



XLV.

Abbatia S. Nicolai Confessoris de Madocsa.

Schematismus Regni Hungariae ante annum 1850 quotannis edi solitus, duas Abbatias de Madocsa exhibet, quarum una titulum B. Mariae Virginis, altera eum S. Spiritus praefert: quin seu haec, seu illa se unquam in rerum natura aliquando exstitisse, docere possit. Allegabantur quidem documenta probandae unius et alterius olim exsistentiae plura; sed horum alia de Abbatia S. Spiritus de Monostra sonant, quin Madocsae vel meminerint; alia, quae pro ea S. Mariae stare debuissent, plane non exsistunt; imo nec inde a 1720 anno, quod solertissime confectus veterum Documentorum Archivi Archicoenobii Catalogus clare docet, exsistebant; unde sequitur ea initio currentis seculi erronee fuisse allegata. Verbo: in toto Archi-Coenobii S. Martini Tabulario, quandocunque Abbatiae huius fit mentio, fit autem rarissime, nunquam occurrit aliud, quam simpliciter positum:

Abbas de Madocsa; quod ipsum indicare videtur, unicam tantum ibi Abbatiam exstitisse. Certe, si duae ibi Abbatiae viguissent benedictinae, Honorius Papa III. inconsulte egisse dicendus esset, quod Generale Ordinis, nunc dicti Capitulum, in Monasterio de Madocsa, sine adiecto titulo iusserit celebrari: ancipites enim haesissent Abbates, ad quod eorum habeant comparendum, ut Pontificis mandato satisfiat.[1])

Igitur unica erat Madocsae Abbatia, et quidem S. Nicolai Confessoris per Magnum Bikach, Regalium Tavernicorum Magistrum anno 1145 erecta, quod testatur sequens diploma Regis Geysae II. per Kaprinaium e literis Comitis Ladislai de Palócz, Judicis Curiae anni 1443 extractum, et Fejériano Codici diplomatico: Tomi II. pag. 120: insertum huius tenoris: „Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi MCXLV. Geysa Divina favente clementia Hungariarum Rex notum facimus... quod cum Magnus Bikach de genere Bikach, Supremus Camerarius noster, sive Magister Tavernicorum nostrorum nobis et regno nostro... multa, et laudabilia fidelitatis servitia impendisset cum favore fidelitatis approbatae,.... in recompensationem tot, et tantorum fidelium famulatuum ipsius Bikach volentes de benignitate regia gratia remunerationis eidem occurrere, prout merebatur, constituimus, ut de possessionibus nostrae regiae collationi pertinentibus, ubicunque vellet, donatum congruentem idem Bikach, per nos sibi dare postularet... Qui quidem Bikach postmodum ad nos reversus in terra... Wdvarnicorum nostrorum Madocha vocata, in Comitatu Tolnensi exsistente unum locum inibi pro monasterio in honorem Beati Nicolai Confessoris pro sui, et suorum posterorum funerum sepultura construendo a nostra maiestate petivit sibi dari, nos autem... ipsum locum concessimus et donavimus pro constituendo ibidem Monasterio in honorem S. Nicolai, promittentes eidem, quodsi in ipso loco monasterium sub honore S. Nicolai dictus Bikach nostris in temporibus construi fecerit, nos pro salute animae nostrae et successorum nostrorum... ex possessionibus ad nostram regiam collationem pertinentibus donationem faciemus monasterio antedicto. Cum igitur praenominatus Bikach ad nostram praesentiam demum remeando in dicto loco monasterium sub honore S. Nicolai lapideo opere usque ad altitudinem, seu supremitatem unius hominis staturae se iam erexisse a terra nobis affirmasset, nos ... terram Castri nostri Tholnensis Kormo vocatam, item terram Egidii Udvarnici nostri, et praefatam terram Udvarnicorum nostrorum Madocha vocatam, in qua iam dictum monasterium noscitur esse constructum, prope ipsum monasterium sub uno ambitu seu cursu metarum situatas cum portione Danubii et vadum cum tributo in portu dictae... terrae Madocha exsistentis Kwrthwel[2]) iuxta Danubium... donavimus .. easdemque possessiones (octo enumerantur) per fidelem nostrum Dionysium videlicet Comitem Bodroghiensem memorato monasterio Sancti Nicolai de Madocha fecimus assignari. Huius quidem nostrae donationis sunt testes: Felicianus Archiep. Strigon. — Anthimius Episc. Quinqueeccl. — Belus Palatinus Comes. Rednaldus curialis Comes, Dionysius Budrogiensis Comes. Joannes et multi alii Notarii, qui omnes tunc personaliter aderant in curia nostra. Quicunque vero hoc regale decretum infringere conatus fuerit, anathematisatus exsistat coram Domino, et omnibus Sanctis eius, et nihilominus absque strepitu iudicii alicuius, quod regali Camerae convenit, persolvat."

In huius donationis literis etiam ter-

[1]) Caps. 35. O. — [2]) Lege: Kőrtvél. —

mini seu metae determinantur, quarum descriptionem brevitatis caussa exmisimus. In hac plurima occurrunt vocabula hungarica hodierni soni, quae videri possunt in Opere: Danielik: Emlékkönyv II. 355 etc., ubi hac, et sequentibus paginis plura circa Monasterium de Madocsa per Illustr. D. Praesulem, tunc Praepositum Haas egregie relata continentur; quorum usum, bona eius venia, uti supra fecimus, ita hic quoque facere audemus.

Sita est Madocsa prope Danubium, uno et medio milliari Földvarino austrum versus remota, in superficie plana, frugum feracissima. Monasterium in ea situm a Jurisdictione Episcopi Quinqueecclesiensis exemptum, Strigoniensi Archiepiscopo subiectum fuit. Fata eius vetera ignorantur. Unum ex insignioribus fuisse inde colligitur, quod anno 1225 Capitulum Generale iussu Pontificis, ut vidimus, in eo fuerit celebratum. Seculo XV. uti cetera monasteria magis insignia, Commendatarios Abbates habuit, quorum unum, Gregorium Gyula, Dioecesis Magnovaradinensis Presbyterum, ad commendationem Matthaei Bani Machoviensis anno 1474 a Sixto IV. Romano Pontifice obtinuit; qui iam, priusquam Rescriptum papale advenisset, structuras, et aedificia dicti monasterii ex huius reditibus instaurare coepit, quibus terminatis Religiosi quoque inducerentur.

In actis Visitationis, iussu Episcopi Quinqueecclesiensis, Francisci Vilhelmi Comitis a Nesselrode anno 1721 per Emericum Bohus, Quinqueecclesiensem Canonicum per Comitatum Tolnensem et Baranyiensem institutae, continetur accurata descriptio ecclesiae abbatialis de Madocsa. Quae, licet tunc ad Archiepiscopum pertinuerit, visitata est tamen per Canonicum Bohus, eo quod Catholicis careret Madocsa; iste autem, quod mirum, etiam Protestantium Ministros, et Graecorum ecclesias visitaverit, qui utique Archiepiscopo subiecti non erant. Isto teste, Ecclesia tunc tecto carebat. Tota e secto lapide, stilo italico educta; praeter Sanctuarium 14° longa, 10° lata, a lateralibus Capellis 10 fere orgias longis, et a Sanctuario columnis lapideis separabatur. Portae principalis, more vetere occasui solis obversae, 8 pedes latae postes 7 pollices lati eleganter sculpti. Duae turres pariter e secto lapide, ei turrium Basilicae Quinqueecclesiensis simili, Aedem ornabant; latitudo laterum turris externae 19 pedum, „frontispicium inter duas turres nobilissimum pervenuste prominens ... nobilissima ecclesia, inter ecclesias I. Comitatus Tolnensis structura, et magnificentia facile princeps."

Ab hoc templo XXX passibus remotam dicit idem Visitator accuratissimus Capellam rarae formae e secto lapide, fornice rotundo sanctuarii 1 ½ orgiam longi.[1]) Totum sacellum pede plus quam 7 orgias longum, et fere 5° latum erat. Istud incolae helveticae Confessionis in suae religionis usus conversum arundine texerunt, scamnis informibus repleverunt „coloribus diversis, figuris tamen avium et ferarum deformatum." Fine seculi prioris e ruderibus Ecclesiae de Madocsa, quae possessio nunc viginti aliquot Catholicos numerat, erecta est Ecclesia in vicina possessione Bölcske, anno 1796 benedicta, ad quam filialis Madocsa pertinet. Ex eodem rudere anno 1802 etiam Parochialis domus ibidem surrexit.[2]) Igitur e vetere hac, et insigni Abbatia nihil amplius superest, quam campana, quae nunc helveticae Confessioni servit; sed haec quoque, derasa, qua olim nitebat, Deiparae Virginis effigie, reformata. Quid? quod nec titulus eius manserit verus; cui duo

---

[1]) Situs iste, et figura rotunda olim Baptisterium fuisse innuit. — [2]) Danielik: Emlékkönyv. II. 355. —

alii omni fundamento carentes, subtrusi sunt. Ex his illum B. M. V. gerit Reverendiss. D. Emericus Josipovics, Dioecesis Quinqueeccl. in Dolni-Miholjácz Parochus. Illum S. Spiritus tenet Reverendiss. D. Josephus Turcsányi de Eadem, et Krstyánfalva, Cath. Eccl. Nitriensis Canonicus.

XLVI.

Abbatia B. Mariae V. de Zeer.

Abbatiam de Zeer, Cardinalis Pazmanus ponit in earum serie, de quibus non liquet, cuiusnam Ordinis fuerint. Nihilominus inter Benedictinas reponi ea ratione potest, quod si Praemonstratensium, aut Cisterciensium fuisset, in horum Annalibus consignaretur; quos ab exteris, quibuscum olim continuum certae filiationis nexum fovebant, conscriptos prae manibus habemus, et sive in horum, sive in illorum Annalibus Abbatiam de Zeer frustra quaerimus. Profecto, si Benedictinis Hungariae idem cum Gallis, qui nunc dictis Ordinibus fuit, nexus fuisset; ad eorum Annales confugiendo, permultas, si non omnes Abbatias, quae nunc dubii Ordinis sunt, ei Benedictinorum assereremus. — Sitam esse in Comitatu Csongradiensi elucet ex literis, quibus Nobilis Domina Anna, filia quondam Georgii, filii Pose de Zeer inhibet coram Capitulo Csanadiensi anno 1472 Mathiam Regem a donatione, Magnificos vero Michaëlem Ország de Guth Palatinum et alios ab impetratione quarumdam possessionum, inter quas nominatur etiam Zeer in Comitatu Csongradiensi.

Zeer nunc Puszta-Zeer nuncupatur ad ripam fluvii Tibisci iuxta Péteri, quatuor circiter milliaribus Szegedino remotum in Dioecesi Csanadiensi. Superest in eo etiamnum Ecclesia; visunturque fundamenta ac rudera veteris monasterii, et Abbatiae, Zeer-Monostra compellatae. Floruit teste Pazmano anno 1315. — De hoc loco Katona[1]) haec scribit. „Arpadus tantisper otium nactus triginta quatuor dierum intervallo regni negotia, iuraque constituit. Loco huic, ubi primae Hungaris leges perlatae sunt, nomen Szer, quod ordinem hungaris significat, adhaesit; quia scilicet hisce legibus ordo quidam rerum agendarum in gentem, alias liberam, inductus est; ubi subinde monasterium Zeer-Monostra dictum surrexit; quo postea collapso, nunc locus ille Puszta-Szer ad Tibiscum adpellatur.“ Nunc Nagy-Szer quoque audit, cultura Tabaci celebre. Titulum Abbatiae anno 1849 tenebat Mathias Joób de Fanesal, Cath. Ecclesiae Cassoviensis Praepositus Maior et Canonicus, eodem anno defunctus. Eundem postea obtinuit Reverendiss. D. Antonius Krister, Cath. Eccl. Vaciensis Cantor, et Canonicus.[2])

[1]) Hist. pragm. I. 65. — [2]) Schemat. Cassov. — 1847. —

XLVII.

Abbatia B. Mariae V. in Campo.

Abbatiam hanc in dioecesi Agriensi exstitisse docet Bulla Bonifacii Papae IX. ad quemdam Abbatem dioecesis Vaciensis directa, cuius, uti et monasterii nomen vetustas extrivit. Occasionem Bullae praebuit extrema huius Benedictini monasterii egestas, quae fecit, ut vix Abbas cum uno monacho sufficienter ali potuerit anno 1401. Supplicavit igitur Abbas Pontifici, ut Ecclesiam parochialem S. Margaritae, intra septa eiusdem monasterii exsistentem, cum omnibus iuribus et pertinentiis dicto monasterio incorporare dignaretur. Cum vero Pontifex rei notitia careret; commisit negotium Abbati illi Dioecesis Vaciensis, ut, si peracta inquisitione precum veritas emerserit; auctoritate S. Sedis apostolicae votum Abbatis S. Mariae in Campo, Ord. S. Benedicti, impleat.[1]) — Abbatia haec, utpote hucusque ignota, conferri non solet.

XLVIII.

Abbatia S. Martini Conf. de Bulcs ad Solymos.

Abbatiae huius nec initia, nec fata noscuntur. Ad arcem Solymos fundatam fuisse Pazmanus testatur. Sed idem eam inter dubii Ordinis Abbatias non recte recenset. Adest enim Bulla Honorii III. Papae de anno pontificatus eius nono seù Christi 1225, qua Archiepiscopis, et Episcopis Hungariae significat, se Capitulum Generale Ordinis Benedictinorum in monasterio de Madocsa sub praesidio Abbatum de Pécsvárad, et Bulcs celebrari iussisse; velleque, ut Archiepiscopi, et Episcopi illos Abbates, quos Capitulum amovendos a suis Abbatiis decreverit, sublata omni contradictione removeant; secus minus in eos Jurisdictionis habituri, quam hactenus habuerint, aut habeant.[2]) Ultimus eius titulum gessit Illustriss. ac Reverendiss. D. Ignatius Fabry, Episcopus Cassoviensis, qua El. Episcopus Bosonensis, et Cath. Ecclesiae Csanadiensis Lector et Canonicus, SS. Theologiae Doctor. — Recentissime collata est Reverendissimo D. Michaëli Kemp, Metr. Eccl. Strigoniensis Canonico, AA. LL. Philosophiae et Theologiae Doctori.

[1]) Caps. 35. Z. — Abbatia de Apátfalva, cuius exsistentia nulla ratione probari potest, hic locum non habet — [2]) Caps. 35. O. — Situm est Solymos in Comit. Aradiensi, Dioec. Csanadiensi, oppido Radna vicinum. —

XLIX.

Abbatia SS. Salvatoris de Lekér.

Quam incerta est epocha fundationis Abbatiae huius, ita ignoratur cuius fundata fuerit pietate. Benedictinam fuisse asserit Petrus Pázmánus in suo Monasteriorum catalogo, sed titulum ei S. Trinitatis minus recte tribuit. Adsunt enim literae Conventus S. Benedicti de iuxta Gron, coram quo Abbas Stephanus Monasterii Seraphini, alias S. Salvatoris de Lekér vocati, cum Abbate Vilhelmo S. Martini anno 1340 certam conventionem circa terram, praedio huius Abbatis Kiscsanak vicinam, iniit.[1]) Hinc patet Abbatiam S. Salvatoris, et eam Seraphini de Lekér unam eandemque esse, quae igitur in Schematismo Dioeceseos Scepusiensis anni 1852 perperam distinguitur: licet etiam in Schematismis regnicolaribus Hungariae interdum distincta compareat, uti in eo anni 1843 in Abbatiarum Indice videre licet.

Abbatia Lekériensis hodiedum est inter reales, uti vocantur, conferturque bene meritis de republica, et Ecclesia hungarica, personis ecclesiasticis ab apostolicis Regibus. Pertinent ad Abbatiam, teste Belio, Lekér, Kis-Oroszi, et Garam Apáthi, omnes in Comitatu Barsiensi; sed postremam medio Regiae collationis possidet Capitulum Strigoniense. — Statum Abbatiae Seculo XVIII. exeunte optime descripsit Joachimus Kardos Ecclesiae Lekériensis Parochus in sua relatione de ecclesia abbatiali, quae sic fere sonat: Quis fuerit primus ecclesiae huius abbatialis fundator, non constat. Restauratores habuit viros eximios: Anno 1726 Joannem Okolicsányi, Magnovaradinensem Episcopum, et una Lekériensem Abbatem, mox Joannem Galgóczy, Episcopum Traguriensem, secundum ab Okolicsányio Abbatem. Is labescentem Ecclesiam restauravit, et ampliavit; hic vero denuo renovavit, turrimque magnificam adiecit, cum inscriptione in frontispicio lapidi marmoreo incisa: Gloriae et honori SS. Salvatoris, natae Angelorum Reginae renovata, turri, campana, et residentia abbatiali e fundamentis erectis decorata, piis impensis Joannis Galgóczy El. Episcopi Traguriensis, Abbatis de Lekér, Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Praepositi Maioris, et Canonici anno Domini 1759.

Immortalis Episcopi, et Abbatis, immediatus successor Antonius Reviczky Superior castrensis navim Ecclesiae praefatae quadratis lapidibus sterni curavit, et fenestras ampliando lucidiorem reddidit. Mox Ignatius Paarhamer Abbas Lekériensis novum, priore longe amplius Sanctuarium, una cum Sacristia, partim suis impensis, partim ex levato capitali florenorum mille, condam per piissimae me-

---

[1]) Caps. 58. Ccc. —

moriae Abbatem Joannem Galgóczy huic abbatiali seu parochiali ecclesiae relicto, eidem adiecto; quod opus morte praepeditus ad perfectionem haud deduxit; sed impensis postea Camerae Regiae consummatum est. In novo hocce Sanctuario altare e marmore cinerei coloris albo intermixto et eleganter polito, una cum tabernaculo, et imagine SS. Salvatoris Philippus a Wohlgemuth, Abbas Lekériensis, Lector et Canonicus Zagrabiensis non mediocribus sumptibus fieri fecit. — Titulum cum reditibus Abbatiae ultimo tenebat Reverendiss. D. Ignatius Czigler de Vecse, Caesareo-Regius Castrensis Superior per Hungariam; Ins. Ordinis Austr. Leopoldi Imp. Eques. — Alterius vero, scilicet S. Seraphini de Lekér, solum titulum possidet Reverendiss. D. Joannes Nepom. Bucsegh, Eccl. Metrop. Strigoniensis Canonicus. —

L.

Abbatia S. Georgii Mart. de Dombó.

Schematismus Regni Hungariae Abbatiae huic titulum B. Mariae Virginis tribuit. Contra Innocentius Papa IV. eam S. Georgii appellat in literis, quas ratione litis de finibus Dioecesium Colocensis, et Quinqueecclesiensis ad Abbatem de Pilis Cisterciensis, et eum S. Martini, et S. Georgii M. de Dombó S. Benedicti anno 1247 direxit. Cum tamen notum sit, omnibus fere monasteriis antiquitus titulum B. M. Virginis fuisse primarium, huicque alium alterius Sancti addi consuevisse, ob variantem hunc titulum duas distinctas Abbatias de Dombó adstruere non cogimur. Adest sane in Tabulario S. Martini bulla Urbani Papae V. de anno 1369, qua Paulus Abbas monasterii de Dombó constituitur Abbas Pécsváradiensis; et Abbatia haec dicitur esse in Dioecesi Colocensi; id quod etiam Innocentius IV. in suis, sicut Urbanus V. in suis literis expresserunt.[1]) Qui duas fuisse statuunt, unam earum ad Dioecesim Vesprimiensem, et Comitatum Sümeghiensem reponunt; sed nullam sui asserti caussam veram, nullum eius fundamentum adducunt. Unam fuisse inde quoque verosimile fit, quod Urbanus V. in bulla translationis Pauli Abbatis titulum Sancti reticeat; quem tamen quisque nostrum expressisset, si plures huius nominis Abbatiae exstitissent. In Archidiaconatu Sirmiensi sitam fuisse, Collectio decimae papalis docet. Titulum Abbatiae sub nomine B. M. Virginis tenet Reverendiss. D. Stephanus Lipovics, Cathedr. Ecclesiae Sabariensis Canonicus, et B. Mariae Virginis de Pápocz Prior.[2]) —

[1]) Capa. 45. B. — [2]) Schem. Regni Hung. anni 1847. —

LI.

Abbatia B. Mariae V. de Ivány.

Quamvis hodie nulla huius nominis possessio in Comitatu Tolnensi reperiatur: hanc tamen Abbatiam in eo sitam fuisse innuere videntur Transsumpta Capituli Posoniensis anni 1727 per Nicolaum Szombath Parochum Sabariensem, et S. Mariae de Ivány Abbatem procurata; in quibus tam ipsa Abbatia, quam bona verisimiliter ad eam quondam pertinentia, nempe: Morga, nunc Morágy, Hanth, Kakus, et portiones in Bonyhány, Zent Demeter, et Philep-Szerdahely, in Comitatu Tolnensi sita per fatentes Nobiles de Morga, huius Abbatiae Patronos, diserte, et saepius adducuntur.[1]) Si secundum haec locus eius determinandus esset, non absurde in australi Comitatus Tolnensis regione poneretur; ubi inter Bonyhád, Moragy et Hanth, hodiedum possessio Apáthi, et praedium Szent Mária conspiciuntur. Verum obest possessio Iván in Comitatu Baranyiensi. 6 milliar. geogr. a Moragy remota, quae a suis Dominis hodie Iván-Batthyán appellatur. In cuius campo, quum adhuc anno 1777 tanta mole rudera Monasterii adfuerint, ut ex iis in vicino pago Kassa Ecclesia fuerit erecta:[2]) non desunt, quibus Abbatia haec ad Iván-Batthyán reponenda videatur. Abbatiae huius titulo ornatur Reverendiss. D. Gabriel Mariássy de Markus- et Batisfalva, Ecclesiae Metropolitanae Agriensis Canonicus. — Cardinalis Pázmán eam inter Benedictinas merito refert; nam anno 1515 Joannes Abbas de Ivány inter Abbates Benedictinos in S. Martino capitulariter congregatos visitur.[3])

LII.

Abbatia SS. Trinitatis de Siklós.

Abbatia haec fundata fuit in Comitatu Baranyiensi ad latus montis, quem arx, Siklós dicta, occupat, a Jula Bano, vel ab alio ex hac progenie orto. Opinionis huius fundamentum praebent literae Magistri Petri, filii Comitis de Schuklos, quas mox dabimus. Petrus Pazmanus in suo Catalogo Abbatiarum dicit eam floruisse anno 1249; Magister Petrus nunc dictus publico instrumento testatur eam ab observantia regulae deflexisse, quam proinde S. Ordini Cisterciensium conferre

[1]) Fasc. 85 Nro. 5. — [2]) Ecclesia haec aetatem non tulit. Ea, quae nunc est, anno 1840 surrexit. — [3]) Caps. 8. D. —

meditatus est, largitus eidem donationales literas huius tenoris: „Universis Christi Fidelibus praesens scriptum inspecturis Magister Petrus, Filius Comitis Nicolai de Schuklos ex progenie Magni Jule Bani salutem in omnium Salvatore. Quia labilis memoria facili sopitur oblivionis caligine, ni scripti testimonio perhennetur: hinc est, quod nos ob remedium nostrorum progenitorum mortuorum, et caussa nostrae salutis monasterium Sanctae Trinitatis in Schuklos ab ordine S. Benedicti alienamus, nulla contradictione nostrae generationis obstante; et quia conversationem dicti Ordinis videmus remissam in omni sanctitate tabescere, praedictum monasterium nostrum . . . una cum aliis possessionibus, quae ipsi monasterio hucusque accreverunt, dedimus, et contulimus Sacro Ordini Cisterciensi in filiationem Domino Abbati et Conventui S. Crucis in Austria, ea libertate et conditione, qua Sanctus Ordo fruitur a Summo Pontifice confirmatus. . . . In cuius rei testimonium praesentes dedimus literas, sigilli nostri appositione roboratas. Datum anno Domini 1303." Habetur hoc collationis diploma primigenium cum illaeso sigillo in Archivo S. Crucis in Austria.[1])

Fieri facile poterat, ut monasterium Siklósiense aliquantum in Regulae observantia remiserit: ea est enim hominum sors, ut sensim omnia tepescant. Sed ut pristina Ordinis S. Benedicti observantia restabiliatur, iam Seculo priore inde ab anno 1225, et decursu Seculi XIV. plura Capitula generalia Ordinis Benedictinorum fuerunt celebrata, et Statuta ibidem condita, institutis frequentibus monasteriorum severissimis visitationibus pro regulari observantia reducenda. Quo pacto etiam Siklósiense Monasterium semet novis statutis conformavisse, seque reformavisse argumento est, quod teste P. Theophilo Heimb, Ordinis Cisterciensis ad S. Crucem in Austria professo,[2]) nullum in Tabulario S. Crucis exsistat vestigium, e quo eluceret Ordinem Cisterciensem in possessionem Abbatiae Siklósiensis pervenisse; atque etiam quod posteriora in Archivo S. Martini de hac Abbatia, tanquam semper Benedictina, praesto sint documenta. Ita Thomas Abbas S. Trinitatis de Siklós inter Abbates Benedictinos recensetur, qui ad Concilium Constantiense, teste doctissimo Benedictino Congregationis S. Mauri in Gallia, Gerhardo D'Achery, cum Nicolao de iuxta Grón, Francisco de Kapornak, et Demetrio de Tihan Abbatibus profectus est, eique anno 1414 interfuit; et anno 1515 Blasius Abbas S. Trinitatis de Siklós in publico instrumento qua Ordinis Benedictini Abbas comparet.[3])

Cum igitur clarum sit, Magistrum Petrum voto suo excidisse: opinari licet, eum non tepescentis observantiae regularis caussa, sed ex aliis principiis ad illegalem et praefervidam hanc voluntatem fuisse provolutum. Facile nempe accidere potuit, ut e communione bonorum, et possessionum vicinia quaepiam decerpere, et sibi usurpare, aut quod propter ius Patronatus ampliora quam par erat, et plura homagia sibi praestari voluerit, quam leges Patriae admitterent, et mos humanitatis deposceret; ideoque ad vanas has iras descenderit. Alioquin in potestate cuiuscunque privati non est, pias antecessorum fundationes pro lubitu auctoritate propria permutare; praesertim, si hae Decretis Regum firmatae, et longo usu sint roboratae; qualem et hanc fuisse indubium est.

A funestissima illa toti Regno Hungariae clade Mohacsiana, etiam arx Siklósia anno 1543 in potestatem Turcarum venit; prouti testantur literae Stanislai de

[1]) Rubrica 48. fascic. 11. num. 15. — [2]) Heimb: De ortu et progressu Abbatiae S. Gotthardi, pag. 167. — [3]) Caps. 8. D. —

Várallya Vesprimio eodem anno 28.ª Julii ad Comitem Nádasdium Thomam exaratae. Procumbente arce, quid reliquum erat Monasterio, quam triste bustum, et gladius exterminans? Ab hoc tempore desiit Siklosini Abbatia cum suo monasterio, et irrecuperabiliter ab Ordine Benedictino avulsa est. Sed demum anno 1689, postquam arx pristino dominatui restituta est, vetera eius rudera cum desolata ecclesia Ordini S. Francisci ab Augusto Leopoldo Imperatore et Rege Hungariae collata sunt; atque ab his piis Patribus sacro usui ecclesia, monasterium vero pro commoda Patrum eorum habitatione restituta sunt.

Hodiedum exsistit pulcerrimum Benedictinae observantiae, et altioris ascescos monumentum de Siklosiensibus Benedictinis. Prostant nempe in praedio Trinitas, intra limites possessionis Vokány, uno milliari ab Abbatia Siklósiensi, uti erat, remoto, rudera eremi, quam S. Benedictus suis sequacibus, post exactos plures annos in monasterio, pro maiori perfectione colere permittit. Talem eremum Siklósienses monachi in dicto Trinitas habuerunt. Rudera fine seculi prioris alta adhuc exstabant. Monstrabant aedificium in quadro et latera eius ad XXXII orgias protensa in plano elevatiori. Fons in medio consistens hodiedum aquam continet. Porta septemtrioni obversa fuit, e cuius regione ad CVIII passus ecclesiam habuit XVI orgias longam, latam vero IX. Quemadmodum vero usuvenit, ut res derelictae, et quae certis heris, patronisque carent, direptioni tandem pateant: ita muris lapidibusque huius eremi accidit, quos e fundamentis plane erutos coloni in sua domicilia coaptarunt. Denique nihil stabile sub Sole. Praedium isthoc Trinitas ab elegante marmore variegato, quod in eo reperitur, celebratur.

Abbatiae Siklósiensis titulum gerit Reverendiss. D. Nicolaus Cherier, Ins. Coll. Eccl. Posoniensis Cantor, et Canonicus, S. C. et R. A. M. Consil iarius, AA. LL. Philosophiae, et SS. Th eologiae Doctor Collegiatus. —

LIII.

Abbatia S. Crucis iuxta Muram.

Abbatia haec in Dioecesi Vesprimiensi, et Comitatu Zaladiensi exsistit. Cetera obscurae est originis. Sensim vel ipsa nomenclatura perire videtur; nam a plebe iam passim Kollátszeg vocitatur. Sic nempe omnia mutationi obnoxia sunt. Ponitur a Petro Pazmáno in serie Abbatiarum benedictinarum; et memoria eius adhuc vel maxime sustentatur collatione regia. Censetur inter Abbatias reales: sed inde ab anno 1788 onere parochialis muneris in Keresztur obeun di affecta est, quo hodie fungitur Reveren diss. D. Georgius Flizár, SS. Theologiae D octor Collegiatus.

LIV.

Abbatia S. Crucis de Vértes.

Secunda sub titulo S. Crucis Abbatia benedictina est de silva Vértes, intra eam fundata. Sed quemadmodum prioris, ita huius tam fundator, quam initia latent. Nempe, ut eleganter Ladislaus Thuróczi Soc. Jesu in sua Hungaria cum suis Regibus loquitur: „Nulla eos, puta Hungaros, conscribendae historiae cura sollicitabat; nulli illis, in quos acta referrent libri: pro annalibus erant hastae, gladii, acinaces, phalerae, signa, debellatae provinciae, missa sub iugum regna, ducti in triumphum populi, ad haec erecta quotannis, ditiaque de manubiis longe amplissima templa, appensa aris, atque altaribus spolia magnificentissima, fundataque Religiosorum domicilia plurima. Porro haec, ut in notitiam venirent gentium, pro minimo, Superis, ut essent quam acceptissima, summi duxerunt. Quippe: esse, quam legi boni malebant.“ [1])

Rudera Monasterii e sectis lapidibus constructi adhuc eminent; Ecclesiae muri, Sanctuarii praesertim, sat integri, signa consecrationis olim peractae, aut vestigia eorum exhibere dicuntur. Post medium seculi prioris Illustris Familia Comitum Eszterházy, iure dominii sui, lapides inde ad struendas novas in suo Tatensi heredio ecclesias avehere coepit; at mox per Archiabbatem S. Martini, Benedictum Sajghó, iure Praesidentis perpetui admonita, pro sua aequitate, et sincera in Deum devotione illico destitit; hodieque ruinae hae adeo accurate custodiuntur, ut vix lapillum inde, vel pro memoria, ut dicimus, auferre liceat.

Mathias I. Rex Hungariae apud Sixtum IV. Romanum Pontificem obtinuit, ut Abbatia S. Crucis de Vértes inter Oppida Kisbér et Csákvár sita, propter funesta tempora Religiosis personis destituta, Domui S. Margarethae Ordinis Praedicatorum, Albaeregiae exsistenti, uniatur.[2]) Unioni huic contradixit Michaël, Archiabbas S. Martini anno 1538, tanquam totius S. Ordinis Benedictinorum per Hungariam Caput, et Joannem, Priorem dicti Ordinis a venditione molendini uti et Dominicum Eurs, Nicolaum Nagy, eiusque consortem ab eiusdem emptione' coram Conventu Cruciferorum de Alba inhibuit.[3]) Passum hunc Archiabbatis, alioquin serum, intento effectu caruisse, mox secuta temporum iniquitas verisimile facit. — Honorem Abbatis post Franciscum Pendl, Cath. Ecclesiae Albaregalensis Lectorem, et Canonicum, obtinuit Reverendiss. D. Andreas Lezsó, Cath. Ecclesiae Albaregalensis Canonicus ad honores, Oppidi Csákvár Parochus, anno 1855 defunctus. — Fruitur illo hodie Reverendiss D. Ladislaus Biró, Cathedr. Eccl. Szathmariensis Canonicus. —

[1]) Eleganter sane haec, utinam et vere! Panegyrica assentatio talia dare potest, quae Historiam decent. — Unum fac, et aliud ne neglexeris! — [2]) Caps. 59. Eee. — [3]) Caps. 8. A. —

LV.

Abbatia S. Stephani primi Regis Hung. de Thelki.

Abbatia haec in Comitatu Pilisiensi, Budae vicina, pia liberalitate Comitis Micha initio Seculi XIII. surrexit. Sed vix in monasterium ingressos Benedictinos fastidire coepit Micha, aut eum plane piae fundationis poenituit. Jam anno 1220 Romanum Pontificem sollicitat, ut loco primorum, qui nidum vix calefecere, monachos Cistercienses faciat introduci. Pro motivo criminationem adducere videtur. Vix enim credibile, Ordinem Benedictinum, fervente adhuc primo observantiae calore, talem Coloniam ad nove fundatam Abbatiam misisse, quae ita depingi debuisset, qualis in hoc Papae Rescripto describitur: „Honorius . . . Vener. Fratri Vesprimiensi Episcopo salutem . . . Dilectus filius, nobilis vir, Micha Comes, fundator, et Patronus monasterii Thaliqui, Ordinis S. Benedicti, nobis humiliter supplicavit, ut, quum idem monasterium propter dissolutionem et malitiam habitantium hactenus in eodem sit adeo immutatum, quod vix unus in eo remanserit, qui valeat in ipso celebrare divina; illud antequam omnino depereat, monasterio S. Crucis Cisterciensis Ordinis subiici faceremus, parato ipso suum ad id praestare consensum. Quum igitur loci Dioecesanus exsistas, Fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi rei circumstantiis provide circumspectis, id, si expedire videbitur, studeas adimplere; proviso, ut si qui sunt ibi, vel recipiant Cisterciensis Ordinis instituta, vel in aliis monasteriis recipiantur. Datum Laterani IV. Non. Aprilis. Pontif. nostri anno IV."

Circumspectis circumstantiis prudenti Episcopo haud expedire videbatur talis Ordinis demutatio; neque vacavisset scandalo ad primam mentis operationem Fundatoris, sacros viros loco depellere, quos innocuos adverterit dioecesanus Episcopus. Secus forte iussis paruisset, Cisterciensesque illocavisset; quod cum factum non sit, adminus in Cisterciensium Annalibus factum fuisse non legatur: stat aliquod argumentum pro innocentia primorum. Ceterum fatendum est, hoc ipso tempore, observantiam regularem in Ordine hoc per Hungariam nimis labefactatam fuisse. Istud ex Honorii III. Bulla ad Archiepiscopos et Episcopos Hungariae anno 1225 data novimus, qui statui Ordinis huius paterne compatiens, unicumque mali remedium a Capitulis Generalibus, singulis trienniis celebrandis, exspectans, haec iuxta Decretum Concilii Lateranensis IV. initio eodem iam anno facto, celebrari strictissime praecepit. Poterat haec Michae querela Pontifici occasionem praebere, ceterorum quoque Ordinis Benedictini monasteriorum statum explorandi; unde postea flebile illud Honorii Rescriptum ad Hungariae Praesules datum, et medela efficax secuta est.*)

Abbatia, quae Honorio Papae Thali-

*) Caps. 35. O. — Fejér: Codex dipl. ad hunc annum. —

qui, alias Telequi, nunc Telki vocatur, varias subsequis temporibus subivit vicissitudines. Jam anno 1278 „propter Patronorum defectum fere ad exinanitionem extremae virtutis“ devoluta, per Ladislaum IV. Hung. Regem Claustro Sanctimonialium B. M. V. Ordinis fratrum Praedicatorum de Insula Danubii unita, eique pleno iure subiecta fuit, ita „ut ipsae Sanctimoniales de Insula emolumentum competens percipiant de fructibus Ecclesiae supradictae, et in ipsa Ecclesia Fratres Deo famulantes modo debito sustententur; ne propter necessariorum defectum in ipsa Ecclesia laudis organum suspendatur.“ —*) Posteriori aevo „primum Stephanei illius celeberrimi veteris Budae Sacerdotii iuribus subiecta, post autem in subsidium adversus Turcam necessarium vendita“[1]) Josae Etyeky anno 1593, ac denique reincorporata est in perpetuum Ordini S. Benedicti anno 1702, et quidem Ven. Conventui B. Mariae Virg. ad Scotos Viennae exsistenti; cuius Abbas huius quoque Abbatiae titulum gerit. Hunc, ut talem, veneramur hodie Reverendiss. ac Magnificum D. Sigismundum Schultes, SS. Theologiae Doctorem, S. Caesareo-Regiae, et Apostolicae Mai. Consiliarium, celeberrimae, et antiquiss. Universitatis Vindobonensis Vice-Directorem actualem, uti et Magnificum Rectorem emeritum. —

LVI.

Abbatia de Thelki prope Telkibánya.

Card. Pazmánus inter Abbatias Ord. Benedictinorum, quae, iuxta Catalogum Statutis Capituli Strigoniensis anni 1397 insertum, Archiepiscopi Strigoniensis Jurisdictioni subiectae fuerunt, nominat Abbatiam de Thelki, de qua in nota sub litera n* haec subiicit: „Thelki, inter Göntz, et Thelki-Bánya, in Comitatu Abaujváriensi per Ferdinandum I. Stephano Dobó in mille florenis inscriptum, postea iure mediante a Göntz avulsum; possidetur a D. Sáros-Patak in praedicta summa. Literae exstant in Conventu Jászov.“[2]) Investigatio fine seculi XVII. per Archiabbatem Placidum II. eatenus instituta docuit, nullum amplius inter Göntz, et Telkibánya Abbatiae huius vestigium reperiri. Haec unica tamen de tribus Thelki Pazmánio nota fuisse videtur.[3])

*) Idem ibidem T. V. Vol. 2. pag. 548. — [1]) Topogr. magn. R. Hung. p. 234. — [2]) Péterffy: Conc. Hung. II. 227. — [3]) Collatio eius extra usum est. —

LVII.

Abbatia S. Crucis de Telki.

De huius Abbatiae initiis nihil constat. Uladislaus II. Rex Hungariae Jus Patronatus in Abbatiam de Thelki, tunc in Secularium manibus exsistentem anno 1516 Matthaeo de Tolna, S. Martini Archiabbati contulit.[1]) Sed, quum Rex in suo Decreto nec titulum Sancti, nec Comitatus, nec Dioeceseos, in quibus situaretur, nomen adiecerit; post paucos autem annos Conventus S. Martini Turcarum metu fuerit dispersus: memoria eius loci adeo exolevit, ut restituto per Ferdinandum III. Hungariae Regem Conventu S. Martini, praeter Jus patronatus in eam Archiabbati competens, nihil de ea fuerit exploratum. Quapropter identidem cum alia Abbatia de Thelki, ea nempe S. Stephani Regis in Comitatu Pilisiensi, et Dioecesi tunc adhuc Vesprimiensi sita confundebatur. Unde factum, ut Canonici variarum Dioecesium, qui huius Abbatiae titulum ab Archiabbatibus S. Martini obtinuerant, una cum Episcopis perplexi haeserint, a quonam Episcopo gratiam benedictionis debeant percipere.

Tandem circa finem Seculi XVII. excusso Archivo, et comperto Abbatiam de Thelki prope Budam anno 1516, in Secularium manibus non fuisse, et Abbatem Stephanum anno 1518 per Matthaeum Archiabbatem illic institutum, se Abbatibus S. Martini obedientiam exhibiturum, Agriensi autem Cardinali Episcopo Hyppolito adhaesionem denegaturum iuravisse;[2]) Abbatem autem Benedictinum Viennae ad Scotos, nomine Sebastianum, Abbatiam de Telki prope Budam e manibus Secularium familiae Etyeky eximere meditari, Abbatiae suae Viennensi incorporandam: his inquam compertis, Archiabbates ad exquirendam suam Abbatiam de Telki animum serio applicuerunt. Negotio huic maxime idoneus videbatur P. Emericus Torkos ad S. Martinum Professus, antea cuiusdam Parochiae in Bohemia Administrator, qui Abbatiam hanc iam anno 1684 a Gerardo Archiabbate obtinuit; sed dum Confirmationem sui apud Exc. Cancellariam sollicitavisset, ista anno 1697 per Archiabbatem informari postulavit, unde ius Collationis Abbatiae huius teneat, et an petita per Emericum hunc confirmatio admitti debeat. Postquam igitur Archiabbas demonstrato suo Collationis Jure, confirmationem Emerici ab ulteriore sua informatione suspendisset: Emericus, cui cella claustralis aliunde male olere videbatur, ad exquirendam suam Abbatiam, eiusque omnigenum statum cognoscendum profectus, anno 1699 Placido Lendvay Archiabbati Magnovaradino retulit, Abbatiam de Telki ad ripam Chrysii nigri, inter possessiones Gyula, Borosjenő, et Fekete-Bátor iacere caelo saluberrimo, solo fertilissimo; quibus conformiter etiam Stephanus Bar-

---

[1]) Caps. 13. B. — [2]) Caps. 66. E. — Hinc nempe patebat, Abbatiam S. Crucis de Telki ad Dioecesim Agriensem pertinentem, in Dioecesi Vesprimiensi frustra quaeri. —

tok anno 1702 significavit eam in Zarandiensi (nunc Aradiensi) sitam, per Provisoratum Gyulaiensem ab Aradiensi dependentem administrari, et Praedia Felzék-Apáti, Csonalészi, Seprős, Talpos, et Magyaros ad eam pertinere.

Reperta sua Abbatia Emericus potenter svadebat Archiabbati, ut exsoluta aerario regio Juris armorum taxa, exemplo Austriae, Moraviae, Bohemiae Abbatum, Abbatiam redimeret, eo quod Bona eius ultra 100,000 fl. valerent; et exteri eandem redimere contendant. Sed haec sine effectu narrabantur. An deinde sedulus iste quaesitor in hac Abbatia, uti et in collato sibi per Episcopum Magnovaradinensem eiate Canonicatu fuerit confirmatus, non constat. Verum ab hoc tempore Abbatia haec usque finem Seculi XVIII. solis Religiosis ad S. Martinum professis conferebatur; ita tamen, ut nonnunquam cum ea S. Stephani adhuc confunderetur, donec anno 1760 Schematismo dignitatum Regni, tunc Jaurini edi solito, sub titulo S. Crucis de Telki ad fluvium Kőrös inserta fuisset. Abbates eius priore Seculo fuere: Nicolaus Csernátony, ex Canonico Jaurinensi Benedictinus Pannonius, Amandus Haas, Michaël Wohlfarth, Theologiae Professores, Alexius Schleicher, Dominicus Banics, Martinus Jankovics. Inde a restituto S. Ordine nulli collata fuit; in Schematismo regnicolari nec inter vacantes reperitur; cuius titulus tamen aliquem Ordinis Benedictini bene meritum Superiorem non inutiliter ornaturus, multis videtur.

LVIII.

Abbatia SS. Petri et Pauli Apost. de Tapolcza.

Vicina est Abbatia Tapolczensis oppido Miskolcz, et quanquam eius genesis ignoretur, eam tamen iam anno 1217 floruisse, Cardinalis Pazmanus tradit. Diversis ab irruptione Tartarorum iactata est fluctibus, suo tamen semper vigori reddita, donec eam Zapolyanarum partium studiosi in ultima fata irrecuperabiliter mersissent. Decertantibus pro corona et Regno Ferdinando et Zápolya, plurima fuit scissio animorum. Multi e potentioribus occasione usi, Episcopatus et Monasteria occuparunt, horum proventibus, veluti spoliis, semet ditaturi. Sub id tempus Georgius Bebek, illustri sangvine in Hungaria natus, sed cuius postea familia Regi, Regno, et Religioni invisa evasit, Abbatiam Tapolczensem, solo eo titulo, quod neglecto Zápolya, legitimo Principi Ferdinando Abbas loci adhaereret, invasit, et in Abbate crudele spectaculum edidit. Mediotenus eum in terram defodi, globisque peti iussit; quo veluti trophaeo peracto, occupata ab eo fuisse Abbatiae bona, monasterium desolatum legimus.

P. Nicolaus Schmitth de monasterio Tapolczensi omnia supra memorata breviter complexus sic scribit: „Floruit Abbatia isthaec Ord. S. Benedicti in Dioecesi Agriensi, virtutum, ac bonarum artium, literarumque domicilium. In tristo bustum abiit cum aliis Hungariae pietatis

monumentis ad annum 1558, trucidato Abbate cum suis a Georgio Bebekio, quod Ferdinando Regi adhaereret."[1]) En benevole Lector! post cladem Mohácsianam unos fere criminamur Turcas, qui omnia subvertissent monasteria, et templa profanassent. At praeter Bebekum, habemus Matthaeos Trencsinienses, Podmaniczkios, aliosque Turcis crudeliores in res sacras Christianos!

Antequam desolaretur Abbatia, tenuit eam anno 1503 Bonaventura, Ordinis Praedicatorum S. Dominici iure Commendatario; cui, occasione reformationis Ordinis Benedictinorum, per Uladislaum II. Regem iniunctum fuit, ut Matthaeo Archiabbati, cui Reformatio cunctarum Regni Hungariae Abbatiarum Ord. S. Benedicti commissa esset, ad eandem Abbatiam accedenti una cum suis Religiosis Fratribus obtemperet.[2]) Anno 1531 eam Nicolaus Olahus, tunc Albensis Custos, Secretarius, et Consiliarius Mariae Reginae, erga huius praesentationem obtinuit. Ab obitu Georgii Foglár, Electi Episcopi Serbiensis, Canonici et Lectoris Agriensis eam Ordini suo adserere frustra conatus est Archiabbas Benedictus. Bonbardius ei, postquam e faucibus usurpatorum revindicata fuisset, magnificum templum accessisse narrat. Denique anno 1776 Episcopatui Munkácsiensi Graeci Ritus Catholicorum in vicem dotis episcopalis incorporata est, cuius titulum quoque eius loci pro tempore Episcopi gerere solent. Possidet eam hodie Illustriss. ac Reverendissimus D. Basilius Popovics. Episcopus Graeci Ritus unitorum Munkácsiensis, AA. LL. et Philosophiae Doctor.

LIX.

Abbatia SS. Petri et Pauli Apostol. de Szerencs.

Abbatia de Szerencs hodie titulo S. Georgii Mil. et Martyris insignitur; at olim eo SS. Petri et Pauli Apostolorum gaudebat. Testes huius rei sunt literae Joannis Zápolya, ex Castro suo Trenchiniensi in festo B. Calixti Papae anno 1507 datae, quibus „Abbatiam Ecclesiae de Zerench ad honorem Beatorum Petri et Pauli Apostolorum fundatam Religioso Fratri Petro de Zykzó auctoritate sui iuris Patronatus" confert ea conditione, ut in ea Abbatia probe, honeste, religiose, et sub observantia regularis disciplinae sui Ordinis vivere teneatur; bonaque, et res Abbatiae nullomodo dissipare praesumat; secus Collationem ei hac in parte minime profuturam, et suffragaturam minatus.[3]) Videbatur istud necessarium, eo quod eius in Abbatia Praedecessor, quem Julius II. Papa in suo Rescripto filium perditionis appellat, priore anno in Capitulo Generali deponi meruerit.[4])

Est Szerencs non ignobile oppidum Comitatus Zempliniensis, duobus millia-

[1]) Agr. Episc. I. 131. — [2]) Caps. 23. E. — [3]) Caps. 26. J. — [4]) Caps. 58. P. —

ribus Tokayno distans cum arce, hac aetate in ruinas prostrata, et medium eiatis insulae occupante. Inter MSS. Hevenes. Tom. V. praesto sunt literae fundationis in extractu, qui sic sonat: „Inclyta familia de Monak Ecclesiam Beatorum Petri et Pauli cum monasterio Ord. S. Benedicti, adiectis possessionibus Zerench, et Uj-Eőr, cum Jure patronatus fundat Anno MCCCXCIII.“ Adsunt item literae Demetrii Bubek, qui anno MCCCC. vigore illarum literarum, Jus patronatus eidem Familiae adiudicavit.*) — Ferdinandus I. Rex Hungariae, ut animos potentium lucraretur, aut a partibus Zápolyae abstraheret, anno 1522 Abbatiam hanc Francisco Bebeko, homini, Timonis iudicio, ingratissimo ad tempus possidendam contulit. Cuius stirpe non longe post deficiente ad Rakoczianos devoluta est, uti supra valvas Oratorii helveticae Confessionis marmori rubro incisa isthaec verba testantur: „Hic Sigismundus ovans post ultima fata Rakóczy, Pannoniae columen sago togaque cubat.“ Post tristem monasterii in arcem conversionem, novimus e compendio Beliano, seditiosos aliquot in ea in perniciem Regni et Regis conventicula habuisse, et nominatim anno 1605 Stephanum Bocskay Comitia cum suis sodalibus celebravisse.[1]) Titulum Abbatiae possidet Reverendiss. D. Josephus Stipula, Eccl. Metropolitanae Agriensis Canonicus.

LX.

Abbatia S. Georgii M. de Jásd.

Jásd vicus est Vesprimiensis Comitatus, Zircio, S. Cisterciensis Ordinis monasterio, sesqui milliari remotus. Fundator ignoratur Abbatiae huius, uti et fata praeter commune illud Sec. XVI-i. Anno 1332 Abbas de Jászt iussu Joannis XXII. Papae cum Odone Abbate de Circh (Zircz) Ordinis Cisterciensis, et quodam Custode Vesprimiensi in caussa decimae Sümeghiensis Coenobio S. Martini debitae, Coiudex delegatus fuit contra Plebanum de Segusd nomine Pousa decimas denegantem.[2]) Anno 1419 Joannes, filius Ladislai Bani de Ujlak Praedium Galos dictum cum pertinentibus pro magno molendino in Inotha Abbatiae B. Georgii de Jásth permutavit.[3]) Parietinae abbatialis ecclesiae, et monasterii adhuc aliquae supersunt extra pagum. Jam priore Seculo ad fontem pone rudera Ecclesiae plurimae fiebant hominum concursationes, qui vanane an vera fama subitae, et prodigio similis e quacunque infirmitate curationis eo pertrahebantur. Concurritur eo hodie quoque, et quidem ad Capellam B. Mariae Virginis ad puteum, nunc Szentkút dictum erectam; ubi fidelis populus suam in Deiparam devotionem testari amat. Titulum Abbatiae gerit Reverendiss. D. Georgius Twrdy, Cath. Ecclesiae Nitriensis Cantor et Canonicus; vicus vero Jásd in ius Ill. familiae Comitum Zichy concessit.

*) Fejér: Cod. dipl. T. X. Vol. 8. pag. 367. — [1]) Windisch. Geogr. II. 49. — [2]) Caps. 26. Cc. — [3]) Caps. 26. N. —

LXI.

Abbatia B. Mariae V. de Bizere.

Abbatiae huius nec origo, nec locus satis noscitur. Cardinalis Pazmanus eam ad Comitatum Aradiensem reponit. Illud unicum ex Archivo S. Martini de ea certum est, quod anno 1342 per Siffridum Abbatem de Juxta Grón una cum Abbatiis de Clusvár, Grab, Bolcs et Monyoród e manibus Secularium extorta fuerit. Erat nempe Siffridus iste per Generale Ordinis Capitulum ob singularem suam in rebus agendis dexteritatem, et solertiam Procurator ad recuperanda monasteriorum Bona constitutus, ea per Clementem VI. posita conditione, ut negotii huius expensas omnia Provinciae monasteria ferant. Interim, postquam dictae quinque Abbatiae Bona sua recuperassent, Capitulum Generale Wisegradi ad S. Andream celebratum definivit, ut ea tantum monasteria, quae laborum Abbatis Siffridi fructum ceperunt, impensos per eum CD aureos a proportione dependant; id quod singulis his Monasteriis publico Notarii instrumento significatum fuit.[1])

Turca regnum pervagante hanc quoque Abbatiam e medio sublatam esse opinari licet. Periit, ut ceterae. Ipsa Praepositura Aradiensis, praestantissimorum quondam Praepositorum altrix, qui non raro ad Regum Hungariae latus summe colebantur, praeter tristem sui memoriam, et quaepiam cassa aedificiorum rudera nihil e splendore prisco retinuit. Quid mirum, si funeribus maiorum minora quoque accedant? — Solus Titulus superest, quo hodie ornatur Reverendiss. D. Mathias Marczényi, Cathedr. Ecclesiae Cassoviensis Canonicus, et Archidiaconus Cathedralis, SS. Theologiae Doctor. — Verum loci nomen Bizere erat, quod unde in disiunctivum Kizere degeneraverit, non liquet.[2])

LXII.

Abbatia B. Mariae V. de Koppan-Monostor.

Abbatia haec inter possessiones Uj-Szöny, et Ács supra Comaromium in Dioecesi Jaurinensi occupabat collem vitiferum, Danubiumque sub se despexit. Sub finem Seculi XVII. prolixa adhuc exstabant monasterii rudera, quae tristis spectabat Robertus Abbas S. Crucis in Austria, dum per Danubium cum Legato Caesareo Constantinopolim veheretur. Jam modo nihil, ne lapidem quidem, testem monasterii quondam ibidem exsistentis, videre licet. Vinearum eiatum domini materialia sacri

[1]) Caps. 26. S. — [2]) Errore Scribarum puto, uti Biers a Kiers. —

aedificii in vinorum receptacula converterint. Vetere aevo Kapán nominabatur. Adsunt nempe literae Mariae Reginae ad Stephanum S. Martini, Dominicum de Pécsváradja, Nicolaum de Sexárd, Henricum de iuxta Grón Abbates, quibus anno 1385 mandat, ut Fratrem Andream Herke cum praeiudicio Nobilium de Ekel per Reginam, Abbatem B. Mariae Virg. de Kapán nominatum amoveant, et per hos ex Ordine S. Benedicti praesentatum praeficiant Insigne profecto iustitiae exemplum per Reginam in se ipsa editum.[1])

Anno 1407 Ludovicum Abbatem habuit, quo tempore Nobiles Archiepiscopales Chudor de possessione Eőrs clausuram piscinae Monasterii ruperunt, et pisces dimiserunt,[2]) quibus eo adhuc tempore, et diu postea Benedictini quotidie vescebantur. Iidem Nobiles etiam certam particulam terrae ab hoc Monasterio avulserunt; verum eorum posteri anno 1480 dicti Csudor de Gadócz restituerunt coram Vicecomite, et Judice Nobilium Strigoniensis Archiepiscopalis Sedis Érseklély.[3]) Anno 1519 Abbas Joannes per Conventum S. Martini in dominium praedii Zomzó (nunc Czonczó) ad mandatum Ludovici II. Regis introductus fuit.[4])

Dilapsis metu Barbarorum Religiosis anno 1537 occupavit Abbatiam Mathias Baronyay de Eősén, arcis Tatensis Praefectus; qui tamen eam protestanti contra hanc, uti et eam Abbatiae de Tata, et possessionis Tömörd occupationem Archiabbati Michaëli exhibuit humanitatem, ut securum eum reddiderit, quod ad quemcunque locum, quem Michaël elegerit, cum eo de occupatis tractaturus libere, et sine noxa accedere possit.[5]) An, et quid Michaël cum homine armato confecerit, ignotum; id tamen constat, quod Ferdinandus I. Rex anno 1540 Joanni Hardich, Comaromiensi Capitaneo praeceperit, ut partem piscationis ab antiquo ad Abbatiam Koppán-Monostor pertinentem, et turbulentis temporibus per Mathiam Baronyay occupatam, nulli alteri, quam Archiabbati dare praesumat, ad quem videlicet haec Abbatia ab antiquo spectaret.[6]) Postremum istud non alio, quam eo sensu sumendum esse, quod haec Abbatia non iure filiationis ad S. Martinum pertinuerit; sed quod Archiabbas, qua Generalis Abbas, seu Praesidens perpetuus omnium Hungariae Abbatiarum sui Ordinis Protector fuerit, et Conservator, indubium est; ad cuius proinde curam haec quoque Abbatia pertinuerit, sed ita, ut quidquid de eius Bonis perceptum fuisset, id totum in eiusdem Abbatiae proprium emolumentum fuisset convertendum.

Verum Stephanus Fejérkövy Episcopus Vesprimiensis, et Archiabbas Commendatarius, aliter hoc suum Jus interpretatus est. Decedente enim Martino Farkas de Gadócz, cui Ferdinandus I. Rex, vacante tam hac Abbatia quam Archiabbatia, et Conventu quoque neutrobique existente, Bona Abbatiae Koppán-monostor ad dies duntaxat eius vitae contulerat, ad ius suum archiabbatiale devolutam, anno 1581 Nobilibus de Besse, de Sabaria, et Michaëli Balogh in 600 fl. oppignoravit; perceptamque pecuniam in reparationem arcis et monasterii S. Martini, praesidiariorum incuria exusti, convertit.[7]) Eadem mox Abbatia Comaromiensi arci, frustra protestantibus Archiabbatibus adscripta, inde ad iura Comitum Zichy transiit. Tentabat eam anno 1760 revindicare Benedictus Sajghó Archiabbas; sed cum sub id tempus illustri Familiae Zichianae, amissione Veterobudensis dominii sat acerbum vulnus fuerit inflictum: visum est afflicto non esse addendam afflictionem. Qua de caussa penes veteres dominos mansit.[8]) — De subiectione Abbatum de Koppán-mo-

[1]) Caps. 8. P. — [2]) Caps. 63. P p. — [3]) Caps 8. O. — [4]) Caps. 71. Z. — [5]) Caps 8. N. — [6]) Caps. 8. Q. — [7]) Caps. 8. R. — [8]) Terrarum ad Abbatiam hanc olim pertinentium pars Danubio et Arci Comaromiensi obversa nunc in extimam huius munimenti lineam convertitur. —

nostor, et de Tata, per Joannem Commendatarium S. Martini Abbatem praeter ius extorta, et utriusque huius Monasterii Abbatibus ad electionem Matthaei Abbatis S. Martini concurrentibus, iam suis locis actum est. Titulo Abbatiae gaudet Reverendiss. D. Antonius Egyed, Oppidi Földvár ad Danubium Parochus.

Eadem Abbatia conferri solet etiam sub titulo et nomine B. Mariae Virginis de Monostor supra Comaromium, cuius honore hodie potitur Reverendiss. D. Ludovicus Bitnicz, Cathedr. Eccl. Sabariensis Lector, et Canonicus, AA. LL. et Philosophiae Doctor collegiatus.

LXIII.

Abbatia S. Spiritus de Monostra.

Petrus Pazmanus isthanc Abbatiam recenset inter Abbatias Ord. S. Benedicti in Dioecesi Quinqueecclesiensi sitas. Exsistit sane in Comitatu Baranyiensi iustae extensionis vicus, germanis potissimum Colonis insessus, cui nomen Monostor. Anno 1776 pro amplitudine loci ecclesiam struere coepit Excelsa Camera, cuius subest ditioni; et cum ei regioni lapides natura negarit: vetus monasterium, quod reliqua possessione altiore situm erat loco, parte, quae Baranyavárium respicit, eruderare coeperunt. Ea occasione devenerunt fossores ad magnum sub terra hiatum, et sicut in similibus fieri solet, monachorum thesaurus ibi putabatur reconditus. Fama propagata inhibitae sunt operae a labore, et pro certa rei exploratione Salis officii Praefectus cum Judice Nobilium ex Officio missi. In horum praesentia cum coeptum fossatum aperiretur, reperta est vetus Crypta monachorum, in qua ordine iacebant defuncti Benedictini, in quorum calvariis, salvis adhuc capillis, tonsura benedictina, circulus nempe ab aure ad aurem ductus, ad vivum apparuit. — Nec amplius quid de hac Abbatia novimus. Tituli eius memoriam conservat nunc Reverendiss. D. Emericus Hollók, Cath. Ecclesiae Rosnaviensis Cantor et Canonicus, AA. LL. et Philosophiae Doctor.

LXIV.

Abbatia S. Benedicti de Borchi.

De huius Abbatiae fundatore, initiis, fatis itidem uti de pluribus, quae hic praecesserunt, nihil est cognitum. Tantum Liber manuscriptus Michaëlis Antonii Paintner, Praepositi primum Ráthótiensis, deinde S. Adalberti de Jaurino, tum El. Episcopi Noviensis, et ad Exc. Consilium Regium, postea ad Exc. Cancellariam Regiam Hungarico-aulicam Consiliarii, Viri in vestigandis antiquitatibus, praesertim Ecclesiasticis solertissimi, huius inquam Liber docet, Abbatiam hanc sitam fuisse in Comitatu Castriferrei, et Dioecesi, ut tunc erat, Jaurinensi, quae provincia nunc iam Dioecesi Sabariensi adscripta est. Cum vero notum sit, Virum hunc sua e certis et authenticis instrumentis, potissimaque sui parte e Libro regio Beneficiorum Regni Hungariae ecclesiasticorum depromsisse; auctoritate niti licet Viri summe fide digni, et Abbatiam ad Comitatum Castriferrei collocare.[1])

Sed, qua huius parte sita fuerit, nullus docet, adeo vel ipsum nomen Borcsi exstinctum, sepultumque est. Si coniecturae locus est, statuenda veniret ad possessionem S. Benedicti ad Muram amnem a S. Gothardo, celebri illo Cisterciensis Ordinis monasterio tribus milliaribus recedentem. Plura in Hungaria novimus loca, quae nomen Sanctorum patronorum suorum adoptarunt; plura item, quae demutata priore sua denominatione a Sanctis Ecclesiarum suarum malebant appellari. Quidni hoc cum Borcsio accidere potuerit. Ita, quae villa olim Borcsi, dum Abbatia fundaretur, dicta fuit, nunc Szent Benedek appelletur. Ad huius nomen in suo Lexico geographico queritur Korabinszky hic loci ultimo depulsos fuisse augustanae Confessionis incolas ab exercitio suae religionis, et ab usu Oratorii. — Abbatia inde ab obitu Joannis Asztl, Cantoris, et Canonici Jaurinensis vacans, inter Abbatias, intra ambitum Dioeceseos Sabariensis exsistentes, in huius Schematismo recensetur. Verum Schematismus Dioeces. Vaciensis eam Dioecesi Jaurinensi tribuit. Ex eodem discimus, nunc, anno scil. 1858, Abbatiae huius titulo decoratum exsistere Reverendiss. D. Josephum Haulik, Cath. Eccl. Vaciensis Custodem, et Canonicum.

---

[1]) Refert D. Joannes Feniczy, Parochus in Bárkány, exsistere in huius filiali Verebély rudera Ecclesiae, de quibus Protocolum Ecclesiae nihil tenet, accolae autem et vicini alucinantur. Non deerunt, puto, qui seculorum decursu Borchi in Bárkány facile mutari potuisse credant, et Abbatiam de Borchi ad Mátra-Verebély, a possessione Bárkány medio tantum milliari hungarico remotam, reponendam censeant. Ceterum sunt, qui Abbatiam de Borchi ad possessionem episcopatus Jaurinensis, Börcs dictam reponant, ea ducti ratione, quod in veteribus scriptis haec possessio, Jaurino iusto milliari occasum versus dissita, Borchi nomine veniat. —

LXV.

Abbatia S. Martini de Vaska.

Ne ex identitate nominis oriretur confusio in denominatione duarum Abbatiarum a S. Martino appellatarum, una vulgo Győr-Szent-Márton, altera Vaska-Szentmárton patrio idiomate appellatur. Haec hodie eadem est cum Dráva-Szentmárton; nam ad Dravum eam fundatam fuisse rudera hoc in pago conspicua innuunt, et e continuato usque hodie axiomate apparet, secundum quod etiamnum scribitur: Abbatia de Vaska S. Martini ad Dravum fluvium. Atque hoc unum est, quod de ea cum aliqua securitate dici potest, reliqua omnia ignorantur. — Nam, quae hactenus de tractationibus, transactionibus, et nescio quibus nundinationibus inter Episcopum Zagrabiensem, et Abbatem de Vaska super hac Abbatia, aut eius possessionibus institutis iactabantur, omni fundamento carent. Constat enim ex Kercselichio Philippum Episcopum Zagrabiensem non Abbatiam de Vasca, sed certam terram dictam Vasca a Fr. Rembaldo, Domorum Hospitalis Jerosolymitani maiore Praeceptore anno 1254 emisse; terramque illam non Abbatiae Vaskensis, sed Bartholomaei Episcopi Quinqueecclesiensis olim fuisse, a quo eam Remboldus pretio comparavit. Qua occasione nullus Abbas seu intervenit, seu protestatus est; sed Paulus filius Borich Bani, qui eam ad suam hereditatem pertinere asserebat; verum qua literarum falsificator sententia regis succubuit.[1]) — Abbatia haec una realium est, qua modo gaudet Reverendiss. D. Vincentius Rudolf, Ordinis Milit. Crucigerorum de Rubea Stella Commendator, Praepositus S. Sigismundi de Buda, Arcis Regiae Budensis Parochus, atque Dexterae S. Stephani Protoregis Custos; Ins. Ordinis Leopoldi Imp. Eques, Cruce aurea pro piis meritis decoratus.[2])

---

[1]) Kercselich: Eccl. Zagrab. p. 86. — [2]) Si Schematismo Ven. Cleri Quinqueecclesiensis credimus. Abbatia haec Archicoenobio S. Martini nonnihil recentior, adeoque Sec. XI. erit. Utinam rationem dicti assignavisset!



LXVI.

Abbatia B. Mariae V. de Rákony.

Pauca admodum sunt, quae de hac Abbatia innotuerunt, et haec quoque incerta. Juxta Manuscriptum supralaudati Paintnerii, sita fuit in Archidioecesi Strigoniensi; iuxta catalogum quemdam anonymum, Seculo XVII. compilatum, iuxta Danubium: ut adeo inter Posonium et Strigonium quaerenda esset. Memoriam, ne plane in oblivionem abeat, vel maxime tuetur tituli abbatialis collatio regia; e qua illum hodie tenet Reverendiss. D. Joannes Henricus Kümmer, ad Exc. Consilii Locumt. sectionem Vojvod. Consilarius Scholasticus.

Abbatia de Szent György hactenus in serie Abbatiarum comparebat, quae in Comitatus Honthensis Processu Schemniciensi sita fuisse credebatur, et anno 1493 a Sixto Romano Pontifice Paulinis tradita.[1]) Sed cum haec nullo idoneo auctore producto in medium allata fuerint, et anno 1493 nullus Sixtus, sed Alexander VI. Cathedram Petri tenuerit; Annales autem Ordinis Eremitarum S. Pauli nullam huius traditionis faciant mentionem: Abbatiam de Szent György, ipso suo nomine suspectam, et Schematismo tam Regnicolari, quam Dioecesano ignotam, ex Catalogo Abbatiarum expungendam censemus.

LXVII.

Abbatia B. Mariae V. de Gagy.

Felső-Gagy sita est in provincia Abaujváriensi, et Processu Cserhátensi, iuris modo Dominorum de Fáy. Abbatiam istam fundate describit Ludovicus Vitzmándy, Gagyensis olim Parochus. „Moderna, inquit, Parochialis nova Ecclesia Felső-Gagyensis consistit in ruderibus antiquae ecclesiae abbatialis, prostantibus adhuc circa eam et aliis claustri, et cincturae eius ruderibus. Locus hic, et Ecclesia

---

[1]) Quae hic de Abbatia Sz. György credebantur, maiorem partem e Pazmáni relatione, cuiusdam Fr. Gregorii Gyöngyösi libello, ad initium Seculi XVI. edito innixa, fuere desumpta, ubi haec leguntur: „Szent György (sic) olim fuit Abbatia. Datur Eremitis Paulinianis anno 1493. a Sixto IV. Papa.“ Gyöd, György, Szent György nuspiam: Gyód in Comit. Baranyiensi; György in Transsilvania reperitur.

exigua temporibus Rákóczii occupata erat a Calvinistis, et usque annum Christi 1756 ab ipsis possessa. Anno hoc, zelo et industria Reverendissimi Domini Francisci Fáy de Eadem, Ecclesiae Magnovaradinensis Canonici, et Abbatis B. M. V. de Gagy, Dominoque terrestrali feliciter e manibus haereticorum revindicata, ac tandem anno 1758 eiusdem Canonici munificentia in statum elegantem, et Abbatialem cum sufficientibus apparamentis instructa, et erecta est..... De praefatis ruderibus intra populum hunc rudem nulla prudens traditio. Visuntur in ea duo e marmore sepulcralia monumenta: unum pone portam Sacristiae, alterum e regione huius muro adhaeret. Ob ignotam[1]) literarum sculpturam, uti et antiqui Insignis, genuina et realis descriptio dari non potest." Titulum Abbatiae possedit Reverendiss. D. Joannes Lipovniczky de Eadem, Metropol. Ecclesiae Agriensis Custos et Canonicus die 18-a Dec. 1855-i anno aetat. 73-io defunctus. — Idem nuper admodum benigne collatus est Reverendiss. D. Josepho Mihalovics, Cath. Eccl. Cassoviensis Canonico. Non mirum quod circa praesentem tantum eius statum versetur descriptio, nam de vetere nihil est cognitum.

LXVIII.

Abbatia B. Mariae V. de Zebegény.

Varie scribitur: de Szebegény, Szöbögény, et de monte Szöbegény. Si quis velit Abbatiam Zebegényiensem aetatem suam ad cladem usque Mohacsianam produxisse, libens id concessero, et inde vel maxime, quod Henricus Abbas de Zebegény, anno 1342 Capitulo Generali Benedictini Ordinis ad S. Andream de Vissegrád celebrato, interfuisse legatur. Nec fuit quisquam Abbatum vicinior ad S. Andream praedicto Henrico; qui superato Danubio, unius horae spatio e suo monasterio illuc poterat pertingere. Situm fuit monasterium isthoc Zebegény in Comitatu Honthensi in eminenti, petroso, et Danubio incumbente, atque hac parte fere inaccesso monte. Hodiedum retinet mons vetus vocabulum Zebegény, separaturque solo Danubio a possessione Dömös provinciae Strigoniensis. Habebat Dömös praedivitem Praeposituram ecclesiastici Ordinis, quae monasterio Zebegényiensi adeo in conspectu erat, ut quotiescunque monachi Danubium versus e suo editissimo Asceterio despicerent, primum Praepositura haec sub oculos incideret. Num adhuc rudera quaepiam veteris monasterii praesto sint, nullo veri testimonio adfirmare possum; nec quemquam conveni, qui venerandae antiquitatis videndae, ac examinandae gratia difficilem accessu montem scandere voluisset.

Prae monasterii ruderibus spectabilia sunt ex Danubio, et possessione Dömös in

[1]) Non reperiretur in erudito Clero Cassoviensi aliquis huius generis antiquitatum venator laudabiliter curiosus, qui horum lapidum inscriptiones, lectu minime faciles, utpote Seculo XIV., ut non vane opinor, incisas, explicet? Quam libenter eas proximo Dioeceseos Cassoviensis Schematismo suo loco insertas spectaremus! —

monte, semet in Danubium inclinante tria antra, seu sic dicta Eremitoria, quae veteri Benedictinorum ritu ab iis monachis incolebantur, quibus S. Benedictus in sua regula permittit, ut postquam in Congregatione longo usu didicissent pugnare contra carnem, mundum. et daemonem: possent demum solitariam, eremiticamque vitam sequi. Eremus haec nunc Pastorum domicilium, iucundum praeternavigantibus spectaculum praebet. — Titulum Abbatiae huius habet Reverendiss. D. Josephus Fogt, Cath. Ecclesiae Neosoliensis Lector, et Canonicus.



LXIX.

Abbatia B. Mariae V. de Tereske.

Etiam huius Abbatiae origo ignota est. Benedictinam fuisse fide Petri Pazmani constat. In Neogradiensi Comitatu sitam fuisse patet ex metalibus possessionis Vadkert, ubi quaedam terra Veke vocata monasterii de Tereneske recensetur esse commetalis cum Vadkert. Est modo Tereske iuris Frideczkiani, Farkasiani, aliorumque nobilium; qui si vellent, possent forsitan certam relationem facere, quo tempore monasterium ibi desierit, in quos usus Sanctuarii lapides conversi fuerint, et quibus tandem iuris mediis possessionem in Tereske impetraverint. — Titulus Abbatiae huius ultimo erat penes Reverendiss. D. Thomam Gabrielli, Cath. Ecclesiae Vaciensis Canonicum honorarium, Parochum in Mács, Jubileum Sacerdotem, anno aetatis 101-° nuper defunctum.

LXX.

Abbatia B. Mariae V. de Pankota.

Pankota frequens quondam Comitatus Zarándiensis oppidum cum praeclara arce; ambo demum anno 1565 a Turcis occupata, et diruta sunt. Ipsum oppidum „ita pristino flore denudatum est, ut vicis Fisci regii iam accenseatur... Olim quoque insignis hic erat Abbatia“, ait Belii compendium Geographicum. Quam Geographi arcem Pankotensem nominant, monasterium et Abbatia fuerit. In Hungaria non pauca sunt monasteria, quae ita munita fuerunt, ut arcium instar moenibus, fossis, aliisque praesidiorum apparatibus circumvallata fuerint. Abbatiam Pankotensem anno supradicto 1565 desolatam fuisse, non vane licet suspicari. Hanc Petrus Pazmánus inter Abbatias incerti Ordinis ponit; at in Catalogi Abbatiarum benedictinarum capite ita sensum, mentemque suam exprimit: „Plurimorum nobilissimi huius Ordinis Coenobiorum certum indiculum prae manibus non habeo.

Notabo tamen, quae consignata sparsim reperi, nihil dubitans, longe plures fuisse Abbatias Benedictinorum."

Ex his pluribus Pankotensem Abbatiam fuisse facile consentiet, cui notum est, solos fere Benedictinos, et Cistercienses, Abbatias habuisse, reliquis Praeposituras, Prioratus etc. fuisse. Cisterciensium Abbatiarum memoriam vel maxime tutatus est nexus ille, quem habebant ad extranea Galliae, Germaniaeque monasteria, e quibus in Hungariae monasteria sacrae coloniae deductae sunt. Certo consignata fuit quaevis Abbatia Hungarico — Cisterciensis, tanquam filia, vel in ipso Cistertio, vel in Morimundo, vel Claravalle, vel Pontiniaco. Unde post desolationem harum facile confieri potuitCatalogus e monasteriis matribus, quae a barbaris illis, quibus Hungariae Coenobia patebant, multum remota fuerunt. Quare Petrus Pazmanus confidenter, tanquam e certis instrumentis dixit se Catalogum Abbatiarum Hungaro-Cisterciensium contexuisse.

Certum itaque Abbatiarum Cisterciensium in Hungaria tenemus catalogum. Nobis Benedictinis nulla unquam connexio ad extranea monasteria. A primo in Pannoniam ingressu ita separati fuerunt Benedictini, ut quemadmodum ipsis Hungaris cum aliis nationibus remota tantum quaedam affinitas; ita illis tantum tenuis quaedam inde ab initio Sec. XIII. commemoratio ad Cassinense Italiae, primum illud Ordinis Benedictinorum Coenobium, exsistat. Solum S. Aegidii de Simighio monasterium filialem cum S. Aegidio in Gallia nexum fovisse supra vidimus. Quae cum ita sint, mirum videri non debet, quod sive dum Tartarus Bela IV. Hungariae rege, sive Solimannus post victoriam ad Mohács cum toto regno monasteria benedictina evastant, et literaria documenta comburunt, adeo Benedictinorum Hungariae memoria interierit, ut eorum Abbatiae quaepiam incerti Ordinis scribantur, cum certo benedictinae fuerint. Proinde, quotiescunque titulum Abbatiae legis, cuius in certo Cisterciensium Catalogo non fit mentio, sine scrupulo benedictinam dicito; donec e certis momentis alterius eam Ordinis fuisse docearis. — Titulo Abbatiae B. M. V. de Pankota hodie gaudet Reverendiss. D. Constantinus Hartmann, L. Reg. ac mont. Civitatis Cremniciensis Parochus. —

LXXI.

Abbatia SS. Petri et Pauli Apostol. de Kaacs.

Huius Abbatiae quidem Pazmanius in textu Catalogi Abbatiarum Ord. S. Ben.[1]) non meminit; at in subiecta Nota sub signo Z* haec leguntur. „Abbatia de Raach (lege: Kaach) in Comitatu Borsodiensi. Patroni fuere ex Familia Thibold de Barócz[2]) (lege: Darócz) per quos possidetur violenter. In libro S. Joannis[3]) Capituli Agriensis habetur, quod anno 1566 possedit quidam Canonicus Agriensis." Occurrit eius mentio in documento quodam Capituli Vaciensis anni 1292-di, et in Regestro Decimarum Papalium ad annum 1332, quin tamen sive

[1]) Péterffy: Conc. Hung. II. 273 et seqq. — [2]) Hodieque penes Kács, Agria semitertio milliari versus orientem aestivum distans, pagus Tibold - Darócz exsistit. — [3]) Olim Capitulorum Protocolla, et his similes Libri, solebant alicuius Sancti effigie decorari, eiusque nomine appellari; quo facilius a ceteris distinguerentur. —

hoc, sive illud doceat, cuius Ordinis fuerit. Igitur Benedictinam fuisse sola supracitatae notae fide asseri potest, cui traditio quoque, et regula, supra pag. priore dictata, suffragantur. Exsistit quidem apud Katona in diplomate anni 1317-mi memoria Claustri Kács, cuius Vicarius cum Priore de Geur, seu Diós-Győr, et Priore S. Spiritus de Dédes commemoratur; sed istud a priore distinctum ad silvas Possessioni Kács vicinas referendum censet Schematismus Agriensis anni 1851. pag. 46. Huius Claustri Eremitas S. Pauli fuisse incolas, horum Annales docent; qui, cum regulam S. Augustini adoptaverint, nonnunquam Heremitae S. Augustini vocati leguntur, id quod Rosnakio praebuit occasionem Paulinos de Kács, eorumque domicilium Catalogo Eremitarum Augustinianorum inserendi; eo quod in hoc ipso documento Katonaiano, quod attigimus, Religiosi de Kaács, Heremitae S. Augustini compellentur. — Abbatiae titulum BB. Apostolorum Petri et Pauli de Kaacs hodie tenet Illustriss. ac Reverendiss. D. Sigismundus Deáky, Consecratus Episcopus Caesaropolitanus, suae Sanctitatis Summi Pontificis Praelatus Domesticus, Cath. Ecclesiae Jaurinensis Praepositus Maior, et Canonicus, S. Cäes. et Regio-Apostolicae Maiestatis Consiliarius, SS. Theologiae Doctor. —

LXXII.

Abbatia de Aracsa.

Qua regni parte Aracsa quondam fuerit, qua ratione ad Fratres Minores, et quando fuerit devoluta, discimus e Manuscripto Josephi Jakosics, Almae Capistranae Provinciae Ministri Provincialis, cuius relatio de Conventu isto sic sonat: „In Dioecesi Csanadiensi, ac Ducatu Sirmiensi situs olim Conventus ab Aracha, fundatus ab Elisabetha Regina, consorte Caroli I. Regis Hungariae, matre Lodovici I. Regis. Sic quippe scribit P. Petrus de Terebesd, tum Matthaeus de Kamancz Provinciae S. Mariae Hungariae Alumni, quorum MSS. adservantur in archivo eiusdem Provinciae, nec non alia MSS. ac etiam appendix Synodi Pazmanianae: Conventus de Aracha, ut structura demonstrat, Abbatia fuit. Postea per Reginam Elisabeth tempore viduitatis suae anno 1370 restaurata, ut literae Gregorii XI. testantur, anno 1378 emanatae. Vadingus ad annum 1378 ita consignavit: „Gregorius Pontifex antequam hoc anno vitam absolveret . . . in Aracha Dioec. Chanadiensis, ad preces dictae Reginae Elisabeth Fratribus Minoribus concessit Ecclesiam S. Nicolai cum monasterio adiuncto, ab eadem constructo."

„Nihil amplius (prosequitur Jakosics) de hoc conventu eruderare potui, quam eiusdem memoriam in testamento Elisabeth Fundatricis, apud Sanctimoniales Posonienses Ordinis S. Clarae asservato, in quo testamento post reliquos articulos legitur: Item ad opus Claustri de Aracha, si vita comite nobis, perfici non poterit, D florenos auri, unam Casulam de Atlas flavo cum suis pertinentiis, perlis

ornatam, duas nuces *) argenteas, in superiori Capella nostra habitas. . . . Exstat huius Conventus memoria in actis Capituli, in Conventu Varadiensi anno 1533 celebrati, ubi Guardianus Conventus de Aracha institutus legitur P. Joannes de Nésth: fuitque Conventus iste Custodiae Bachiensi insertus. Desolatus tandem post tempora cladis Mohacsiensis; iamque locus olim celebris, inter rudera consepultus manet. . . Modernis accolis Racha locus hic dicitur." Hactenus Jakosics anno 1781. —

Exstitisse Abbatiam de Aracha Seculo XIII. post incursionem Tartarorum, indubium est; nam in Synodo Strigoniensi anno 1256 celebrata post Favum S. Martini, et paucos alios Abbates subscriptus legitur Nicolaus de Aracha.[1]) Quam Abbatiam, cum cuicunque alteri Ordini tribuendi fundamento careamus: eam illi Benedictinorum, iuxta superius dicta assignamus; cuius Ecclesia Seculo XIV. Fratribus Minoribus collata sit. Quae, cum in horum iura sub nomine et titulo S. Nicolai concesserit, verisimile est, Abbatiam quoque sub eodem S. Nicolai Episcopi titulo viguisse, quam Schematismi omnes hodie ignorant. —

LXXIII.

Abbatia B. Mariae V. de Buchan.

Huius quoque Abbatiae nec initia nec fata ulla nota sunt. Et tamen insignem fuisse patet ex Bulla Joannis XXI. Papae de anno 1333 ad Abbatem Monasterii Beatae Mariae Virginis de Buchan, Dioecesis Vesprimiensis data, eo quod Abbatem hunc Papa deleget, qui Bona Monasterii S. Martini, per huius Abbates in ruinam eiusdem quibuscunque contractibus mediantibus illicite abalienata, ab exteris recipiat, et S. Martino restituat; non obstantibus literis, iuramentis, renuntiationibus, poenis, et confirmationibus quibuscunque.[2]) Constat autem Abbatibus exilium Asceteriorum similes provincias per S. Sedem romanam tribui solitas non fuisse. Et reapse, rudera quoque Monasterii amplissima Seculi prioris fine adhuc conspicua fuere in Silva Bucsány-erdő dicta, intra limites Possessionis Bucsa Comitatus Zaladiensis, teste Michaële Dervaries, viro nobili, et regionis illius optime gnaro.

Idem narravit, intra illa rudera longo tempore sibi eremicolas successisse, qui anachoresim ibi colebant, quorum aliquos ipse noverit; horumque unum erectae altiori intra rudera Cruci effigiem B. M. Virginis inferne affixisse. Ad crucem illam, aiebat, lumen suapte accensum fuisse plurimi observarunt. Rei prodigiosae fama plura hominum millia non ex Hungaria solum, sed ex Croatia etiam eo accivit. Quia vero metuebatur, ne piae hae peregrinationes sine praevio examine, iudicioque Ecclesiae institutae, in indiscretam

[1]) Péterffy: Conc. Hung. ad hunc annum. P. I. pag. 87. — [2]) Caps. 36. E. — *) Mallem legere: cruces. Ceterum vasa sphaerica, pedibus instructa, hoc aevo nuces audiebant. Du Cange Glossar. art Nux —

quampiam fidem degenerent: imago illa, chartae impressa, inde submota, et ad abbatialem ecclesiam Kapornakiensem translata est. Ob exiguam huius ab illa distantiam erant, qui eam Kapornakiensis Abbatiae filialem fuisse opinarentur; quod, sicut per huius opes fieri potuisse certum, ita factum fuisse, et eam Kapornakiensi abbatiae sua initia debere ostendi nequit. Schematismi Abbatiae de Bucsán non meminerunt. —

LXXIV.

Abbatia de Magocs.

Magocs possessio est in Comitatu Baranyiensi, et Dioecesi Quinqueecclesiensi. Abbatiam isthic exstitisse docet instrumentum publicum resignationis Abbatiae de Bátha per Abbatem Joannem sponte in Generali Capitulo anno 1515 coram pluribus Abbatibus solenniter factae, quos inter Abbas Stephanus de Magocs legitur.[1]) Atque unicum istud instrumentum Abbatiae huius memoriam conservavit. Haec etiam ob viciniam ad Pécsvárad, huius filialis fuisse, eique suam originem debere a quibusdam creditur. Conferri solet, caussa nobis ignota, sub titulo S. Crucis, cuius honore nunc gaudet Reverendiss. D. Michaël Vörös, Cath. Ecclesiae Quinqueecclesiensis Custos, et Canonicus, —

LXXV.

Abbatia S. Spiritus de Hrapkó.

Hrapkó in Comitatu Sárosiensi sita, olim Harapkő dicebatur ab Hungaris. Abbatiam ibi S. Spiritus pro Benedictinis fundatam fuisse, MScripta supra laudati Michaëlis Paintner, e libro Regio Beneficiorum ecclesiasticorum compilata docent. Quo tempore Abbatia coeperit, desieritque non constat. At titulum eiusdem adhucdum a Regibus apostolicis conferri notum est, quo hodie fruitur Reverendiss. D. Josephus Trangoss de Valaszka, Oppidi Kun-Szent-Mártony Parochus. — Desolatam Abbatiam anno 1333 a Nicolao Perén resuscitatam Patres Augustiniani obtinuerunt. Sub initium Seculi XVIII. plurimum cooperante Patre Gabriele Hevenesy Patribus Societatis Jesu, Residentiae Eperiesiensis usibus tradita est, a quibus iterum ad Fiscum recidit.—

[1]) Caps. 8. D. —

LXXVI.

Abbatia S. Margarethae V. et M. de Meszes.

Situm loci huius prae reliquis Patriae nostrae Scriptoribus iam Anonymus Belae Regis Notarius indigitat, qui circa annum 904. Bihariensis castri ducem Menemorout fuisse, et ab hoc Arpadum iure Attilae, sui atavi, terram ab amne Samusio usque ad confinia Nyir, et portam Meszesianam sibi concedi petiisse refert. — Monasterium hic in honorem S. Margarethae per Almum Ducem, Belae II. Regis Patrem erectum fuisse docemur diplomate Stephani III. Hung. Regis, huius tenoris: „Notum sit omnibus Principibus, sub ditione regis Hungariae exsistentibus, tam modernis, quam posteris quod ego Stephanus Dei gratia sublimis, ac triumphator Hungarorum rex, Geysae Illustrissimi regis filius, paterni regni gubernacula, Deo annuente obtinens, ad remedium animae patris mei, meaeque saluti, et fratrum meorum providens, monasterio Almi Ducis in honorem S. Margarethae in Meches constructo hanc helemosynam institui; ut quicunque deferentes sal per portam Meches transirent, de singulis curribus de uno salinorum, ad regiam partem pertinentium, unum lapidem salis praedicto monasterio darent. Si vero contigerit, quod aliquando pro salibus praedictis denarios in partem regis acceperint, de singulis curribus unius lapidis pretium de parte regis praedicto monasterio semper solvatur. Factum est autem hoc anno Dominicae Incarnationis MCLXV. anno regni mei IV., consensu cunctorum Principum meorum, tam Episcoporum, quam Comitum, videlicet: Lucae Strig. Archiepiscopi. . . . Michud Comitis Praeconum, Esau Comitis. Quod per Bicenium Notarium nostrum scribi in charta praesenti, et per Sudam magistrum Capellae nostrae sigillo Regiae maiestatis nostrae muniri praecepimus. . . ." [1])

Altera huius monasterii mentio recurrit in sequentibus literis: „Elisabetha, Dei gratia, Regina Hungariae.... Frater Stephanus Abbas Monasterii S. Margarethae de Meszes nobis humiliter supplicavit, ut quintam partem proventuum tributi de Zilok annualem, quam Domina Anna, bon. mem. quondam Illustris regina, consors inclytae recordationis tertii Belae Regis Ungariae, . . . contulerat.. eidem Ecclesiae reddere dignaremur.... Datum anno Domini 1281." [2]) — Ruderum vestigia duntaxat, eaque sat obscura in monte Meszes, e Comitatu Szolnok mediocri in Krasznensem protenso, exstant. Titulum Abbatiae gerit Reverendiss. D. Paulus Horváth de Felső-Bükkös, Districtus Maros in Transsilvania Archidiaconus, R. Civitatis Maros-Vásárhely Parochus.[3])

---

[1]) Fejér: Codex dipl. T. II. pag. 170. — [2]) Katona: Historia pragmatica. I. 878. — [3]) Schemat. Cleri Magnovarad. 1851 —

LXXVII.

Abbatia S. Gabrielis Archang. de Mezőtelegd.

Tres passim a nostris in provincia Bihariensi recensentur Abbatiae. Prima: B. M. V. de Szent-Jobb, secunda Bihariensis oppidi etiam B. M. V., tertia denique de Mezőtelegd. Hanc et Vindisch, et compendiator Belii eo cum axiomate referunt fuisse Abbatiam celebrem. Bonbardi in Topographia Hungariae Abbatiarum Bihariensis et Mezőtelegdiensis suo tempore rudera superfuisse narrat, seculo nempe XVIII. Ladislaus Thuróczi in elegante sua Hungaria tres aeque enumerat Abbatias Comitatus Bihariensis, duas ut supra B. M. V., tertiam sine certo loco S. Gabrielis. Consentiunt vero omnes, tres tantum fuisse in Comitatu hoc Abbatias; quarum cum duae sint B. M. V., tertiam S. Gabrieli Archangelo de Mezőtelegd tribuimus, ne aut numerum Abbatiarum augere, aut S. Archangelum Gabrielem Bihariensi provincia movere oporteat. — Ultimus, qui titulum eius tenuit, erat Felix Rihmer Cath. Ecclesiae Quinqueecclesiensis Canonicus. — Anno 1854 eam Reverendiss. D. Leopoldus Klaszovicz, Cath. Eccles. Csanadiensis Custos et Canonicus obtinuit.

LXXVIII.

Abbatia S. Margarethae Virg. et Mart. de Hahóth.

Duos hoc nomine vicos, mutuo contiguos, utpote: superiorem, et inferiorem (Alsó- Felső-Hahót) provincia Zaladiensis suo sinu complectitur. Fundatores monasterii in Hahót constructi docemur diplomate Andreae II. Regis Hungariae, huius tenoris: „Andreas, Dei gratia Rex Hungariae . . omnibus Christi fidelibus praesentem paginam inspecturis salutem, et omne bonum. Quod regia auctoritate sancitur, quodam penso munitur perpetuae firmitatis. Hinc est, quod ad Universorum notitiam . . tenore praesentium volumus pervenire; quod accedens ad nostram praesentiam Comes Hoholdus, Comes Michaël, Acus, Nicolaus, et Dionysius, filii Comitis Hoholdi; item Magister Buzad, Magister Chak, Lancredus et Tristanus, filii Buzad Bani. Item Comes Arnoldus, Keled, et Ponyth, filii Comitis Arnoldi de genere Hohold, a nobis humili petierunt cum instantia, ut in possessionibus ipsorum monasterii B. Margarethae de Hohold, quilibet ex iisdem quanta de-

dit, et donavit, nostro dignaremur privilegio confirmare. Ex quibus Comes Arnoldus, filius Buzad adhuc vivente, qui praedictum monasterium aedificasse dicitur, dedisset, et statuisset ipsi monasterio totam portionem suam in Kuholym ipsum contingentem, et in Szanto, in Comitatu de Tolna, tria aratra terrarum a parte terrae Edelin. Item ad S. Michaëlem de Piliske, qui a terris Udvarnicorum per terras dividitur, 50 iugera terrarum, et adhuc in terra Scikmond tria aratra terrarum, quae tota generatio Hohold asseruit haec omnia contulisse Ecclesiae praenotatae . . ." et, postquam ceterorum quoque donationes enumerasset, demum „hoc etiam, inquit, adiecto, quod specialem Patronatum et protectionem dictae Ecclesiae Arnoldo, Keled, et Ponyth, seu ipsorum successoribus admiserunt, et obediverunt (fors obtulerunt) sincera voluntate: quia Pater praedictorum potiora ipsi Ecclesiae ordinavit. Et per eundem Arnoldum, filium Buzad, dictum monasterium est institutum, et fundatum. Nihilominus tamen ceterae generationes Hoholdi habebunt sepulturam. . . Si quis . . pertinax huius donationis paginae temerario cursu contraire attentaverit, iram omnipotentis Dei incurrat, et sanctae regiae indignationis severitatem in suae personae dignitatem, et rerum suarum proscriptionem vehementius experiatur. Datum anno gratiae MCCXXXIV. Regni autem nostri Anno XXXI." —[1])

Ab hoc tempore nulla huius Abbatiae mentio usque annum 1557, quo inter evocandos Tyrnaviam ex mandato Archiepiscopi Olahi Abbates, etiam ille de Hahót comparet. Coram iudicio tamen ibi stetisse non videtur; nulla enim ultra de hoc in Actis apud Péterffyum mentio.

Abbatiae huius conferendae ius sibi vendicabat vetus Comitatus Zaladiensis familia nobilis Sárkány; quamquam e protocollis regiis appareat anno 1642 per resignationem Honorabilis Ambrosii Husvéth eam a Rege collatam fuisse Petro Berekess; imo recentius anno 1716 cuidam Venantio Bonacina Ordinis S. Hieronymi de Lombardia professo; qui tamen Romae apud suum Generalem delatus, et ad possidendum extra Ordinem suum beneficium quodcunque incapax declaratus, honorem abdicare, et benignas Maiestatis regiae Collationis Literas Exc. Cancellariae Regiae Hungarico-aulicae restituere coactus est. Verum anno 1772 Familia Comitum Festetics de Tholna nova donatione ius patronatus in Abbatiam hanc est consecuta, quae iam Parocho Oppidi Keszthely, ordinarii unius horum Comitum lineae domicilii, cum suis reditibus conferri solet. Possidet eam hodie Reverendiss. D. Carolus Svastics de Bocsár, qua Oppidi nunc memorati Parochus. —

[1]) Fejér: Cod. dipl. T. III. Vol. 2. pag. 408. — Hoholdus, Comes Castri ferrei, adeo suo regi addictus erat, ut nuntio, quem Bela II. ad eum ob natum sibi filium miserat, praedium donaverit 30 marcis arg. aestimatum. — Idem ibid. T. IV. Vol. 1. p. 157. —

LXXIX.

Abbatia S. Gregorii de Colocza.

Memoriam huius Abbatiae, silentibus aliis Catalogis, oblivioni eripuit Schematismus Archidioeceseos Colocensis, qui ex certa, ut credimus, scientia, haec habet: „Abbatia S. Gregorii de Colocza fundata pro Benedictinis, floruit Seculo XIII. unita mensae Archiepiscopi Colocensis sub Ladislao Posthumo Rege, a Callisto III. R. P. anno 1455 Idib. Novembris: Archiepiscopo Colocensi Raphaële Herczeg de Zegcheö," — Benedictinos Coloczam cum primo eius Episcopo, S. Astrico immigravisse, et vices Canonicorum, quemadmodum in ceteris cathedralibus Ecclesiis Hungariae, ita et in eiate obivisse, mos erat eius aetatis, penuria Cleri secularis adductus. Morem hunc usque ad Colomanni Regis tempora perduravisse, apparet ex Constitutionibus sub eodem Rege a Laurentio Archiepiscopo Strigoniensi editis anno 1114. Inchofero interprete, qui ait primos Episcopos Hungariae ad eum modum fuisse institutos, quo per plura secula Episcopi Germaniae floruerunt; cum nempe ex monachis benedictinis membra Capituli assumerentur, in eorum domibus habitarent; Abbatem tamen, disciplinae regularis iudicem, et rei oeconomicae custodem paterentur.

Crebrescente postea Clero seculari, et iam ad dignitates Ecclesiarum Cathedralium implendas sufficiente, monachi reddi coeperunt suae solitudini. Ea occasione plura poterant surrexisse monasteria benedictina, quae pii Episcopi in bonis suis episcopalibus fundarunt, ut egressuri ex Episcopiis fidei et religionis magistri et institutores bonarum artium sua sibi certa haberent domicilia. Similis Abbatiae S. Gregorii de Colocza origo cogitari potest; asseri non potest; cuius titulum tenuit Illustrissimus ac Reverendissimus D. Georgius Girk, donec e Metropolitanae Ecclesiae Colocensis Praeposito Maiore anno 1853 Episcopus Quinque-ecclesiensis benigne fuisset nominatus. — Recentissime ornatus est eodem Reverendiss. D. Josephus Durguth, Metrop. Eccl. Strigoniensis Canonicus; AA. LL. Philosophiae, et SS. Theologiae Doctor. —

LXXX.

Abbatia S. Petri Ap. de Petur.

Abbatiam hanc tam Pazmanus, quam Thuróczi Soc. Jesu, in Comitatu Sümeghiensi sitam fuisse testantur. In eo differunt, quod ille inter incerti Ordinis Abbatias eam collocet, iste benedictinis accenseat. Quod Abbatia isthaec de Petur dicta fuerit, accidisse poterat vel ab Illyris illam regionem inhabitantibus, vel quod Hungari facilioris enuntiationis gratia Szent Péteri Apátur in Petur contraxerint. Sita fuit Abbatia prope Iháros, occupavitque spatium prae situ eiate profundiore, collinum. An a Tartaris, an a Turcis, an a domesticis exitium acceperit hostibus, ignoratur. Memoriam eius conservat sola collatio Caes. Regia; e qua illam novissime tenebat Celsissimus ac Reverendissimus D. Andreas Gollmayr, Princeps Archiepiscopus Goriciensis, SS. Theologiae Doctor. Nunc ea potitur Reverendiss. D. Nicolaus Borbola, Cath. Ecclesiae M. Varadin. Gr. R. Cath. Praepositus Maior.

LXXXI.

Abbatia S. Benedicti prope Strigonium.

Par ratio videtur esse Abbatiae S. Benedicti prope Strigonium, quae est Colocensis S. Gregorii. S. Sebastianum primum Archiepiscopum Strigoniensem socios sui Ordinis sibi e Monasterio S. Martini assumsisse, pronum est iudicare; et e novitate Ecclesiae hungaricae, et ex hac nato defectu secularis sacerdotii, et denique de more omnium pene cathedralium ecclesiarum occidentalium, quas, cum soli Benedictini aut fundarint, aut certe restaurarint: veluti iure acquisito quoad omnes sui partes, et munia administraverint, omni iure credere licet. Ex hac Benedictinorum cum Episcopis ad longius tempus producta cohabitatione factum est, ut officia, quae S. Benedictus in sua Regula pro amussi in monasteriis conservanda constituit, etiam in Episcopiis a Benedictinis, Canonicorum vices obeuntibus fuerint observata; quae deinde succedente Clero seculari in dignitates cathedralium Ecclesiarum fuerint elevata. Qui hac de re uberius instrui cupit, inspiciat P. Dominici Schram Institutiones Juris canonici, in quibus iste erudite do-

cet dignitates Cathedralium Ecclesiarum originem suam debere Benedictinis; et secundum Regulam S. Benedicti perstitisse in Capitulis titulos Praepositorum, Decanorum, Custodum etc.

Quamdiu Benedictini in Metropolitano Collegio haec officia gesserint, quamdiu postea Clerus secularis cum suis Archipraesulibus vitam communem duxerit, non est huius loci disquirere. Anno 1250 Canonicos Jaurinenses iam privatim vixisse, sed maioribus anni festivitatibus in communi refectorio cibum sumsisse ostendunt literae Capituli Jaurinensis in Archivo Archicoenobii depositae, quibus istud vinitori suo Chepano (Stephano) auream libertatem donat ea conditione, ut in Nativitate et Ascensione Domini, in Pentecoste, et in Festivitatibus B. M. Virginis, „quibus, inquit, in Refectorio reficiemur refectione communi, adstans coram nobis serviat, vinum et cibaria ministrando.“[1]) Quo tamen tempore separatio illa praecise universim invaluerit, non est in promtu. Sed Abbatia S. Benedicti tunc orta fuerit, quando Clero regulari seculare sacerdotium successit; successisse vero videtur sub finem XI., aut initium XII. Seculi.

Abbatiae huius nulla in Catalogo Pazmanii recurrit mentio; sed in serie Abbatiarum intra ambitum Archidioeceseos Strigoniensis exsistentium occurrit. Argumentum veteris eius exsistentiae liber est regius, in quo inter ceteras Abbatias et Praeposituras regulares, quarum titulos Augusti Reges nostri conferre solent, scripta est, et ex hoc libro saepe laudatus Paintner in suo manuscripto Abbatiarnm Hungariae Catalogo ita de hac Abbatia notavit: „Abbatia S. Benedicti Ordinis homonymi prope Strigonium.“ Nec ultra quidquam de ea certo novimus, nisi, quod eius titulo hodie gaudeat Reverendissimus D. Stephanus Lipovniczky de Eadem, Metropol. Eccles. Strigoniensis Bibliothecarius.

LXXXII.

Abbatia S. Crucis iuxta Granum.

„Hoc S. Crucis fanum in provincia Barsiensi assidet amni Grano... Septemtrionem versus... Plurimum attritum est intestinis bellis, Tököliana praesertim seditione, dum Wurmio, Caesarianorum Ductore a primo mane ad serum in eius agro pugnaretur. Desolatum eo turbine Castellum oppidi, Primatum (regni) ac in his praecipue Cardinalis e Ducibus Saxoniae sumtibus ad omnem venustatem assurrexit.“[2]) Varia fuit huius Abbatiae fortuna, multumque luctata, donec ad ultimos agones deducta fuisset. Parem videtur habuisse interitum cum ceteris Barsiensis provinciae Benedictinorum Abbatiis. Desolatae Bona Strigoniensibus Archiepiscopis cesserunt, a quibus erecto per M. Theresiam anno 1776 Episcopatu Neosoliensi ad istum parte aliqua sunt devoluta. Oppidum S. Crucis Residentia episcopalis ornat, prae illa Neosoliensi longe amplior, ab amoeno in vicinam regionem

[1]) Caps. 26. M. — [2]) Topographia R. H. p. 382. —

prospectu plurimum dilaudata. Titulum eius anno 1847 tenuit Joannes Medgyessy, Cath. Ecclesiae Vaciensis Canonicus, et Archidiaconus Cathedralis. — Recens eundem obtinuit Reverendiss. D. Franciscus a Paula Novák, Cathedr. Ecclesiae Jaurinensis Canonicus, Archidiaconus Rabensis, et L. R. Civit. Jaurin. interioris Parochus.

LXXXIII.

Abbatia S. Margarethae de Bela.

Duae sunt huius nominis Abbatiae Benedictinae de Bela, et utraque sub patrocinio S. Margarethae. Una earum in Slavonia Seculo XV. viguit; post cuius medium a secularibus occupata XL fere annis sacris heris caruit, donec anno 1514 a Leone Papa X. et mox ab Uladislao II. Rege Archicoenobio S. Martini, persolutis Zajczensis munimenti Capitaneis quater mille florenis, et assumta 2000 Missarum celebrandarum obligatione, scopo eius plene restaurandae, et Religiosis providendae, uti filialis tradita fuisset. Huius mox per Turcas desolatae Bona Praepositus Maior Zagrabiensis ea conditione, disperso Conventu S. Martini, obtinuit: ut, quandocunque hunc restaurari contigerit, Praepositus ea sine ulla difficultate, et factarum fors expensarum exactione restituere obligetur. Quae conditio, restituta anno 1638 Archiabbatia, fors ob utriusque partis ignorantiam impleta non fuit, et hodiedum Praepositi Maiores bona eius cum titulo tenere solent.

Altera, quae stricte ad Hungariae monasteriologiam pertinet, est in provincia Scepusiensi, cuius etiam Pazmanus in suo Catalogo Abbatiarum meminit. Quo tempore, et a quo fundata sit, nequit definiri. Belam oppidum a Bela IV. fundatore ne, an post abscessum Tartarorum, restauratore, nomen suum mutavisse multi consentiunt; et sic Abbatia quoque videtur a loco Bela, in quo fundata fuit, vel a Rege Bela fundatore suo fuisse nominata. Num Abbatia intra pomoeria oppidi, an in vicinia eius steterit, aeque ob defectum documentorum determinari nequit. Supersunt quidem adhuc intra oppidi ambitum rudera veteris ecclesiae, sed cum ad eam vestigia monasterii non exsistant: hanc Abbatialem fuisse asseri non potest. Sed est in vicinia Belae ad quadrantem horae dissita possessio Nere, ob actas ibi excubias etiam Stráza dicta, quae in Catalogo monasteriorum incerti Ordinis apud Pazmanum legitur. Adest hic antiquissima Ecclesia cum adiuncto monasterio, quod, postquam anno 1557 familia Horváthiana Stancsits de Gradecz impetravisset, in castellum et suam residentiam convertit. Emanabant ex hoc monasterio literae more Capitulorum et Conventuum.[1])

Atque ad hunc locum Nere Abbatia S. Margarethae de Bela rectius reponi vi-

[1]) Péterffy: Conc. Hung. II. 385. —

detur. Nam, praeterquam quod Benedictini ratione status, et regulae suae solitudinem professi raro admodum domicilia intra populosa loca admiserint; etiam plurima sunt in Europa eorum monasteria, quae a vicina urbe, vel oppido frequente nominantur, quamquam inde remota sint; et tali prorsus ratione Abbatia S. Margarethae licet in Nere tunc loco adhuc solitario, et nomine suo carente steterit, a vicina Bela poterat nomen trahere. Nec obstat, quod iam Ecclesia Necrensis sub nomine S. Mariae visitantis venerit. Poterat enim tractu temporis Patrona mutari, aut quod verisimilius, praeter S. Margaretham, Deiparam virginem primariam Patronam habere, et denominationem tandem sub solo Virginis Mariae obtinere. Quid? quod hodie haec Ecclesia nec B. Mariae V. visitantis, nec S. Margarethae, sed S. Annae[1]) dicatur? — Abbatis S. Margarethae de Bela titulo potitur Reverendiss. D. Josephus Prybila, Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Canonicus, et Archidiaconus Sasváriensis. — Sed et Nehreiensis Monasterii memoriam conservat Collatio Regia; legiturque in Schematismo Archidioecesano: Reverendiss. D. Jacobus Majsch, Praepositus de Sztrázska, seu Sztrázsa, alias Nehre, Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Canonicus.

LXXXIV.

Abbatia B. Mariae V. de Poroszló.

Abbatiam hanc Pazmanius inter Abbatias incerti Ordinis collocat, quam nos e supra allatis rationibus in aliorum silentio benedictinis accensemus. Est Poroszló in provincia Hevesiensi ad fluvium Tibiscum, solo fertili, quod commodam Hungaris incolis agriculturam praestat. Loco qua famam, qua honorem conciliat Abbatia ibidem fundata, cuius titulus hodiedum confertur a Regibus Hungariae. Ornatur illo nunc Reverendiss. D. Antonius Mayerhold, Cath. Eccles. Szatmariensis Cantor et Canonicus. Memorabilis etiam est compositione[2]) Belae IV., et Stephani V. Regum Hungariae. Anonymus Belae Regis Notarius eam Purozlu vocat.

[1]) Schemat. Scepus. anni 1852. eam S. Annae tribuit. — [2]) Belii: Notit. Hung. I. 123. —

LXXXV.

Abbatia S. Spiritus de Báth-Monostor.

Báth-Monostor in Comitatu Bacsiensi et Archidioecesi Colocensi meridiem versus Baja, frequente oppido, recedit. Filialis hic loci erat Abbatia monasterii S. Michaëlis de Batha in Comitatu Tolnensi fundati, et fors ex parvis Grangiae initiis ad honorem abbatialem elevata. Nec occurrit quispiam fundator in ullis monumentis, ut adeo e bonis Abbatiae matris, S. Michaëlis de Batha, surrexisse videatur, a qua duobus tantum milliaribus distat. Origo eius verisimilis ea narratur, quod receptae villae Apáthi, seu Nodjárki, quam Archiepiscopus Colocensis 26 annis inique detentam iussu Benedicti XII. Summi Pontificis Monasterio restituere coactus fuit, istud, Bathense videlicet, quo securius deinceps eam adversus iniquos impetitores tueretur, — aliquot Religiosos illocaverit, et mutato nomine, pro Apáthi, Báthmonostor vocari voluerit, ut ipsum sic erectae Grangiae nomen villam hanc ad ius monasterii de Bátha pertinere doceret. Et reapse villae Apáthi, seu Nodjárki (Nagyárok) nomen cum situ hodierni Báthmonostor concordat, quod ad ramum Danubii iacens facile tunc Nagy-árki dici poterat. Abbatum, qui huic filiali Abbatiae praefuerunt, nomina ab oblivione vindicavit Carolus Wagner,[1]) antiquitatum Hungariae solertissimus scrutator.

Veterem Abbatiae huius statum et situm discimus etiam e testimonio Comitatus Bacsiensis cum historiographo Katona communicato, quod sic sonat: „Infrascripti recognoscimus ... quod in Comitatu Bachiensi infra oppidum Baja ad distantiam unius milliaris actu exstaret certa Ecclesia Abbatiae Báthmonostoriensis vocitatae, olim Basilica sat sumptuosa, quadrato ex lapide constructa ab imo usque ad summitatem templi 200 passuum,[2]) et latitudinis 70, uti videre est, tribus altissimis turribus orientem versus una circumdata, iniuria temporis prout deserta, nullo cooperta tecto, tantum Sanctuarium per Schismaticos coopertum; ubi .... Caluderones, continuo ibidem habitantes, cum Capellis habitacula pro se constructa habent; in circumferentia Ecclesiae eiusdem rudera, undiquaque solo aequata apparent. ... In cuius rei fidem hasce literas testimoniales, syngraphis et usuatis sigillis nostris munitas dedimus. In oppido Baja. 23. Nov. 1725.“ Locus iste particulam Dominii Bajensis nunc efficit. Titulum vero Abbatiae tenebat Illustriss. ac Reverendiss. D. Josephus Krautmann, Consecratus Episcopus Tinniniensis, Eccl. Metropol. Strigoniensis Custos et Canonicus, Archiep. Strigoniensis in Pontificalibus Suffraganeus, anno 1855. Cal. Julii defunctus.[3])

---

[1]) De Abb. et Praep. regul — [2]) Hic indubie mendum cubat; et p e d e s sunt sumendi, qui 200 faciunt 33° et 2′, quod satis est. — [3]) Sunt, qui Abbatiam hanc fors per Tartaros desolatam, anno 1306. pro FF. Ord. Eremit. S. Augustini per Comitem Emericum Fusol restauratam fuisse credant.

LXXXVI.

Abbatia Natae Angelorum Reginae de Peczöly.

Peczöly possessio est in Castriferrei Comitatu et Dioecesi Sabariensi, ad fluvium Gyöngyös trium quadrantum spatio Ikervarino distans, cuius fundationem Korabinszkius Comiti Erdődy tribuit. Posteriori aevo, tribus abhinc, aut quatuor Seculis, Benedictinis Abbatiae fundatae nullae sunt; sed exstinctae, et occupatae. Abbatiam Peczöliensem fuisse Benedictinorum passim creditur; cuius, cum nec in Archivo S. Martini, nec in notis Abbatiarum Catalogis ulla mentio adsit, fundatio eius ad anteriora tempora, quibus solis fere Benedictinis in Hungaria monasteria erigebantur, retrahi non potest: ut adeo totum fundatae Abbatiae Peczöliensis honorem sibi Illustrissima Familia Comitum ab Erdőd iure vendicare possit.

Qua ratione Peczöly ad honorem Abbatialem elevata sit, facile coniicere licet. Fuisse hanc cum possessione Apáthi iuxta Sabariam, particulam cultissimae, et locupletis Abbatiae Jákiensis, verisimile est; in qua haec subinde tanquam remotiore possessione sua administrationem spiritualium, temporaliumque, seu sic dictam Grangiam monasticam instituerit. Perstitit Abbatia Jákiensis in suorum bonorum possessione usque annum 1532, quo immensus Solimanni exercitus ab oppugnatione Ginsii, virtute Jurisicsii efficaciter defensi, recedens in omnem circumiacentem regionem saeviit. E sacris Collegiis tunc Capitulum Vasváriense. Abbatiae de Ják, de Pornó, de Borsmonostor et aliae in cineres abierunt.

Tali occasione etiam Peczöly Grangia fato matris, Abbatiae videlicet Jákiensis involuta fuit; periitque filia morte Matris. Una etiam cum Jákiensi Abbatia sensim profanata est. Quod quemadmodum acciderit, Paulus Dese, in Lyceo Sabariensi Historiarum Professor informavit auctorem his verbis: „Laudata Abbatia olim ad sacrum Benedictinorum Ordinem pertinebat; verum, cum Turcas longa annorum serie in patriae visceribus habuerimus; sive quod a Benedictinis derelicta fuerit, sive ex alia caussa ad manus seculares, nominatim ad celeberrimum quemdam Segelpachium, qui plagas Comitatus Castriferrei, Araboni vicinas, a frequentissimis Turcarum rapinis tutandas habuit, liberalitate Regum austriacorum devenerat: ab heredibus vero huius et posteris ad florentem nunc quoque Familiam Erdődianam, quae sicuti dominiorum Vép, Petzöly, Jánosháza... heres; ita Abbatiae Petzöliensis collatrix exsistit.“

Verum Illustrissimos Comites ab Erdőd non collatores solum colunt clientes, Abbates Peczölienses; sed una Abbatiae auctores grati confitentur. Habuit haec Familia in more positum, Bona Abbatiarum derelictarum non omnia in suos usus convertere; sed bonam partem praeterea Christo ex iis concedere. Sic in Abbatiis Csatár et de Ják tantumdem usui ecclesiastico reliquit, quantum per-

sonae abbatiali ad congruam sustentationem sufficere videbatur; confertque has Abbatias cum realitate. Tali erga Christum intentione videtur possessionem Peczöliensem ad parochiam Vépiensem in suo primario heredio accommodavisse; et, cum post cladem Mohácsianam sine omni scrupulo tituli beneficiis ecclesiasticis addi poterant: quemadmodum in Hahóth vidimus, ita quoque Peczöly a primo Collatore C. Erdödy sub titulo Abbatiae collatum fuisse, atque sub hoc titulo in hodiernum perseverare, conferrique illam videmus. Quod de hac Abbatia tantum opinari, et ariolari oporteat, altum de ea in vetustioribus monumentis silentium facit. Realem hanc Abbatiam obtinet hodie Reverendiss. D. Stephanus Hosoff, Ecclesiae Oppidi Jánosháza Parochus. —

LXXXVII.

Abbatia B. Mariae V. de Curru.

Inter cetera miracula, quibus Deus S. Ladislai Hungariae Regis sanctitatem mundo testatam voluit, censenda est admirabilis sacri eius corporis post mortem ad locum sepulturae provectio. Sicuti enim corpus S. Catharinae Martyris Angelorum ministerio ad montem Sinai deportari, et in eo sepeliri, Deo ita volente, legimus: ita corpus S. Ladislai ad Ecclesiam Magnovaradinensem ab eo structam, et pro sepulturae suae loco designatam provectum fuit. Postquam Biographus S. Regis totius gentis ex eius morte luctum descripsisset, ita narrationem suam prosequitur: „Quum autem fideles sui corpus ipsius Varadinum efferrent; prae moerore, et labore defatigati dormierunt. Quumque sopore gravati plus iusto demorarentur: Currus in quo positum fuerat corpus eius sine subvectione, et absque omni adminiculo cuiuslibet animalis recto itinere Varadinum ducitur. Vigilantes autem, et currum non invenientes contristati coeperunt per loca discurrere; inveneruntque currum versus Varadinum ultro currentem, et sanctum corpus in eo positum. Videntes itaque miraculum, quod corpus beati Confessoris ad locum, quem ipse praeelegerat, divinitus deferretur: Deo gratias agentes, laudaverunt Deum.“[1])

In memoriam rei gestae, in eodem loco, e quo currus sine iunctis animalibus provectus cum sacro pignore movit, Abbatiam erexerunt pii Hungari, eamque a Curru dixerunt. Primi ea aevi, totiusque gentis hungarae sumtibus fundata videtur, quae S. Ladislaum tantopere dilexit, ut triennii spatio, pullam vestem induta, luxerit ereptum. Benedictinam fuisse nullus dubitabit, cui notum est longe tardius Ordinem Praemonstratensium, et post hunc alios Hungariam ingressos fuisse. Monasterium et Abbatiam desiisse occasione irruptionis Tartarorum credimus, quos crudelissime his in partibus desaeviisse Rogerius testis oculatus, Ecclesiae Varadinensis Canonicus, in suo Carmine miserabili testis est. Titulus Abbatiae hodie per Reverendiss. D. Petrum Molnár de Thold, Cath. Eccles. Magnovaradinensis lat. ritus Cantorem et Canonicum possidetur.

[1]) Acta SS. Mensis Junii. Tom. V. —

LXXXVIII.

Abbatia B. Mariae V. de Monostor, non procul a Vámos Györk.

Schematismus Archidioeceseos Agriensis anni 1851 de hac Abbatia sequentia continet: „Abbatia haec sita erat in Praedio Monostor I. Comitatus Hevesiensis; idipsum indigitat nomen loci, rudera aedificiorum abbatialium hodiedum conspicua, et in territorio eius lacus Baráti tó appellatus. Ex eo, quod Dioecesi Vaciensi contermina fuerit, in Catalogo Cardinalis Pázmáni ... ad Dioecesim Vaciensem per errorem recensita est. Fuisse Abbatiam Benedictinorum colligere licet ex eo, quod in notis ad Catalogum Pazmanianum apud Péterffy de Abbatia ista haec legantur: Abbas S. Martini dicit Abbatiam istam fuisse Benedictinorum. Aera fundationis,et fata eius incerta sunt.“ Huic laudati Schematismi relationi plene adsentimur. Ultimus, qui eius Abbatiae titulo honorabatur, erat Josephus Ruszek, Cath. Ecclesiae Vesprimiensis Lector, et Canonicus, SS. Theologiae Doctor. — Recenter eum obtinuit Reverendiss. D. Georgius Mikulka, L. R. Civ. Carponensis Parochus.

LXXXIX.

Abbatia Natae Reginae Angelorum de Kompolth.

Abbatiam hanc,[1]) postquam nullius alterius Ordinis Annales, aut Catalogos ingressam videmus, Benedictinae Familiae. iuxta praemissa, adscribimus; cui, teste laudato Schematismo Agriensi, iam anno 1280 Ladislaus IV. Rex, pro remedio animae suae, donationes fecit. Abbates eius: Nicolaus anno 1347, Ladislaus 1372, Martinus 1499, Abbatiae iura cum effectu defendisse leguntur. Titulum eius ultimus tenuit Ladislaus Harmos, Eccl. Metrop. Agriensis Cantor et Canonicus, AA. LL. et Philosophiae Doctor. Ab huius obitu eum obtinuit Reverendiss. D. Joannes Andrássy de Érkeserő, Eccl. Cath. Vaciensis Canonicus Honorarius.

[1]) In provincia Hevesiensi sita fuit. —

XC.

Abbatia B. Mariae V. de Bol aut Buol.

Eodem iure, quo priorem Abbatiam Ordini Benedictino adscripsimus, hanc etiam eidem tribuimus in Comitatu Borsodiensi ad ripam fluvii Boldva olim sitam, de qua praelaudatus Schematismus Agriensis haec adfert: „Opinio quorumdam est Abbatiam hanc esse eandem cum Trium fontium Apátfalvensi; verosimilius tamen est titulus Abbatiae de Bóldva in possessione eiusdem nominis I. Comitatus Borsodiensis ad ripam fluvii Bóldva exsistentis; cuius memoriam iniicit liber Missalis antea in Bibliotheca Capituli Posoniensis, nunc in Nationali Museo hungarico asservatus, insertum simul continens sermonem funebrem a vetustate celebrem, qui incipit: Latiatuc feleym Zumtuchel mi vogmuc etc. Pervestigata antiquitate sermonis et libri, viris rei peritissimis patuit eum olim fuisse proprietatem Abbatiae Boldvensis, sermonemque dialecto, hodiedum incolis Boldvensibus propriae multum simili exaratum.“ Plus de hac Abbatia, e praesente Abbatiarum veterum notitiae statu, dici vix potest. Titulo eius gaudet hodie Reverendiss. D. Andreas Bezegh, Eccl. Metropolitanae Agriensis Custos, et Canonicus.

CXI.

Praepositura S. Benedicti de Simigio, alias Kaposfő.

De hac Petri Pázmán Catalogus haec habet: „Fit praeterea mentio nonnullarum Praeposituraruin in antiquis literis, quas, cum nondum sim certus, num secularium, aut regularium fuerint, hic subiunxi: Praepositura S. Benedicti in Simighiensi Comitatu.“ Quum vero nullum seu ex Archivo Archicoenobii, seu aliunde suppetat fundamentum eam ad honorem Abbatiae promovendi, Praeposituras vero, in ipsa S. Regula S Benedicti fundatas, historia Ordinis Benedictinorum licet non obvias, nec raras tamen offerat: nihil obest, quin eam auctoritate Pázmánii velut Praeposituram exhibeamus.

Tam piorum fundatorum nomina, quam tempus factae fundationis discimus e diplomate fundationali monasterii Kaposfőensis. Primus illud ex Transsumto

Conventus Monasterii S. Aegidii de Simighio vulgavit Katona in sua historia critica Regni Hungariae hoc tenore: „Anno 1252 Moys, et Alexander, filii Moys Magni de possessionibus ipsorum hereditariis quatuor possessiones Mogorfalu, ubi ad honorem B. Benedicti monasterium construxerunt, item Kemény-Völgy, Scenna, et Poczitha vocatas in Comitatu Symigiensi ultra aquam Kapos in uno circulo exsistentes, pro remedio animarum suarum, ob amorem omnipotentis Dei, cum earundem utilitatibus, et pertinentiis universis, eidem monasterio S. Benedicti, Deoque famulantibus in eodem; nec non fundum curialem cum omni terra ad usum unius aratri; etiam unam collectam regalem, a populis in eisdem possessionibus residentibus, annuatim debitam pro se reservantes, confessi sunt dedisse, donavisse, et locavisse." „Anno 1254 idem Moys Magni filii possessionem suam Páth vocatam, in qua ad honorem SS. Cosmae, et Damiani MM. ecclesia esset constructa, in Comitatu Symig exsistentem eidem monasterio Beati Benedicti contulerunt." Documentum hoc, uti et prius recitatum transsumptum communicavit cum erudito Regni Hungariae Historiographo, Stephano Katona, Thomas Mérei de Kapos-Mére, ad Tabulam Regiam pauperum Advocatus. En! privati hominis capsula suppeditat nobis fundationales literas insignis Praepositurae, alias penitus ignorandas! Quantum thesauri similis illustrium familiarum Tabularia, quantum item capsulae inferioris sortis Nobilium celant, quorum exquisita in custodiendis, et occultandis suis chartulis diligentia vulgo nota est! Et tamen, donec ista, hodie praesertim, flocco inutilior tenacitas ex patria nostra exulaverit: prisca seu Ecclesiae, seu Civitatis hungaricae Historia laetiorem faciem non induet.

Praepositura haec initio Seculi currentis Viris ecclesiasticis cum realitate conferebatur iunctim cum Praepositura B. Mariae Virginis de Ruthenis, seu Rucensi, quas ultimus tenuit Franciscus Szányi Episcopus Rosnaviensis. Hoc defuncto utraque vacabat, donec gloriosae memoriae Franciscus I. Imperator, Hungariae Rex, sapientissimo consilio, Institutum sublimius Presbyteriale Viennense ad S. Augustinum erexisset, eique huius Praepositurae proventus assignavisset, in nullum alium usum utilius convertendos. Hac occasione duae hae Praepositurae fuerant separatae et anno 1817 in Schematismo regni Hungariae primum occurrit praelaudatum illud Institutum sub titulo Praepositurae S. Benedicti de Kaposfeő, quae ab obitu Episcopi Szányi sexennio vacabat. —

Circum Kaposfő, Abbatiae S. Aegidii de Simighio, S. Jacobi de Silisio, et alia S. Jacobi de Eremo vigebant. Cui earum subiecta fuerit, non constat; sed subiectam fuisse ex instituto et usu Ordinis Benedictinorum certum est. — Quamvis realitatem Praepositurae huius supralaudatum Institutum teneat: titulus tamen eius sub axiomate S. Benedicti de Simighio confertur, quem anno 1847, teste Schematismo R. Hungariae, tenebat D. Aloysius Kremm, Civitatis Quinqueecclesiensis Parochus emeritus; hodie vero eundem possidet Illustrissimus ac Reverendiss. D. Michaël Haas, El. Episcopus Szathmariensis, Ins. Ordinis Franc. Josephi Imperatoris Eques, AA. LL. et Philosophiae Doctor. —

XCII.

Prioratus B. Mariae V. de Stohla.

Sita est Stohla in alto montium Carpatiorum latere adeo, ut stupor occupet adeuntem, dum cultum pagum conspicatur in loco fere impervio, quem natura non hominum, sed ferarum bestiarum domicilio videtur destinavisse. Hunc tamen Benedictini, sicut innumera per Germaniam, Galliam, Britanniam, verbo: totam fere Europam deserta, et inculta, more suo ita excoluerunt, ut fertilis evaderet. Distat a villa Canum[1]) (Hunsdorf) duarum horarum intervallo. Fundatum fuit monasterium per Eberlaum, vel Eberhardum de monte S. Georgii, Comitem de villa Stupan, et Meinhardum Plebanum de villa Sionis. Circumstantias fundationis optime docet Thomas Archiepiscopus Strigoniensis in suis literis, in quibus et piorum Fundatorum nomina, et tempus fundationis, et statum monasterii recitat. Sunt autem huius tenoris:

„Nos Thomas miseratione divina Archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque loci Comes perpetuus significamus, quibus expedit, universis praesentium per tenorem: Quod providi ac honesti Viri: Eberlaus de monte S. Georgii, Comes de villa Stupan, D. Menyhardus Plebanus de Villa Sionis cum ipsorum amicis et proximis, tanquam devoti in Christo filii, ad divinae religionis cultum, et augmentum anhelantes, in ipsorum possessione in terra Scepus sub monte Nivium, quae Stohla B. V. nuncupatur, locum conventualem ad honorem ipsius B. Virginis pro Coenobio Ordinis S. Benedicti disposuerint, et licitaverint tanquam Patroni, pro salute animarum suarum, et haeredum, ac Successorum suorum; et volentes, ut ille locus per nos, tanquam per Superiorem illius Ordinis confirmetur, et approbetur: nos ipsorum devotionem animotenus attendentes, sicut salubriter per eos exstitit ordinatum, institutum ac situatum, approbamus, auctoritateque plenaria confirmamus, et sub nostram protectionem Fratres in ipso loco residentes acceptamus, et sicut ceteros aliorum locorum conventualium eiusdem Ordinis gubernamus, et conservamus, volentes nihilominus, ut Prior dicti loci sub regulari disciplina Abbatis S. Benedicti de iuxta Gron permaneat, et cum ceteris Fratribus ibidem residentibus obedientiam eidem exhibere teneatur, et ipsa Ecclesia, quae ibidem ad honorem B. V. est exstructa, ipsi Ecclesiae S. Benedicti, tanquam Filia sit subiecta; sicut ipsi Patroni voluerunt.... Datum Strigonii per manus Discreti Viri Henrici Praepositi Budensis, Cancellarii nostri in festo B. Catharinae Virginis. Anno MCCCXIV." [2])

Auctam deinde fuisse Fundationem monasterii huius discimus e praesente Capituli Scepusiensis testimonio: „Capitulum Ecclesiae B. Martini de Scepusio. Omnibus Christi fidelibus praesentibus et futuris quibus praesentes ostenduntur, salutem in salutis omnium largitore. Ne

[1]) Hoc nomine villam hanc olim venisse, testantur literae Siffridi Abbatis, quibus anno 1348, uti per Rom. Pont. Clementem IV. ad investigandum, an Episcopatus in Scepusio erigi possit, delegatus, inter ceteros Plebanum de Villa canis, et de Foro casei, evocat. At recentiores nomina haec adeo nobilia volunt, ut illud ab Hunnis, istud a Caesare, velut contractum ex Kaysermark, Käsmarkt, seu antiquitatis ignorantia, sive incuria veritatis derivare ament. Koller: Episc. Quinqueeccl. III. 46. — [2]) Wagner: Analect. Scep. I. 401. —

laberentur cum tempore, quae in tempore peraguntur, provida hominum discretio adinvenit, ut rerum legitime gestarum series fidelium memoriae literarum commendetur. Proinde ad universorum notitiam harum serie literarum volumus pervenire, quod constituti in nostri personaliter praesentia Nobiles Viri, videlicet: Magister Petrus Castellanus de Scepus, et Liblou, ac Magister Nicolaus, et Georgius filii Comitis Conradi de Gargow, idem Nicolaus et Georgius, praesente Magistro Petro praedicto, oraculo vivae vocis sunt confessi, quod quandam possessionem ipsorum, iure hereditario ipsos attingentem, videlicet dimidietatem villae Matthaei (nunc Matthaeocz) cum omnibus utilitatibus et pertinentiis universis, eo iure, eaque libertate, ac mediantibus eisdem metis, et terminis, quibus ipsi, et ipsorum Praedecessores eandem possessionem dignoscuntur possedisse, ob remedium animae Patris eorum Comitis Conradi, quondam defuncti, Fratribus de Stohl Ordinis S. Benedicti contulissent, tradidissent, et resignassent; ac tradiderunt, ac resignarunt coram nobis iure perpetuo, et irrevocabiliter possidendam, tenendam pariter et habendam; ita, ut si praedicti Fratres eandem possessionem successu temporum vendere, vel alienare quovis modo voluerint, ex tunc praedictis Nicolao, et Georgio filiis Conradi vendere, vel obligare tenebuntur. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam ad petitiones praedictorum Virorum discretorum super dicta donatione praesentes concessimus literas nostri pendentis sigilli appensione communitas, intercisas ordine alphabeti. Datum in die S. Emerici Confessoris Anno Domini MCCCXXXIII." [1])

Quinquaginta annis serius emit Carardus Monasterii Prior a Menardo Sculteto certam terram in villa Batizii, seu Batiszfalvae. Fassio legitimae venditionis emptionisque peracta est itidem coram Capitulo Scepusiensi.[2]) Quam vero certa est aera fundationis monasterii Stohlensis: tam incerta sunt eius fata, et exitium. Tempore Hussitarum Seculo XV. adhuc illud exstitisse inde patet, quod Prior eius Michaël cum Nicolao Plebano Krompachensi per Vicarium Strigoniensem in Spiritualibus in caussa inter Joannem de Podolin, et Joannem Stock Praepositum Scepusiensem Judex delegatus fuerit constitutus; e quo una Priorum huius monasterii auctoritatem, et iurium peritiam metiri licet. — Interitus eius non incongrue referri potest ad tempora Joannis Zápolya, Comitis Scepusiensis, qui, postquam belli facem contra Ferdinandum legitimum Hungariae Regem accendisset, Turcae, haeretici, domestici, et omne hominum genus vel maxime in sacra aedificia grassabantur. Quin et optimi quique, ne sibi et occasioni deesse viderentur, sacra spolia legere aggressi sunt. Miserabili aevo illo monachos Stohlenses sua sede, suisque bonis spoliatos fuisse non vane suspicari licet, quae omnia modo sunt iuris nobilis Familiae Márjásianorum. — Vestigia monasterii Stohlae nulla; Ecclesia ibidem nulla; bene vero in Batiszfalu, cuius filia Stohla 175 animas numerat, quarum 28 Catholicam fidem profitentur. — Ceterum, licet omnis aevi documenta hoc Asceterium per Priores tantum fuisse gubernatum prodant: Schematismus Ven. Cleri Scepusiensis anni 1854. eius cum titulo Praeposituraе meminit. Cuius ratio sufficiens, sive in Scepusio nota sit, sive, ut apud nos, ignota, factum tamen laudem suam habet. Cum enim Prioratui de Stohla in Schematismo locus non fuerit, casu hoc aequivalente fere Praeposituraе axiomate utendum erat, ut aliqua Loci, Deo dicati, et ex facie terrae deleti memoria, uti decet, conservaretur.

[1]) Wagner: Anal. Scep. I. 409. — [2]) Ibid. 415. —

Residentiae Ord. S. Bened. in Hungaria.

Unde superbum Residentiae nomen humilium monachorum domiciliis, in quibus nec Abbas nec Prior resideret, adhaeserit, non vacat inquirere. Inviti nomenclatione ista utimur, pro qua bulla Leonis X. et aliorum Summorum Pontificum vocabulum Domus habet, quod etiam S. Ordo Clericorum Regularium B. M. V. Piarum Scholarum modeste adoptavit. — Quidquid sit, iam illo nobis utendum est, quod aliquot seculorum usu confirmatum permutare vitandae confusionis gratia prohibemur. Praeter Abbatias et paucos Prioratus, potissimum extra urbes in solitudine fundatos, adfuisse sub initia Regni et Religionis huiusmodi domicilia in urbibus, maioribusque oppidis Abbatia carentibus pronum est tenere; in quibus Religiosi aliquot sub suo Superiore degentes, populum in Religione, iuventutem etiam in literis informaverint. Illustre hanc in rem exemplum vita S. Gerardi Episcopi Csanádiensis praebet, ad quem, si eius biographo credimus, „venerunt 30 viri, petentes, ut tolleret filios eorum, ac literis erudiret. Quos benigne suscipiens sub Valtero constituit, dans eis unam domum ad hoc aptam, ut eos Scientiis Grammaticae, et Musicae informaret; qui in brevi in ipsis artibus non mediocriter profecerunt. Quo viso Nobiles et Magnates filios suos tradebant praedicto Valtero instruendos."

Quemadmodum itaque apparet Hungaros posita idololatria in cura instituendarum prolium suarum, et in mysteriis verae Religionis tam discendis, quam frequentandis indiligentes non fuisse; ita indubie necessaria domicilia Magistris, et Sacrorum Ministris constituerunt. Ex his perpaucorum ad nos, imo ex aevo vetere nullius pervenit memoria. Nam, quae omnium antiquissima huius fere generis domus est, Deákiensis, antiquior Seculo XIII. non est, uti nec Studiorum caussa erecta: reliquae autem recentioris sunt temporis, quas iam aetatis ordine adferemus.

I.

Residentia Deákiensis B. Mariae V.

Possessio Deáki, quondam Sala, e quo nostri temporis Sélje, Slavis Sala, illi contigua, in diplomate S. Stephani sub nomine Vág Monasterio S. Martini anno 1001 addicitur. Anno 1210 Archiepiscopus Strigoniensis decimas inde sibi vendicabat; sed coram Judicibus per Pontificem Innocentium III. delegatis succubuit. Sequente anno Gatko Comes Camerae magnam terrarum eius partem occupavit; verum sententia Berchtoldi Archiepiscopi Colocensis, qua regii Judicis delegati, mediante iudicio candentis ferri lata, repulsus est. Anno 1228 Gregorius IX. Ecclesiae Deákiensis consecrationem Episcopis Nitriensi, et Vaciensi commisit, quamvis in Comitatu Posoniensi sita, intra physicos Archi-Dioeceseos limites contineretur.[1])

Ecclesia haec hodieque firma, ita aedificata est, ut Ecclesia, cellae, aliaque Monachorum conclavia sub uno tecto contineantur. Supra Ecclesiae fornicem in medio est conclave maius, tantum nempe, quanta est navis Ecclesiae. Ex hoc conclavi patent octo introitus in minores cellas e duro secto lapide, superne in cuspides acuminato; sed nullum apparet vestigium appendicum, et cardinum, quibus portae aliquando appensae fuissent; ut omnino videantur refectorium, dormitorium, cellulae, et loca orationis privatae intra has cellulas sub unius portae clausura fuisse comprehensa. Cubilia haec indicant sane plures ibi Religiosos olim habitavisse; verum locum hunc seu Grangiae, seu Prioratus, seu Residentiae titulo fuisse insignitum nuspiam reperitur; quamvis nulla sit Archiabbatiae Possessio, quae seu antiquitate, seu numero documentorum in Archivo Archicoenobii exsistentium cum ea possit comparari. Gregorius IX. eam vocat anno 1228 „unam de monasterii Cellis", quae phrasis innuit plures huiusmodi cellas in terris Monasterii exstitisse. —

Possessio Deáki, quae sub hoc nomine anno 1317 primum occurrit, Seculis XV. et XVI. inde a Matthaeo Claudo Trenchiniensi usque Bocskaium, qui eam Civitati Posoniensi magnanimiter, sed inefficaciter donavit, varias vicissitudines experta est ita, ut peculiari tantum Ferdinandi I. Regis protectione factum sit, quod a monasterio S. Martini penitus avulsa non fuerit; ad cuius manus non prius quam anno 1636 per potentem Archiabbatem Commendatarium Georgium Himmelreich recuperata, plene reversa est. — Hoc tempore Ecclesia Deákiensis per Vicecomitem Comitatus Nitriensis, ad quem tunc una Possessionis pars pertinebat, mediante potentia Protestantibus utriusque Confessionis assignata, sed mox Archiabbati nunc nominato restituta fuit. Sublato anno 1786 S. Ordine, Jurisdictioni

[1]) Vide supra pag. 76. —

Archiepiscopi Strigoniensis subiecta fuit; quo restituto ad primitivum Archi-coenobii spirituale ius reversa est; a quo proinde in eam exercendo Celsissimi Principes Archiepiscopi Strigonienses pro suo iustitiae amore, uti et eorum Officia postea constanter abstinebant. Schematismis tamen archidioecesanis haec Parochia, incomprehenso errore, 52 annorum decursu quotannis repetito, ad annum usque 1854 inserebatur; quo Eminentissimus Cardinalis, Joannes VII. idem porro fieri vetuit. — Seculo XVIII. ante abolitum S. Ordinem duo Religiosi ex S. Martino mitti soliti in Deákiensi sic dicto Castello sub eodem tecto in sensu SS. Canonum communi victu usi degebant: quorum alter spiritualia ibi, alter temporalia procurabat.

II.

Residentia Tyrnaviensis.

Huius Residentiae clara habetur memoria apud Franciscum Kazi Soc. Jesu.[1]) „Tyrnaviae, inquit, Seraphica Divi Francisci familia in aedibus benedictini quondam Ordinis, Petri Pazmani munificentia reparatis, et velut a solo excitatis ad D. Jacobi anno 1634 consedit.“ Igitur Residentia Ord. S. Benedicti Tyrnaviae longe ante annum 1634 exstitit. Cum enim iam inde ab anno 1593 Conventus S. Martini non exstiterit, sed anteriora quoque tempora inde a clade Mohacsiana non eius fuerint indolis, ut Benedictini novis Coloniis augeri quaererent: initia eius adminus ad Seculum XV. sunt reponenda; nisi, quod vero persimile videtur, disperso per Turcam Conventu, Exules Tyrnaviae refugium repererint, quibus deinceps quoque in communi vivere placuit.

Pristinarum aedium adhuc bona pars cum templo vetere intra Claustrum PP. Franciscanorum exsistit. Penes interiorem modernae Sancti Jacobi Ecclesiae murum supersunt conclavia vetera, quae modo applicantur pro conservatorio variae, proiectaeque supellectilis, et ducta sunt usque modernam Ecclesiae Sacristiam, a qua intercurrente ambitu separantur. Sacristia haec omni sui parte monstrat se ex ecclesia fuisse transformatam. Structura, praeterquam quod veterem stilum praeferat, tanta est, ut modestia religiosa tantam desiderare, et prudens oeconomia struere, ut Sacristiam, nequiverit.

Anno 1666 Helena Boros, Nobilis Stephani Kún relicta vidua domum suam penes Augu stanae Confessionis Oratorium in platea S. Jacobi superiore sitam, Ecclesiae huius Confessionis vendidit, quam ista in usum suum convertit.[2]) Expulsis Tyrnavia paucis post annis Protestantibus Ministris, domum hanc una cum Oratorio Aegidius Genchy Archiabbas ab Archi-

[1]) L. V. p. 3. — [2]) Caps. 37. Aa. 1. —

episcopo Strigoniensi Georgio Szelepchényi pro suo Ordine petiit, et, quamvis Fratres Misericordiae illam sibi conferri prius petierint, etiam impetravit, ita, ut nec hi Tyrnavia ideo arcerentur; sed domum per Archiepiscopum fine hoc emptam insiderent. Docent hoc breves literae praeclari Primatis patrio idiomate ad Archiabbatem datae, quas ingenui, quem spirant, candoris gratia totas dare lubet:

„Reverendissime Pater, et Frater in Christo observandissime! Vettem az kegyelmed levelét, kiben mit irt, és szóval is Pater Torkos Ur által üzent légyen megh-értettem. Én azon állapotrúl és az kegyelmetek becsülletes szent Szerzetirúl, minekelőtte kegyelmed által requiraltattam volna, gondolkottam. És jóllehet a Frater Misericordianusok is insinuálták maghokat aziránt, mindazon által, hogy Isten Ő Szent Felséghe szolgálattya annyval jobban gyarapodgyék, megh nevezet Fratereknek vettem egy más házat ottan Nagy Szombatban, kegyelmeteknek penigh Lutheranusoktúl elfoglalt templomot engettem. Annakokáért csak belé szállion kegyelmetek, 's az Isteni szolgálatokban szorgalmaztatván az Fratereket, és a Noviciusokat, én érettem is imádkoztasson. De reliquo tartsa, és éltesse Isten sokáigh jó egésséghben kegyelmedet. Datum Posonii die 25ª Januarii 1672. Reverendissimae Paternitatis Vestrae Frater in Christo addictissimus Georgius Szelepchényi Archppus Strigon. m. pr."[1])

Traditae hac ratione Residentiae, quam Civitas Tyrnaviensis in solenni instrumento,[2]) fundi Ecclesiae et Residentiae traditorio, etiam Parochiam vocat, anno 1674 praefuit P. Ildephonsus, qui erga Mandatum a praelaudato Archiepiscopo ad Capitulum Ecclesiae Metropol. Strigoniensis acquisitum Inquisitionem instituit super vinearum numero, valore et loco, quae ad Ecclesiam Augustanam in Promontoriis Baziniensi, Modrensi, et Terlingensi pertinebant; de Calicibus item, aliisque eiusdem Ecclesiae pretiosis, ad quae scilicet sibi ius competere arbitrabatur.[3]) In hoc Documento prima vice occurrit Officium Superioris, et Residentiae nomen. De Inquisitionis accurate institutae effectu, nihil constat.

Adest in Archivo praeterea mentio Ecclesiae SS. Trinitatis cum adiuncta Residentia, quae a Reformatis aeque anno 1671 adempta, Archicoenobio S. Martini tradita dicitur fuisse in literis Civitatis Tyrnaviensis ad Archiabbatem datis 20ª Febr. anno 1700. Quam cum Ordo Benedictinorum desolatam reliquerit, ne in plenam ruinam abiret, Civitas Tyrnaviensis exitu Seculi XVII Patribus Piarum Scholarum ita contulit, „ut, si quandocunque Patronos eatenus sibi invenissent, praelibatam Ecclesiam cum Residentia pro se libere reparandi, et usuandi facultatem haberent." Quo comperto Archiabbas datis ad Magistratum Civitatis literis id efficere conabatur, ut civitas traditionem patribus Piarum Scholarum factam retractet. At haec, se id facere non posse asseverans, id tantum spopondit, „quod, si dicti Patres eius resolutioni non invento Patrono renuntiarent, non aliis praeterquam S. huic Ordini S. Benedicti collatura esset prae ceteris."[4]) Quam diu sive hanc, sive aliam Residentiam incoluerint Benedictini Pannonii, non constat; anno 1682 Liber Mortuorum haec habet: „Fr. Bonifacius Karner conversus, coquus, Tyrnaviae peste correptus, ibidem defecit, et sepultus est in Residentia nostra;" anno item 1712 ibidem Anselmus Laurencsiz mortuus legitur, sed sine Residentiae mentione. Belius in Notitia Hungariae novae anno 1736 edita, in descriptione urbis Tyrnaviae Benedictinorum non meminit, et Oratorium Calvinistarum S. Josephi nomine restaura-

[1]) Caps. 37. Aa. 2.. — [2]) Ibid. 3. — [3]) Ibid. 4. — [4]) Caps. 37. Aa. 5. —

tum, Caesaris benignitate Paulinos obtinuisse memorat.

Anno 1802, restituta cum onere publicae institutionis Archiabbatia, inter decem Gymnasia diplomate Restauratoris Augusti Francisci I. Regis comprehensa, etiam Tyrnaviense cum Residentia et Ecclesia olim Patrum Trinitariorum S. Ordini clementissime collatum fuit. Ubi, postquam inde ab anno 1807 usque annum 1852 Benedictini Patres iuventutem in literis et moribus gnaviter instituissent: anno 1852, agente Eminentissimo Cardinale Joanne Scitovszky de Nagy-Kér, Archiepiscopo Strigoniensi, Tyrnaviae recentis formae Gymnasium maius, idest octo Classium surrexit; quod, ne ex heterogeneis Moderatoribus conflaretur: conventum est in eo, ut Cardinalis Princeps Primas, qui alioquin Strigoniense quoque Gymnasium e quatuor Classibus ad octo elevare meditabatur, Tyrnaviense Gymnasium maius integrum provideat solus, Archiabbatiae vero Strigoniensis itidem maioris Gymnasii totius provisio pariter soli incumbat. Desertam hac ratione per Benedictinos Residentiam et Ecclesiam Patres Jesuitae obtinuerunt, ubi aperto Novitiatu indefessi sui circa vineam Domini laboris fructum Hungariae quoque uberem pollicentur. Quod, ut illis, et Patriae felix, faustumque sit, ex animo precamur.

III.

Residentia Modrensis.

Initia Modrensis Residentiae benedictinae descripsit Georgius Schreiber, Consul urbis Modrensis in topographia huius urbis anno 1729 scripta; ubi inter reliqua „Turri, inquit, adsitum est templum, antehac quidem evangelicorum, quod tamen post novissimam templorum occupationem anno 1674 una cum parochialibus Residentiis ministrorum evangelicorum usibus Reverendissimorum PP. Benedictinorum cessit. Idem templum antiquitus, et ante exstructionem turris nonnisi Capella fuit Slavorum evangelicorum.“ Topographus autem Hungariae Michaël Bonbardi, aut potius eius emendator ad hanc rem ita: „Templum habet intra muros unum, alterum in suburbio, quod etiam parochiale dicitur, et si mole cedat urbico. Adhaeret huic Coenobium Patrum Benedictinorum; in suburbani vero illius reparationem sectarii invaserant: illudque ad annum usque 1635 frequentabant: eo rursus non contenti, urbanum, uti solent, per vim occuparunt, exclusis civitate Sacris Catholicorum.“

Capella illa interioris urbis revindicata, repurgataque, sacris ritibus in templum assurrexit. Arae tres in eo, et maior illa S. Barbarae honoribus dicata: altera SS. Rosarii, et tertia S. Benedicti. Templum hoc servit labio fideli germanico, qui etiam quoad functiones paroeciales abhinc dependet. Sublato S. Ordine, Benedictini Patres hinc etiam emigrarunt, quo-

rum vice Cooperator Parocho est additus. Restituto S. Ordine Civitas Modrensis quidem eos reducere, et priori stationi restituere conabatur; sed, cum id non prius, quam assumtis realiter, id est: Moderatoribus plene provisis omnibus Gymnasiis, per Ben. Diploma Restitutionale assignatis fieri potuisset, negotium suapte desiit.

IV.

Residentia Comaromiensis.

Quibus elementis Residentia Comaromiensis ad Ordinem S. Benedicti traducta, et applicata sit, cum omnibus circumstantiis continetur in diplomate ab immortalis memoriae Augusta Maria Theresia dato, e quo ea, quae ad rem faciunt, exscribenda duximus. „Nos Maria Theresia, divina favente Clementia Romanorum Imperatrix vidua. Hungariae Bohemiae... Regina Apostolica.... Memoriae commendamus.... Quod, cum Nos Ecclesiam abolitae Societatis in Libera Regiaque Civitate nostra Comaromiensi exsistentem, et S. Andreae dedicatam imposterum per Religiosos Ordinis S. Benedicti Professos, qui nempe per fidelem nostrum Nobis dilectum Reverendum Danielem Somogyi, praefati Ordinis et Montis Pannoniae Archiabbatem fine docendarum Scholarum Grammaticalium, et Humaniorum eorsum collocati sunt (resignata iam Eisdem dictae abolitae Societatis Residentia) quoad omnia Spiritualia Ministeria providendam, taliterque eam, qua Conventualem repetiti Ordinis Ecclesiam .. curae et vigilantiae dicti Archiabbatis, Eiusdemque Successoris, ac Ordinis sui Professorum cum omnibus eiusdem Ecclesiae Proventibus.. committendam decrevissemus, una (pro reparatione eiusdem, ac signanter tecti, et turrium penes Generalem Regni nostri Hungariae studiorum Fundum bis mille florenis ita, ut nullus amplius hoc titulo eorsum recursus aut praetensio formari possit, effective assignatis: benigne constituimus, ut Idem Abbas et Ordinis sui Professi Eandem cum Proventibus suis pro Conventuali receptam Ecclesiam iuxta Tractatum inter Cognatum nostrum, Nobis sincere Dilectum Reverendissimum in Christo Patrem ... Josephum e Comitibus de Batthyán .. Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Archiepiscopum .... qua etiam Ordinarium ... eatenus specialiter initum, atque per Nos benigne confirmatum, conservent, et reparanda reparent, demto tamen fortuiti casus maiori damno, quo seu per incendium, seu per Terraemotum aut alium quemvis sinistrum eventum Ecclesia notabiliorem ruinam pateretur. ... Datum per manus fidelis nostri Nobis sincere Dilecti Spectabilis ac Magnifici Comitis Caroli Pálffy ab Erdőd . . . per Regnum nostrum Hungariae Aulae nostrae Vice-Cancellarii in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae, die 22ª Mensis Septembris Anno Domini 1780. Regnorum nostrorum Hungariae Bohemiae et reliquorum Anno Quadragesimo. Maria Theresia m. pr. Comes Carolus Pálffy. Josephus Jablanczy." [1])

[1]) Fasc. 84. 12. —

Anno 1782 Filius et Successor Josephus II. Imperator Curiam sic dictam Csupitzkianam, a Residentia Societatis abolitae pro allodio usuatam, uti et hortum intra eandem neofundatis Comaromii Benedictinis Patribus contulit,[1]) sed mox a peracta in eam horum solenni introductione donationem revocavisse dicitur; cuius revocationis nullo in Archivo Archicoenobii exsistente vestigio, contra, originali Donationis diplomate ibidem conspicuo: non dubito revocationem hanc nonnisi occasione sublatae Archiabbatiae, et Residentiae locum habuisse; qua occasione omnis fundationis effectus suapte desiit.

Ecclesiae. et Residentiae structura undequaque nobilissima est. Ecclesia sub nomine S. Andreae Apostoli Deo dicata, spectata seu mole, seu nitore paucis in Hungaria cessit. Huius lapidem fundamentalem Benedictus Sajghó Archiabbas anno 1748 die 3-a Augusti solenniter deposuit. Terraemotu 28-a Junii 1763 vastata fornicem ligneum acquisivit. Anno 1818 interne et externe, quidquid ignis consumere potest, amisit; nec campanis parsum, soli muri mansere. Nuper admodum turres iam reparatae, et campanae novae appensae sunt.

Residentia anno 1786 abolita, anno 1802 cum Archiabbatia restituta Religiosos anno 1811 primum obtinuit; qui usque praesens ibidem erudiendae Juventuti vacant. Gymnasium antea sex Classes numerabat; nunc ad quatuor Classes iuxta recentius systema literarium redactum inter minora Gymnasia censetur. Residentia et Aedes scholares eodem cum Ecclesia fatali casu correptae conflagrarunt. Postremarum turbarum tempore infirmis militibus praebuit hospitium; sed soluta obsidione mox aere publico repurgata, priori suae destinationi restituta est. Restaurata anno 1802 Residentia, Ecclesia S. Ordini tradita non fuit.



V.

Residentia Jaurinensis.

Residentia haec, teste inscriptione supra portam ad ingressum lapidi incisa, usibus Patrum Societatis Jesu, Georgii Széchényi, Archiepiscopi Colocensis, una Episcopatus Jaurinensis Administratoris liberalitate anno 1667 surrexit. Quae priusquam erigeretur, Patres eiusdem Societatis Jaurini degentes, opera Petri Pázmán, celeberrimi Archiepiscopi Strigoniensis, Abbatiam S. Jacobi de Lébeny, ab obitu Stephani Baksay vacantem, anno 1630 studiorum caussa obtinuerunt.

Sublata Societate Jesu, Domus ad Cameralem Administrationem devoluta, promiscue quibusvis inhabitanda erga moderatum censum elocabatur. Serius Clerum iuniorem Dioeceseos Jaurinensis, dum Seminarium idoneum in Monte Capitulari pararetur, excepit; postea choreis publicis, et scenicis productionibus theatri in-

[1]) Fasc. 84. 20. —

star serviebat; donec anno 1802 clementer restituto S. Ordini PP. Benedictinorum una cum venusta et magnifica S. Ignatii Ecclesia eodem anno fuisset consignata; quam mox mense Octobri Tobias Mollik, SS. Theologiae Doctor, eiusdemque Agriae, Jaurini, et ad R. Scientiarum Universitatem hungaricam Professor emeritus, cum quinque Professoribus Archi-Gymnasii, quibus ut regularis Superior, et Localis Scholarum Director praefectus fuerat, occupavit.

Sequente anno Studium eiusdem S. Ordinis Theologicum et Philosophicum eo illatum fuit, quorum istud usque annum 1849 ibidem vigebat ab Academico distinctum, et propriis quinque, ex eodem S. Ordine Professoribus provisum, quod erumpentibus intestinis turbis in militare Hospitale conversa maiore Domus parte, ad Archicoenobium transiit; Theologicum autem parte una anno 1807, parte reliqua anno 1809 Gallis Jaurinum tenentibus aeque ad S. Martinum translatum fuit. Quamdiu ibi studium S. Ordinis domesticum vigebat, in quo Clerus eius iunior seu in philosophicis, seu in theologicis disciplinis instituebatur, Domus haec Collegii nomine veniebat. At nunc, postquam salubri consilio utrumque Studium, ad Centrum Congregationis transpositum, inde recessit: nulla est ratio, cur distincto a ceteris S. Ordinis domibus nomine compelletur.

Quod adnexam Residentiae huic Ecclesiam attinet; in ista, suppressa Societate Jesu rem divinam peragebat, et ad populum germanicum sermones habebat Administrator per Episcopum constitutus, quod onus cum Ecclesia ad S. Ordinem devolutum hodieque manet. Inde ecclesia haec passim germanica, alias academica audit, quod iuventutis olim academicae devotioni serviverit; cui nunc nomenclatio gymnasticae successit. Impensas tamen neque populus germanicus, neque Academia tulit, uti nec nunc maius Gymnasium fert: solo S. Ordine sarta tecta conservante, et quotidianis necessitatibus succurrente.

Est ea omnium, quas S. Ordo possidet, maxima, nobilissima, venustissima. Anno 1809 urbe per Gallos oppugnata e septem millibus globorum, qui e tormentis in urbem involavisse dicuntur, eam, utpote ceteris excelsiorem, et maxime conspicuam permulti petierunt, maiore strepitu, quam damno. Praecipuum suum decus campanam S. Ignatii dictam, delicias populi, paucos ante annos amisit. Hiemis tempore, caussa latente, rupta est. Avecta deinde Ginsium ad fusoriam officinam, postquam primus labor in irritum cecidisset, iterata fusione pristinum sonum recuperavit. Non ita et nomen, nam inde ab obtenta sui anno 1854 per Illustriss. D. Archiabbatem S. Martini benedictione, iam non S. Ignatii campana, sed S. Benedicti audit. Pondere ad 7300 libras dicitur accedere.

Incolunt Residentiam XX Religiosi sub regulari Superiore, quorum XII iuventutem scholasticam in VIII Classibus erudiunt: unus est Bibliothecarius, unus Orator sacer dominicalis, alter festivalis; ceteri Spirituales.

VI.

Residentia Soproniensis.

Antea Conventus Patrum Franciscanorum Provinciae Marianae, diplomate restitutorio anni 1802. Ordini Benedictinorum in Residentiam assignatus. Antiquitatem eius probat id, quod, teste P. Matthaeo Kámánt, praedictae Provinciae Secretario, anno 1340 Capitulum Provinciae in eo fuerit celebratum. Originem traditio Pastori attribuit, qui capra indice ingentem thesaurum in campo repererit; quem, cum pro gloria Dei cuperet in aedificandam Ecclesiam et Conventum Patrum Franciscanorum impendere, atque apud Senatum Civitatis de ponendi aedificii loco egisset, responsum tulisse: vaderet, et aedificaret vel in medio foro. Delirare enim hominem, cuius egestatem noverant, crediderunt. Ille vero, prosequitur fabula, coeptum opus feliciter perfecit. — Et reapse aedes hae medium forum occupant, caprae fodicantis cornua deaurata cum Pastore flexis genibus orante in fronte Chori visuntur, et lapideum caprae simulacrum e vetustissimae structurae turri prospectat urbem. — Sed potens aliquis Dynasta sub Pastore latere videtur, cui gentilitium insigne Capra fuerit.

Anno 1590, 5.ª Septembris terraemotus magnam Hungariae, Illyrici, et Austriae partem afflixit, quo tempore Sopronii quoque cum aliis altioribus domibus, haec etiam multum passa est. Longe maior clades secuta anno 1667; dum exorto 28.ª Novembris circa meridiem in suburbio incendio, tres quartae huius partes, et civitas interior tota conflagravit; atque sic Conventus, et Ecclesiae tectum absumptum, turris interne exusta, campanae resolutae. Undecim annis iacuere in cinere omnia, donec agente P. Roberto Korlatovics, Ministro provinciali, adiuvante potissimum Camera Regia, fuissent restaurata. Decreto tandem Josephi II. Imperatoris PP. Franciscanis anno 1787 Domo excedere iussis, eius usus anno sequente I. Comitatui Soproniensi addictus fuit, qui translata ex Nemes-Kér Sopronium iam anno 1780 sede sua, primo pecuniam publicam, et Archivum eo intulit, deinde et Conventus publicos ibidem celebrabat usque annum 1795, quo domus Comitis Francisci Széchényi per eundem Comitatum hos in fines emta est; quo facto cum nullus eius fieret usus, anno 1801 altissime decretum erat, ut venderetur: e voto tamen I. Comitatus per piissimum Regem Franciscum, Patribus Franciscanis restituta fuit. Sed, cum Fundus intertentioni Conventus sufficiens nuspiam reperiretur, tandem per veteres heros sponte dimissa, cum Ecclesia, et Scholis S. Ordini Patrum Benedictinorum anno 1802, ut supra dictum est, tradita fuit, eodemque adhuc anno missi, qui Gymnasium administrarent.

Ecclesiam, Domui contiguam, illustrem reddidit iterata coronatio, unius nempe Regis, et duarum Reginarum Hungariae, in eadem solenniter celebrata. Memoriam conservat inscriptio ad latus arae

maioris conspicua his verbis: „Annae Eleonorae Ferdinandi II. Coniugi Augustae anno 1622. Idibus Maii. — Ferdinando III. Archiduci Austriae anno 1625. VI. Iduum Decembris.— Magdalenae Eleonorae Theresiae, Leopoldi Caesaris Coniugi Augustae, anno 1681. V. Iduum Decembris, hoc in templo coronatis perpetuae venerationis ergo Obeliscum hunc renovari curavit Conventus Mariano-Seraphicus Soproniensis 1751." — Eadem pluribus inclitis Familiis, uti: Viczay, Töltésy, Bessenyey, Fenesy, Cziráky, Széchényi, Sennyey, Eszterházy etc. sepulturae locum praebuit; sicut hoc nonnulla adhuc eorum insignia, parietibus Ecclesiae affixa, testantur. Hos inter Comes Michaël Eszterházy, qui in obsidione Budensi anno 1686 interfectus, cum tribus suis Coniugibus: Maria Darabos, Catharina Hölgyey, et Barbara Prényi ibidem requiescit. Adest quoque Cathedra lapidea sat simplex, e qua D. Joannes Capistranus ad populum dixisse dicitur.

Sublato PP. Franciscanorum Conventu, Ecclesia Curatorem obtinuit, et Sacrificiis Missarum celebrandis, ordinariisque Scholarum Normalium devotionibus patebat: anno 1788 profanos in usus conversa, nonnisi anno 1802, occupata iam per Patres Benedictinos Residentia, omnibus necessariis instructa, et reconciliata, Gymnasticae Juventutis devotioni reserata fuit. Anno demum 1826 hungaricos verbi Dei Praecones ex eodem S. Ordine adepta, vulgo iam hungarica dicitur. Tota e secto lapide structa est, stilo vetere, cui turris, sinistro latri adnexa, apprime respondet.

Viguit hic Gymnasium prioris formae, sex Classibus constans ad annum usque 1849, quod, relicto per Archiabbatiam Gymnasio Posoniensi, mox ad novi systematis Gymnasii maioris cum octo Classibus gradum elevatum fuit. Quapropter Residentia, quae prius novem membra numeravit, nunc ea sedecim complectitur. Superior Residentiae una Gymnasii Director, et Philosophiae propaedeuticae, ac Linguae hungaricae Professor cum aliis duodecim rem Scholasticam procurat; praeter quos duo Spirituales, et unus Orator sacer hungaricus curae animarum vacant. In parvo hoc Residentiae incolarum numero A. R. ac Cl. D. Anselmus Engelhart, R. Academiae Posoniensis emeritus Prodirector, Caes. R. Numismate maiore aureo cum torque, A. R. D. Hermannus Császár aurea cruce pro meritis decorati, tres*) C. Regiae Physicorum Societatis hungaricae, duo Societatis Geologico-botanicae Viennensis Socii, dum haec scribo, reperiuntur.



VII.

Residentia Strigoniensis.

Haec illa sui parte, qua Conventum Patrum Franciscanorum respicit, domus erat Ordinis Paulinorum; quo abolito Civitas Strigoniensis eam usibus Officialium militarium deservituram ab Exc. Camera regia emerat. Verum, dum anno 1809 S. Ordo Benedictinus Strigonii Gymnasium Moderatoribus providendum suscepisset, quum in sensu benigni Diplomatis Restituti S. Ordinis procurandae illis congruae

*) Horum unus, Eusebius Vidák, relicta insigni numismatica Collectione hungarica morbo Cholerae anno 1855 succubuit. —

habitationis obligatio Fundo Studiorum incubuisset: iste hanc Domum, 25000 fl. a Civitate non invita redemtam, PP. Benedictinis tradidit. — Porro anno 1852 benigno motore Celsissimo Principe, iam Eminentissimo Cardinale Archiepiscopo Strigoniensi Joanne Scitovszky de Nagy-Kér, assentiente S. Ordine Benedictinorum Sacratissima Caesareo-Regia et Apostolica Maiestas Franciscus Josephus clementissime annuere dignabatur, ut hic loci Gymnasium maius in sensu novissimi Systematis literarii erigeretur.[1]) Quapropter Residentia prior, quae maiorem Professorum numerum capere non poterat, cum vicina domo, liberali Eminentissimi Cardinalis praelaudati oblato, et impensis Lib. R. Civitatis Strigoniensis procurata, coniuncta, et sic sufficienter ampliata est. Quae, cum propria Ecclesia careat, tam Professores, quam studens Juventus in Ecclesia PP. Franciscanorum, quae divini cultus publici sunt, exsequitur; pro infirmis tamen Sacellum in Residentia praesto est. Administrant Gymnasium maius 13 Professores, quorum unus simul Directoris Gymnasii, et Residentiae Superioris officio fungitur.

VIII.

Residentia Ginsiensis.

Eiusdem Georgii Széchényi, cuius munificentiam Collegium olim Societatis Jesu Jaurinense praedicat, pia liberalitate Residentia Ginsiensis, curante Joanne Kecskeméthi, Residentiae Soproniensis Superiore, Comite Nicolao Draskovich, et Stephano Zichy Oroszváriensi potenter adiuvantibus, iuxta planum Architecti Petri Orsolini Romae approbatum, anno 1677 coepta, et intra triennium consummata pro eadem Societate surrexit. Fundationem Residentiae addidit idem Praesul traditis Possessionibus: Hagenstorf, Visfleck, Tauchen, Loisperpach, et Klingenpach, quae 50,000 florenorum sortem aequaret.

Sublata Societate Jesu Clerici Regulares Scholarum Piarum anno 1777 Residentiam ingressi, Juventutem in Grammaticis et Humanioribus studiis instituebant, et divina, more in Ecclesiis parochialibus solito, in vicina, imo contigua Ecclesia S. Jacobo maiori dicata, germanico idiomati accommode peragebant. Anno 1815 Ordinis S. Benedicti membra, virtute saepelaudati Diplomatis Restitutorii solenniter introducta, utroque in munere successerunt. Adnexum Residentiae Aedificium Scholare hanc inscriptionem exhibet:[2]) M. THERESIAE A. P. F. INSTAVRATIS APVD HVNG. LIT. CC. RR. SCHOL. PIAR. MDCCLXXX. — Ecclesia vetus est, incertae originis. Anno 1566 eam exstitisse constat; verum stru-

[1]) Confer supra pag. 316. — [2]) M. Theresiae Augustae, Piae, Felici. — Hungaros literis Clerici Regulares Scholarum Piarum. —

ctura longe maiorem quam trium seculorum aetatem videtur innuere. Incolunt Residentiam praeter Superiorem Religiosi septem, quorum sex Gymnasium minus, seu quatuor Classium provident, unus Ecclesiam administrat.

IX.

Residentia Papensis.

Domus haec, cum adiuncta sibi Aede sacra, B. V. Mariae in Coelos assumtae dicata, initia sua refert ad annum 1638, quo Comes Ladislaus Csáky de Keresztszegh, tunc eiatis Praesidii supremus Capitaneus, et Oppidi Dominus, tres S. Ordinis Paulinorum Religiosos Sacerdotes Papam induxit ea intentione, ut non solum diurnis, nocturnisque precibus, verum etiam doctrina christiana, et exemplo religioso, Populo ... praeeant; comparata aere proprio mille Imperialium pro eorum habitatione domo seculari, quae successive partim Piorum liberalitate, partim Bonorum ab aliis eiusdem Ordinis Monasteriis, temporum iniuria desolatis, accessione aucta formam religiosae Domus, et aedificium scholare acquisivit. Praesens Ecclesiae species Adami Acsády de Eadem, Vesprimiensis Episcopi, Aulae Regiae quondam Cancellarii munificentiae debetur, qui sub ea requiescit.

Anno 1786 sublato Paulinorum Ordine, mox ad preces Oppidi altissime resolutum fuit, ut Ecclesiae usus populo Catholico cedatur. Cumque Parochus cum duobus Capellanis tam frequenti oppido non suffecisset: pro adiutorio in cura animarum duo ex Paulinorum Ordine abolito Sacerdotes assignati sunt; ut unus germanica, alter hungarica lingva in ea operaretur. Anno 1788 die 25ᵃ Maii, domus Comitatus una cum his aedibus conflagravit; quae mox asseribus tectae Comitatus usibus serviebant; donec defuncto Josepho II. Imperatore iste Vesprimium remigravisset; quo facto Domus ad Exc. Camerae Regiae administrationem devoluta fuit.

Porro, cum abolito Paulinorum Ordine Gymnasium maius, quod isti, salvis suis rebus procurabant, magno incolarum damno pariter sublatum est. Quod aegre ferentes Cives, potentium Virorum, praesertim Comitis Caroli Eszterházy, Episcopi condam Agriensis, tunc Papae Domini ope suffulti, impetratum a Regia Camera Musarum domicilium restaurarunt, et duobus Magistris providebant; donec anno 1794 Regia Maiestas Gymnasium minus Directori Locali, et tribus Professoribus, e Fundo Studiorum sustentandis tradidisset; Humaniorum Classium revectionem, uti ante abolitum Ordinem fuerant, Oppido saepius, sed in cassum exposcente. — Anno dein 1802 S. Ordo Benedictinorum Diplomate regio Domum hanc cum Ecclesia, et Gymnasio minore obtinuit, et anno 1806, missis eo quinque Religiosis, institutionem Juventutis in quatuor Scholis grammaticis occoepit; quam hodie secundum recens inductum Systema literarium sex Professores prosequuntur.

X.

Residentia Posoniensis.

Olim Collegium Societatis Jesu, per Petrum Pazmanum Archiepiscopum Strigoniensem celebratissimum anno 1630 erectum, sublata Societate diversi generis hominibus erga censum elocatum, serius parte meridionali, et occidentali primariae Scholae Nationalis usibus attributum, et per Localem Inspectorem, Directorem, et Docentes huius Scholae, Proprietarium item Pharmacopolii ad SS. Salvatorem, olim Jesuitarum inhabitatum fuit usque annum fere 1812, quo e pluribus Domibus per Augustissimum S. Ordinis Restauratorem oblatis Chrysostomus Archiabbas illud habitationi suorum Religiosorum maxime idoneum censebat.

Anno 1812 hanc Residentiam sex Professores Gymnasii, huiusque Director Localis, una Superior Domus ingressi sunt, quam Archiabbas, cum tota tradita non fuerit, solenniter recipere detrectaverat. Serius comperto Maiestatem Regiam usibus Jaurinensis Seminarii Domum Jaurinensem, ab antiquo ad Archiabbatiam pertinentem, cupere: hanc ultro ea conditione obtulit, ut totam Domum Posoniensem acquirat. Exc. Consilium Jaurinensem Domum Capitulo Jaurinensi tradidit; sed Posoniensis S. Ordini nunquam tradita est. Haec absente Regia Maiestate[1]) anno 181⁶/₇ acta sunt; quae redux, cognito negotio, pro suo iustitiae amore quaesivit ab Exc. Consilio, quaenam recompensatio ex iustitia Benedictinis pro tradita Domo Jaurinensi competat: et responsum accepit nullam competere, cum Ordo Benedictinorum omnia sua ex Gratia suae Maiestatis teneat. —

Inducto recentissimo systemate scholastico visum fuit, Gymnasio Posoniensi Seculares Professores exteros, ipso usu in praescripta nova docendi methodo rite exercitatos induci oportere, sicque Gymnasium hoc veluti Normam ceterorum statuere; quo pacto Professores Benedictini Posonio emigrarunt anno 1851. Quomodo intento fini per normale hoc Gymnasium satisfiat, hucusque nobis compertum non est.

Ecclesia, olim Sanctimonialium S. Clarae, quarum monasterium nunc Scholae occupant, agente Alexandro Rudnay Archiepiscopo Strigoniensi usibus Scholarum sacris aperta fuit anno 1825; eiusque conservatio, et provisio Patribus Benedictinis anno 1837 imposita; qua hi propria, ad hoc tempus carebant quidem, sed ob vicinam Domui suae Collegiatam Ecclesiam S. Martini nec egebant. Prae-

---

[1]) Imperii sui Provincias visitavit cum nova Consorte, Augusta Imperatrice Carolina; quam Deus pauperum solatio diutissime incolumem servet! —

ter 1209 fl. occasione traditionis Ecclesiae in eius reparationem e Fundo publico acquisitos, ad debitum Domui Dei decorem ei conciliandum, et noxium valetudini humorem amoliendum Ordo Benedictinus multa millia florenorum impendit.

Ne aliquod Ordinis S. Benedicti domicilium per eiusdem S. Ordinis Membra inhabitatum in praesente descriptione desideretur: coronidis instar Elenchum Parochiarum, quas sacrae huius Familiae Religiosi, per Archiabbates S. Martini expositi administrant, addere lubet.

Parochiarum harum pars una separatum Archi-Coenobii S. Martini de S. Monte Pannoniae Territorium, ab omni cuiusvis Episcopi iurisdictione immune constituit; ideoque solum Archiabbatem S. Martini Ordinarium suum agnoscit Sede plena; Sede autem vacante Monasterium S. Martini spiritualem hanc iurisdictionem per suum in Spiritualibus Vicarium, et Generalem Caussarum Auditorem Conventualem, ad mentem Concilii Tridentini legitime electum, exercet. Huius generis Parochiae in Bonis duntaxat Archiabbatiae et Abbatiae de Beel in Comitatibus Jaurinensi, Vesprimiensi, Strigoniensi, et Comaromiensi circa S. Martinum, nulla earum ultra 4½ milliaria geogr. ab isto distante sitae sunt; unica, nomine Deáki in Comitatu Posoniensi ad 9. mill. recedit, oppido Séllye contigua. — Circa has Parochias Ven. Conventus S. Martini Sub-Prior, ut Separati Territorii Archiabbatialis Decanus, cuncta exsequitur, quae dioecesani Vicearchidiaconi in suis Districtibus peragere solent.

Reliquae Parochiae, utpote Monasterio S. Aniani de Tihan in Comitatibus Zaladiensi, et Simeghiensi unitae, Ordinario Dioeceseos Vesprimiensis, uti et una Monasterio B. M. V. de Dömölk in Comitatu Castriferrei unita, Ordinario Dioec. Sabariensis, de facto subiectae sunt. — Sed iam singulas videamus.

Parochiae

ad separatum Territorium Archiabbatiae pertinentes.

In Comitatu Jaurinensi.

S. **Martinus**, hung. Szent-Márton, germ. Martinsberg. Oppidum. Parochia monasterio S. Martini coaeva, fundata anno 997, quo Geysa Dux Hungarorum, S. Stephani pater, Benedictinis Montis Pannoniae monasterium struere coepit. Oppidum hoc antiquissimis temporibus Sabaria dicebatur; qua per Tartaros, medio Sec. XIII. solo aequata, restauratum in eodem loco oppidum nomen Zenthmarton obtinuit, serius interdum Alsok dictum. Pars aliqua eius oppidi Sec. X—XIII. Pannonia nominabatur, in qua Colomannum Regem Hungariae Palatium habuisse supra pag. 31. docuimus.

Ecclesia ad S. Martinum Episcopum Turonensem, qui hoc Sabariae oppido natus fuit; id, quod tempore dedicationis huius Ecclesiae, circa annum 1000 peractae, omnibus notum erat; et postea quoque, donec Sabaria haec viguit, certum constanter habebatur. Nec prius hoc honore privata est, quam de facie terrae deleta, ex omnium hominum memoria seculorum lapsu extrita, omnibus ignota evasisset. De hoc plura vide supra pag. 25. et seqq. — Matricae initium sumunt ab anno 1698. — Numerat hodie[1]) animas 2363, e quibus 2328 Catholicae, 28 Jud., 5 Helv., 2 Aug. Confess.

Csanak. Pagus. Parochia antiqua, restaurata anno 1787, quo et Matricae incipiunt. Ecclesia ad S. Crucem exaltatam. Numerat hodie animas cathol. 949. — Aug. Conf. 70. Antiquitatem eius docet Bulla Innocentii III. Papae anni 1216, in qua inter ceteras Monasterii S. Martini Ecclesias legitur. Quo tempore, et per quem donata fuerit Monasterio, non constat. In antiquis documentis Chonuk legitur. — Jaurino Papam versus nec integro milliari distat.

Nyalka. Pagus. Olim Himudi, quo nomine in diplomate S. Stephani de anno 1001. occurrit. Ad pedem S. Montis Pannoniae sita ex Monasterio administrabatur, donec anno 1817 fundata Parochia, Administratorem proprium obtinuisset. Tempore sublati Archicoenobii Localem Capellanum habuit. Numerat nunc animas cath. 808, et jud. 18. — Ecclesia aid B. Mariam Virginem natam.

Ravazd. Pagus. Donatione S. Ladislai Regis sub nomine Ruozdi Monasterio accessit. Parochia pariter Sec. XI, restaurata anno 1804. Matricae ab anno 1735 ducuntur. Ecclesia olim, testimonio bullarum pontificiarum Sec. XII. et secutorum, ad S. Wilebaldum, cuius memoriam apud populum nundinae, huius Sancti die festo, aut huic proximo die dominico celebrari solitae, conservabant; nunc ad S. Martinum Turonensem Episcopum. Numerat hodie animas 1218, e quibus 1

[1]) Numerus animarum cuiusvis Parochiae e Schematismo Archiabbatiae anni 1855. excerptus est. —

Aug., 2 Helv. Conf., 26 Judaei. Oppido S. Martini meridiem versus adiacet.

Szent-Iván. Pagus. Olim terra Urigang et Urukang, quam Abbas Salamon anno 1244 ab Alexandro, et Belud ex genere Ópur, 95 Marcis puri argenti comparavit. Jaurino ortum versus uno milliari distat. Parochia antiqua, Matricas ab anno 1735. tenet. Numerat animas ad 2248; e quibus 6 Helv. Conf., 22 Judaei. — Ecclesiae Patronus, S. Joannes Baptista.

Tényő. Pagus. Versus occasum ab Archicoenobio sesqui milliari distat, cuius iam Innocentius III. Papa sub nomine Teeneu anno 1216 inter Bona Ecclesiae S. Martini meminit. Parochia antiqua. Matricas tantum ab anno 1761 tenet. Animas, cum filiali Pátka, 609 complectente, numerat 2460; e quibus 166 Aug. Conf., et 15 Judaei. Ecclesia ad B. Mariam V. visitantem.

Kajár. Pagus. Hunc S. Stephanus Monasterio S. Mauritii de Beel, quod anno 1037 fundarat, cum plurimis aliis donavit, quae omnia retentis, at paullum immutatis nominibus hodieque exsistunt; sed si Arpás excipias, alios dominos nacta sunt. Parochia monasterio coaeva, et ideo antiquissima numerat Catholicos 759. Aug. Conf. 595, Jud. 8. Ecclesia ad SS. Trinitatem. Matricae ab anno 1755 habentur.

In Comitatu Vesprimiensi.

Bakonybél. Pagus. Parochia Monasterio S. Mauritii de Beel, hodie de Bakonybél, coaeva; Matricas habet ab anno 1721. Ecclesia ad SS. Mauritium et Socios Martyres; quem Patronum B. Gunthero, in monasterio Bavariae Quercus inferioris ad S. Mauritium M. professo Benedictino[1]) debet; ad cuius preces, teste Chartuitio, S. Stephanus Monasterium de Beel fundavit. Numerat Parochia Cathol. 1364. Aug. Conf. 2. Jud. 12. — Plura vid. supra pag. 158 et seqq.

Bársonyos. Pagus. Parochia antiqua, restaurata circa annum 1753, quo Matricae incipiunt. Ecclesia ad B. Mariam V. Conceptam. Ab Archicoenobio duobus fere milliaribus ortum versus distat. Numerat Catholicos 970, et 11 Judaeos. Donatione cuiusdam Catlu ab anno 1221 possidetur.

Lázi. Pagus. Donatione S. Ladislai Regis obtentus. Parochia antiqua, restaurata circa annum 1727. Matricae anno 1768 coeperunt. Distat a S. Martino sesqui milliari. Numerat Cathol. 750, Aug. 77, Helv. 44, Jud. 9. — Ecclesia ad S. Catharinam V. et M.

Péterd. Pagus. Donatione per Viduam Pikud, nobilem feminam, cum possessione Tamási anno 1262 Monasterio S. Martini accessit. Parochia nova, fundata anno 1840. Ecclesia anno 1818 aedificata ad SS. Apostolos Petrum et Paulum. — Colonia germanica, distat a Lázi medio milliari, cuius antea filia fuit. Numerat animas 551 catholicas; praetereaque nihil. Ne Judaeum quidem!

Varsány. Pagus. In diplomate S. Stephani Vuosian; in Bullis Pontificum Sec. XII. et XIII. Vossian, ut Ecclesia S. Adalberti, quem Patronum hodieque colit Parochia antiqua, restaurata anno 1774, a quo et Matricae. Ab Archicoenobio duobus milliaribus meridiem versus dissita, Catholicos 562, Aug. 401, Helv. 127, Jud. 15 numerat.

---

[1]) Erat hoc sanctis viris velut more receptum. Ita S. Gerardus, Venetiis in Monasterio S. Georgii professus Benedictinus, primus Episcopus Csanadiensis, Cathedrali Ecclesiae suae, quam ipse aedificavit, S. Georgium Patronum assignavit. —

In Comitatu Strigoniensi.

Tárkány. Pagus, celebri Equatio Caesareo Bábolnensi contiguus, duobus milliaribus a Monasterio S. Martini dissitus, donationis antiquissimae. Parochia aeque antiqua, anno 1734 restaurata. Matricas ab anno 1722 possidet. Numerat animas 1617; e quibus 1278 Cath., 7 Aug., 317 Helv., 15 Jud. — Ecclesiae Patronus est S. Ladislaus.

In Comitatu Comaromiensi.

Füss. Sedes praedialis Nobilium per Stephanum Abbatem S. Martini anno 1383 erecta, quae iam nunc desiit. Parochia est antiqua, anno 1768 restaurata; a quo et Matricae incipiunt. Numerantur hic animae 521, e quibus 6 Helv. Conf., 5 Jud. — Ecclesia ad S. Benedictum Abbatem. Exsistit et Kis-Füss, priori contiguum; utrumque S. Martino 4 fere milliaribus distat, itinere per Danubium interfluentem impedito.

In Comitatu Posoniensi.

Deáki. Pagus, in diplomate S. Stephani anni 1001 Vág, serius Sala nuncupatus; oppido Séllye, Slavis Sala, contiguus. Ecclesia ad B. V. Mariam in Coelos assumtam. Parochia monasterio, et regno coaeva. Matricae ab anno 1700 adsunt. Numerat animas Cathol. 1340, Aug. 2, Helv. 526, Jud. 41. De hac plura supra, pag. 313.

Parochiae

extra separatum Archiabbatiae Territorium constitutae.

In Dioecesi Vesprimiensi.

Tihan. Oppidum Comit. Zaladiensis Monasterio S. Aniani per Andream I. Regem Hungariae anno 1055 donatum. Parochia monasterio coaeva. Matricas habet ab anno 1685. Ecclesia ad S. Anianum Episc. et Conf. Numerus animarum: Cath. 602, Helv. Conf. 110, Jud. 11. —

Aszófő. Pagus Com. Zalad. Parochia erecta Sec. XIV. restaurata anno 1774. Matricas habet ab anno 1775. Ecclesia ad S. Ladislaum Regem. Numerus animarum: Cathol. 723, Aug. 13, Helv. 656, Jud. 19. Numerus iste etiam filialium: Örvényes, Udvari et Kis-Szőllős animas comprehendit.

Endréd. Pagus Com. Simeghiensis. Parochiam habet a Sec. XIV. restauratam anno 1744, cum Matricis ab anno eodem. Ecclesiam ad S. Andream Apostolum. Numerus animarum cum filiali, Praedio Jaba: Cathol. 1068, Aug. 3, Helv. 488, Jud. 27. —

Szamárdi. Pagus Com. Simegh. Parochia antiqua e Sec. XIV. restaurata anno 1785, quo et Matricae incipiunt. Ecclesia ad B. Mariam V. natam. Numerus animarum cum filiali, Praedio Szántód: Cath. 771, Jud. 8.

Kapoly. Pagus Com. Simegh. Parochia itidem e Sec. XIV. restaurata anno

1785. Matricas habet ab anno 1781. Ecclesia ad S. Michaëlem Archangelum. Numerat animas Cath. 255; Aug. 95; Helv. 591; Jud. 6. —

Hae 5 Parochiae, in totidem possessionibus Monasterii S. Aniani de Tihan fundatae, eidem Monasterio unitae sunt, in quibus ius et onus patronatus idem Monasterium respicit.

In Dioecesi Sabariensi.

Kis-Czel. Oppidum Comit. Castriferrei. Parochia antiqua, restaurata anno 1739. Unita est Monasterio B. Mariae Virginis de Dömölk. Matricas habet ab anno 1720. — Ecclesia ad B. V. Mariam Thaumaturgam. Numerat Oppidum animas Cathol. 510; Aug. 12; Jud. 100. Nemes-Dömölk Cath. 262; Aug. 250; Helv. 2; Jud. 36. Pór-Dömölk, Abbatiae olim sedes, Cath. 70. Tribus his locis Parochiae Kis-Czel Recinctus absolvitur.

Intra has viginti et unam Parochias circ. 28,000 animarum numerantur: e quibus ad 23,000 catholica sacra sequuntur.

Cum per decursum Operis nulla se pagina obtulerit, cui status Personarum, et quae his incumbunt, Officiorum Archiabbatiae S. Martini apte inscriberetur: in eorum gratiam, ad quos Catalogi Congregationis nostrae, vulgo Schematismi, non penetrant, lubet sequentem synopsim adnectere. Sunt igitur ex Congregatione hac exeunte anno 1855 :

In Archicoenobio S. Martini.

Archiabbas, seu Abbas Generalis. — Prior, una Studii domestici Prodirector. — Sub-Prior, una separati Archiabbatiae Territorii Decanus, et Scholarum elementarium Inspector. — Vicarius in Spiritualibus, et Caussarum Auditor Generalis. — Magister Novitiorum cum horum Promagistro, una Professore. — Bibliothecae, Archivi, Camerae Naturalium, et Numismaticae Custos, una Spiritualis. — Depositarius, Vestiarius, et Rationum Exactor, ac Spir. — Administratores Bonorum Archicoenobii, huic vicinorum 5; quorum unus Spiritualis. — Professores SS. Theologiae 5, quorum unus Secretarius, unus S. Sedis Consistorialis Notarius. — Professores in VII. et VIII. Classe 5. — Parochiae Oppidi Szent-Márton Administrator. — Sacri Oratores 2. — Universim Presbyteri 26.

His accedunt: Clerici in VII. et VIII. Classe, ac theologico Cursu quadrienni constituti 28, quorum 8 Professi. — Novitii Clerici 7. — Summa Religiosorum in Archicoenobio 61.

E Presbyteris in Archicoenobio degentibus S. Sedis Consistorialis Assessores sunt 18. Horum unus, qui Juris Canonici Cathedram tenet, una Matrimonii, et Professionis religiosae Defensor esse solet. —

In Monasterio S. Mauritii et Socior. MM. de Bakonybél.

Abbas, una S. Sedis Consistorialis Archiabbatialis Assessor. — Prior, una Bonorum huius Monasterii Administrator. — Parochiae Bakonybél Administrator. — Spirituales 2. —

In Monasterio. S Aniani Ep. et Conf. de Tihan.

Abbatiali Sede ab anno 1850 vacante, Prior. — Supprior. — Spirituales 2. — Bonorum huius Monasterii Administrator. — Parochiae oppidi Tihan Administrator. — Huius Cooperator in cura animarum.

In Monasterio B. Mariae Virg. de Dömölk.

Abbas, una S. Sedis Consistorialis Assessor. — Prior, una Parochiae Oppidi Kis-Czel, in cuius medio monasterium situm est, Administrator. — Bonorum Abbatiae huius Administrator, una Spiritualis, et Sacer Orator. — Orator Sacer.

Horum trium Filialium Monasteriorum Abbates, consultis praevie Conventualibus, Archiabbas S. Martini nominat, et Caes. Regiae Apostolicae Maiestatis confirmationi praesentat.

In Residentia Jaurinensi.

Superior. — Director Maioris Gymnasii, una Professor. — Praeter hunc Professores *) in 8 Classibus Gymnasii 12. — Spirituales 4. — Bibliothecae Custos. — Orator Sacer germanicus dominicalis.

In Residentia Sopronienai.

Superior, una Maioris Gymnasii Director, et Professor. — Praeter hunc Professores in 8 Classibus Gymnasii 12. — Spirituales 2. — Orator sacer dominicalis hungaricus.

In Residentia Strigoniensi.

Superior, una Maioris Gymnasii Director, et Professor. — Praeter hunc Professores in 8 Classibus Gymnasii 11. — Spiritualis officium unus Professorum gerit.

In Residentia Comaromiensi.

Superior, Director una Minoris Gymnasii, et Professor. — Spiritualis. — Professores praeter Directorem in 4 Classibus 5.

In Residentia Ginsiensi.

Superior. — Director Gymnasii minoris, et Professor. — Praeter hunc Professores in 4 Classibus 5. — Orator sacer germanicus dominicalis, una Spiritualis.

In Residentia Papensi.

Superior. — Director Gymnasii minoris, et Professor. — Professores praeter Directorem 5, quorum unus Spiritualis.

In Domo Füssiensi.

Administrator Bonorum Archiabbatiae in Comitatibus Posoniensi et Comaromiensi sitorum. — Parochiae Füssiensis Administrator.

In variis locis partim ad Archicoenobium, partim ad filialia Monasteria pertinentibus.

Parochiarum Admnistratores extra monasteria degentes 17. Nobilium iuvenum privatus Moderator 1.

Omnes hactenus enumerati Presbyteri illis duntaxat, aut illarum similibus functionibus occupantur, quas Benigno diplomate Restitutionali anni 1802. comprehensas, restitutus tunc Ordo sacer Archiabbatiae virium, ut tunc erant, iusta aestimatione, ultro suscepit obeundas. Sed sunt praeter hos nonnulli, quibus ex altissima Caesareo-Regiae et Apostolicae Maiestatis Gratia quaedam altioris gradus Officia, et functiones illis in locis obtigerunt, in quibus Ordinis nostri aedes non reperiuntur. Tales sunt:

---

*) In singulis Gymnasiis Ordinis nostri munus Exhortatorum, et Catechetarum Juventutis Scholasticae ipsi Professores obeunt. — Jaurini unus Professorum diebus festis ad populum dicit. Idem Sopronii, et Ginsii obtinet. —

Magnovaradini.

A. R. ac Magnificus D. Severinus Schmidt, ad Sectionem Magnovaradinensem Excelsi Caes. Regii Consilii Locumtenentialis Consiliarius Scholasticus, C. Regiae Physicorum Societatis hungaricae Membrum Ordinarium etc.

Pestini.

A. R. ac Spect. D. Anianus Jedlik, Artium Liberal. et Philosophiae Doctor, in Caesareo-Regia Scientiarum Universitate Hungarica Physicae theoreticae et practicae Professor Publicus, Ordinarius. — A. R. ac Spect. D. Samuel Márkfi, AA. LL. Philosophiae, et SS. Theologiae Doctor, in eadem Universitate Studii biblici Novi Foederis Publicus, Ordinarius Professor. — A. R. ac Spect. D. Nepomucenus Ruzsicska, AA. LL. et Philosophiae, ac SS. Theologiae Doctor Collegiatus, Linguarum Arabicae, Chaldaicae, et Syriacae, ac Juris Canonici in eadem Scientiarum Universitate*) Publicus et Ordinarius Professor. — A. R. D. Gregorius Czuczor, Eruditae Societatis Hungaricae Membrum Ordinarium, magni Dictionarii Hungaro-etymologici Redactor.

Clerici Professi Theologiae in Centrali Seminario Pestini studentes 3. —

* * *

Universim sunt: 172.

Quos inter: Presbyteri 134. — AA. LL. Philosophiae, una SS. Theologiae Doctores 3. — SS. Theologiae Doctores 4. — AA. LL. et Philosophiae Doctores 14.— SS. Canonum Doctor 1. — Rem Scholasticam procurantes 72. — Animarum cura peculiarius occupati 41. — Aliis Officiis fungentes 20. — Solenni votorum professione obstricti 145.

Quod permulti Presbyteri pluribus Officiis fungantur, defectui sufficientis numeri Personarum S. Ordinis tribuendum est, quem inde ab anno 1849 experimur; dum Clerus iunior, incertus futuri, magna sui parte, relictis Claustris, ad Castra fere commeavit. Quo factum: ut, quum Congregatio nostra prioribus annis 200, et ultra membra numeravisset; anno 1848 ad 183, hunc autem consequente ad 164 Personas redacta, usque anni 1855 exitum ad 172 aegre fuerit eluctata.

---

*) Ibidem et Leander Stanke, Logicae, Metaphysicae, et Philosophiae Moralis Professoris publici et ordinarii munere fungebatur usque 28-am Aprilis anni 1855; quo die, 55-to aetatis anno de vita decessit. —

CATALOGUS

Abbatiarum Ordinis S. Benedicti, per Cardinalem Petrum Pázmánum Archiepiscopum Strigon. collectus; prout is apud Péterffy: Concil. Eccl. H. pag. 273. sistitur.*)

Abbatiae Ordin. S. Benedicti.

Plurimorum nobilissimi huius Ordinis Coenobiorum certum indiculum ad manum non habeo: Notabo tamen, quae consignata sparsim reperi; nihil dubitans, plures longe fuisse Abbatias Benedictinorum.

Abbatiarum omnium prima ac potentissima in Ungaria fuit: S. Martini de sacro Monte Pannoniae, a S. Stephano Rege fundata, Anno Christi 1001, cuius Regii diplomatis originale exemplar, Sancti Regis manu subscriptum, vidimus apud Abbatem modernum. Ceterae (quantum notare potui) ordine Alphabeti, hae fere sunt:

Abbatia de Almád, B. Mariae Virginis in Comitatu Szaladiensi, Zagrabiensis Dioecesis. — Apát-falva prope Agriam. S. Andreae prope Vissegrad; quae postmodum Anno 1494[1]) sub Mathia Rege data est Paulinianis.

De Babolcha, in Simigiensi Comitatu. — Bakonybeel, S. Mauritii, in Vesprimiensi Dioecesi, a S. Stephano Rege fundata circa annum Domini 1038. — Báta, S. Michaëlis Archangeli in Dioecesi Quinqueecclesiensi, Comitatu Tolnensi. — Bela, S. Margarethae. — S. Benedicti de iuxta Gron, in Strigoniensi Dioecesi; fundata a Geysa I. Anno Domini 1075. — Bihar, in Varadiensi Dioecesi, — Bizere, in Orodiensi Comitatu. — Borchi. — Bors-Monostra[2]) prope Kőszeg, in Jauriensi Dioecesi. —

De Chanád, S. Georgii Martyris; fundata sub S. Stephano Rege a S. Gerardo, primo Episcopo Chanadiensi. — Chatár, B. Mariae Virginis in Comitatu Szaladiensi. — S. Crucis de iuxta Muram, alias Keresztúr, in Comitatu Szaladiensi. —

S. Demetrii de Sirmio, iuxta Savum fluvium; fundavit Rado Palatinus Hungariae in Dioecesi Quinque-Ecclesiensi, circa annum 1057. —Dömölk, in Comitatu Szaladiensi — Dombó. —

Egeres, filialis Abbatia ad Kolos-Monostor. — Földvár ad Danubium fluvium. S. Georgii de Gyák, in Comit. Castriferrei. — Garab, Abbatia filialis ad Szekszárd. — S. Jacobi de Silissio, in Dioe-

*) Correctis tamen erroribus evidenter per typothetam commissis, quibus is apud Péterffyum abbundat; item notis, quae ad rem faciunt, textui insertis; ceteris penitus exmissis. — [1]) Forte 1490, quo iam Mathias obiit. Ceterum nunquam data est. — [2]) Hanc Abbatiam S Ordinis Cisterciensis fuisse, indubium est. Hunc, et ceteros Catalogi huius errores per decursum operis suis locis emendavimus. —

cesi Vesprimiensi, Comitatu Szaladiensi; fundata ab Athya, Palatino Ungariae, tempore Salamonis Regis, anno 1064. — S. Jacobi de Heremo. — Jánosi. — Jászt, in Albensi Comitatu, fundata a Laurentio Duce de Ujlak. — Iván, B. Mariae Virginis, Dioecesis Quinque-Ecclesiensis, in Comitatu Tolnensi. —

Kapornak, S. Salvatoris, Vesprimiensis Dioecesis, in Comitatu Szaladiensi. — Kolos, B. Mariae V. Strigoniensis Dioecesis, in Comitatu Nitriensi. — Kolos-Monostor, B. Mariae Virginis, Transsilvaniensis Dioecesis, in Comitatu Kolosiensi. — Koppan-Monostra, B. Mariae Virginis in Comitatu Walko. — De Kaach, in Comitatu Borsodiensi. Patroni fuere ex familia Thibold de Barocz (forte Darocz), per quos possidetur violenter. In libro S. Joannis Capituli Agriensis habetur, quod anno 1566 possedit Canonicus quidam Agriensis, —

Lébeny, S. Jacobi, Dioecesis Jauriensis in Comit. Mosoniensi. — Lekér, S. Trinitatis, Strigoniensis Dioecesis in Comitatu Barsiensi. — Ludány, SS. Cosmae et Damiani, Dioecesis Strigoniensis in Comitat. Nitriensi, in possessione Apátfalva.

S. Mariae in Monte Gissing, alias Németujvár, fundata a Valfero Comite anno 1157. — Madocha. — Monostor, S. Spiritus, Quinqueecclesiarum Dioecesis in Comitatu Walko. — Monyorod, in Comitatu Pestiniensi; viguit anno 1474. — Monostor supra Comaromium, Jauriensis Dioecesis. —

Péchvárad, alias de Várad, ad radicem Montis Ferrei, B. Mariae Virginis, Dioecesis Quinque-Ecclesiensis, fundata a S. Stephano Rege. anno 1007. — Poroszló, in Comit. Hevesiensi, cuius mentio est in privilegio Episcopi Agriensis super Eörs. — Quinque-Ecclesiis S. Benedicti, viguit anno 1070.

Rákony, iuxta Danubium. — Saari, alias Saar-Monostra prope Gyöngyös, Agriensis Dioecesis; fundata ab Aba Rege, ubi et sepultus est. — Szala, S. Adriani Martyris, Vesprimiensis Dioecesis, a S. Stephano Rege fundata. — Sz. György. — Szerench, in Agriensi Dioecesi. — Széplak in Agriensi Dioecesi, viguit anno 1217. — Sexárd, S Salvatoris, Dioecesis Quinqueecclesiensis, in Comitatu Tolnensi; fundata a Bela I. ubi etiam sepultus iacet. — De Simighio, S. Aegidii, Vesprimiensis Dioecesis, viguit anno 1302. — Szkalka, alias de Rupibus, S. Benedicti Martyris, Strigon. Dioecesis, in Comitatu Trenchiniensi. — Szöbögény, Strigon. Dioec. viguit a. 1251.

Tapolcza, alias Taplocza, penes Miskolcz Agriensis Dioecesis, viguit anno 1217. Post cladem Mohács. Georgius Bebek occupavit occiso crudeliter Abbate; iste enim mediotenus in terram defossus, globis petitus est. Ante dirutum monasterium aqua calida multis salutaris fuit. — Tata, SS. Petri et Pauli. — Telki. — Tereske, seu Terecke. — Tihany, S. Aniani Episcopi et Confessoris ad lacum Balaton; fundata ab Andrea I. anno 1055, ubi etiam sepultus iacet. — S. Trinitatis de Siklós, Dioecesis Quinque-Ecclesiensis in Comitatu Baraniensi; viguit anno 1249. —

Vaska Sz. Márton, ad Dravum fluvium; Quinque-Ecclesiensis Dioecesis, alias S. Martini de Vaska.

Zobor, S. Hippoliti Martyris, Nitriensis Dioecesis, a S. Stephano Rege fundata. Postea est applicata ad Episcopatum Nitriensem. —

CATALOGUS

Abbatum, Archiabbatum, Gubernatorum, et Administratorum Monasterii S. Martini de S. Monte Pannoniae ex authenticis documentis concinnatus.

	Anno:
Anastasius	997 et porro
S. Maurus	1030—1036
Petrus I.	1091—1103
Deda	1117
David	1137—1146
Raphaël	1151—1157
Raynaldus	1175—1176
Similis	1186
Petrus II.	1188—1190
Joannes I.	1190—1204
Benedictus I.	1206
Urias	1206—1244
Salamon	1244—1252
Favus	1252—1264
Bonifacius	1266—1281
Hermannus	1281—1300
Nicolaus I.	1300—1301
Emericus	1306
Jacobus	1306—1308
Joannes II.	1308—1309
Ladislaus I.	1309—1316
Nicolaus II.	1316—1333
Vilhelmus Hammer	1333—1355
Siffridus	1355—1365
Ladislaus II. Czudar	1365—1372
Dominicus	1372—1377
Uladislaus, Gubernator	1377—1379
Paulus I.	1379—1381
Stephanus	1381—1398
Dósa de Marchal	1399—1404
Joannes Dux Opuliae, Gubernator	1407—1422
Nicolaus III. de Dombó	1422—1436
Ladislaus de Hedervára, Gubernator	1436—1446
Thomas de Debrenthe, Gubernator	1446—1460
Dominicus, Administrator	1460—1477
Benedictus Pyber, Administrator	1477—1483
Thomas Bakócz, Gubernator	1492
Matthaeus de Thelna, Archiabbas	1500—1534
Michaël de Bátha, Archiabbas	1535—1542
Franciscus Nyáry de Bedegh, Gubernator	1542—1550
Joannes III. de Csanád, Archiabbas	1550—1556
Ladislaus III. de Pécsvárad, Archiabbas	1556—1563
Petrus Torday, Gubernator	1563—1566
Joannes IV. Archiabbas	1566
Stephanus Fejérkövi, Gubernator	1567—1592
Paulus II. Baranyai de Eöchen, Archiabbas	1593—1596
Joannes Kutasy, Gubernator	1597—1601
Georgius Himmelreich a Schaffenberg, Gubernator	1602—1637
Mathias Pálffy, Archiabbas	1639—1647
Placidus I. Magger, Archiab.	1647—1665
Aegidius I. Gencsy, Archiabbas	1665—1684
Gerardus Simoncsics, Archiabbas	1684—1689
Martinus Rumer, Archiabb.	1689—1693
Placidus II. Lendvay, Archiabbas	1693—1699
Aegidius II. Karner, Archiabbas	1699—1708
Coelestinus Göncz, Archiabbas	1709—1722
Benedictus II. Sajghó, Archiabbas	1722—1768
Daniel Somogyi de Medgyes, Archiabbas	1768—1801
Chrysostomus Novák, Archiabbas	1802—1828
Thomas Kovács, Archiabbas	1829—1841
Michaël Rimely, Archiabbas	1842

ELENCHUS

Abbatiarum Ord. S. Benedicti, in Hungaria fundatarum, ratione Tituli earum alphabeticus.

	Pag.
S. Adriani de Szala	187
„ Aegidii de Simighio	222
„ Andreae de Bistria	256
„ Andreae de Visegrad	204
„ Aniani de Tihan	165
„ Benedicti iuxta Grón	217
„ Benedicti de Rupibus	258
„ Benedicti prope Strigon.	300
„ Benedicti de Borchi	287
„ Benedicti de Pécsvárad	179
„ Benedicti de Quinqueeccl.	216
„ Benedicti de Skalka	258
„ Bernardi de Csanád	201
„ Cosmae. et Dam. de Ludány	266
„ Crucis iuxta Granum	301
„ Crucis prope Muram	276
„ Crucis de Telki	280
„ Crucis de Vértes	277
„ Demetrii Martyris	205
„ Gabrielis Arch. de Mezőtelegd	297
„ Georgii M. de Dombó	273
„ Georgii M. de Csanád	199
„ Georgii M. de Ják	246
„ Georgii M. de Jásd	283
„ Gerardi M. de Csanád	201
„ Gregorii P. de Colocza	299
„ Gregorii Dioec. Vaciensis	261
„ Helenae de Földvár	234
„ Hypoliti de Zobor	193
„ Jacobi de Eremo	254
„ Jacobi de Lébeny	251
„ Jacobi de Silisio	214
„ Joannis Bapt. de Jánosi	265
„ Margarethae de Bela	302
„ „ V. et M. de Hahóth	297
„ „ V. et M. de Meszes	296
„ Mariae Virginis de Almád	253
„ „ „ de Babolcha	263
„ „ „ de Bihar	264
„ „ „ de Bizere	284
S. Mariae Virginis de Ból, aut Buol	308
„ „ „ de Buchan	294
„ „ „ in Campo	271
„ „ „ de Csanád	199
„ „ „ de Curru	306
„ „ „ de Dömölk	174
„ „ „ de Gagy	289
„ „ „ de Güssing	243
„ „ „ de Iványi	274
„ „ „ de Kolos	262
„ „ „ de Kolosmonostor	208
„ „ „ de Koppanmonostor	284
„ „ „ de Monostor non procul a Vámos-Györk	307
„ „ „ de Pagrány	220
„ „ „ de Pankota	291
„ „ „ de Poroszló	303
„ „ „ de Rákony	289
„ „ „ de Saár	202
„ „ „ de Szent Jobb	232
„ „ „ de Széplak	247
„ „ „ de Tereske	291
„ „ „ de Zebegény	290
„ „ „ de Zeer	270
„ Martini de Bulch	271
„ Martini de Monyoród	221
„ „ de S. Monte Pannoniae	7
„ „ de Vaska	288
„ Mauritii de Beel	158
„ Michaëlis Arch. de Bátta	228
Natae Angel. Reg. de Kompolt	307
Natae Angel. Reg. de Peczöly	305
S. Nicolai de Madocsa	267
„ Petri de Csatár	237
„ Petri de Petúr	300
„ Petri et Pauli Ap. de Kács	292
„ „ et „ „ de Tapolcza	281
„ „ et „ „ de Tata	196
„ „ et „ „ de Zerencs	282
„ Salvatoris de Kapornak	240

	Pag.
S. Salvatoris de Lekér	272
„ „ de Szexárd	211
„ Spiritus de Báthmonostor	304
„ „ de Hrabkó	295
S. Spiritus de Monostra	286
„ Stephani primi Regis de Telki	278
„ „ Protomartyris de Kaët	242
„ Trinitatis de Siklós	274

Accedunt:

	Pag.
Praepositura S. Benedicti de Simighio	308
Prioratus B. M. V. de Stohla	310
Residentia in Deáki	313
„ Tyrnaviensis	314
„ Modrensis	316
„ Comaromiensis	317
„ Jaurinensis	318
Residentia Soproniensis	320
„ Strigoniensis	321
„ Ginsiensis	322
„ Papensis	323
„ Posoniensis	324
Parochiae Archic. S. Mart. adnexae	326

ALTER ELENCHUS

earundem Abbatiarum, ratione Loci earum alphabeticus.

	Pag.
De Almád B. M. V.	253
„ Aracsa	293
„ Babolcha B. M. V.	263
„ Bátha S. Michaëlis	228
„ Báthmonostra S. Spirit.	304
„ Beel S. Mauritii	158
„ Bela S. Margarethae	302
„ Bihar B. M. Virg.	264
„ Bistria S. Andreae	256
„ Bizere B. M. Virg.	284
„ Bol, aut Buol B. M. Virg.	308
„ Borchi S. Benedicti	287
„ Buchán B. M. Virg.	294
„ Bulcs ad Solymos S. Mart.	271
In Campo B. M. Virg.	271
De Colocza S. Gregorii	299
„ Csanád S. Bernardi	201
„ „ S. Georgii	199
„ „ S. Gerardi	201
„ „ S. M. Virg.	199
De Csatár B. M. Virg.	237
„ Curru B. M. Virg.	306
„ Dombó S. Georg.	273
„ Dömölk B. M. V.	174
„ Eremo S. Jacobi	254
„ Földvár S. Helenae	234
„ Gagy B. M. Virg.	289
„ Graab	213
„ Juxta Granum S. Crucis	301
„ Juxta Gron S. Benedicti	217
„ Güssing B. M. Virg.	243
„ Hahóth S. Margarethae	297
„ Hrapko S. Spiritus	295
„ Ják S. Georgii	246
„ Jánosi S. Joannis Bapt.	265
„ Jásd S. Georgii	283
„ Ivány B. M. V.	274
„ Kács SS. Petri et Pauli	292
„ Kaët S. Stephani Protom.	242
„ Kapornak S. Salvatoris	240

	Pag.
De Kolos B. M. V.	262
„ Kolosmonostra B. M. V.	208
„ Kompolth Natae Reg. Ang.	307
„ Koppanmonostor B. M. V.	284
„ Lébeny S. Jacobi	251
„ Lekér S. Salvatoris	272
„ Ludány SS. Cosmae et Dam.	266
„ Madocsa S. Nicolai	267
„ Magócs	295
„ Meszes S. Margarethae	296
„ Mezőtelegd S. Gabriel.	297
„ Mogyoród S. Martini	221
„ Monostor B. M. V.	307
„ Monostra S. Spiritus	286
„ Monte Pannoniae S. Martini	7
Juxta Muram S. Crucis	276
De Pagrány B. M. V.	220
„ Pankota B. M. V.	291
„ Pécsvárad S. Benedicti	179
„ Peczöl Natae Reginae Angelorum	305
„ Petur S. Petri	300
„ Poroszló B. M. V.	303
„ Quinqueecclesiis S. Benedicti	216
„ Rákony B. M. V.	289
„ Rupibus S. Benedicti	258
„ Saár B. M. V.	202
De Sexárd S. Salvatoris	211
„ Siklós SS. Trinitatis	274
„ Silisio S. Jacobi	214
„ Simighio S. Aegidii	222
„ Szkalka S. Benedicti	258
Prope Strigonium S. Benedicti	300
De Szala S. Adriani	187
„ Szent Jobb B. M. V.	232
„ Széplak B. M. V.	247
„ Szerencs SS. Apost. Petri et Pauli	282
„ Tapolcza SS. Petri et Pauli	281
„ Tata SS. Petri et Pauli Apostolorum	196
„ Telki S. Crucis	280
„ Telki S. Stephani, primi Regis Hungarorum	278
„ Telki prope Thelki-bánya	279
„ Tereske B. M. V.	291
„ Tihan S. Aniani	165
„ Vaska S. Martini	288
„ Vértes S. Crucis	277
„ Vissegrád S. Andreae	204
„ Zászty	215
„ Zebegény B. M. V.	290
„ Zeer B. M. V.	270
„ Zek	260
„ Zobor S. Hypoliti	193

INDEX

Personarum et Rerum memorabiliorum Tomi I., qui Monasteria Ord. S. Benedicti complectitur.

Pag.

Abbas S. Crucis defensor Bonorum Abbatiae S. Martini 96
Abbates S. Martini olim privatos reditus habebant 132
Abbatiae Benedictinorum Hungariae per Exteros restauratae 128
Adalberti, Geysae II. ad Siciliam Legati testamentum 66
Aegidius Gencsy, Archiabbas 127
Aegidius Karner, Archiabbas 131
Albeus, Archidiac. Nitriensis 25
Alexander III. Archi- et Episcopos Hungariae a S. Martino in suis libertatibus turbando prohibet 67
Alsok, nunc oppidum S. Martini . . . 94
Anastasius, primus Abbas S. Martini . . 59
Andreas Thermopilensis Episcopus, Ordinum Reformator 100
Andreas et Benedictus Martyres . . . 194
Antonius Wohlfarth, Episcopus Viennensis, restitutionem Archiabbatiae a Ferdinando III. Imp. et Rege obtinet . . 120
Apparatus physicus et mathematicus ad Archiabbatiae Musea procuratus . . . 145
Archiabbas S. Martini Parochias suas visitare iubetur 119
— In Elencho eorum, qui Synodum Archiepiscopi Strigon. adire tenebantur, non occurrit 114
— Nec in Bullis Pontificum, quae Abbates Archiepiscopo Strigon. subiectos recensent 114
— Abbates filiales cum consilio Conventualium nominat 141
Archiabbatis titulus 58
— Vi bullae Leonis X. privilegia . . 106
— Nominandi ius Regibus Hungariae reservatum cum Electione canon. conciliatur 110

Pag.

Archiepiscopus Strigon. ab omni iurisdictione in Archiabbatem S. Martini exercenda per Pontificem prohibetur . . . 107
— Bona S. Martini revindicare iubetur . 93
Archipresbyteri Cassinensis Monasterii Sec. XIII. 69
Árpád, Dux Hungarorum in Monte Pannoniae 22
Artifices Benedictini 3
Arx S. Martini sub Ferdinando I. per Turcas capta exuritur 112
— Item sub Rudolpho II. 115
— Item sub Ferdinando III. . . . 127
— Demum sub Leopoldo I. 127
Astricus (S) Abbas Pécsváradiensis . . . 184
Augustinus Lécs, Abbas Tihaniensis . . 171

Bakics Paulus arcem S. Martini a Turcis recipit 110
Basilica S. Benedicti Jaurini 63
Baye Comes, Judex Perpetuitatum sub Andrea II. 78
Beda (Ven.) testatur Episcopos Abbati subiectos fuisse 54
Bela II. Rex erga Monasterium S. Martini benevolus 36
— Istud orationis gratia frequenter visitat 63
— Varia tributa et salem donat . . . 63
— Qua Dux egenus in Monasterio Pécsváradiensi alitur 183
Bela IV. Rex decimas, et alios S. Martini reditus ad se trahit 77
— Ad Dalmatiam fugiens per Abbatem Uriam 800 Marcis argenteis iuvatur . 78
— Compensationem pro Güssing praestat 81
Benedictini olim in Civitatibus domicilia studiorum caussa habebant 312
— Super fornice Ecclesiae suae degebant 9
Benedictus I., Abbas S. Martini 69

Pag.

Benedictus Pyber, Abbatiae S. Martini Administrator 97
Benedictus II. Sajghó, Archi-Abbas S. Martini 132
Berchtholdus El. Colocensis, litem per candens ferrum dirimit 69
Berekys, idem, quod Szent-Jobb . . . 232
Berghoffer Michaël Bibliothecam suam S. Martino legat 16
Bibliotheca idem olim, quod Biblia sacra . 181
Bibliothecae S. Martini initia, et fata . . 14
Blasius Jaklin Episc. Nitr. per Regem ob Semien-Suka Judex delegatus . . . 130
Bonifacius (S.) Abbas de Pécsvárad . . . 184
Bonifacius, Abbas S. Martini 84
Breviarium secundum Rubricam S. Martini Sec. XVI. 105
Budae domus S. Martini 108
Budae fundus curialis Abbatiae S. Mauritii de Beel 161

Calix aureus olim Ecclesiae S. Martini Nitriae 115
Canis villa (Hunsdorf) in Scepusio . . . 89
Capitanei Jobbagionum Ecclesiae S. Martini 76
Capitaneus armatarum Gentium Archiabbatis Matthaei 108
Capitula Generalia Sec. XIV. 80
Capitulorum Generalium Ord. S. Bened. in Hungaria initium 74
Capitulum Gen. in S. Martino 99
Carardus, Prior de Stobla 311
Cariniana vallis Ptolomaei 263
Carnium esus in Monasterio S. Martini unde inductus? 125
Caroli I. Regis amisso parvulo filio votum . 169
Casei villa (Käsmark) in Scepusio . . . 89
Castrum S. Martini Sec. XIV. 86
Catacumba Ecclesiae S. Martini . . . 8
Chartuitii effatum de natali loco S. Martini Episc. Turon. 24
Chrysostomus Novák, Archiabbas . . . 141
Chudor: Nobiles praediales Archiepiscopi Strigoniensis 285
Chutus idem, quod Apáthi Comitatus Zaladiensis 63
Cistercienses Abbates in Capitulis Benedictinorum 240
Clemens VII. Antipapa Uladislao S. Martini Gubernatori favet 74
Clementis Papae XIV. Rescriptum ad Danielem Archiabbatem S. Martini . . . 91
Clerus Hungariae Archiabbatiam personae ecclesiasticae, et non regulari conferri orat 52
Clus, castrum penes monasterium Kolosvár-riense 134
Codices MSS. Bibliothecae S. Martini . . 209
Coelestinus Gönz, Archiabbas S. Martini . 17
Colomannus, Dux Slavoniae decimas Sümegienses suis usibus applicans per Pontificem serio monetur 132
Colomannus, Rex Hung. Husonum ad Jaurinum ius S. Martini adimit 77
Comaromiensis Parochia Benedictinis Montis Pannoniae tradita 63
Comes Conradus in S. Martino monachus . 317
Comitatus Hungariae e Monte Pannoniae conspicui 84
Commissario Regio Archiabbatiam restituenti cur nullius Diocceseos homo adiunctus? 22
Conchyliorum Collectio Archicoenobii S. Martini 141
Confoederatio sacra cum Melicensibus, et Scotensibus 17
Confraternitas Conventus S. Martini cum personis ecclesiasticis, et laicis Sec. XVII. 105
Congregatio austriaca Sec. XVII. . . . 130
— Eam Ferdinandus III. Imp. restaurare frustra conatur 122
Conradus, Abbas de Graab 126
Conradus Comes monachus in S. Martino, huic terram Gug donat 90
Conservatores Jurium et Bonorum S. Martini 84
Consiliariorum regiorum Salarium Sec. XVII. 93
Conventus S. Martini dicitur Capitulum . 131
— Nonnunquam vix decem Religiosos alebat sub Custode viventes 77
— Ante medium Sec. XVI. dispergi coepit 97
— Vix 50 annis dispersus manet . . 111
— Initio Sec. XVII. e secularibus presbyteris conflatus munia Loci credibilis obit 55
— Per Ferdinandum III. Imp. restauratur 118
— Archiabbatis eligendi facultatem a Rákóczio medio Beresényii obtinet . . 121
— Veterem Loci credibilis fidem publicam recuperat 132
— Per Josephum II. Imp. aboletur . . 133
— Per Franciscum II. Imp. restauratur . 138
Cruces pectorales extra rem divinam gestari coeptae 140
Csupiczkiana Curia Comaromii 114
Custodes Conventus S. Martini 318
— privatim Bona possidebant 97
Czudar Ladislaus, Abbas S. Martini e celebri olim prosapia 98

Dactyliotheca Archicoenobii 90
Damoslaus Dux pius 17
Daniel Somogyi, Archiabbas 183
134

Pag.
David, Abbas S. Martini 63
Deáki, olim Sala et Vág, aevo S. Ladislai pomarium insigne 36
— Residentia Benedictinorum S. Martini . . 313
— Eius filiales olim Sigárd, Pered . . . 130
Decanis in Monasterio Cassinensi Priores substituti 90
Decimae prolium Comitatus Simegiensis . 88
Deda, Abbas S. Martini 62
Definitores Capitulorum generalium . . 88
Dénesd, olim Ecclesia mater 130
Dextra S. Stephani in S. Martino . . . 134
— Eius elevatio 232
Dianesevics Nicol, Abbas S. Crucis de Telki 126
Dionysius Kuti, Abbas S. Margarethae de Bela 134
Diploma fundationale S. Martini 32
Disciplina regularis in Hungaria incursione Tartarorum labefactata 80
— Gubernatorum et Administratorum aevo collapsa 97
Dominicus, Abbas S. Martini 90
Dominicus Banics, Abbas S. Crucis de Telki 134
Dominicus, Praepositus S. Nicolai de Alba, Administrator S. Martini 97
Dosa de Marchal, Abbas S. Martini . . 94
Draskovics Georgius, Episc. Jaurinensis ad restituendam Archiabbatiam cooperatur 121

Eberhardus Comes fundat Monasterium de Stohla 310
Ecclesia S. Martini 7
Egestas Monasterii S. Martini 111
Emericus, Abbas S. Martini 85
Episcopus Jaurinensis Archiabbatem ad exhibenda Monasterii sui Jura et privilegia provocat 137
Eruditionis Benedictinorum Montis Pannoniae monumenta 150

Farcadinus, Cantor Conventus S. Martini 69
Favores Regum Hungariae in Monasterium S. Martini 32
— Item Romanorum Pontificum . . . 40
Favus, Abbas S. Martini 80
Fejérkövi Stephanus, Gubernator S. Martini 115
Ferdinandus I. Rex de sustentandis Conventualibus S. Martini decernit . . . 112
— Jus nominandi Archiabbates Regibus reservatum cum Electione rite conciliat 110
Ferdinandus III. Rex Archiabbatiam, et Conventum regularem restituit 121
Ferri candentis iudicium 69
Forgács, Rákóczianorum Dux, in Archicoenobio hospes 131

Pag.
Franciscus, Abbas de Kapornak 169
Franciscus II. Rom. Imper. Rex Ungariae Archiabbatiam restaurat 140
Frank Georg., Canonicus Jaur. Bibliothecam Archicoenobii libris ditat 15
Fuchs Xaverius, primus Archi-Episcopus Agriensis Aras in S. Martino consecrat 143
Fundatio sacrorum pro incolumitate Domus austriacae, Francisco I. Rom. Imp. oblata 142
Furco hospes praedium in Tath S. Martino donat 65
Ftiss, praedialis Possessio coordinatur . . 133

Gallico bello damna Archiabbatiae illata 143
Gallicum Monasterium in Hungaria Sec. XI. 224
Gara Joannis vincula in Ecclesia Abbatiae de Bátha 229
Garampi Jos. Nuntius Apostolicus, documentum de loco natali S. Martini pro se transsumit 135
Ganfredus, Abbas de Pécsvárad 182
Georgius, Abbas de Szexárd 109
Georgius de Rada, Prior et Procurator S. Martini 109
Gerardus (S.) in Bakonybél 160
— Genitricem Dei singulariter colit . . 199
— Csanadini Scholam aperit 200
— Eius corpus Venetias translatum . . 201
— Eius Acta 199
Gerardus Simoncsics, Archiabbas . . . 128
Gerazdavus, S. Ladislai gener 223
Gerencsér cum Balaton-Kajár permutatum . 162
Geysa I. Rex Hung. alias Magnus . . . 215
Geysa II. Rex, Jus Husonum ad Jaurinum S. Martino restituit 36
— Eius Comes curialis pecuniam mutuo dandam vi extorquet 65
Gics (Matthaeus de) partem praedii Gicz Monasterio S. Martini donat, in quo sepeliri vult 85
Ginsii Residentia Benedictinorum . . . 322
Godefridus Wekerle, Abbas de Dömölk . 179
Godofredus, Abbas de Zobor 193
Grangiae Benedictinorum 305
Gregorii IX. bulla in favorem S. Martini . 73
Gregorii XVI. literae ad Archicoenobitas . 53
Gubati idem, quod Rutheni 70
Guntherus in Bakonybél 160
Gymnasia Benedictinorum S. Montis Pannoniae 140
Gymnasium Albaregalense, et Quinqueecclesiense Cisterciensium Ordini traditum 145
Gyrovagi Monachi 2

Pag.

Hammer Wilhelmus, Abbas S. Martini . 87
Harsány Matthaeus, Coadiutor Matthaei Archiabbatis 110
Hermannus, Abbas S. Martini 84
Hertlinus, Judex Civitatis Posoniensis Sec. XIV. 86
Hilarion, Abbas S. Ambrosii Maioris Mediolani, et Generalis Romae Procurator . 121
Himmelreich Georgius a Schaffenberg, Gubernator S. Martini 117
Hoda terram Nulos et Szeleus S. Martino donat 63
Honorii III. Bulla in favorem S. Martini . 42
Horváth Marcus, Capitaneus arcis Szigetvár, Sexardinum exurit 212
Horváth Paulus, Abbas Tihaniensis . . . 145
Regens Ordinis 172
Hostia miraculosa in Bátha 231
Hungaricae literae Szelepcsényii Archiepiscopi Strigoniensis 315
Hunyadi Joannem Nicolaus V. Papa Hungariae Vajvodam vocat 261
Husonum captura olim Jaurini 36
Hymnorum Breviarii Maurini ad Officia propria Sanctorum Hungariae Auctores . 154

Jacobus, Abbas S. Martini 85
Jacobus, Nitriensis Episcopus, Abbatiam Skalka fundat 258
Jáky familiae origo 207
Jani Jacobus, Abbas de Bátha, a Rákóczianis trucidatus 230
Jarosz, miles Andreae II. Regis, non est Uros, Abbas S. Martini 78
Jaurini Ecclesia parochialis ad S. Stephanum Protomartyrem, et Altariae: S. Crucis, S. Spiritus, S. Petri, S. Briccii, S. Colomanni, S. Dorotheae Sec. XIV. . . 94
Icones in Ecclesia S. Martini, e Schola Veneta profectae, donum Francisci I. Regis Hung. 9
Jeiunia Benedictinorum 4
Illésházy Steph. Possessionem Deáki Caspar Szegedy inscribit 118
Incunabula Bibliothecae S. Martini . . . 17
Indulgentiae plenariae in Festis SS. Benedicti, Scholasticae, Mauri, Placidi etc. concessae 128
Innocentii III. Bulla in favorem S. Martini . 42
Interusurium Sec. XVII. seculares 6 usque 10: Ecclesiastici non ultra 6 a Centum desumebant 124
Introductionis Archicoenobitarum anno 1802 Caerimoniae 141
Joannes I., Abbas S. Martini 67
Joannes II., Abbas S. Martini 85

Pag.

Joannes III. de Csanád, Archiabbas S. Martini 112
Joannes IV., Archiabbas S. Martini . . . 114
Joannes, Dux Opuliae, Gubernator Abbatiae S. Martini 95
Joannis Capistrani Cathedra Sopronii . . 321
Jobbagiones Nobiles Ecclesiae S. Martini Comites 86
Isidorus Guzmics, Abbas S. Mauritii de Beel 164
Jubileum seculare septimum Monasterii S. Martini 131
Judicatus regii privilegio Archi-Coenobium adhuc fine Sec. XVII. fruebatur . . 130
Judices perpetuitatum sub Rege Andrea II. 78
Jura spiritualia Monasterii S. Martini disperso Conventu non exspirarunt . . . 119
Juramenti iudicialis ritus Sec. XIV. . . . 89
Juramentum summis Pontificibus per electos Abbates S. Martini praestitum . . . 96
Juris patrii Studium cursui theologico inductum in S. Martino 146
Jurisdictio spiritualis Monasterii S. Martini ad nonnulla Comitatus Simigiensis loca extensa 100
Jus patronatus — in Abbatiam S. Mauritii de Beel Archiabbatiae collatum . . . 105
— Idem in plures Abbatias privatis per Reges Hungariae tributum 249
Ivó, Abbas de iuxta Gron, usum pontificalium obtinet 218

Kalianus Comes Sec. XIII. Insulae Szigliget Dominus 80
Kánya, Praepositus Sümeghiensis Sec. XIII. 77
Kaprinay Stephani Collectio numismatica in Archicoenobio 135
Kathl familia nobilis hungarica Sec. XIV. . 89
Kecskeméti Joannes Soc. Jesu Superior Ginsiensem Residentiam aedificat . . 322
Kiralyiana fundatio pro nobili iuventute studiosa Comitatus Comaromiensis . . 144
Klieber Josephus, Sectionis plasticae in Polytechnico Viennensi Caes. regius Director Bibliothecam S. Martini statuis et iconibus ornat 17
Kollinovicsiana Manuscripta suppresso Archicoenobio Bibliothecae Universitatis hungaricae illata 139
Kollonics Adamus Comes, Generalis, et S. Coronae Custos, Congregationis SS. Rosarii Modrae Vicerector 133
— Eius Consors eiusdem Congregationis Mater 133
Kollonics Comes Ladislaus, Archiepiscop. Colocensis Ordinem S. Benedicti in S. Martino qua Commissarius regius introducit 141

Pag.

Koppan praedium Abbatiae de Beel Abbati Zirciensi venditur 163
Kutasy Joannes, Gubernator Archiabbatiae 117

Labor manualis per S. Benedictum suis praescriptus 3
Ladislaus (S.) Rex S. Martino plurima praedia donat 35
— Libros item 14
— Et sacram supellectilem 12
— Idem fundat Abbatiam S. Aegidii de Simigbio 222
— Item de Mogyoród 221
— — de Bátha 228
— — de Sz. Jobb 232
Ladislaus I., Abbas S. Martini 86
Ladislaus II. Czudar, Abbas S. Martini . . 90
Ladislaus III. de Pécsvárad, Archiabbas S. Martini 118
Ladislaus de Hedervára, Gubernator S. Martini 96
Lectio librorum per S. Benedictum suis praescripta 3
Legendae S. Stephani Sec. XIV. coram Judiciis auctoritas 87
Lendvaianus Catalógus Abbatum S. Martini omni pretio caret 83
Leo Gácser, Abbas de Dömölk 179
Leonis X. bulla in favorem Archi-Abbatiae S. Martini 45
Lexicon sacrum Regni Hungariae concinnari coeptum 259
Lovaszianae familiae in S. Martinum pietas 12
Ludovicus I. Rex Hung. abalienationes Bonorum citra consensum regium factas irritat 89

Machina hydraulica in Monte Pannoniae 21
Martini (S.) Locus natalis Sabaria ad Montem Pannoniae 23
Martinus Rumer, Archiabbas 129
Mathias Pálffy, Archiabbas 121
Mathias I. Rex non mendicantibus Religiosis regularis observantiae puncta praescribit 97
Matthaeus de Tholna, Archiabbas . . . 98
Matthaeus Claudus Trenchiniensis villas Monasterii; Vágujhely, Lubou, Szerdahely violente occupat 81
Maurus (S.) Abbas S. Martini 61
Melicensis observantia in S. Martino non viguit 105
Menyhardus Plebanus fundat Prioratum de Stobla 310
Metae terrenorum sub Turcis cur solo aequatae? 117
Micha Comes fundat Abbatiam S. Stephani Regis de Telki 278
Michaël I., Archiabbas 111
Michaël II. Rimely, Archiabbas 148
Michaël, Abbas de Beel sine Conventu . . 162
Militibus liberis contra Turcam Stipendium erat praeda 212
Modrae Residentia Benedictina 316
— Ibidem templum Protestantium Benedictinis traditum . . . . . Ibid.
Monasterium S. Martini omnibus reliquis in Hungaria antiquius 7
— Idem inter omnia praecipuum . . . 33
— — ad ius et proprietatem Sedis Apostolicae nullo mediante pertinens . . 71
— — gaudet privilegiis Montis Cassinensis 107
— — Sub Abbate Uria 53 possessiones, 73
et 40 Religiosos numerabat . . . 77
— — ad defensionem arcis Posoniensis 25 Lanceatos mittendos habuit . . 96
— — Joanni Zapolyae, mox Ferdinando Regi paret 109
— — Rákócsianis subiicitur 131
— — per Benedictum Archi-Abbatem amplificatur 133
— Eius structura 13
— — fata 13
— — situs amoenus 21
— — Privilegia 53
— — Religiosis proventus Abbatiae de Beel assignati 112
Mons Pannoniae unde dictus? 31
— An fundus Arpádi? 32
— Unde sacer dictus? 22
— Geognostice spectatus 21
— In eo S. Ladislaus Comitia celebrat . . 31
Mosburg munimentum, cunae Monasterii S. Adriani de Szala 187
M. Theresia Regina Religiosis S. Martini favet 135
— Archiabbatibus titulum Reverendi largitur 134
— Monasterio Casulam propria manu ornatam donat 13
Mutuo datae pecuniae singularis conditio . 80

Nagy Stephanus Archiepiscopo Strigoniensi Parochias Archiabbatiae, intra suam Dioecesim sitas visitandi ius non competere evincit 137
Nagyfalvy, Canonicus Jaurinensis reducendo ad S. Martinum Conventui regulari solertem operam navat 120
Nicolaus I., Abbas S. Martini 85
Nicolaus II., Abbas S. Martini 86
Nicolaus III. de Dombó, Abbas S. Martini . 96
Nobiles S. Martino vicini se in huius portiones possessionarias inique introduci faciunt 111

Pag.
Numismatica Collectio Archicoenobii . . 17
Nundinarum S. Martini ius quando acquisitum? 97
Nursia Umbriae S. Benedicti locus natalis . 1
Nyalka Parochiam fundatam obtinet . . 145
Nyáry Comes Franciscus, Gubernator Archi-Abbatiae 111

Obedientia olim idem, quod Monasterium filiale 66
Odo Koptik, praeclarus Abbas Dömölkiensis 175
Ordines equestres sub regula S. Benedicti . 6
Orientalium lingvarum studium cursui theologico in S. Martino inductum . . . 146
Otto, Abbas Banthensis, Caesareus Minister, restaurandis in Hungaria Benedictinorum Abbatiis operam navat 128

Paintner Michaëlis, El. Episcopi Noviensis Bibliothecae fata 15
Pannonia civitas commentitia ad Danubium 32
Pannonia Oppidum cum Palatio Regio . . 31
— Praedium 35
Pannoniae Provinciae nominis origo . . 30
Papae Residentia Benedictinorum . . . 323
Parochi, et Altarium Rectores in Comit. Simighiensi Archiabbati obedientiam iurant 107
Parochiae Territorii Monasterii S. Martini, huius iurisdictioni spirituali subiectae . 326
Paschalis II. Papae bulla in favorem S. Martini 41
Paulus I., Abbas S. Martini 92
Paulus II., Abbas S. Martini 116
Pecuniae inopia in S. Martino, et ingens annonae vilitas 111
Perntaz, Abbas Melicensis cum cruce pectorali extra divina 114
Pestis Posonii anno 1644 124
— tum Tyrnaviae 1682 315
Péterd quando acquisitum? 81
Petrus I., Abbas S. Martini 62
Petrus II., Abbas S. Martini 67
Petrus, primus Abbas de Zala 188
Petrus fundat Abbatiam de Zászty . . . 215
Petrus Croata, Abbas S. Margarethae de Béla 105
Petrus, Ducis Ladislai Magister 64
Philosophicae Facultates Posonii et Jaurini Archicoenobitis traditae 145
Philosophicum Studium in Beel 163
Piaristae Tyrnaviam expetiti 315
Pikud matronae donatio S. Martino facta . 81
Pinacotheca Archicoenobii 17
Pirnecker, Administrator utilis in Bakonybél 163
Pitantia monastica 92
Pius VI. Cardinali Primati Regni curam tuendae Archicoenobii libertatis commendavit 137

Pag.
Placidus I. Magger, Archiabbas 125
Placidus II. Lendvay, Archiabbas . . . 130
Placidus, Abbas Salisburgensis cum cruce pectorali primum 114
Porta speciosa Ecclesiae S. Martini . . . 10
Posonii Residentia Benedictinorum . . . 324
Praepositi Benedictini 5
Presbyterorum Benedictinorum primaeva conditio 4
Prioratus S. Nicolai in Uruzkö 173
Priores in S. Martino quando coeperunt? . 90
— Praepositos praecedebant 90
Procuratores Religiosi 80
Professio Religiosa ad annum 21 defixa . 141
Protestantium Ecclesiae Tyrnaviae Archicoenobitis traditae 315
Provincia Benedictina Hungariae . . . 87

Quinqueecclesiis Capitulum Collegiatum ad S. Joannem Bapt. 94
Quintoforum (Donnersmark) in Scepusio Sec. XIV. 89

Radó, alias Radowan, Palatinus, fundat 215
Abbatiam S. Demetrii 205
Raphaël, Abbas S. Martini 65
Raynaldus, Abbas S. Martini 66
Regum Hungariae favores in S. Martinum . 32
Remetelakás in Tihan 173
Reservatio pontificia prima, respectu Monasterii S. Martini 93
— Eadem Jus electionis non tollebat . 94
Restitutio Archiabbatiae Sec. XIX. . . . 140
— Eius conditiones diplomate expressae . 140
Reverendi titulus Archiabbati per Ferdinandum I. tributus 110
— Idem per M. Theresiam Reginam diplomate collatus 134
Robertus Episcopus Vesprimiensis Capellas per Abbatem Uriam erectas solo aequari, a Pontifice in cassum postulat . . 70

Sabaria Montis Pannoniae locus natalis S. Martini Ep. 24
Sabaria Montis Pannoniae in Bullis Pontificum 26
Sacriferi servi S. Martini 60
Sagittae iactus mensura terrae 81
Salamon, Abbas S. Martini 79
Samuel Aba, Rex in Monasterio Saár sepultus 203
Samuel Vajda, Abbas de Tihan 171
Scepusiensis Praepositi Sec. XIV. auctoritas 89
Scepusio (in) Ludovicus I. Rex Episcopatum erigere intendit 89
Schaukögel Urbanus, Abbas de Zala . . . 192
Schober Joannes, El. Episcopus Serbiensis libros suos S. Martino legat . . . 15

Pag.
Scriptores ex Archicoenobio S. Martini . . 150
Sebastianus Benedictinus S. Martini, Archiepiscopus Strigon. 61
Sebastianus, ultimus Abbas de Güssing . 72
Sepulcrales lapides in Ecclesia S. Martini . 9
Servorum se pro liberis habentium poena . 78
Sibrik Josephus, Abbas de Csatár . . . 145
Siffridus, Abbas S. Martini 88
Sigillum Ladislai Abbatis S. Martini apud Péterffy 83
— Idem Hermanni Abbatis S. Martini apud Péterffy 85
— Idem minus S. Martini unde sumtum? 125
Sigismundus Rex Urbano VI. Papae subsidium e Bonis Cleri permittit . . . 93
Sigismundi Regis in S. Martinum favor . . 34
Similis, Abbas S. Martini 67
Sopronii: Conventus PP. Franciscanorum fata 320
Status Regni, Benedictinorum, Praemonstratensium, et Paulinorum Monasteria restitui postulant 128
Stephanus, Abbas de Telki 108
Stephanus, Abbas S. Martini 93
Stephanus (S.) in S. Martino devotioni vacat 9
— Libertates Monasteriis conferendi potestate gaudet 159
— Eius Sedes in S. Martino 10
— Eius diploma anni 1001. 32
Stephanus V. Rex Capellam S. Emerici S. Martino donat 81
— Idem S. Martinum devotionis caussa frequentat 82
— Idem anno 1260 iam coronatus . . 81
Stephanus de Vancha, Archiepiscopus Strigon. contra Abbatem S. Martini apud Pontificem queritur 79
Strigonii Residentia Benedictinorum . . 321
Subditorum se pro liberis gerentium poena . 78
Suevi villa (Deutschdorf) in Scepusio Sec. XIV. 89
Széchényi Georgius Collegium Soc. Jesu Ginsii fundat 322
Szent György Abbatia nulla 289
Szentivány possessionis medietas emtione acquisita 79
Szentmárton oppidi origo 26
Szigliget castrum olim S. Martini . . . 80
Sztáray familiae origo 207

Tarcsi Albertus Archivum S. Martini fideliter custodit, et confecta cum Turcis pace restituit 109
Tartari monasterium S. Martini inexpugnatum deserunt 77
Taxae Fori Consistorialis in S. Martino non desumtae 134
Terraemotus anni 1590. 320
Teucri: an Turcae 261
Teuzo, Legatus Apostolicus 223
Thidircs (Dietrich), servus S. Martini Sec. XII. 64
Thomas, Abbas de Siklós 169
Thomas Bakocz ab Erdeöd, Gubernator S. Martini 97
Thomas de Debrenthe, Gubernator S. Mart. 97
Thomas, Episcopus Moldav. Gubernator Tihaniensis 102
Thomas Kovács, Archiabbas S. Martini . . 145
Thurzó de Bethlenfalva, Episcopus Nitr. Camerae Hung. Praefectus 112
Tihan, peninsula olim mons ignivomus . . 165
Torday Petrus de Boch, Gubernator S. Martini 114
Torkos Emericus Archicoenobita quaerit Abbatiam de Telki 280
Török Valentinus Possessiones S. Martini: Gönyö, Taáp, Saag, violente detinet . 111
Trautson Joannes, Abbas de Sexárd . . 212
Tributum Oppido Sz. Márton per Turcas impositum 117
Tricollis Pannoniae an Regni insigni illatus 20
Trinitas: rudera Monasterii filialis ad Siklós 276
Turcarum sub dominatu multae metae cur solo aequatae? 117
Turris Ecclesiae S. Martini 10
Tyrnaviae olim Residentia Bened. . . . 314

Uladislaus, Poloniae Dux, Gubernator S. Martini 90
Uladislaus II. Rex S. Ordinem Benedictinorum reformat 98
Urbarium Archiabbatiae fine Sec. XVI. . 117
Urias, Abbas S. Martini 69
Urukang idem, quod Szentivány 79

Valentinus Poenitentiarius, Abbas Commendat. de Beel 162
Valferus Comes Monasterium in Güssing fundat 66
Vatha, rebellium Dux Christianos persequitur 13
Vellerinus, Abbas Sexardiensis Geysae Ducis vitam salvat 211
Venceslai Bohemi et Ottonis Bavari Regum tempore praedones per Monasteria libere grassati 85
Viae per Montem Pannoniae 21
Vicarius Generalis ab obitu Archiabbatis per Conventum electus 148
Victus et amictus Benedictinorum . . . 4

Pag.
Vilhelmus, Abbas S. Martini 87
Villebaldus Grassó, Abbas Tihaniensis . . 170
Visitatorum in Generalibus Capitulis electorum auctoritas 74
— Eorum per iter provisio 110
Vitium cultura in Monte Pannoniae . . . 22
Vörösmarti, Canonicus Posoniensis, et Abbas de Bátha 230

Zacharias Papa regulam S. Benedicti laudat 2
Zachariae Papae Bulla Cassinatibus data . 43

Pag.
Zápolya Joannes ab Abbate de Beel equos et milites exigit 162
— Idem Capitulum generale convocari, et Reformationem continuari iubet . . 108
— Abbatiam de Zerench Petro de Zigzó pulcris conditionibus confert . . . 102
Zelandus, Episcopus Vesprimiensis . . . 191
Zenthmárton oppidum, super destructa per Tartaros Sabaria conditum, Monti Pannoniae adiacens 26
Zigzó (Petrus de), Abbas de Zerencs, Juris patronatus Zápolyiani 102

ERRATA.

Pag.	Col.	Lin.		Corrige:
8	1	24	Post: visum fuit, adde:	Tota igitur fabrica rationem Stili Transitus (Uebergangsstil) sequitur.
8	2	17	10	10′
9	1	a. f. 19	fenestrellarum	fenestellarum
14	2	25	sinistro	sinistra
36	2	1	do nationem	donationem
57	1	24	aequm	aequum
60	2	16	mississent	misissent
64	2	22	Centurionibns	Centurionibus
69	1	8	1026	1206
75	2	a. f. 7	paeclare	praeclare
76	2	21	etiampium	etiam pium
76	„	ultima	[1])	[2])
78	1	a. f. 2	1222	1225
80	1	15	inservisse	inseruisse
81	1	18	que	qua
86	„	ultima	Ko ller	Koller
89	2	18	terminavit	terminavit.
90	2	24	III	II
96	„	a. f. 2	rc.	etc.
102	1	9	uhius	huius
103	2	a. f. 15	Ordiuis	Ordinis
110	2	27	1335	1533
118	2	2	niunctum	iniunctum
121	1	1	Caesaro	Caesareo
125	2	a. f. 6	per.	per
132	2	21	monte Archicoenobii,	monte, Archicoenobii
136	1	a. f. 2	mis t	misit
151	2	a. f. 6	1709	1799
164	1	13	20-a	10-a
177	1	9	subscripsit	subscripsit.
179	1	7	1830	1836
186	1	17	fide dignitate	fide
189	1	a. f. 12	praecipuae	praecipue
196	2	3	Paul i	Pauli
„	2	10	e t	et
201	2	a. f. 6	dicatur	dicatur,
202	1	8	quaestio	quaestio
205	2	7	Canonicus	Cantor et Canonicus
228	„	a. f. 3	document aab	documenta ab
230	1	28	apelleret	adpelleret
267	1	18	1711	1781
276	2	a. f. 7	eiu	eius
289	2	6	Consilarius	Consiliarius
301	2	16	Abbatiarnm	Abbatiarum
302	2	8	mutavisse	mutuavisse
„	Nota	a. f. 1	385	285
316	2	a. f. 3	qui	quod
318	2	1	1818	1848

1858. Pestini Typis Joannis Herz.

DAMIANI FUXHOFFER

BENEDICTINI PANNONII

MONASTERIOLOGIAE

REGNI HUNGARIAE

LIBRI DUO

TOTIDEM TOMIS COMPREHENSI.

RECOGNOVIT,

AD FIDEM FONTIUM REVOCAVIT

ET AUXIT

MAURUS CZINÁR,

BENEDICTINUS AEQUE PANNONIUS, ARCHICOENOBII S. MARTINI DE S. MONTE PANNONIAE ARCHIVI, MUSEORUM ET BIBLIOTH. CUSTOS, ART. LIB. ET PHILOSOPHIAE DOCTOR, ACADEM. HUNG. MEMBRUM CORRESPONDENS etc.

TOMUS II.

SACRAE DOMUS

CANONICORUM REGULARIUM, CISTERCIENSIUM, ORDINUM EQUESTRIUM, ET EREMITARUM AUGUSTINIANORUM.

VINDOBONAE & STRIGONII.
CAROLUS SARTORI,
BIBLIOPOLA SEDIS APOSTOLICAE ET PRIMATIS HUNGARIAE.
MDCCCLXIX.

PRAEFATIO

Auctoris primae Editionis.

Benevole Lector!

Monasteriologiae Regni Hungariae liber secundus in publicum prodit; quem alii tres sine interpolatione alterius operis consequentur [1]), sponsione facta a Typotheta Wesprimiensi, D. Michaele Sammer. Intercalari eo tempore, quod inter abolitionem et restitutionem Monasteriorum in Hungaria defluxit, scripsi, paravique eandem Monasteriologiam, susceptique argumenti rationem saepius quidem in decursu operis, at in annunciatione, quam de eo ad historiae patriae amantes, et eruditos Hungariae dimisi, vel maxime prodidi. Cum enim ex adversis et prorsus criticis Regularium circumstantiis haud possem observare, restitutionem eorum aliquando secuturam, volui praesenti opere vel famam eorum contra oblivionem tueri, et memoriam apud posteros sacrorum concivium conservare. Verum aliter, quam ego timuerim, accidit. Nam gratia et clementia Augustissimi Imperatoris, et Regis nostri Francisci II. anno 1802. Benedictini, Praemonstratenses, et Cistercienses in integrum suarum Abbatiarum, et Praepositurarum restituti, omni bene merendi studio contendent semet ad posteros traducere, et ita Regiae voluntati, regnique utilitati adcommodare, ut posthac nemo illos exstinctos velit.

Praedictis religiosis omnibus quidem aliqua, at Benedictinis decem in totidem Urbibus praeter priora sua coenobia addidit gymnasia Augusta Maiestas, campumque apernit, ut institutione hungarae iuventutis apostolatum, in Hungaria a suis antecessoribus coeptum, ultro quoque proferrent, et suis curis concives sui et in prisca religione firmentur, et formentur egregii Patriae Cives. Atque ex his principiis se Benedictinos, Praemonstratenses, et Cistercienses restituisse, publico diplomate contestatus fuit Clementissimus Imperator et Rex, cuius augustae voluntati ut morem geramus decet, ut, cum monachos induti, sago, togaque nequeamus, bonis literis patriam illustrare connitamur. Hoc paucum proloqui volui B. L. et amice praemonitum, quod licet Abbatiarum tam Benedictinarum,

---

[1]) Non sunt consequuti. Caussam vide supra T. I. pag. XII. —

quam Cisterciensium; Praeposituarum item sacri Praemonstratensis Ordinis historiam ita in praesenti libro adcommodaverim, ut in syllabo irrecuperabilium cum iis, quae per irruptionem tartarorum, et cladem Mohacsianam interierunt, esse viderentur; attamen historiam futuri earum status facile cum mea originaria componi posse advertent Benedictini, Praemonstratenses, et Cistercienses.

I.

ORDO CANONICORUM

REGULARIUM PRAEMONSTRATENSIUM.

LIBER II.

SECTIO I.

DE SACRO ORDINE CANONICORUM REGULARIUM PRAEMONSTRATENSIUM.

Sacer Praemonstratensium Canonicorum Regularium Ordo sub annum 1119 coepit Auctore Divo Norberto. Natus autem est S. Norbertus Sanctis (Xanten) Cliviae oppido ex illustri Salicorum prosapia, quam sua sanctitate, et insigni eruditione non parum illustravit. Auctus est, cum adolesceret, Canonia Coloniensi, et pro sangvinis nexu ab Henrico IV. Romanorum Imperatore in aulam adscitus, eidem Monarchae ad latus fuit. Sed resignato postea canonicatu, copiosisque divitiis in pauperes erogatis, in Sigebergense Ord. S. Benedicti Monasterium secessit, in quo sanctioris vitae, et una sacri sui Ordinis fundamina jecit. Deposito iam veteri homine, Praemonstrati, loco silvis horrido ac solitario in Galliis, Dioecesi Laudunensi, Coenobium fundavit, quod Ordini Praemonstratensi nomen indidit. Accidere haec anno 1120.

Varii varia Viro sancto svaserunt genera vivendi; varias item e veteribus regulas pro amussi novi sui Ordinis. At ille oblatam S. Augustini regulam avide complexus est, inquit Scriptor vitae ipsius. Sed regulae S. Augustini rigida addidit Statuta. Arctam primi Praemonstratenses observabant paupertatem, iuge illis in monasterio silentium, et toto anno continuatum jejunium. Horae diurnae nocturnaeque ita apud eos erant primitus distributae, ut certae essent officio chori, labori manuum et lectioni librorum. Somnus eis, vi Statutorum, parcissimus indultus. In Hungaria Monasteria, quae adhuc vidi, aut e lectione novi, iis locis fundata erant Praemonstratensibus, quae his exercitiis aptissima reperta sunt. Loca nempe a consortio hominum separata, ubi sine censore quocunque monasticas functiones peragere, et rus colere possent, eis pro more omnium ea aetate fundatorum monasticorum Ordinum Cisterciensium, Carthusianorum, et cet. assignata fuerunt.

Habitum, seu vestes Deipara Virgo dicitur praemonstrasse, sic S. Norbertum affata: „Fili! accipe candidam vestem.“ Vestium externarum species Praemonstratensibus eaedem sunt, quibus Benedictini utimur. Habitus, Scapulare, omnia a capite usque ad plantam pedis iussu Mariano apud

Praemonstratenses albi sunt coloris: nigra Benedictinis. In officio chori etiam Rocheto S. Augustini utuntur; ut testantur Statuta et Rituale Ordinis. Supra Rochetum pelles hermelinas (Mustelae Ermineae Linn.) accommodarunt, in memoriam melotarum, quas primi Praemonstratenses, contemtum seculi significantes, gestarunt.

Postquam iam octo sui Ordinis monasteria exaedificasset, Romam profectus est S. Norbertus pro sui Ordinis confirmatione, anno 1126. Hanc ei eo libentius impertitus est Honorius II. Papa, quo uberiorem fructum ex eo Ordine nasciturum pro gloria Dei praevidit. Auxerunt postea alii Romani Pontifices S. Ordinem plurimis privilegiis et gratiis, quae copiose legi possunt in Annalibus Praemonstratensium. In Archiepiscopum Magdeburgensem electus S. Norbertus Praemonstratensi suo Monasterio Hugonem socium suum, Conventui vero Laudunensi S. Martini Valterum praefecit. Sub isto intra 12 annos fratrum numerus ad 500 auctus est.

Statuit sanctissimus Fundator, ut quotannis Praepositi universi Ordinis Praemonstratum ad Capitulum generale convenirent ad festum S. Dionysii. Ita vero propagatus fuit Ordo sacer, ut Praepositi pene 100 convenirent, non solum ex Francia et Burgundia, sed ex Alemannia etiam; licet nondum 30 anni ab Ordine condito effluxissent; ut testatur Hermannus Benedictinus de miraculis S. Mariae Laudunensis scribens. Sola Laudunensis Canonia 12 monasteriorum evasit mater. Quin etiam Hierosolymas usque penetravit novus Ordo. Nec viros duntaxat, sed feminas etiam ad coelestis vitae normam informavit. Ultra centum millia, secundum calculum Natalis Alexandri, Sanctimonialium in Monasteriis Praemonstratensibus reclusarum in summa austeritate et silentio Christo famulabantur. Adeo denique auctus est numerus Praepositurarum et Prioratuum Praemonstratensium, ut in 30 Circarias, seu Provincias tandem evaserit. Solae Sanctimoniales 500 Monasteria sub Statutis S. Norberti possederunt.

Ad Hungariam evocati sunt Praemonstratenses anno 1130, quatuor annis ante mortem Fundatoris, S. Norberti. Stephanus II. Rex Hungariae, cum e continuis morbis vicinam sibi mortem adverteret, omnia studia eo convertit, ut opera pietatis geminaret. Postquam fama novi Ordinis in Hungariam penetrasset, beneficio eiusdem Regis Stephani evocati sunt Praemonstratenses, receptaque in Hungaria sacra colonia ad Promontorium Magno-Varadinense sub titulo S. Stephani consedit. Regis exemplo ducti quam plurimi e Proceribus Hungariae, tanta novum Ordinem complexi sunt liberalitate, ut eorum pia largitate, secundum Servatium Lairuels, Ordo Praemonstratensis ad 45, secundum recensionem vero doctissimi viri, Josephi Mallyo, 50 possederit candidus Ordo utriusque sexus Monasteria; at Annales Praemonstratenses 65 in Circaria Hungariae memorant. Petrus Pazmanus, Cardinalis Archiepiscopus Strigoniensis nomina Praepositurarum in Hungaria ad suas Dioeceses restringens adducit 56. — Nos in praesente opusculo Virorum duntaxat Monasteria, et quidem secundum posthumam memoriam Mallyoianam recensebimus.

I.

Praepositura B. Mariae V. de Abraham.

Post decennium a fundato sacro suo Ordine etiam in Hungariam sacrae suae familiae colonias misisse S. Norbertum, primumque domicilium novo Ordini in Praepositura S. Stephani de Promontorio Magnovaradiensi obtigisse, supra vidimus. Hinc rursus aliae coloniae ad alia commigrarunt loca. Talis fuit Praepositura de Abraham inter fines Dioeceseos Varadiensis et Comitatus Bihariensis ad fluentum Berettyó posita, quae Decreto Capituli Generalis, in Archicoenobio Praemonstratensi anno 1294 celebrati, sub iurisdictionem venit Abbatis Lucensis.

„Monasterium de Abraham in manus venit Acatholicorum, illudque articulo sexto instrumenti pacis initae cum Ferdinando III. Imperatore et Hungariae Rege anno 1647 iisdem assertum est.“ Ita Hugo Annalista Praemonstratensis; at in codice iuris Hungarici haec non contineri, novimus Hungari. Citatus quidem per Hugonem articulus nihil aliud docet, quam templum in Szent Ábrahám Comitatus Posoniensis Evangelicis fuisse restitutum. — Hodie Felső-Ábrány est in processu Érmellékensi, pluribus dominis obsequens, quos inter et Praemonstratenses partem suam habebant, teste Korabinszki.— Nunc titulo Praepositurae huius gaudet Reverendiss. D. Stephanus Burghardt, Parochus Nákófalvensis, Dioec. Csanadiensis.

II.

Praepositura B. Mariae V. de Adony.

Juxta Korabinszkium, Ér-Adony in Comitatus Bihariensis Processu Érmellékensi prope pagos Ottomány et Gállos-Petri quatuor milliaribus Debrecino dissitum habet Hungaros incolas ditionis Comitum Haller. Est etiam Mészárosiis et Szilágyiis hic sua possessio cum ecclesia Reformatorum. Ita ille. — Sub paternitate S. Stephani Praepositura Adonensis erat; sed anno 1294 ex Decreto Capituli Generalis

transiit, veluti Praepositura Abrahamensis, sub iurisdictionem Abbatis Lucensis.

Est autem Adonensis Praepositura in Varadiensi Dioecesi, et ab episcopali urbe fere sex milliaribus ad rivum Ér distans, oppido Székelyhid vicina. Hodiedum spectabilis in ruderibus, et vico cognomine. Patres in Comitiis generalibus Praemonstrati congregati ad Hungarorum instantiam, et ad mutuum auxilium paternitates Praepositis comprovincialibus restituerunt, et Jászóvio subdiderunt Adonensem Praeposituram anno 1516.[1])—Hodie titulo eius potitur Illustr. ac Reverendiss. D. Comes Franciscus Haller de Hallerkő, Cath. Eccl. Magnovaradiensis L. R. Canonicus.

III.

Praepositura de Ahirlos.

Hanc Praeposituram in indicibus omissam, fortassis etiam non bene expressam, eamque anno 1516 paternae auctoritati Praepositi Csornensis subiectam scribit Annalista Praemonstratensis, Hugo. „Neque confundendam, inquit, puto cum Jurla, quae Javarinae seu Jaurinensis Dioecesis finibus acclusa exhibetur; cum Ahirlo, alias Ahirlos intra Vesprimiensis Comitatus (consequenter etiam Dioecesis) ambitum contineatur. Vix nomine solo superstes.“ At ne nomen quidem iam superest. Si Praepositura isthaec exstitit, sicut exstitisse Annalibus S. Ordinis credendum est, fato pluribus aliis monasteriis communi ita subversa est, ut omnino illud Ladislao-Thuroczianum huc quadret: „Quamobrem desiderari patiemur hoc in opere illa, quae exstitisse accepimus, ubi autem gentium exstiterint non assequimur; vel quia prima illa tempora rerum istiusmodi incuriosa fuerunt, vel quia veterum in locum nova successere vocabula: — — ut adeo persaepe eveniat id te loci stare, quem inquiris; quoniam novum tibi solum condidit nova, recensque vocis corruptio.“ Titulus Praeposituraе non confertur.

[1]) Annal. Praem. I. 135.—

IV.

Praepositura B. Mariae V. de Aicska.

Hanc immutato nonnihil nomine Ockham appellat Layruelius, Scriptor Praemonstratensis, illiusque indicem sequutus est Card. Pazmanus; et uterque eam intra ambitum Dioecesis Varadiensis collocat. Ab origine sua fuerat subiecta iure filiationis Ecclesiae S. Stephani, quae postmodum Abbati Lucensi subdita usque ad excidium permansit. Scribitur aliter etiam Alska, uti deprehendit in manuscripto indice Osterhoviensi in Bavaria expressam Hugo citatus. Tenet eius titulum hodie Reverendiss. Dom. Paulus Mogyorósy, Canonicus Jaurin., una Praepositus SS. Salvatoris de Pápócz. Sunt, qui hanc ab ea de Ócsa solo nomine differre putent.

V.

Praepositura de Albei B. M. V.

Hoc quoque nomen Albei corruptum videtur, utut illud appendix Pazmaniana apud Peterffium taliter exprimat: hodie enim adhuc reperitur pagus Algyeö ad ripam Tibisci, ubi novus transitus Vásárhelyinum versus institutus est uno milliari Szegedino distans, cum Ecclesia catholica. Praepositura haec fuit in Comitatu Csongradiensi et Dioecesi Vaciensi. Matrem habuit Ecclesiam S. Stephani Protomartyris de Promontorio Varadiensi. Ornatur eius titulo hodie Reverendiss. D. Josephus Boltizár, L. R. M. Civitatis Schemnic. Parochus.

VI.

Praepositura de Almazu.

Apud Joannem Pagium Almask ;) scribitur, et S. Stephani soboles appellatur, quam anno 1294 Abbatiae Zabrdovicensi, Capituli Generalis edicto, adiudicatam Hugo annalium Auctor memorat. Eodem teste, media inter fluvios Danubium et Sárviz Praepositura haec eminebat, quam victor Solimannus circa annum 1543, capta Albaregali, solo aequavit. — Huius Praeposituraе titulus conferri non solet.

VII.

Praepositura B. Mariae V. de Béen.

Duo hungarica loca huius nominis sunt in Comitatu Strigoniensi ad Granum fluvium, gemino milliario Parkáno dissita, et pro discrimine faciendo magnum et parvum Béen vocantur. Hoc, beneficium est Parochi Keméndiensis; illud pertinet ad Báthorkeszianam ditionem Comitum Pálffy. Visuntur hic magna valla turcica instar castrorum. Ita Korabinszky, titulo Bény. Ceterum in Kis-Bény „loco elevatiore supra ripam Grani visitur adhuc Ecclesia cum duabus turribus e secto lapide, quae fuit Praemonstratensium. Ecclesiae adiacent rudera monasterii, quae ipsemet non semel inspexi; at nulla inscriptio reperitur; imagines quoque, quae in refectorio depictae fuerant, ita deturpatae sunt, ut nihil internosci queat," inquit Carolus Wagner e S. J. in manuscripto Tomo de Abbatiis et Praeposituris Hungariae. E literis Conventus Fratrum Ordinis Praemonstratensis de Saagh anno 1273 fide publica datis discimus, Praeposituram hanc per Magistrum Stephanum, filium Omodej fundatam fuisse. Qui dum ibidem sepeliretur, eius mater, vidua, et soror coram pluribus Comitibus, et Religiosis testibus viva voce declaraverunt, defunctum Stephanum Monasterio huic suo de Béen villas Kemend, Pauli et Vezekin, vineas in Kondej, molendinum, apes, equos, bo-

[1]) Fors corruptum ex Almás, vel Almád. –

ves et quatuor homines testamento legavisse. ;)

A proprio et originario Patre, Praeposito S. Stephani avulsa est filia Bin, vel ut in aliis catalogis legitur, Baen Praepositura; et subdita Abbati Montis Sion anno 1294. Sed anno 1516 ad Praepositum de Saág paternitas in Bin praecipiente Capitulo Generali translata est; et penes eum permansit, usque dum Turcarum armis Strigonium, eiusque nominis Comitatus subacta fuissent anno 1543. E tabulario S. Benedicti de iuxta Gron constat, Simonem Praepositum propter violente ablatos duos boves et totidem equos per suos homines citatum fuisse per Paulinos Nostrenses anno 1467. Tandem suis primigeniis heris vacuam Praeposituram anno 1561. die 1-a Februar. Ferdinandus Imperator, cum Abbatia Benedictina de Széplak e manibus profanorum erepta, accedente Sedis apostolicae adprobatione contulit Societati Jesu pro condendo Collegio Tyrnaviae. Ita Samuel Timon e Soc. Jesu, in Epit. chronol. ad hunc annum. Fruitur nunc eius titulo Reverendiss. D. Josephus Majthényi de Kesselőkő, Parochus Bajmócziensis.

VIII.

Praepositura S. Stephani Regis de Bozok.

Praepositura haec olim in praedio Bozouk fundata, arci et subiecto oppido nomen dedit; Slavis Bzowik dicitur. Bozokiensi quoque Processui apud Nagyhontenses ab hac arce nomen est inditum. Regnante adhuc Stephano II. Comes Lampertus cum Coniuge sua Sophia, sorore S. Ladislai Regis, et Nicolao filio amplissimam hanc Praeposituram cum Coenobio condidit, atque honori S. Stephani Regis dicatam esse voluit. Igitur anno circiter 1130, aut 1131, quo Stephanus II. Rex defunctus est, fundari debuit; quod postea Bela II. compositis rebus externis et bellicis ad res domesticas, sacrasque conversus, tali diplomate confirmavit: „Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Crowaciae, Ramaeque Rex in perpetuum. Notum sit cunctis Christi fidelibus... qualiter Lampertus Comes cum uxore sua Zophia et filio suo Nicolao spe supernae remunerationis et pro remedio animarum suarum in honorem S. Regis Stephani in praedio suo, quod vocatur Bozouk glorioso Stephano secundo regnante, Feliciano vero, venerabili viro, Archiepiscopo Strigoniensi exsistente, coenobium construxerunt. Haec sunt igitur nomina praediorum, quibus dotata est ecclesia eadem. Primum Bozouk... Nonum vero Paztuh[1], ubi erat regalis Curia, dedit Rex Ladislaus comiti Lamperto cum omnibus appendiciis praedii.... Undecimum praedium Platna, quod praefatus S. Stephanus Comiti Lamperto dedit in hereditatem; postea vero Nepotes ejus, scilicet Lampertus et frater ejus Ypolitus pactum inierunt, ut terram non dimidient... Duae vineae quas Ladislaus Rex Lamperto Com-

[1]) Fejér: Cod. diplom. T. V. Vol. II. p. 138. ex Collect. Rajcsányi-Mednyanszkyana. —

iti cum sorore sua dederat. . . . Anno ab incarnatione Domini millesimo CXXXV. regnante gloriosissimo Bela secundo, ipsoque sigilli sui impressione confirmante." Diploma istud apud Katona, Hist. crit. T. III. p. 493 fere integrum legi potest. [1])

Ad instantiam Stephani Praepositi Bela IV. Rex non tantum diploma Belae II. Regis confirmavit: verum etiam terras Terpen, et Bádon a Castro Hunt alienatas et exemtas in perpetuam eleemosynam Coenobio Bozokiensi concessit. Constituit praeterea, ut nullus Judicum et Justitiariorum Regni populos Monasterii praeter Praepositum iudicare praesumat. Ad instantiam Michaelis Praepositi Mathias Corvinus Rex dedit in mandatis Capitulo veteris Budae anno 1471, ut exmisso de gremio suo homine fidedigno per eum ac alterum hominem regium metae Praepositurae renovarentur, quas cives Carponenses ausu temerario violaverunt, ac insuper in tantam temeritatem prolapsi sunt, ut praedium oppido conterminum exusserint, et Rel. Fr. Petrum bonorum ecclesiae Curatorem verberibus adfectum, captivum etiam abduxerint. Tandem mulcta a civibus deposita, factaque promissione metas non amplius violandi, pax inita fuit. Ita literae authenticae eiusdem Capituli Vet. Budensis.

„Bozokiense Monasterium opimus ille Ordo (verba sunt Math. Bel.) ad arcis modum instruxerat, ut non Coenobium modo cum aede sacra haberet; sed posset etiam latrunculorum reprimere incursus. Quod necesse fuit omnino in ea temporum, an hominum iniquitate et malignitate, qua nec sacris viris, ne dicam horum Coenobiis, securitas dabatur ab his, quibus quaestus omnis, reditusque ex rapinis fiebant."

„Habitus oppidi, quod arci adiacet, neque tenuis est extra modum, neque lautior, quam fortuna civium agricolatione fere sola viventium admittit. Nomina porro praediorum, quibus hoc Monasterium dotatum fuit, in citato diplomate (recitat illud Belius) recenset Bela II., quae vetere more pronuntiandi et scribendi modo exarata sunt. „Nostra aetate, et nostro pronunciandi more pertinent ad hanc Praeposituram praeter oppidum Bozok pagi: Litava, Laczkó, Szenohrad, Bozok-Lehotka, Csekócz, Unyatin, Alsó-Mladonya, Felső- et Alsó-Badin, Szelcz, Trpin, Alsok, Várbok; omnia in Comitatu Hontensi." Hactenus Belius.

Subsequis annis magnas calamitates experta est Praepositura Bozokiensis. Anno 1338 instigante diabolo Leukus Laurentii de Dobrakuttya filius Michaëlem Praepositum letali vulnere percussit, altero eius famulo occiso, altero letaliter sauciato; ob quod nefarium facinus Chanadinus Archiepiscopus lata sententia eundem Lewkus communione fidelium privavit. Ita adnotavit Car. Wagner e quodam Manuscripto Timoniano. Anno vero 1530 in ferrea plane incidit tempora, „quibus crudelissima privatorum dissidia, caedes, rapinae, sacrilegia, scelerumque impunitas proseminata sunt; quibus familiae religiosorum virorum praecipue, et domus petebantur, ac corruebant." Ita Timon, qui tragica haec tempora ultro sic enarrat: Argumento sit Protestatio Roberti Praepositi Bozokiensis facta in Capitulo Jaurinensi post Dominicam Passionis feria quinta, quod nempe hoc disturbationis tempore Sigismundus Balassa de Gyarmath efferata sua malitia praedones ac milites ad Praeposituram Bozok destinasset, misissetque, qui per vim et licentiam Monasterium aggressi universa cum sacra supellectili diripuissent, ac devotos viros partim vulnerassent, partim occidissent, ac dispulissent, praediaque ejusdem Coenobii violente occupassent. Attamen anno 1540 Ferdinandus Rex datis literis Neapoli Austriae (nunc Neostadium audit) XVI. Kal. Dec. Baroni Sigismundo Balassa, Comiti Borsodiensi, semet tempori accommodans, jus patronatus permissit, ea

[1]) Diplomatis huius per Ladisl. Kövesdi frustra impugnati historiam vide Schwartner: Introd. in artem diplom. p. 46. —

tamen lege, ut res divinas ritu veteri in ea peragendas curaret. Quomodo iussa sui Regis exsecutus sit, paulo infra videbimus.

Asperiora fata depugnarunt contra Roberti successorem, Mathiam Zavary, cuius crudelem necem ita refert laudatus Timon: Curator arcis Csabragiensis, quem Provisorem in Hungaria dicunt, Mathiam Zavary, Praepositum Bozokiensem mortifere vulneravit. Sacrilegus percussor iussu heri sui, Petri Pálffy hanc caedem patravit, ob quod impiae iussionis facinus Pálffius ad tribunal regium fuerat evocatus. Qualiter crimini satisfactum sit, historiae non produnt. Sed instat ultor Deus. Ipse Pálffius a Melchiore Balassa Csabragi possessione depulsus, quod eiectis per vim Petri Pálffii Curatoribus occupavit. [1])

Anno 1559 Sigismundus Balassa de Gyarmath castrum Bozok Barbarae Fanchy uxori suae testamento legavit. Constant haec ex Tabulario S. Benedicti de iuxta Grón. Eodem anno obiit Sigismundus Balassa, octennio post eius uxor, quae Praeposituram hanc Fratri suo Georgio Fanchy legavit. Anno 1567 in Comitiis Posoniensibus sancitum fuit, ut nonnullae Praeposituraе, et inter eas Bozokiensis restaurentur. Hanc itaque gratia Regis obtinuit Valentinus Lépes Episcopus Scopiensis, qui statim anno consequente coram Capitulo Jaurinensi contradixit, quod nimirum Sigismundus Balassa Praeposituram eius per vim occupasset; Georgius vero Fanchy eadem via ac ratione eandem apprehendisset. Ast contradictio inutilis fuit. [2]) Fanchius enim Praeposituram in arcem convertit, munitamque certis conditionibus inscripsit Joanni, filio Thomae de Tapolcsány. Contra hoc factum Fanchii violentum et iniustum Matthaeus a Poklostó, Praepositus de Saágh nomine totius Ordinis, et in persona propria tamquam Archi-Praepositus solemnem interposuit protestationem in Conventu S. Benedicti de iuxta Grón anno 1579. Sed et haec contradictio fructu caruit.

Serius tandem Sidonia Balassa, Pauli Fanchy uxor, exaratis in favorem Societatis Jesu tabulis partem Praepositurae huius Collegio Societ. Jesu Tyrnaviensi transscripsit. Egit deinde Archiepiscopus Strigoniensis, Georgius Szelepcsényi, ut partem alteram patrimonii dominici assereret ditionibus Ecclesiae. Quod perfecit quoque; ac ex aequo in Tyrnaviense Collegium, et erectum a se Mariano-Szelepcsényianum ibidem Seminarium eius annuos reditus dispesci voluit; probante id ipsum Leopoldo I. Rege Hungariae. Exstincta postea Societate Jesu, ratio proventuum ita accommodata est, ut dimidium generali Studiorum fundo, pars altera cederet in usum Cleri iunioris. [3])

---

[1]) Timon: Epit. chron. ad h. ann. — [2]) Ibid. ad h. annum. — [3]) Titulus Praepositurae de Bozók conferri non solet.

IX.

Praepositura S. Michaelis Archang. de Chorna.

Praepositura Csornensis, hodieque florens, sub patrocinio S. Michaelis Archangeli sita est in processu inferiori Comitatus Soproniensis, ab Arrhabone fluvio compellato. Fundata est Praepositura pro S. Ordine Praemonstratensi anno circiter 1180 per Stephanum et Laurentium fratres germanos, filios Comitis Laurentii de Chorna, ex generatione Comitum ab Osli. Dotem auxit munificus benefactor ex eadem stirpe satus Comes Michael ab Osli anno 1230. Hunc aemulati Joannes de Kanisa, Archiepiscopus Strigoniensis; Nicolaus de Kanisa, Tavernicorum Regalium Magister; Stephanus de Kanisa, Episcopus Zagrabiensis, et alter Stephanus aeque de Kanisa, Janitorum Regalium Magister anno 1399, de insigni prosapia Comitum ab Osl oriundi, qui eandem Praeposituram variis fundis auxerunt. Et quidem: Kanisaiani integrum Gyarmath et medium de Nagy-Baráti Ecclesiae Csornensi contulerunt; Michael Comes ab Osl, Dominus de Csorna, pagum Puszta-Horpács, modo Lédecz dictum, molam in Beled, et tributum fori Csornensis pro thure et lucernis Ecclesiae transscripsit. Praeterea Georgius de Vicza unam sessionem in Horpács, Nicolaus Oschli possessionem Sorald, Nobiles de Vaág possessionem Bandhegy, Nobiles Ostfy et Viczay portiones suas in Csorna, Georgius de Loos vineam in Loos; Nicolaus, Sopronii ad S. Michaelem Archang. Parochus, iam anno 1278 pariter vineam in Wolffh; [1]) Stephanus Episcopus Zagrabiensis anno 1373 possessionem Karathfölde, alias Kiskolos in Com. Zaladiensi ad flumen Zala,[2]) anno 1399 cum Kanisaianis possessione Gyarmath permutatam; [3]) Comes Vilhelmus, filius Joannis de Fraknó et Dorotheae, villam Hevei, consentiente in piam donationem regni Hungariae Gubernatore, Joanne Hunyady, obtulerunt.

In complexo Bona ad eandem Praeposituram nostra aetate spectantia, ex Elencho tabularii domestici fidedigne transscripta sunt hoc ordine: Pars Oppidi Csorna cum iure compraesentationis Parochi eiatis, cuius Parochiae Ecclesia et Domus in fundo Praepositurae existit. Praeterea habet adpertinentes vel ex toto, vel ex parte pagos: Nagybaráti, Gyarmath, Szőgye, Maglócza, Keresztúr, Hövej, Vásárosfalu, Lédecz, Márz, Czemendorf, Széplak, Farád; unam item nobilitarem curiam in Horpács, et unam in Edve; Praedium Bandhegye, et Vadkert, quod ultimum in Comitatu Castriferrei, reliqua in Soproniensi et Jaurinensi existunt.

Largiori fundationi addiderunt Reges Hungariae suas gratias et varia privilegia. Sigismundus Rex ad instantiam Joannis de Kanisa Archiepiscopi Strigoniensis tribuit Conventui Csornensi legalem Loci credibilitatem, et authentici sigilli custodiam, anno 1393. Quod privilegium cum interruptum fuerit occasione profanati Monasterii: hoc

---

[1]) Fejér: Codex dipl. VII. 4. p. 179. — [2]) Ibidem: IX. 7. p. 340. — [3]) Ibidem: X. 2. pag. 649.

suis Heris reddito, etiam vetus ius Credibilitatis resuscitatum est decreto diaetali anni 1574. artic. 32.— Idem Sigismundus Rex ad preces Antonii Praepositi concessit anno 1404 privilegium, ne illius Populi alterius cuiuscunque iudicio, sed eius tantum et successorum subsint. [1]) Uladislaus I. Rex concessit privilegium nundinarum in Nagybaráti quotannis celebrandarum, anno 1440. [2]) Exstat etiam privilegium de foro hebdomadario in Gyarmath erigendo: uti et collationales Mathiae Regis super hac Praepositura, ex quibus apparet, ius patronatus eiusdem ad Regiam Maiestatem pertinuisse. [3])

Non minores favores et gratias experta est Praepositura Csornensis Romanae Curiae. Anno 1293 Benedictus Praepositus transsumi curavit per Lodomerium Archiepiscopum Strigoniensem bullam Innocentii, confirmantis alias Bullas Alexandri III., Lucii III., Urbani III. et Clementis III. Praedecessorum suorum: item aliam Bullam Martini Papae, datam Viterbii VIII. Idus Dec. Pontific. anno 1°, utramque continentem privilegia S. Ordinis Praemonstratensis. [4])

Florentissimum statum Praepositurae Csornensis tandem adversa fata consecuta sunt. Sub Uladislao II. Hungariae Rege omnia quidem non bono, sed domicilia Regularium pessimo plane erant loco. Jam tunc Csornae adeo imminutus fuit numerus Regularium, ut non sufficerent ad celebrandum divinum officium cum decoro. Quare Gregorius II. Praepositus Csornensis anno 1502. a Petro Cardinale Rhegino Legato pontificio potestatem impetravit etiam aliorum Ordinum professos Religiosos ad sui Ordinis professionem admittendi. Longe tristiorem induit faciem post cladem Mohacsianam, cuius occasione cum binae Confessiones, catholicae adversae, in Hungariam penetrassent, haeresis Religioni, inquiunt Annales Praemonstratenses, fatale indixit bellum; sacra omnia diripuit, invasit Praepositurae, eiecit Canonicos, et bona fecit sui iuris sine iure. Simile fatum Csornam anno 1570 Gregorio Kámonczy Praeposito corripuit.

Circa annum 1574, „nemine ex Ordine caussam Praepositurae huius assumente a Rege Maximiliano . . . collata fuit Matthaeo de Galambok Nobili Hungaro, Canonico Strigoniensi: mansitque in manibus Cleri secularis usque ad annum 1702; quo, regnante glorioso Imperatore et Rege, Leopoldo I. in conformitate Benigni sui Decreti: De restituendis Regularium bonis, ad mentem Art. 36. anni 1569, adnitente etiam Principe Paulo Eszterházy Regni Palatino, Praepositura haec per eiusdem tunc possessorem Franciscum Jani Episcopum Sirmiensem S. Ordini postliminio restituta fuit, et Francisco a Schöllingen Canonici Ordinis Praemonstratensium Praelato, et Canoniae Pernecensis in Austria inferiori Abbati collata.“ [5]) Quae quidem eximii huius Palatini ad restaurandam Praeposituram impensa opera eo maiorem laudem meretur, quod eius bona immobilia, a Nádasdiana familia ad Eszterháziánam devoluta, eiusdem Palatini dominio Kapuvariensi fuerint incorporata. Unde ipsa Praepositura Principem illum, velut alterum fundatorem grato recognoscit affectu, atque in tesseram grati animi qualibet hebdomada unum sacrum, et quovis anno circa 29. Martii unum anniversarium pro anima eius celebrare est adstricta.

Tenuit Pernecense Monasterium ius paternitatis, et dominium Praepositurae Csornensis annum usque 1710; quo in angustiis et egestate positum eam Abbatiae Gradicensi in Moravia cum beneplacito Capituli provincialis, et consensu Regis

---

[1]) Wagner: de Abb. et Praepos. — [2]) MSS. Hev.— [3]) Ibid. — [4]) Tabularium Poson.— [5]) Schemat. Ord. Praemonstr. 1854., e mente Reverendissimi Domini, Canoniae huius Praepositi adornatus: e quo proinde cuncta, quae ad Csornam, eique coniunctas Praepositurae de Horpács, Türje et Jánoshida pertinent, plena cum securitate desumsimus.

Josephi I., mediante Summa 59000 fl. resignavit. Eadem enim Summa per Franc. Jani e profanis manibus erepta, et ab hoc per Canoniam Pernecensem redemta fuit.— Eadem Praepositura ex Decreto Capituli Generalis anno 1294 paternitati Abbatiae Zabrdovicensis adiudicata fuit; quo in statu usque ad Religiosorum dispersionem, seu annum 1570 permansit. [1])

Restituto postliminio Monasterio septem S. Ordinis Praemonstratensis Praepositi magnam in restaurandis, restituendisque aedificiis diligentiam adhibuerunt. Ecclesiam quidem veterem collapsam iam Matthaeus Szent-Tamásy, titularis Praepositus circa annum 1658 novitus erexit, cui pro sua habitatione prope unum tractum adiecit. Verum reducto Conventu plura conclavia necessaria fuerunt, quae Szenttamasiano aedificio coniuncta quadrum efformarunt. Hortus monasterio coniunctus amplus, frugiferis arboribus, vitibus, oleribus servit copiose; et quum ita fuerit constitutus, ut intra clausuram censeretur, licebat Viris Religiosis pro arbitrio eum adire pro liberiore aura captanda.

Postremus seculi prioris Praepositus, Augustinus Kameniczky, veteris monasterii loco amplam et splendidam omni ex parte struxit Canoniam, ad quam traductis Religiosis, prius monasterium Officialibus Praepositurae accommodatum est. — Sed nempe: non vobis nidificatis aves. Vix consummato aedificio, post multa et insignia merita anno 1786. 7. Dec. communi Religiosorum Ordinum cataclysmo abreptus, Praepositura suppressa, cum candida suorum corona abolitionem subivit. Ex assignata sibi pensione vitam privatam vixit Sopronii, illud privilegium pro ultimo suo solatio a Regia Maiestate consecutus, vi cuius in candido sui Ordinis habitu solus in tota Hungaria incedebat.

Anno demum 1802. die 12. Martii Imperatoris et Regis Francisci Diplomate Ordo Praemonstratensium, et sic etiam Praepositura Csornensis in integrum restituta fuit, concessa Conventui potestate post fata sui Praepositi tres e gremio Candidatos Regiae Maiestati praesentandi, quae tamen ius Praepositum nominandi sibi reservavit. Insuper idem S. Ordinis Restaurator, credidit Praepositurae Juventutis institutionem in duobus Gymnasiis: Sabariae et Keszthelyini. Eodem anno in Regni Comitiis Art. 16. Conventui iure postliminii pristina credibilitas restituta fuit.

Primus ita restauratae currente saeculo Canoniae Csornensis Praepositus erat Stephanus Harsányi, una Praepositus de Horpács. Huic successit Augustinus Buday, Praepositus de Csorna et Horpács, item de Türje et Jánoshida, seu S. Joannis de Ponte. Hunc sequutus est anno 1820 Paulus Gyöngyösy, anno 1857 defunctus. Hodie omnes has quatuor Praeposituras tenet Reverendissimus Dominus Emericus Szenczy, S. Candidi ac Exempti Ordinis Praemonstratensium Canonicorum Regularium Praelatus.

[1]) Huic adversatur Hugo in suis Annalibus, qui Csornam filiam Hatvan compellat.

X.

Praepositura de Chemi.

Huius nunc nomen in Hungariae regno ignotum. [1]) Neque etiam est mentio eius in Catalogo Pazmaniano, aut aliis, quoscunque unquam inspexi gratia Monasteriologiae Regni Hungariae. At eam exstitisse, indubium est Annalium Praemonstratensium testimonio, in quibus de ea sic habetur: „Superioris Hungariae Praepositura in Agriensi Episcopatu existens, quam a Lavruelio praetermissam reposuit in suo indice Pagius, et S. Stephano primitus paruisse narrat: Zabrdovicensi Abbati anno 1294 tamquam Patri subiecta legitur in Decreto Comitiorum generalium. Post expugnatam anno 1596 Agriam, simulque Comitatum Borsaniensem (Borsod), Praepositura Chemi oppressa communi clade desiit, ab interitu necdum vindicata, licet ab anno 1687 Imperio et Catholicae Religioni fuerit Agria restituta."—Titulus non confertur.

XI.

Praepositura S. Nicolai de Chuchnis.

Erroneum est: Chuchnis, nam in Collectione decimae Pontificiae sequentia leguntur: „Item D. Henricus Abbas Monasterii S. Nicolai de Chuchas prope Budam in Insula iuratus dixit, quia de suo vacante beneficio non satisfecit, nisi de duabus marcis, et deberet duas in festo Nativitatis B. M. V. et de alia in festo OO. Sanctorum." Pro Chuchas rescribi videtur oportere hodierno more: Csukás, id est: luciorum dives; quemadmodum reipsa est Danubius ad Insulam S. Andreae, in qua hodiedum exsistit pagus Monostor, haud dubie a Monasterio ita compellatus. Ita censet Carolus Wagner in Manuscripto suo de Abbatiis et Praepositur. Regularium.— Titulum Praepositurae huius nunc tenet Reverendiss. D. Michael Müller, Doctor SS. Canonum, Canonicus et Parochus Vaciensis.

[1]) Si Comitatus Borsodiensis praedium Keme ad Sajó-Lád situm, reapse conspicua rudera exhibet, isthuc vetus Chemi cum Rndiss. D. Canon. Carolo Fabry sat tuto reponimus.

XII.

Praepositura S. Eustachii de Chut.

Annales Praemonstratenses hanc Praeposituram ad insulam Cithuorum, Germanis Schütt, et ad Archidioecesim Strigoniensem reponunt, quae nomen suum a situ acquisiverit. Juxta eosdem Thuriensi, seu Thurociensi Praeposito, tamquam Patri, suberat a nativitate sua: ad Zabrdoviciensem translata anno 1294; sub ejus Paternitate perseveravit usque ad extremos agones, quos egit sub barbarie turcica. Wagnero indice anno 1264 a Bela IV. Rege fundata et copiose dotata fuit. Contulit ei villas Cumanorum, ab iis propter enormes excessus ablatas, scilicet: Nyárhid, Surán, Gyorok, Turmáskuz, et Hidhelem; item terras Lucz, Urbanus, Sciaruk, Madhart, Buzman, Kutha; praeterea molendinum quatuor rotarum in fluvio Nitra; denique dimidium huius aquae, ubicunque metae Monasterii venirent ad fluvium Nitra.

Anno 1272 Stephanus V. Rex Hungariae non solum confirmavit fundationem a Genitore factam, sed etiam novo beneficio auxit: nam inter cetera contulit Monasterio molendinum suum in Geith cum duobus fundis curiarum et foeneto, quod possit sufficere quinque hominibus ad falcandum uno die, et lignis, quae possint sufficere ad duo dolabra uno die. Ita laudatus Wagner.

Anno 1295 floruit Joannes Praepositus, cuius memoriam conservat sequens cambium: Cum possessio Nyárhid terra praepositalis Monasterii B. Leustachii de Chut intra magnam Insulam eidem Monasterio a Bela IV. Rege donata praedonum direptionibus ita desolata fuisset, ut vix quinque domunculae in ea remanserint; atque adeo nullius utilitatis Monasterio esset: eam Lodomerius Archiep. Strigoniensis a Joanne Praeposito recepit; eique dederat decem marcas decimae combustionis [1]), ac praeterea singulis annis ex decimis de Monasterio Saágh et Bozók sibi provenire debentibus sedecim marcas. [2]) Cambium hoc assensu suo firmarunt Laurentius de Bozók, Ladislaus de Saágh, Ivanka de Thurocz et Benedictus de Csorna, Praepositi S. Ordinis Praemonstratensis.

Praepositura Chutensis demum translata fuit ad Fratres Ordinis S. Pauli primi Eremitae anno 1475 per Pontificem instante Mathia Rege. Ita Pazmanus. Conventus hic a Paulinis possideri, et a Fratre Emerico Budensi sub ipso collationis tempore gubernari coepit. [3]) Paulinos hic adhuc anno 1517 et 1519 egisse patet ex Historia Paulinorum, contra quos, tamquam sacrilegos et temerarios alienarum rerum, domorumque detentores Franciscus Praepositus de Saágh, et Visitator Generalis cum reliquis Praepositis protestatus est coram Andrea Praeposito Strigoniensi, Judice et Commissario specialiter deputato.[4]) Hodie titulum Praeposituraе huius gerit Reverendiss. D. Gabriel Grager, Oppidi Mohács Parochus.

[1]) Indicatur argenti puritas, utpote cui tantum $^1/_{10}$ ignobilis metalli fuerit admixta. — [2]) Pray. Hier. Eccles. I. 280.— [3]) Historia Paulinorum T. 1. p. 240. — [4]) Elenchus Lelesziensis ad annum 1520.

XIII.

Praepositura B. Mariae V. de Darnó.

Fundatorem huius Praepositurae iuxta ac tempus fundationis frustra indagaveris. Imo in obscuro adhuc est, an duplex huius nominis Praepositura exstiterit: quum Card. Pazmanus eam ad Dioecesim Vaciensem collocet; ea vero, cuius locus noscitur, Agriensi, ut olim erat, Dioecesi inserta fuerit. Ipse Hugo, celeberrimus Praemonstratensium Annalista non plus desuper adnotavit, quam „suspicarer, inquit, Dornam in Pagii olim Elencho appositam, olim filiam Jaszow, postmodum subiectam Lucenae paternitati, eandem esse cum Dornaw; nisi illa in Vaciensis, ista vero Agriensis Dioecesis finibus occluderetur.“ In eam igitur, quam Pazmanus ad Vaciensem Dioecesim refert, puto, frustra inquiritur. Verum non desunt vestigia, quae persequendo ad Praepositurae B. M. V. de Darnó in Dioecesi olim Agriensi, hodie Cassoviensi locum deducamur.

Scilicet Szirmay: Notitia topographica, politica Comit. Zempliniensis, [1]) per Kovachichium edita, postquam collis vitiferi Patakiensis, Darnó vocitati, meminisset, mox (pag. 297.) ex adiudicatoriis Comitis Pauli Judicis Curiae Regiae, reambulationem metarum possessionum Tolcsva et Olaszi prope Sáros-Patak Com. Zemplin. continentibus evidenter docet in eo colle vitifero, nunc quoque Darnó vocato, anno 1336 stetisse Ecclesiam, dictam pariter Darnow, ad quam ducens semita, per iustum terrae spatium, limitem inter terrenum Tolchwa et Olazi constituerit.

Porro sacram hanc aedem non simplicem alicuius vici Ecclesiam, sed Ordinis Praemonstratensium Canonia et Praepositura fuisse ornatam inde licet coniicere, quod testibus literis per Car. Wagner ex Archivo Capituli Scepusiensis obtentis, Laurentius Praepositus de Darnó, anno 1369. per Conventum Lelesziensem pro fide digno testimonio exmissus, metas Possessionis Liszka cum homine regio reambulaverit. Unde pronum est concludere, Praeposituram de Darnó propius ad Liszkam stetisse, quam Conventum Lelesziensem. Et reapse oppidum Liszka a colle vitifero Patakiensi, seu a Canonia de Darnó super eo posita vix uno et dimidio; contra a Conventu Lelesziensi septem milliaribus distat. Ex hac missione concludit Szirmay, Praeposituram de Darnó in colle Patakino Conventus Lelesziensis filiam fuisse.

Idem, quo maiorem rei lucem affundat, adfert documentum anni 1436, sibi per eximium Virum, Josephum Mallyó, Hliniko-Trencséniensem, Canonicum Regularem Praemonstratensem et Ecclesiarum de Jászow et Lelesz iuratum Conventualem, curiosum antiquitatis indagatorem, ex Tabulario Lelesziensi suppeditatum, quod memoriam conservat Inquisitionis contra Discretum virum, Emericum Plebanum de Patak, qui se indiscretum exhibuit, dum famulum

[1]) Fontem hunc a Sp. D. Paulo Erdey, Med. Doctore, de quo infra plus, liberaliter indicatum accepimus.

Alberti Praepositi de Darnó Leleszinum proficiscentem in via publica Patakiensi dire verberaverat, et duos eiusdem Alberti ministros in ipsa praepositurali Curia Szőllöcskeiensi similibus verberibus affecit — pro parte dicti Praepositi institutae. Superest autem hodieque vicus Szőllöcske, duobus tantum milliaribus a colle Patakiensi distans. Denique anno 1492 Franciscus Praepositus de Darnó ius suum in hanc Szőllöcske adversus violentiam Pálócziorum tueri coactus est, postquam hi occupato Sáros-Patakino potentes manus ultro quoque extendere conabantur. Integrum documentum recitat Szirmay cit. op. pag. 299. Idem Franciscus donationem Belae IV. Regis super IV. mansionibus Vinitorum inter villam Potok et Olaz de anno 1257 emanatam in Conventu Lelesziensi transsumi fecit: unde patet Praeposituram hanc anno 1257 recentiorem non esse.

„Haec itaque, inquit Szirmay, ad evidentiam ostendunt, in colle nunc Patakinensi Darnó ecclesiam, praeposituram et monasterium Ordinis Praemonstratensium fuisse, post cladem indubie Mohácsianam eversa.“ Quam cum omnia respiciant, quae nobis de Praepositura huius, aut affinis nominis Dornau innotuerunt; nullum amplius praesto est vestigium, cuius ductu ad locum Praepositurae, iuxta Pazmanum in Dioecesi Vaciensi quaerendae, pertingamus. Titulo Praepositurae huius ornatur hodie Reverendiss. D. Michael Holló, Ecclesiae Fóth Parochus, ac Familiae Comitum Károlyi Mausolei Fóthiensis Custos.

XIV.

Praepositura de Gajdel.

Calendarium Archidioecesanum Colocense anno 1779 impressum Pestini, Praepositurum de Gajdel et eam de Gajdobra pro eadem habet. Est autem Gajdobra pagus Comitatus Bacsiensis, ab Illyris insessus inter Bács et Neoplantam cum Ecclesia catholica. Illyris iam etiam Germanos immixtos esse in Gaidel didici ex eiate homine, qui negotiorum suorum gratia per Comitatum Zaladiensem iter faciens, ad me divertit. Ex hoc intellexi, rudera extra pagum pone silvam intra limites eius territorii ingentia exstare: se quidem nescire, qualianam illa sint; interim se suspicari Monasterium ibi esse debuisse; cum inter reliqua rudera ingens, et in sua integritate, sine tecto quidem, stet Ecclesia. Hanc non dubito praepositurali; et circum strata rudera indices esse Praemonstratensis, de quo hicce agitur, Monasterii.

Card. Pazmanus inter Praepositurae Praemonstratenses recenset in Dioecesi Colocensi: Gajdel, Zemlin, Magodlin. Gedir apud Layruelium, et Pagium Gajdel ab anno 1294 Zabrdovicensi Abbati iure filiationis attributa est. Binis a Danubii ora septemtrionali milliaribus distabat, quam vastator Turca demolitus est, dum Coloczam et Bacsium immani furore subvertit. Reliquit tamen Praepositurae titulum, quo nunc Reverendiss. D. Petrus Laurencsics, Canonicus et Lector Chasmensis, et Parochus Varasdinensis fruitur.

XV.

Praepositura S. Huberti de Graba.

Apostolici Reges nostri duas Praepositures de Graba agnoscunt, dum earum titulos Viris ecclesiasticis ita conferunt, ut una earum S. Huberti de Graba, altera simpliciter de Graba sonet. Et reapse duas hoc nomine Praepositures Ordinis Praemonstratensium olim viguisse, docet Layruelius, totius Candidi huius Ordinis anno 1607 Generalis Vicarius, qui unam earum, filiam de Turna, serius Gradicensem in Strigoniensi; alteram, filiam de Thours, id est: Thurócz, in Vaciensi Dioecesi sitam fuisse memorat. Viri huius, scriptoris solertissimi, auctoritatem Cardinalis Petrus Pazman tanti pendit, ut eum in concinnando suo Domiciliorum huius S. Ordinis in Hungaria Elencho unicę sequi non dubitaverit.

Quapropter minime audiendus Hugo, nunc dicti S. Ordinis Annalista, qui unam tantum Praeposituram de Graba in suis Annalibus, anno 1734 editis, adducit, et de Dioecesi, in qua ea sita fuerit, Indices Ordinis variare scribit. Minime, inquam, audiendus eo vel maxime, quod supponat, Layruelium quoque unam tantum Grabam novisse, eamque ad Vaciensem Dioecesim reposuisse; dum contra Pagius et Robertus Sancius, Abbas Gradicensis, eam Dioecesi Strigoniensi adscriberent. Ignoravit igitur Hugo, vir alias diligens, aut potius laboris eius socii, quos tres se habuisse fatetur, Layruelio duas Grabas notas fuisse, quarum una in Dioecesi Vaciensi, altera in Strigoniensi floruerat. Errorem Hugonis nobis, qui Layruelium penitius inspeximus, errare non licet. Sed nec Pagium, nec Abbatem Gradicensem moramur. Ille enim multa Coenobia in suo Catalogo reticuit; iste vero eius tantum Grabae notitiam aliquam et Dioecesim notam habuit, quae Coenobio Gradicensi adfiliata fuit, adeoque teste Layruelio, in Dioecesi Strigoniensi sita. Contra Abbas Lucensis in Moravia, Praeposituram de Graba Vaciensi Dioecesi, datis ad Hugonem A. 1726 literis tribuit. Cur? quia homo exterus, Layruelio plus quam 110 annis recentior, istam tantum Grabam noverat; utpote cuius Praeposituraе titulum eodem tempore quidam ex eius Religiosis, Felix Helcher, Regis Apostolici collatione tenebat. Quomodo sane ab eo notitiam alterius Grabae, dudum desolatae, et ad eum nihil attinentis exigamus, qui fatetur se nec illius Grabae locum nosse, cuius titulum dictus Helcher, tenebat? [1]) Veniam dabit eruditus lector, si tuendae regiae collationis praxeos gratia huic quaestioni fors iusto diutius immorabamur.

Quod ad locum utriusque Grabae adtinet: iste satis exploratus videtur. Dioecesis Vaciensis suam Grabam in Praedio Puszta Garáb, in Comitatu Neogradiensi intra Recinctum Parochiae Szent-Iván reponit, eo suam opinionem apte fulciens,

[1]) Annales Praemonstr. P. I. art. Graba. —

quod in eodem praedio „magnificentissimi Monasterii rudera“ conspiciantur.[1]) Ea vero, quam Layruelius iam anno 1607 in Archidioecesi Strigoniensi locavit, aeque in Comitatu Neogradiensi, sed a priore 7 mill. geogr. Septemtrionem versus remota stetisse censetur in vico Garáb, pago Kálnó contiguo, a quo per interfluentem Ipolim separatur. Fidem faciunt rudera, servatumque apud Slavos accolas vetus loci nomen Graba. Quid olim fuerit, incompertum est: hodie vicus est exilis, vix 400 incolas alens, quorum nec decima pars catholicis sacris addicta est. Graba haec in superiore Comitatus Neogradiensis parte supra Lossoncinum sita est, quae dismembrata Archidioecesi Strigoniensi, agente Augusta M. Theresia, Regina apostolica, anno 1776 per Pium VI. Summum Pontificem peracta tunc erectae Dioecesi Rosnaviensi attributa fuit, cuius Schematismo, anno 1857 edito, teste, ecclesia praeposituralis usibus Augustanae Confess. addictorum servit.

Ortus et fata utriusque Praeposituraе de Graba densissimis tenebris teguntur. Utriusque desolatae causam illi calamitati iure tribuas, quae sec. potissimum XVI. tam dire per Hungariam grassabatur, ut non tantum splendida priscae pietatis monumenta, sed ipsam eorum memoriam de facie terrae deleverit. Id utcunque constat, praedium Garáb Grabae Vaciensis per Leopoldum I. Imperatorem Collegio Societatis Jesu Neosoliensi, velut ad Praeposituram Sághiensem pertinens, cum hac anno 1688 collatum fuisse: cuius Societatis Patribus erecta ibidem S. Aloysii Capella indubie debetur.

Schematismus Dioeceseos Vaciensis anno 1854 de sua Graba pag. 28 adfert, Praeposituram hanc a Societate Jesu ad Magnovaradinensem Candidi Ordinis Residentiam transiisse. Si istud de iuribus proprietariis intellectum vult, non ausim quidem negare factum fuisse; sed nec adfirmare velim. Nihil enim eius ultra comperi, quam Felicem Helcher, Praemonstratensem Lucensem, Praeposituraе S. Stephani de Promontorio Magnovaradinensi Administratorem, titulum Praepositi S. Huberti de Graba gessisse, duosque eius in hac Administratione successores, utpote: Vincentium S. R. I. Comitem de Hoditz, et Ludovicum Ehinger, pariter Ecclesiae Lucensis in Moravia Canonicos regulares eodem titulo potitos fuisse, quem anno 1775 idem Hodicz, iam sacri Candidi Ordinis Praem. Praelatus resumsit; licet eodem anno[2]) et diu postea, dictae Administrationis officio non is, verum Stephanus Szenczy nullius Praeposituraе titulo decoratus fungeretur. Quapropter titulum Praeposituraе huius ad Praemonstratensem Residentiam Magnovaradinensem transiisse, et apud eam 50 circiter annis permansisse constat; an vero etiam reditus Praeposituraе illuc transierint, in dubio relinquimus.

Hodie titulo Praeposituraе de Graba olim Strigoniensis, nunc Rosnaviensis Dioeceseos, decoratur Reverendissimus Dominus Joannes Bapt. Samuel Strba, S. Sedis Consistorialis Neosoliensis Assessor et Oppidi Detva Parochus. Contra, honorem Praepositi S. Huberti de Graba, Dioecesis Vaciensis, ab obitu Andreae Cseh Cathedr. Eccl. Vaciensis Lectoris et Canonici nuper defuncti vacantem obtinet Reverendiss. D. Josephus Pécsy, Oppidi Tolna Parochus.

---

[1]) Literae donationales Stephani V. iun. Regis a. 1265 memorant terram monasterii Grab. qua terrae Barkan contiguam. Fejér: Cod. diplom. IV. 3. p. 292. — [2]) Schematismus R. Hung. pro anno 1775. —

XVI.

Praepositura S. Margarethae V. et M. de Hatvan.

„Hatvania, hungaris Hatvan, in montis Matrae radicibus ad Zadvam fluvium resedit, nobile olim propugnaculum. Quod cum anno 1678 a Turcis recuperaretur, desolatum est; et adeo quidem, ut aegre vestigium arcis tam celebris tueatur. Oppidum, quod inferius visitur, augescit in dies; Praepositura, quae olim erat Ordinis Praemonstratensium, et Capucinorum Monasterio memorabile.“ Ita Belii Comp. Hung. Geogr. Edit. 3. [1])

Hatvan Pagius in suo Praemonstratensium monasteriorum indice Cothvan erronee scribit. Ita nempe extraneis hungarica vocabula seu scribere, seu proferre arduum est; et ideo in similibus expressionibus plurimi hactenus errores fluxerunt e calamis scribarum. Quoad hanc Praepositurarm sic meminisse Pagium testatur Annalista Praemonstratensis: „Praeposito S. Stephani paternitatem adiudicat in Cothvan Pagius: hanc Strahoviensis Abbatia sibi vendicat, utpote assertam a Capitulo generali anno 1294. Sed de hereditate ad alienos conversa incassum decertatur.“— Praepositurarm hanc insignem quondam fuisse, ex eiusdem iuribus atque immunitatibus coniicere licet. Recensetur haec inter praecipuas Abbatias et Praepositurarm, quae a communi Episcoporum iurisdictione exemptae, et solius duntaxat Archiepiscopi Strigoniensis iuri subiectae erant. Péterffy: Concil, Hung. II. p. 290.

Publica fide Conventum de Hatvan olim gavisum fuisse, et Pazmanus docet, et literae Familiae Baronum de Fischer, quae una verum Praepositurae huius titulum oculis sistunt hoc tenore: „Omnibus Christi Fidelibus, tam praesentibus, quam futuris praesens scriptum inspecturis, Paulus Praepositus Conventus Ecclesiae Beatae Margarethae Virginis et Martyris de Hothvon salutem in eo.... In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam praesentes concessimus literas nostras privilegiales, pendentis sigilli nostri munimine roboratas. Datum feria secunda proxima ante festum B. Georgii M. anno 1345.“ Hodie tamen in Schematismo Regni Hungariae, in quo duae Praepositurae de Hatvan adducuntur, neutra titulum S. Margarethae gerit: nam una earum B. Mariae Virgini, altera S. Michaeli tribuitur. Ubi prior titulus fundamentum suum habeat, mihi et fors mecum omnibus ignotum est. At posterior, ille nempe S. Michaelis, Cardinalis Pazmani auctoritate nitebatur. Verum perperam. Quamvis enim in Appendice Synodi dioecesanae apud Péterffyum P. 2. pag. 277. nomina S. Michaelis et Hatvan sibi contigua sint: interpositum tamen iis punctum satis ostendit, Pazmanum non intendisse Praepositurae de Hatvan titulum S. Michaelis tribuere; sed duas distinctas Praepositurarm intellexisse, quarum una titulo S. Michaelis loco ignoto, alia in Hatvan titulo ei ignoto exstiterit. Duas tamen Praepositurarm de Hatvan, ut filiam Pontis Joannis (Jánoshida) serius Saaghae; aliam Cothwan, filiam Strahoviensem dicunt. Harum igitur prior, magis nota, titulum S. Margarethae; altera in

[1]) Editio 4-ta iam de Capucinis tacet, uti hodieque ibi nulli sunt. —

Comitatu Simeghiensi illum B. M. Virginis gerere poterat, quem hodieque gerit.

Recitantur a Prayio Literae Ladislai IV. Regis Hungariae ad Gregorium X. Papam, continentes querelas Abbatis et Fratrum suorum Praemonstratensis Ordinis de Hatvan adversus Lampertum Episcopum Agriensem, quod is dictorum Praemonstratensium quondam Ecclesiam parochialem occupaverit, eosdemque decimas de praediis et vineis, quas suis laboribus et sumtibus plantaverant, solvere compulerit contra privilegium a Clemente Papa IV. eisdem datum: quod etiam privilegium, cum sibi exhiberi petiisset, abstulerit, retinuerit, nec eis reddere voluerit. [1]) Literas regias refert Katona ad annum 1273. —Ex hoc etiam documento apparet Ecclesiam Hatvaniensem e numero maiorum fuisse, cum ipsius Praesidem Rex nomine Abbatis, apud Praemonstratenses minus usitato, insigniverit.

Anno 1468, vacantis Praeposituraе huius iura sustentavit Praepositus Lelesziensis, dum coram Capitulo Budensi contra Elenam, relictam Mathiae de Hathvan et alios violentos occupatores possessionis Besseneu in Comitatu Pestiensi exsistentis et ad Ecclesiam Hatvaniensem indubitato iure pertinentis protestatus est. [2])

Supra laudatus D. Erdey miratur in priore Monasteriologia nullam Fundatoris huius Canoniae fieri mentionem, cum tamen certum esset, eam Stephano de Vancha, celebri Archiepiscopo Strigoniensi deberi. Utinam fontem adiecisset! Idem narrat, expugnata per Turcas arce Hatvaniensi, sacris aedibus eversis, Religiosis dispersis, et bonis alienatis nihil nisi tenuem celebris Praepositurae memoriam mansisse superstitem. Quae ne penitus exstingueretur, Leopoldum I. Imperatorem et Regem, eiectis ex hac regione hostibus, Comiti de Salmis occasione Collationis dominii Hatvan iniunxisse, ut Praeposituram resuscitet, assignatisque e dominio hoc certis proventuum fontibus, honestae Praepositorum sustentationi pro dignitate consulat. Quo isthoc pietatis opus continue declinante, Gundaccarum Thomam Comitem de Stahremberg, ad quem dominium isthoc a Comite de Salmis anno 1723 transactione fuerat devolutum, pio devotissimi Imperatoris mandato morem gessisse.

Dotatio haec a Comite Stahremberg, Andreae Berkes, Consecr. Episcopi Heracleensis et Praepositi Vaciensis, viri multis nominibus laudatissimi conatu obtenta, in 294 iugeribus agrorum, pratorum, arundinetorum et caricetorum, 5 2/3 iug. vinea, mola in fluviolo ex Heréd decurrente, cauponae vinariae quotannis usu semestri, et iure pascui pecorum 100 consistit. Post Berkesium beneficio hoc fruebatur: Joannes Palics, tum Andreas Maszár, 82-o aetatis anno defunctus, quem sequutus est Joannes Samuel Horvatovszky, romanus Theologiae Doctor, a. 1794 mortuus. Hunc excepit Bernardus Stettner e suppresso S. Pauli primi Eremitae Ordine, cui a. 1822 defuncto successit a. 1824 Michael Weiszkopf; huic vero a. 1847 Michael Horváth. Hodie viget Reverendiss. D. Aloysius Janikovics, cui has notitias recentiores de Praepositura isthac debemus.

Praepositi S. Michaelis de Hatvan una eiates Parochi sunt inde ab anno 1729, quo Carolus III. Rex Hungariae supra laudato Comiti Gundaccaro clementissime polliceri dignatus est, in collatione Praepositurae singularem Parochi localis prae reliquis competitoribus rationem habitum iri. Unde ad evitandas collisiones altissime constitutum est a. 1794, ut praesentandus pro parochia non prius, quam obtenta Praepositura canonice investiatur.

Denique titulo Praepositurae B. Mariae V. de Hatvan Reverendiss. D. Franciscus Tary, Eccl. Metrop. Colocensis Canonicus, decoratur.

[1]) Hier. eccl. I. p. 205.— [2]) Archiv. Lelesziense.—

XVII.

Praepositura S. Petri Ap. de Horpács.

Tres fidedigni indices hanc Praepositurum Ordini Praemonstratensi adscribunt. Primus Layruelii sic recenset: „Horpasz, filia Schirnae, Coenobium in Dioecesi Jaurinensi.“ Huic conformiter ille Pazmani: „In Dioecesi Jaurinensi Horpáz.“ In fide horum suo indici eam inseruit Annalista Hugo, sic scribens: „Quatuor a Jaurino, vulgo Raab, milliaribus sita erat Praepositura Horpazensis, filia antiquitus Scheidae, quam Schirnam vocat Layruelius; a Capitulo generali anno 1516 Gradicio suppositum est Horpácz, subtractum Ordini a seculo, licet titulariter possessum a nostris Pernecensibus ex acquisitione RR. P. Francisci de Schöllingen, Abbatis Pernecensis.“ Successive, quando Csorna iure reluitionis in iura transiit Gradicensia, Horpácsianae Praeposituraе titulus Praeposito Csornensi ita coniunctus erat, ut semet Praepositum de Csorna et Horpács scripserit,. hodieque scribat.

Est autem Horpács possessio in Comitatu Soproniensi, tribus milliaribus Sopronio inter meridiem et orientem hibernum remota. Juris nunc est familiae Comitum de Szécsény. Quod ad Praeposituram adtinet: observavi, cum adhuc Scholasticus Sopronii essem, veterem Ecclesiam e solidis materialibus pro industria illius aetatis structam, adhucdum fideli populo pro parochiali servire. Stat ecclesia isthaec loco prae cetero pago aliquantum elevatiori. Ecclesiae adiunctum fuisse Monasterium, e circumjacentibus materialibus clarissime patet. Habet familia Szécsényiana castellum elegans in Horpács, ad quod struendum fortassis materialia iam collapsi Monasterii maiori ex parte serviverunt.

Bona ad hocce Monasterium spectantia, si divinare licet, fortassis Gésingiana fuerunt, quae Georgius Szécsényi Archiepiscopus Strigon. redemit, et Seminario Clericorum Budensi attribuit, „ut quae ex altari et a Deo fuerint, eidem restituantur; cum nulla sit in posteritatibus... benedictio,“ inquit in suis fundationalibus, queis possessionem Gesing, seu Kövesd, vicinam Horpácsio, eidem Seminario addicit.

Xystus Schier e similitudine nominis, quae inter Kirbach et Hurbach intercedit, existimavit pro Hurbach Horpács aeque usurpari posse; unde accidit, quod Horpách Canonicorum S. Augustini Superpelliceatorum fuisse opinatus sit quidem, sed nemini persuaserit. — Fundata dicitur Praepositura haec ad finem seculi XIV.

XVIII.

Praepositura de Inged.

Praepositurae Ingediensis in nullo Catalogo occurrit mentio: ne tamen eam dispungamus, auctoritate Capituli generalis anno 1516 celebrati convincimur, quod Ingediensem Praeposituram Praepositi Saaghiensis iurisdictioni paternae addixit. „In qua Dioecesi exstiterit Inghedinum, necdum innotuit indaganti," inquiunt Annales Praemonstratenses.

XIX.

Praepositura S. Joannis Baptistae de Jászow.

Dominium Jászow prisci Reges Hungariae Belae IV., ut ipse in suo diplomate loquitur, Antecessores, S. Ordini Praemonstratensi cum late patentibus tenutis larga benignitate, et in perenne contulerunt. — „Inter florentia aevo nostro in Abaujvariensi Comitatu eminet S. Joannis Baptistae Praepositura, velut inter ignes Luna minores. Candidissimo Praemonstratensium Canonicorum paret Ordini, non unam belli et Sectariorum vim experta." [1]) Annales Praemonstratenses his verbis eam memorant: „Praepositura Jászowiensis sub patrocinio S. Joannis Baptistae in Comitatu Abaujvariensi tribus a Cassovia metropoli superioris Hungariae milliaribus separata, primitus ab Ecclesia S. Stephani de Promontorio Varadinensi subiectione filiali pendens, et anno 1294 per Generalis Capituli sancitum addicta auctoritati paternae Abbatis Lucensis in Moravia, Fundatores habuit Reges Hungariae" etc.

Quinam reipsa e priscis Hungariae Regibus conditores, fundatoresque fuerint, ob defectum instrumentorum doceri non potest. Compertum enim est, anno 1241 vel sequente per impiam gentem Tartarorum, devastata citeriore Hungaria, Jaszoviam quoque igne ferroque vastatam fuisse: aedificia conventualia eversa, publicum aeque

[1]) Topogr. M. R. Hung. L. 6. C. 2. —

ac privatum tabularium ingenti posterorum damno in ardentis fornacis furore (phrasis est Belae IV. Regis) combustum fuisse testatur idem Rex in diplomate, quo bona ad Ecclesiam Jaszoviensem spectantia recenset et confirmat. Scilicet:

Idem piissimus rex anno 1255 ad vicinum Castrum Thorna divertit, cui occasione hac Albertus Praepositus supplex conquerebatur, se per Tartaros universis literalibus instrumentis et privilegiis privatum esse. Rex Praepositum senecionem miseratus, ex singulari etiam devotione, qua in Praecursorem Domini ferebatur, novo diplomate praeposituralem Ecclesiam in omnibus suis tenutis restabilivit; charissimi sui fratris Colomanni Haliciae Ducis piam liberalitatem pro reaedificatione exusti monasterii impensam, nec non donationem eius super terris Pochym et Pochey, Moneykeldi, Nyesta, Pereche et Jeche, novo consensu innovavit; donationem Isaaci de genere Aba super Villa Mihluk confirmavit; de sua liberalitate terras Noe, Saul et Endre vocatas adiecit. Idem Collectas populorum Monasterii, ratione Regum exigi solitas, usibus huius addixit; et subditos fundationales a Jurisdictione Comitum vel Vicecomitum exemit, ita ut iuri eorum stare non tenerentur; si gravioris criminis rei essent, damnandi, absolvendique potestate uni Praeposito relicta. Authentiam publici tabularii Conventui; Ecclesiam parochialem S. Michaelis in Jászow fundatam cui vellet conferendi potestatem, Praeposito contulit. Diploma in arce Thorna per manus Smaragdi Praepositi Albensis, Aulae Regiae Vicecancellarii datum legi potest apud Katona, Hist. Crit. sub Bela IV.

Jura, quae Jaszowio Bela rex asseruit, novo mox diplomate insequente anno confirmavit, et Praepositus mox in bonis coram homine regio Mixa de genere Kynis nullo contradictore apparente statutus est. Postquam Stephanus iunior rex Praepositum ad ineundum circa possessionem Supch iniuriosum cambium coëgisset, istud Rex Bela IV. medio Capituli Agriensis et dicti sui hominis Mixa rescidit, et Supch Ecclesiae Jaszow restitui iussit anno 1263; Stephanus vero ad compensandam iniuriam Ecclesiae Jaszoviensi piscinam Kolon in Comitatu Zabolcsiensi donavit, quae ad eum per decessum cuiusdam Petri sine herede fuerat devoluta.

Terra Supch iterum atque saepius ad forum contentiosum producta fuit; quam, ut contra Nobiles de Chán muniret Salamon Praepositus, novas metas in praesentia commetaneorum erigi curavit anno 1284. Duobus abhinc annis Supch, alias etiam Apáthy dicta, in quaestionem a Joanne Abbate Széplakiensi assumta, atque etiam in litem iuridicam adducta fuit contra Antonium Praepositum Jaszoviensem. Capitulum Scepusiense, in quod Partes vitandi strepitus causa sapienter compromiserunt, inspectis literis Belae regis pro Antonio iudicavit. Documentum eatenus legi potest supra titulo: Széplak.[1]) Recruduit lis post 57 annos, felici exitu pro Jaszoviensibus terminata, quam postea nemo amplius resuscitavit.

Maiora detrimenta Jaszovio accesserunt a binis Hungariae Regibus: Ladislao IV. et Carolo I. Ille de possessione Monasterii magnam quantitatem terrae novae suae civitati Gylnicsbánya attribuit. Promisit in concambium alias possessiones; sed cum minime satisfecisset, tandem ab Andrea III. Rege satisfactum est Monasterio anno 1290. Carolus Rex vero pro regia sua civitate Szomolnok terrenum ad duo milliaria protendendum exscindi, etiam ex alienis tenutis, demandavit; qua occasione maxima pars terreni Jászow ad Szomolnok fuerat occupata, datis eatenus pro exsequutione exequendorum literis ad Capitulum Scepusiense anno 1332. His ita

[1]) Tom. I. p. 248, ubi pariter pro Supch rectius legendum Supch.

peractis rationem neglectae compensationis reddit filius Caroli Ludovicus I. Rex Hung. ita in suo diplomate prolocutus: „propter non sollicitationem facti, et tarditatem Praepositorum dicti Monasterii.“ Credo Ludovicum, optimum filium, violentum et illegale Patris factum his verbis coram posteris excusare voluisse. — Edoctus postmodum Jaszovio gratia novae urbis Szomolnok plurimum terrae detractum fuisse, ad indemnitatem praestandam ius metallorum Monasterio intra suos fundationales limites reperiundorum perennale anno 1364 contulit et irrestrictum, quod iam antea Andreas III. ad ignobilia duntaxat metalla restrinxerat. E quo facto advertitur, aut maiora damna a Carolo prae Ladislao IV. fuisse irrogata, aut certe Ludovicum in Jaszoviam aeque ac in alia, quae fundavit, Monasteria profuse liberalem exstitisse.

Quamquam vero bona Monasterii undequaque truncarentur, vigiles tamen Praepositi Conventusque in augmentationem ipsius Jaszoviae praeter exemtiones et favores regios, cum ceteris eius populis communes, specialia incolis Jaszoviensibus concesserunt, aut impetrarunt privilegia. Volui partem talium horsum describere, e quibus natura veterum contractuum, et antiquae apud Hungaros consvetudines bona ex parte edocentur. Tale est privilegium Alberti Praepositi in favorem suorum Jaszoviensium, ut sequitur; „Albertus miseratione divina Praepositus de Jászow totusque Conventus Loci eiusdem... Quod nos populis Ecclesiae B. Joannis Baptistae de Jászow, ut numerus ipsorum magis ac magis augeatur et accrescat, de bona nostra voluntate et communi consensu Fratrum nostrorum hanc duximus libertatem conferendam, ut de qualibet Curia integra in festo B. Martini tria pondera argenti cum statera eiusdem Civitatis pro terragio dare teneantur; de vineis vero et de terris suis, sive emptitiis, sive exstirpatis, sive et qualicunque modo acquisitis nihil omnino persolvant. Unum vero molendinum cum quotcunque rotis sit ordinatum, debitum unius curiae integrae persolvebit. Item fabri, carpentarii, sutores, pistores, carnifices, pelliones et his consimiles, qui ad ordinem villae non sedent, sed in curia aliorum resident, quaerunt victus suos, duodecim denarios pro tempore existentes annuatim Monasterio persolvebunt. Item in duobus festis, videlicet in festo B. Michaelis Arch. et in nativitate Domini, quilibet ipsorum pro sua possibilitate de domo sua muneribus decentibus tenebitur honorare. In festo vero B. Joannis Baptistae de tota villa unum arietem, lagenam cerevisiae, et de qualibet curia integra unam tortam dare tenebuntur.... Item Sacerdotem, quem volunt pro tempore, communi eligent voluntate, et decimas suas Sacerdoti ipsorum, more Theutonicorum relinquent in agris... Datum anno 1244.“ Privilegia isthaec, ut eo firmius robur haberent, Vigandus Praepositus et totus Conventus Jaszoviensis anno 1295 sub sigilli munimine in perpetuum valitura roboravit.

Anno 1394 Joannes Praepositus a Maria regina, in vicina villa Somogy agente, ius fori annualis pro oppido Jászow impetravit, ut „nundinas liberas seu forum annuale in cunctis festivitatibus festi nativitatis B. Joannis Baptistae, et aliis diebus idem festum praecedentibus, et subsequentibus, ad id scilicet necessariis sufficientibus omni anno in ipsa possessione celebrandis sub iisdem libertatum praerogativis, quibus nundinae liberarum Civitatum... celebrantur,“ celebrari possint. Datum in villa Somogy die dominico proximo post festum Nativitatis Virginis Gloriosae anno 1394.

Quo suo foenore et emolumento Heri sacri suis Jászoviensibus alia dederint, alia impetrarint, patuit subinde. Eximia tali munificentia arma eis contra dominos subministrata, et ad contumaciam porta aperta. Anno 1421 praeludia ediderunt refractarii Cives. Volebat Petrus II. Praepositus piscinam formare, molendinum

aedificare; ad quae perficienda operam suam locare Jaszovienses quoque iussi sunt. At illi ad labores praestandos accedere audacissime recusarunt. Compulsi demum auctoritate Sigismundi Regis, ut de „quolibet fundo Curiae, seu habitationis, uno vel duobus diebus duntaxat annuatim.... transire, aut alium pro se ad labores exercendos aptum destinare debeant, recusa hac in parte quavis postergata. Datum in Civitate nostra Buda ... anno 1421."— Tandem Jaszoviensium contumacia eo processit, ut Sigismundus Rex Joanni de Perén mandarit in haec verba:... „et signanter adversus Judicem et iuratos Cives ceterosque populos et Jobbagyones dicti Monasterii, qui, ut dicitur, Spiritu ducti contumaciae, eidem Domino Praeposito et Conventui in licitis et consvetis rebelles exsisterent, protegere, tueri, et defensare ac indemniter manutenere debeatis nostrae Maiestatis in persona et auctoritate. Datum Budae tertio die festi Assumtionis Virginis Gloriosae, anno Domini 1432."

Qualiter Jaszovienses rebelles suo Dominio fuerint, edocet idem Sigismundus Augustus suo diplomate, quod quia Castri Jaszoviensis epocham continet, dignum existimavi integrum fere ex posthuma memoria, a Josepho Mallyo adornata reddere, ut sequitur: „Nos Sigismundus Dei Gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariae etc. Rex, memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit universis: Quod fidelis noster Venerabilis ac Religiosus Stanislaus Praepositus Ecclesiae B. Joannis Baptistae de Jászow, nostrae Celsitudinis accedens conspectum, nobis exposuit in hunc modum: Quomodo quidam Praedecessores sui, Praepositi scilicet dictae Ecclesiae per quosdam malefactores, imo rebelles, et contumaces Jobbagyones ipsius Ecclesiae de Jászow rabida acerbitate, diabolica instigante versutia seductos, propter carentiam fortalitii, in quo se ab insultibus talium malefactorum tutare... voluissent, in domibus dictae Praepositurae crudeli nece interemti exstitissent: propter quod formidaret et ipse Stanislaus Praepositus a similibus malefactoribus, et praesertim Jobbagyonibus suis rebellibus ... sibi simile malum temporum in processu posse evenire, supplicans his expositis... ut sibi circa praemissa gratiosius de remedio dignaremur opportuno providere. Unde nos tum ad huiuscemodi humillimae supplicationis instantiam ... tum etiam ex gratia speciali potissime ex eo, ut idem Stanislaus Praepositus et sui Successores.. protervas rebelliones et rabidas insultationes quorumlibet sibi forsitan adversari satagentium, et praesertim Jobbagyonum suorum rebellium eo facilius elidere et conculcare, eoque tutius et liberius divinis obsequiis insistere, et inhaerere valeat atque possit; eidem id gratiose duximus annuendum et concedendum... ut ipse Stanislaus Praepositus habitationem seu domum suam et dictae suae Praepositurae iuxta suae voluntatis libitum opere lapideo, seu ligneo ad modum castri seu castelli, turribus, moenibus, et propugnaculis pro personae propriae rerumque et bonorum suorum et dictae suae Ecclesiae uberiore tutela, et defensione fulcire, ac fortificari facere valeat, atque possit ex praesenti Maiestatis nostrae annuentia, et concessione speciali, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in Albaregali secundo die festi Conversionis B. Pauli Apostoli anno Domini 1436."...

Et ut porro tali modo Praepositura muniretur, idem Rex alio Decreto ad subditos Jaszovienses directo districtim iubet, ut „huiusmodi munitioni et constructioni recusa sine omni" auxiliis et subsidiis suis assistant opportune. Sed adverterunt ad rebellionem, rapacitatem, et despoliationem Ecclesiae proni Jaszovienses, sibi viam ad tales ausus moenibus praecludi; et proin nullo iussu auctoritateque dominali ad praestandum auxilium compelli potuere; ut adeo Sigismundo Imperatori iterum necessum fuerit, medio Lelesziani Conventus in

contumaciam inquirere, et sola sua regia auctoritate ad praestanda obsequia rebelles adurgere. Ita nempe semper male cessit, subditis contra iura, et patrias consvetudines benefacere: irritantur illegali beneficio animi subditorum.

Jaszovienses ad refractarios ausus ut plurimum exstimulati sunt Szepsiensis Oppidi incolarum pravo exemplo. Efflagitarunt hi a Paulo I. Praeposito Jaszoviensi et Conventu eiate montem pro vitibus inserendis, et terras arabiles pro agricolatione, utraque sibi vicina, sed iuris Jaszoviensis. Stipulatus fuit Contractus inter partes coram Capitulo Scepusiensi anno 1330 sub praestatione decimae ex omni nascentia; demum ad contestandum feudum certas mensuras vini, albi panni, atque etiam fomenti ad lucernas templi et monasterii addixerunt. Non defecerunt longiuscule Szepsienses a contractu legali. Accidit tandem sub Thoma Jaszoviensi Praeposito anno 1383, ut se infirmo nemo Szepsienses officii moneret; quae res ita iis adplacuit, ut ultra omnino praestare nollent. — Ultra 80 annos colluctati sunt, rebellionem fovente Ladislao, sacro Loci Curione, et spreta etiam excommunicatione a Bonifacio IX., sub Joanne III. Praeposito in eos tanquam contumaces lata; neglectis etiam Regum Hungariae iussis, Ladislao, Osvaldo, et Stephano de Rozgony, suis Heris eis ubique patrocinantibus, adeo feroces evaserunt, ut crudeles manus in Petrum Praepositum anno 1422 iniicere et Priorem Monasterii etiam graviter sauciare ausi sint. Perduravit malesana pervicacia Szepsiensium usque ad tempora Mathiae Corvini regis, quo iubente veteri vulneri remedium isthoc paratum est, ut Joannes V. Praepositus, et Conventus Jaszoviensis neglectas per tantam temporis intercapedinem praestationes amice remittant, Szepsienses vero renovatis terrarum feudalium veteribus limitibus legali contractui stare sint obligati. Sic tandem longae liti finis impositus, et Jaszovienses ad sua iura repositi.

Praepositorum accuratam et chronologicam seriem contexuit saepe laudatus Josephus Mallyo in sua posthuma memoria; quam nisi promissa Synopsis prohiberet, dignam typo, lectuque horsum describerem. Occurrunt in eorum Syllabo alii ab industria rei domesticae procuratione, a iurium bonorumque suorum legali conservatione multi; a sangvinis claritate, de Palócz, de More, de Báthory, et alii; sed a sincera virtute, religionis cultu, et a regulari observantia omnes commendatissimi. Nihil in iis desideraveris praeter publicam lucem, cuius ope pro communi Praelatorum Regularium idea illucescerent coram mundo.

In electione suorum Praelatorum Jaszovienses Praemonstratenses tenaces fuerunt semper legis sui S. Ordinis, et consvetudinis patriae. E gremio suo, et domi natos legerunt semper Praepositos. Nec deprehendes prima et illa longissima aetate in Cathedra Jaszoviensi sedisse alienigenam praeter unum, Nicolaum II., quem petente Duce Austriae Ludovicus I. ad hanc Praeposituram promovit anno 1350. Tantis vero ingratiis Religiosorum Jaszoviensium haec promotio accidit, ut Frater Fridericus anno 1354 suo, suorumque Confratrum nomine coram Capitulo Agriensi; duobus post annis Frater Nicolaus Visegradini coram Ladislao, Praeposito Chaszmensi, qua Comite regiae Capellae, et Secretario Cubiculario Domini Ludovici Regis; anno denique 1360 Frater Joannes, Conventus Jaszoviensis Prior coram tota Congregatione Comitatus Aba-Ujvariensis in praesentia Magnifici Viri, Nicolai de Konth contra institutionem sui Praepositi violenta Regis potestate peractam protestati sint. Domesticae isthaec litigationes etiam ceteras Domos pervaserunt; ut adeo Superiores totius S. Ordinis Jaszoviam confluxerint; et facto scrutinio Nicolaum de subsellio dimoverint, substituto in eius locum Joanne II.

Vehementer pupugit Regem indiscretus zelus, et actus supremi sui iuris patronatus laesivus. Quare Religiosis Viris, Praeposi-

tis de Thurócz, et de Lelesz, Visitatoribus Fratrum Ordinis Praemonstratensis firmiter praecipiendo mandat, quatenus praedictum Nicolaum Praepositum in sua Praepositura nullatenus molestare, vel perturbare sint ausuri modo aliquali; sed eundem in ea pacifice admittant permanere, aliud non facturi. His pene verbis Ludovicus Rex anno 1365.

Jus patronatus regii, quod Bela IV. Rex sibi, et suis Successoribus in Jaszoviam reservavit, non fuit unquam exercitum, nisi a Ludovico I., ut supra vidimus. At tempore Uladislai II. sub Ladislao de Vaya Episcopo Nicomediensi, et Praeposito Jaszoviensi, ius patronatus immutatum, novam prorsus accepit faciem. Idem Rex Uladislaus in quodam suo diplomate ita proloquitur de statu regularium sui temporis: „Vitam parumper remissam agebant Religiosi Ordines; ut proinde Coenobia, et Monasteria Fratrum religiosorum, eorumque professiones sanctae hoc inclytum Regnum Hungariae inhabitantium in pristinum florentem, Deo Optimo Auctore, statum reformarentur, cultusque divinus longius augmentaretur, propagareturque: provisionem Ecclesiarum sollicitudini, diligentiae, et pietati Georgii quondam Episcopi Quinque-ecclesiensis concredidimus.“ Hac occasione Rex ius patronatus Regium quoad collationem ipsius Praepositurae Jászow simul cum omni protectione et tutela eidem Georgio Episcopo contulit, cum hoc finali decreto, ut post obitum eiusdem Episcopi in iudicem, iuratos, ceterosque cives Cassovienses idem ius quoad Praeposituram Jaszoviensem devolveretur; ita tamen, ut quemcunque praefata Civitas elegerit nominaveritque Praepositum, hic infra tempus, a iure statutum, habitum Ordinis Praemonstratensis assumere, et induere, in ipsaque Praepositura Presbyteros eiusdem Ordinis Praemonstratensis sufficientes tenere, bonaque et possessiones eiusdem Praepositurae minime dissipare, quinimo pro viribus recuperare, et omnibus modis conservare et manutenere debeat. Ex diplomate de Dato Budae anno 1508.

Magistratus urbicus, et una cives Cassovienses quoad usum sui huius iuris tanta usi sunt humanitate, modestiaque, ut nec semel quidem semet immiserint in electionem Praepositorum. Bona eorum pace cum plena libertate canonica eligebant suos Praelatos Religiosi Jaszovienses; nec aliud praetendebant boni cives nascente occasione electionis, quam ut eis electus praesentetur, et tamquam ab eis nominatus canonice installetur. Plures cum idmodi circumstantiis electi occurrunt, nullusque a Conventu electus non admissus est a civibus Cassoviae. Fortassis tali moderatione ius suum firmare intendebant, bene gnari, quod qui avem capere cupit, fistula dulce canat. Hanc iuris praerogativam quo suo merito adepti sint Cassovienses, luculenter testatur Historia Hungariae eiusdem aevi.

Archivum publicum coaevum fuit Ecclesiae Jaszoviensi, quod cum Monasterio peraeque multas, variasque subivit vicissitudines. Jam primo aevo publicum ac privatum Tabularium ingenti posterorum damno combustum fuisse, supra dictum est. Restabilitum fuit a Bela IV., et quemadmodum sphaeram activitatis per plures vicinos Comitatus obtinuit: ita trium seculorum decursu adeo auctum fuit, ut Conventus eius vix alteri in regno fuerit secundus. Sub medium Sec. XV. maxima evenere Archivo detrimenta. Nam, ut contra Bohemorum Hungariam superiorem infestantium latrocinia securior esset Jaszovia, eam Blasius Magyar de Bezitha pro se occupavit, moenibus cinxit, et sedecim annis intra viscera Monasterii dominatum exercuit, circa annum 1476.

In hac iniqua Jaszovii circumstantia securitati prospecturi boni patriae cives, Archivum ad loca tuta, et praesidia firmiora transtulerunt; at omni periculo praecaveri non potuit. Michael Literatus Gobis de Kérch, iuratus dictae Ecclesiae Jaszoviensis Notarius, excogitato dolo, confectis sibi

sub Sigillo ipsius Conventus quibusdam literis fassionalibus et statutoriis, possessionem ipsius Ecclesiae de Jászow-Kérch vocatam pro seipso et fratribus suis per Regium, et ipsius Conventus homines, utique non Religiosos, in derogamen ipsius Ecclesiae fraudulenter statui facere procuravit anno 1492. Nempe: Fide, sed ante vide, ne capiare fide. Nec ullus periculosior domestico hostis.

Qualis postea evaserit status publici Jaszoviensis Archivi, patet ex Decreto XII. Ferdinandi I. Regis anno 1550 edito, in quo per articulum 63 cautum, provisumque fuit, ut „Nobiles, qui pro literis vel executione obtinendis ad Conventum Jászow proficiscuntur, depositis armis, unus aut alter ordine intromittatur: tempore autem fassionis per plures faciendae, vel iuramenti depositione, maneant foris hoc tempore periculoso.“ Demum ut Capitulum Agriense usque Varadinum, Transsilvaniam et Poloniam exsecutiones peragat ob miram Religiosorum paucitatem, cum „in Jászow vix unus Frater aliquando esse dicatur.“

Adversis his temporibus Tabularium publicum procurabant homines Laici, qui Requisitores Literarum et Literariorum Instrumentorum dicebantur: a quo munere, solis Romano-Catholicae Ecclesiae Sacerdotibus proprio, non sunt exclusi Lutherani, Calvinianique, sed piscabantur, prouti lubebat, tam in Jaszoviensi, quam Lelesziensi Conventibus. Interim tamen anno 1608 Decreto Mathiae II. post coronationem edito statutum fuerat, ut iidem Requisitores usque ad futuram Decretorum emendationem officiis suis perfungerentur. Ne vero in tali positu periculo depraedationis, aut plane nullitatis exponeretur publicum hoc Tabularium; cautum fuit anno 1613, auctoritate Comitiorum, ut Capitulum Agriense, sua sede per Turcam depulsum in Jászow Residentiam accipiat, exsecutionesque legales in districtu ipsius ex praefato loco peragat. Quas quidem ut eo fide dignius peragere possit, novum ea occasione et auctoritate Sigillum accepit.

Ast non diu gavisi sunt nova statione Canonici Agrienses. Quippe anno 1619 Gabriel Bethlenius, Transsilvaniae Princeps, religionum libertatem vindicaturus, Hungariam cum exercitu intravit, et factiosorum accessione firmatus non modicam regni partem in suam potestatem redegit. Cassovia occupata Georgius Szécsi, Bethlenianarum copiarum ductor valida suorum manu accinctus vicinam Jaszoviam subita invasione oppressit; et direpto oppido furorem in Sacerdotum Agriensium domicilia effudit. Pars caesi, pars in vincula compacti, et ad maiora mala reservati. [1]) Subinde cum sequacibus suis Cassoviae inter reliqua decrevit Bethlenius: Bellum continuandum in Ferdinandum, curam Tabularii Jaszoviensis cum Scepusiensi, Agriensi et Lelesziensi hominibus profanis committendam.

Post restitutos Sec. XVIII. in avitas Sedes Praemonstratenses refloruit undequaque Archivum publicum Jaszoviense, et mirum dictu, quantum incrementum sumserit. Archivarii solum e gremio Regularium legebantur, ii videlicet, quos legum patriarum scientia, et solers diligentia prae aliis commendavit. Postremo, priusquam Praepositura per Josephum II. Imp. supprimeretur, tempore officio hoc defunctus est Josephus Mallyo, qui pro singulari sua peritia vetera scripta, quae vel a tineis arrosa, vel nimia vetustate characterumque peregrinorum causa fere iam usum legalem perdidere, legibilia fecit, noviter ea describendo; quae deinde auctoritate publica cum originalibus suis collata iuris itidem vim in iudiciis obtinuerunt. Occupata iussu Josephi II. Imp. Jaszovia, eius Archivum sub curam et custodiam Regni receptum est.

---

[1]) Kazi. Hist. Hung. Libr. III. p. 166. —

Post fatalem genti hungarae ad Mohácsium cladem haeresis ad Hungaros promota, iamque late diffusa in florentem sexcentis annis Ecclesiae catholicae integritatem mira audacia desaeviit. „Dum vertigo haec tenuit, inquiunt Annales Praemonstratenses, Lutherana et Calvinistica haeresis per Hungariam late fusa, et religiosis domibus exitium intentans in Jaszoviam etiam irruit, et Praepositum Georgium Ollasyma cum canonicis iam morti addictum coëgit fuga saluti consulere.“ Hoc Praeposito regulari, anno 1552 fatis functo, Praeposituram hanc praedivitem varii Viri illustres e statu tam ecclesiastico, quam profano tenuerunt. Non erit inutile aut iniucundum, referre ea illorum gesta, quae historiam Jaszoviensem propius attinent.

Anno 1553 viduatam suo Praeposito regulari Praeposituram Jaszoviensem primus collatione regia Ferdinandi I. e Clero seculari emeruit Georgius Draskovics, qui insignem sui memoriam reliquit Jaszoviae. Nam ad principium sacrae suae Praefecturae sagacissime egit, ut gratia Ferdinandi Regis fundatio altaristica, facta anno 1519 a Joanne Tornallya in honorem S. Annae cum assignatione medii pagi, Jászóujfalu dicti, vulgo Novácsan, nomine regio confirmaretur; in qua etiam nemine contradicente statutus fuit anno 1554. Serius deinde, anno videlicet 1564 nominatus est Praepositus, Andreas Dudith Sbardellatus, Episcopus Quinqueecclesiensis, qui ante sacrilegam Apostasiam impetravit mandatum regium contra Stanislaum Thurzó, terrae Scepusiensis Comitem, qui fodinas et malleaturas Praepositurae ausu temerario, atque violenta manu occupavit.

Sequitur, sed haud immediate, Gregorius Bornemisza Episcopus Varadinensis. Hic in rerum angustiis constitutus, quemadmodum a Praepositura Scepusiensi fundos Körtvélesienses abalienasse legitur: ita praedium Puszta-Kérch, alias Prépostföldé, ab Ecclesia Jaszoviensi Laurentio Móricz ignoto titulo tradidit. Mortuus tandem sub finem 1583, sepultus Jaszoviae. Quatuor deinde annis vacuam Praeposituram impetravit anno 1587. die 13. Aug. Martinus Pethe de Hetess, Episcopus Varadinensis, qui Jaszoviae unice apud suos Officiales inscriptionalistas largam sui, sed Praepositurae ad ultima usque tempora ingratam sane reliquit memoriam. Quo ad Metropolitanam Cathedram Colocensem promoto, Varadinensem infulam cum Praepositura Jaszoviensi obtinuit anno 1599 Nicolaus Mikáczy, de quo posthuma memoria adnotat, quod per modum transactionis Praeposituram Jaszoviensem Magnifico Domino Ladislao Pethe de Hetess, Regiae Maiestatis Consiliario cesserit, quam idem Pethe etiam realiter possedit.

Anno demum 1612 idem Pethe iam nundinationem Praepositurae instituit, quam undequaque adflictam vendidit coram Personali praesentiae regiae Mathiae II. Regis Francisco Pethő de Gerse, Libero Baroni de Sztropko. Hic primis annis titulabatur: Designatus Praepositus de Jászó. Francisco Praepositurae incubante Gabriel Bethlenius possessionem Jászó-Mindszent Hieroslao Zmeskál de Domanovecz, septem Civitatum montanarum Camergrafio, et Consiliario suo ter mille florenis ungaricalibus titulo pignoris inscripsit. Datae et signatae fuerunt Literae in Civitate Hunnobrodensi Moravorum anno 1621. Ne vero designatus Praepositus minus iniurius sit: praeter fundos, quos in pagis Praepositurae abalienavit, demum anno 1623 integram possessionem Alsó-Novay in summa ter mille florenorum in quemdam Georgium Szabó de Göncz iure pignoratitio transtulit, et anno 1631 nobilitarem Curiam in Jászow, per Egregios Andream, et Joannem Marussy tentam Joanni Pyber Episcopo Agriensi, et patruelibus eius Francisco et Joanni Pyber 600 flor. titulo pignoris inscripsit. Ab his mercatus est eandem in Episcopatu Agriensi successor Joannis Pyber, Emericus Losy florenis

776, in qua habitationem quietam nactus, anno 1635 Synodum dioecesanam celebravit Jaszoviae. Acta Synodi lege apud Péterffy, P. II. p. 334.

Evolutis postea lustris aliquot nihil fere dignum relatu gestum est a Praepositis titularibus. Anno deinde 1678 Ferdinandus Comes Pálffy ab Erdőd Episcopus Agriensis, una Jaszoviensis Praepositus, hanc suam Praeposituram, quam praedatorum manus insedit, socio C. Leslaeo armatum militem trahente in pristinam libertatem asseruit; profanis ritibus deturpatum veteri decori restituit, atque ut iniquitatem perditissimorum temporum impediret, populoque suae ditionis tutamen quodpiam procuraret, literas protectionales impetravit: omnimodam tamen quietem procurare non potuit. Anno enim 1685 Tökölius, insessa per suos Jaszovia, et occupatis universis Praepositurae bonis, Dominium Jászó suum fiscale bonum esse Cassoviae pronuntiavit anno eodem.

Qui post meritissimum Episcopum Pálffyum Praeposituram hanc tenuerunt usque ad postremum de statu clericali Georgium Fenesi, nihil fere memoria dignum pro Jaszovia egerunt. At Georgius Fenesi Episcopus Agriensis plurium nomina supplevit, meritusque pro pluribus in Jaszoviam. Designatus ab Augusto Leopoldo Episcopus, ampliorum proventuum causa obtinuit una etiam Praeposituram Jaszoviensem, „cuius dominium adeundo (utor verbis publici autographi documenti) castrum Jászó combustum, destructum, ac pene solo aequatum expensis non solum dictae Praepositurae, verum etiam ex Episcopatu erutis proventibus restauravit, et reaedificavit.“ Dum vero bona Praepositurae moderabatur quam curatissime, interim sublestos praeiudiciososque possessores (Inscriptionalistas vocamus) armis legum dimovit, impensum aes eorum sive fundis, seu agris, seu aedificiis rite restituendo, dominium Praepositurae ab idmodi hirundinibus perpurgavit: Ecclesiam Praepositurale e fundamentis eduxit, ac pro more seculi, quo vixit, ornavit. Xenodochium Jaszoviense munificentiam Fenesianam, quoad aedificium, de praesenti etiam agnoscit.

Illuxit tandem ter faustus Ordini Praemonstratensi in Hungaria annus 1697, quo die 26. Januarii Leopoldus I. Imperator, et Rex Hungariae Ven. D. Francisco de Schöllingen Ord. Praemonstratensis in Austria inferiore Praelato Pernecensi contulit Praeposituras Jaszoviensem et Lelesziensem, ut easdem post decessum actualium possessorum apprehendat. Fenesius, ultimus ex Ecclesiasticis, illam possedit; utque Candidus Ordo Praemonstratensium in veteres Sedes iure postliminii reponeretur, praecipuus auctor fuit. Tandem meritis et annis gravis Jaszoviae mortem invenit anno 1699. die 4. Martii, sepultus in Ecclesia Joannea suae Praepositurae.

Interea die 27. Martii installatus fuit Raymundus de Blöden S. Ord. Praemonstratensis Plenipotentiarius et Administrator Helmecziensis, Canonicus Regularis, professus Pernecensis. Huic camerali installationi Demetrius Bersény Canonicus Agriensis nomine totius Ven. Cleri Regni Hungariae contradixit coram I. Consistorio Camerali solemnissime die eodem. Sed responsum ei fuit ex iure civili: Non videntur rem amittere, quibus propria nunquam fuit.

Consequente anno 1700. die 25. Junii Canonia Lucensis Moravorum Praeposituram hanc cum novo consensu et sub patente Regio privilegio recepit a Praepositura Pernecensi. Haec nempe nimium se in recuperatione hungaricarum Praeposituarum adstrinxit, et multo alieno aere oneravit. Ut itaque et finem intentum restabiliendi S. Ordinis Praemonstratensis in Hungaria obtineret, et semet ab onere alienarum pecuniarum liberaret; sicut Csornensem Praeposituram Gradicensi erga certam summam pecuniariam dimisit; ita Jaszoviensem Lucensi Canoniae cessit.

Novae dominationi Lucenses Praelati sic dictos Administratores Religiosos praefecerunt primis, iisque paucis annis. His currentibus id triste accidit Jaszoviae, ut a rebelli Francisco Rákóczio anno 1707 ad Comitia Onodinum provocarentur Conventuales, qui armata vi compulsi Kakasium e gremio sui et suo nomine miserunt. Ablegatio isthaec, licet e metu vicini hostis profecta, magnam novo Conventui conflavit invidiam, maculamque immanem adussit. In poenam praesumti ausus anno 1709. die 18. Decembris a Card. Christiano de Saxonia, Archiepisc. Strigoniensi, cum ceteris Rákóczio adhaerentibus excommunicati sunt. Quae deinde calamitates Conventui evenerint, facile coniicere licet. P. Nicolaus in temporalibus aeque ac spiritualibus Administrator crudelem in sua persona sustinuit persecutionem : qui, ni celeri fuga se subtraxisset, trucidandus erat ad pontem Jaszoviensem. Sed innocuus facile notam coram throno regio diluit, et veniam promtam a Josepho I. Rege promeruit. Speciali praeterea a servata Regi fidelitate elogio ornatus, demum primus post restitutionem Jaszoviae Praelatus anno 1710 electus.

Primorum quatuor Praepositorum industria curabat, ut templis praepositurali-bus suus nitor, bonis prudens oeconomia, Monasterio sufficientes Religiosi redderentur. Sed unus, Andreas Sauberer, quintus a restitutione, penultimus ante abolitionem Monasterii, unus pro omnibus fuit; qui tanta Jaszoviae fecit, ut pro altero Fundatore haberetur. Huius unius conamine et expensis surrexit grandis moliminis Ecclesia Praepositurali Joannea nova, quam veluti cingunt e parte una Canonia, ex altera vero Praelatura. Omnia haec composita talia sunt, ut si splendida dixeris, minus maiestate dixisti sua.

Quorsum tanta moles desierit, aperuit annus 1786, cuius 26. Martii nobilis haec Praepositura cum suo regulari Conventu Decreto Caesareo-regiae Maiestatis, communi ceteris Religiosorum venerandis domibus ruina, procubuit: ipsum vero aedificium, multis impendiis, pluribus curis ac laboribus Saubererii positum, nec non multis nominibus celebratum die 19. Augusti anni 1792. ex toto in triste bustum abiit.

Restituto per immortalis memoriae Imperatorem Franciscum II. anno 1802 in Hungaria S. Praemonstratensium Ordine, Jaszovia primum Praepositum in Andrea Zázio, AA. LL. et Philosophiae, ac SS. Theologiae Doctore, prius in R. Scientiarum Universitate Hungarica Hermeneuticae Sacrae Professore nacta est, cui praeter aliquot Gymnasiorum provisionem, Ben. Diplomate Restitutorio iniunctam, exusti ante decennium Jaszoviensis Coenobii restauratio non mediocrem curam adduxit. Excepit hunc Maximilianus Bernáth, una Praepositus S. Crucis de Lelesz, et Stephani Protomartyris de Promontorio Magnovaradinensi; cui anno 1829 successit Aloysius Richter, SS. Theologiae Doctor Collegiatus, serius cum titulo Caes. Reg. Consiliarii dignitatem et munus Superioris Studiorum et Scholarum Districtus literarii Cassoviensis Directoris consecutus, quod usque mutatum anno 1850 Studiorum Systema laudabiliter gesserat. Mutatio haec id quoque post se traxit, quod Praepositura de Jászó in locum Gymnasii, et Studii philosophici Cassoviensis Gymnasium 8 Classium Eperjesini assumserit, Moderatoribus e gremio Candidi sui Ordinis providendum, Rosnaviensi et Leutsoviensi Gymnasiis prius maioribus nunc ad minora reductis, et eo Magnovaradinensi in 8 Classibus persistente. — Defuncto die 25. Augusti anni 1854 Aloysio successit Illustrissimus[1]) ac Reverendiss. D. Josephus Répássy,

[1]) Axioma Illustrissimorum, quo DD. Praepositi Jaszovienses hodie potiuntur, Lege patria Corporis Juris art. 73. anni 1715. inserta primitive nititur, vi cuius Vincentio Walner, Abbati Lucensi, qua Praeposito S. Stephani Protom. de Promont. M.-Varad., eiusque successoribus Sessio cum Voto in Comitiis regni inter Proceres admissa fuit. Iidem Abbatum axioma Guillelmo Manouryo, Praemonstrati Abbati et Ordinis totius Generali debent, qui Canoniam Jaszoviensem anno 1774 pro suo iure ad Abbatiae dignitatem evexit. Sed nec alia utriusque tituli fundamenta desunt. —

S. Candidi, et Exemti Ord. Praemonstr. Canonicorum Regularium Praelatus, Ecclesiarum S. Joannis Bapt. de Castro Jászó, S. Crucis de Lelesz, ac S. Stephani Protomartyris de Promontorio Magnovaradinensi Abbas, et Praepositus Infulatus, vivo adhuc Aloysio electus, cui aetate, et curis postremi temporis fracto Coadiutor cum iure successionis datus fuit.

XX.

Praepositura S. Lazari de Insula.

„In Insula, eoque in loco, in quo Szigethana exsurgit arx, fuit quondam Praepositura Praemonstratensium, Insula Lazari appellata, quae abeuntibus in tutiora Religiosis, ita exigente tempore, militari locum cessit praesidio.“ Ita P. Thuróczy in sua Hungaria. Prosequitur Belii Compendium Hungariae geographicum: „Hac in Insula (nempe Szigethana), quae Lazari olim denominabatur, Praemonstratensium Praeposituram fuisse ex annalibus Sacri huius Ordinis discas,“ ad quos ego Benevolum Lectorem invio. Layruelius, et post eum Cardin. Pazmánus eam statuunt, uti reipsa est, in Dioecesi Quinqueecclesiensi: fuit olim filialis Praeposituraе Thuróczíensis.

Insula Lazari, quae modo sine praenomine solum Szigethana adpellatur, anno 1776 illac iter facienti mihi visa est idonea omnino fuisse primae observantiae Praemonstratensi, secundum quam Religiosi tempore ab officiis divinis vacuo rus colebant, veterumque Anachoretarum morem imitari, et in se exprimere satagebant. Hic sine omni accessu profano quisque labori suo vacare poterat sine censore extraneo. Neque enim, ut natura loci commonstrat, eo quisquam sine beneficio navis illo tempore penetrare poterat: nec etiam admissi sunt eo aevo seculares ad Monasteria; ne fortassis mundani quidpiam pulveris e tali consortio religiosis cordibus adspergeretur. Pons, qui ab urbecula ad modernam arcem munitissimam ducit, senior est monastério. Istud examinato loci situ, in pauxillo spatio stare alibi non potuit, quam in loco modernae arcis, tamquam cetera insula aliquantum sicciori. Reliqua pars eius agricolationi monasticae apta fuit annis praesertim impluviis. Ceterum insulam efficit rivus Almás e vicinis montibus defluens, ac impedito cursu in paludem et stagna evolutus.

De fundatore Monasterii aeque, ac fundationis aevo nullum apud nostrates reperias vestigium. Ita nobis tempora anteriora sui notitiam invidebant, abscondebantque. Anno 1450 Osvaldus Anthemius, qui e Graecia in Hungariam venerat, opibusque florebat, hic arcem molitus primo turrim praegrandem pro sua securitate struxit. [1]) Unde conficitur longe anteriorem fuisse fundationem Monasterii, cuius hoc tempore vix rudera exstiterint, quae praedictus Anthemius restaurare potuisset. Bonorum possessionumque, quibus citra dubium Praepo-

[1]) Topogr. R. Hung. p. 254. —

situra fruebatur, apud Scriptores domesticos nomina pariter silentur. Vicini quaepiam revelare possent fortassis, nisi iudicarent satius tacere propter iura sequiora. Memoriam eius conservat unice fere collatio regia tituli, quem anno 1850 tenebat Illustriss. D. Joannes Birling, Zagrabiensis Canonicus et Cantor, El. Episcopus Scopiensis, Praepositus S. Augustini de Insula Lazari. Hodie tenet eundem Reverendiss. D. Carolus Festl, in literariis per M. Principatum Transsilvaniae Referens.

XXI.

Praepositura S. Augustini de Insula S. Birgittae.

Praeposituram S. Augustini Cardin. Pazmanus post Layruelium inter Praemonstratensium Praeposituras retulit. Eam Mallyo in posthuma memoria non commemorat: qua de causa id faciat, divinare non possum. Existentiam eius praecitatus Layruel in Dioecesi Quinqueecclesiensi ponit; sed locum in ea non determinat. Altum etiam de ea silentium apud domesticos Scriptores notum est; at Annales huius Ordinis Praepositurae S. Augustini in Circaria Hungariae meminerunt, quam ad Dioecesim Quinqueecclesiensem, et Civitatis cognominis viciniam reponunt.— Georgius Klimo Quinqueeccles. Antistes eruditissimus eam in familiari sermone asseruit in Insula S. Birgittae exstitisse, cui Schematismi R. Hungariae consonant. Anno 1840 inter vacantes Praeposituras occurrit, ante quem longiori iam tempore collata non fuisse videtur. At hodie titulum eius tenet Reverendiss. D. Carolus Keszelborn, Ins. Coll. Eccl. Tyrnaviensis Lector, et Canonicus, Sacerdos Jubilaris.

XXII.

Praepositura S. Michaelis Archang. de Insula Leporum.

Haec Insula Danubii vocatur etiam Insula Budensis, quod novae, veterique Budae intersita esset. Dein a Claustro ac templo, quod Bela IV. Rex anno 1255 Virginis Mariae honoribus exstruxerat, dicta est Insula Beatae Mariae. Dicitur etiam alio nomine Insula Beatae Margarethae, eo quod Margaretha Belae IV. filia, e Mona-

sterio Vesprimiensi ad Claustrum Insulae huius, iussu et voluntate sui Patris traducta, religiosam ibidem vitam transegerit. Insula haec quinque Asceteria suo ambitu prioribus seculis complectebatur. Erant duo Dominicanae familiae, Virorum alterum, alterum Sanctimonialium; tertium Seraphici Ordinis; quartum Cisterciensium; quintum denique Praemonstratensium a Divo Michaele Archangelo, ut in titulo praefixum est, compellatum.

Postremum hoc iam anno 1224 isthic exstitisse ex literis Andreae II. Regis observavit Kaprinay, [1]) qui sic habet: „Bela autem IV. perhibet Insulam hanc iam a Progenitoribus suis dicto Praemonstratensium Monasterio fuisse donatam, sed Regum iuribus iterum fuisse vindicatam; quam ob salutem animae suae matris, vita defunctae memorato Claustro restituit.... VIII. Kal. Dec. 1249...." Praeposituram hanc successivis temporibus a iurisdictione Dioecesani exemptam, atque solius Archiepiscopi Strigoniensis iurisdictioni subiectam fuisse patet ex Bulla Pii II. anno 1464 data, quam vide apud Péterffy.[2]) Fuit quondam filia S. Stephani de Promontorio M. Varadinensi, postea Zabrdovicium translata anno 1294, teste Layruelio. P. Xystus Schier videtur Josepho Mallyo minus recte scripsisse in sua Buda sacra, cum inquit: „Certum habeo primos incolas (Praemonstratenses ad Coenobium S. Michaelis) traductos fuisse ex Zabrdovicensi Moraviae Coenobio, quod sub annum 1200 fundatum, privilegio Ottocari Bohemiae Regis firmatum fuit anno 1211." Quamquam id omnino accidere potuerit; quemadmodum e Brzenoviensi Bohemiae Monasterio, aeque recenti, ad Montem ferratum, seu Péchváradja Colonia Benedictina traducta est.

Minus recte eundem Schier sensisse, iudico in eo, quod ibidem ad annum 1302 scribat: „Cistercienses huc immigrarunt: sive priores incolae (Praemonstratenses) taedio turbarum illius temporis sponte locum deseruerint, sive a Patrono discedere iussi." — Nam a nullo Patriae historico traditum fuit unquam, Praemonstratenses et Cistercienses successive idem Monasterium incoluisse in eadem insula, Leporum dicta. Quin omnes in id consentiunt, quinque in ea fuisse diversorum Religiosorum uno tempore domicilia. Denique ad annum 1362 exstat memoria Jacobi Praepositi Ecclesiae S. Michaelis de Insula Leporum in literis Capituli Budensis, quibus is cum Lapicida Budensi contractum inivit ratione certi aedificii perficiendi circa Ecclesiam Lelesziensem in florenis 200. Ita Elench. Archivi Lelesziensis.

„Anno 1483 Petrus Colocensis Archiepiscopus, summus Regis Mathiae I. Cancellarius huius mandato Praeposituram hanc Ordini Praemonstratensium restituit: sed post decennium data est PP. Paulinis, ut est in Synodo Pazmaniana," inquit Timon. Non videtur summus Cancellarius optima fide tenuisse Praeposituram, qui tam sicce iubetur eandem legitimis heris restituere. Nempe: rapimur interdum, dum fortuna ridet. P. Timon, vir alias solertissimus, atque etiam sagacissimus, pro Praepositura Insulae leporinae voluerit scribere Praeposituram Insulae Chut S. Eustachii Paulinis traditam fuisse.

Anno 1246 Gysen Canonicus Budensis Praeposito S. Michaelis et Fratribus vineam in Tapsa, quae in literis Ludovici I. Regis pars territorii Capituli Budensis dicitur, in remedium animae suae donat. Literae Capituli Budensis super ea donatione tales sunt: „... Scriptum inspecturis Budensis Ecclesiae Capitulum salutem in Domino. Insinuatione praesentium Universitati vestrae significamus, quod constitutus coram nobis Gysen Concanonicus no-

[1]) Hist. diplom. II. 275. — [2]) Concil. Hung. II. 290 —

ster aeternae beatitudinis bravium pietatis operibus cupiens obtinere, quamdam vineam suam in Tapsa sitam, quam ab uxore Semen comparaverat, quae conterminalis est vineae Pocha, filii Pozor, intuitu aeternorum Praeposito S. Michaelis, et confratribus suis de Insula Leporum contulit perpetuo possidendam... Actum Verbi incarnati 1246. Ecclesiae nostrae Ambrosio Lectore, Aaron Cantore, Thoma tertio Custode, Nicolao Decano, et ceteris Canonicis exsistentibus."

Praeposituram hanc insulanam egregie tuebatur olim Franciscus Fegyverneky Praepositus Saaghiensis, et Vicarius per Circariam hungaricam Generalis. — Anno enim 1525, qua Tutor legitimus Praepositurae B. Michaelis quasdam portiones huius Ecclesiae in Boros-Jenő in Comitatu Pestiensi exsistentes cum aliis quatuor sessionibus, ad Michaelem Podmaniczky attinentibus revindicavit, et in iis Ecclesiam statui procuravit. Verum cum haec omnia idem Podmaniczky anno insequente occupasset, nec post eius mortem frater eiusdem Stephanus, Episcopus Nitriensis, restitueret, idem Franciscus Praepositus, impetrato a Rege Ludovico II. anno 1526 protectionali mandato, anno 1528 in Curiam Regiam Stephanum Episcopum evocavit ad restitutionem rei alienae faciendam.— Bona subinde adplicata sunt Conventui Budensi Sanctimonialium S. Clarae; quibus anno 1787 exstinctis, bona coniuncta sunt cum iure patronatus regio. [1]) — Titulum Praepositi gerit Reverendiss. D. Petrus Farkas, Ecclesiae Oppidi Jász-Berény Parochus.

XXIII.

Praepositura de Kapusfő.

Binae sub hoc, mutata unica litera, nomine occurrunt Sacrae Domus in Hungaria. Una, de qua hic agitur, Kapusfő in Comitatu Bodroghiensi ad sacrum Praemonstratensem Ordinem spectabat, uti Cardin. Pazmanus testatur. Altera de Kaposfő Ordinis S. Benedicti, de qua supra iam suo loco actum est. De illa praeter nudam exsistentiam, solius Pazmani auctoritate nixam, nihil ultra cognitum est; imo nec in Schematismo Regni Hungariae memoria eius adest. Ibi enim nulla Praepositura de Kapusfő sed solum de Kaposfő, adducitur, quam non in Bodroghiensi, sed in Sümeghiensi Comitatu sitam esse indubium est. Confer ea, quae supra de Praepositura S. Benedicti de Kaposfő Ordinis Benedictinorum dicta sunt.

[1]) Grandium aedium ruinae, villae Josephi Archiducis condam Palatini vicinae, hodieque visuntur.

XXIV.

Praepositura S. Crucis de Lelesz.

Lelesz, olim praedium ad castrum Zemlyn, hodie Zemplin pertinens, nunc oppidum, iacet in insula Bodrogköz, haud procul fluvio Latorcza, Boleslao, postea Vaciensi Episcopo, a Bela II. Rege, quando eum de sacro baptismatis fonte levavit, dono datum. Istud Boleslaus, qua Vaciensis Episcopus, contulit Praemonstratensium Ordini, privilegio aurea bulla Belae III. Regis insignito; ubi postea Ecclesiam S. Crucis a Catapano Agriensi Episcopo consecratam cum monasterio erexit. Quia vero privilegium hoc ab Emerico Rege, dum idem Boleslaus Episcopus tempore eiusdem Regis ob regiae Celsitudinis ingratitudinem falsi sceleris poenas subiisset, direptum fuerat; ad preces dicti Boleslai anno 1214 Andreas II. Rex illud innovavit, qui etiam dimidium praedii Mikusa, iuxta Varadinum siti, memoratae Ecclesiae largitus est ob rem divinam, illic a duobus Sacerdotibus pro anima Reginae Gertrudis, consortis suae nuper inter ceteros necis complices a Bano interemptae, cuius corporis pars in eadem ecclesia Lelesz est tumulata, perpetuo faciendam. [1])

Fundationale diploma, quod ab irato Rege Emerico direptum fuerat, reparatum per Andream II. huius fratrem, legi potest apud Katona. [2]) Pertinebant ad hanc Praeposituram in Comitatibus: Zempliniensi, Unghvariensi, Zabolcsiensi multorum commodorum tenuta, et quidem integra oppida Lelesz, Király-Helmecz et Nagy-Kapos; praeter haec possessiones: Polyán, Chernó, Kis-Kapos, Sislócz, Lakarth, Trask, Wizoha, Zaloka, Wajdacska, Kanyár, nec non portiones in Batt et Agerd. His addendae veniunt in variis promontoriis vineae et praedia, ac variae terrestralium emolumentorum species. Sed quam saepe copia inopes facit; invidos, inimicosque opum excitat! Leleszio id plane accidit, quod a primo fundationis aevo semper rapacitati aliorum fuerit expositum. — Primus Rex Emericus teste Innocentio III. Papa Boleslai Episcopi patrimonium, quod domui cuidam religiosae (Leleszianae), quam ipse de novo fundaverat intuitu pietatis, fecit pro motu voluntatis propriae confiscari. [3]) Vix evoluto seculo iam cum variis familiis vel ad manutenenda, vel revindicanda bona agendum erat. Anno 1302 negotium facessivit Familia Ruke de Lonya circa possessionem Zaloka dictam. Sed violentos Rukeorum ausus contradictionibus, prima quidem in Capitulo Agriensi anno eodem, altera in Scepusiensi anno 1303 interpositis, repressit Leleszium.

Turpius, et omnino crudele facinus patratum est anno 1403 a Mathia, et Emerico de Palócz, qui post mortem patrui sui Dominici de Palócz Praepositi Lelesziensis, corpore huius nondum humato, noctis silentio in Conventum cum suis asseclis irruentes, armatis manibus omnes thesauros

[1]) Kaprinay : Hung. dipl. 2. 195. — [2]) Hist. crit. V. 180. — [3]) Katona : Hist. pragm. I. 708. —

diripuerunt, octo millia aureorum ex ecclesiae Sacristia auferendo. Religiosos, qui se pro defensione thesauri ecclesiae opposuerunt, in Sacristia et ecclesia humi raptantes ad mortem verberibus affecerunt, a cuiusmodi plagis Paulus Custos e vita decessit, Joannes vero Prior in mentis hebetudinem incidit. Horrenda res, in ethnicorum potius quam Christianorum fastis, apud carnifices potius, quam Nobiles viros quaerenda![1])

Hoc funesto facto Helmecz oppidum, dimidio horae in occasum hiemalem seiunctum a Lelesz, ad sacrilegos Palóczios transiit; dein a variis Praepositurae Usurpatoribus habitatum. In eodem regia propemodum magnificentia celebratarum Emerici Thurzonis nuptiarum factum est initium.[2]) Post Thurzones in iura venit Susannae Lorándfy, senioris Georgii Rákóczy Transsilvaniae Principis viduae, quae locum hunc ob situs amoenitatem, aëris salubritatem, soli praestantiam ac ubertatem multum in deliciis habuit. Postquam Helmecz ad vetera Praepositurae iura rediit, castellum per hanc viduam aedificatum commodam praebuit habitationem Parochis, e gremio Lelesziano nominatis.

Non minus humani evaserunt Nobiles de Chycher, quibus Nicolaus I. Praepositus Lelesziensis Patruus, usum fructuum possessionis Kiss-Kapos concesserat ad tempus et beneplacitum suum, successoris sui, et Conventus eiatis. Quam cum Stanislaus, Nicolai in Praepositura successor repeteret, tam inique assumta est traditio, ut vitae Praepositi insidias struxerint medio Bohemorum illic latrocinantium anno 1442. Varia deinde litigia facessiverunt Dobones de Ruszka, anno circiter 1490. Franciscus Bebekius cum filio Georgio „collecta, inquit Timon, perditissima fece variarum nationum, magnam superioris Hungariae partem infestam habuit„ direpto et occupato Coenobio Lelesziensi“ anno 1555. Non diu fruitus videtur Bebekius sacrilega offa. Nam eodem fere anno Petrus Perény cum filiis ac tota cum familia, audito Stephano Kopáczy, et Michaele Osztoray, Evangelicam doctrinam praedicantibus, primus posita prisca orthodoxia illam est amplexus, primus etiam specimen novitiae religionis edidit. Ecclesiarum enim Leleszianae, et utriusque Kapos Calices, Cruces ac ceteram supellectilem argenteam abstulit, altaria et tabulas confregit, pavimentum ecclesiae subvertit, quam ut totam cultui sacro ineptam redderet, etiam tectum deiici mandavit.[3]) Detinuit Perényius Praeposituram tribus annis, quo ei incubante, Conventus de Lelesz ad iuridicas executiones inter fideles Regiae Maiestatis progredi non potuit.[4])

Quam vero opimum fuit Leleszianum Monasterium bonorum possessionibus: tam illustre evasit Tabulario publico, cuius crebra in Decretis Regni occurrit mentio. Nulli id in Regno Hungariae secundum, sive spectes fasciculorum numerum, qui copiosi erant, multisque referti antiquitatum monumentis; sive protocolla authentica recenseas, quae centesimum numerum superabant. Praeter publicum fuit etiam privatum Archivum locupletissimum. Verum quos Leleszinum habuit bonorum depeculatores, illi una fuerunt etiam depraedatores Archivi tam publici, quam domestici privati. In classe utraque primi occurrunt Palóczii, qui anno 1403 ipsum originale fundationis diploma ab Andrea II. innovatum abstulere: Archivum tam domesticum quam regnicolare diripuere; literalia instrumenta pro volupe suo malitiosos inter socios dispescentes, condonantes. Horum e petulanti grege fuerint, qui literas maximi momenti minimi faciebant: quemadmodum in nostra possessione Nyalka S. Martino adiacente

[1]) Fejér: Cod. dipl. X. 4. p.271.—[2]) Topogr. R. H. L. 6. C. 1.—[3]) Corp. Jur. patr. 1557. Art 21.—[4]) Si Annalibus Praemonstr per hominem nobis exterum conscriptis credimus, Perényius iste Coenobium hoc milite Zapolyiano replevit, tribus duntaxat in eo relictis Canonicis, quos appropinquantibus Ferdinandi copiis necari iussit; has per illos Leleszinum invitatas fuisse suspicatus. At facinus hoc patriae nostrae, quod sciam, ignorat historia: licet id ab eius aevi genio minime abhorreret. —

e pervetusta familia Pethöiana ebriosus colonus literas, inclitam hanc familiam concernentes, pleno canistro circumferre, et interdum chartas etiam 10000 florenorum valoris pro poculo vini tradere solebat.

Joannes II., qui Praeposituram ab anno 1526 usque 1547 tenuit, gratia Ferdinandi I. Regis impetravit, ut pro maiori securitate publici Tabularii Conventum muris et vallis circumcingere, adinstarque praesidii Conventus communiri possit. Jam tum dictus Praepositus fratres candidos tam paucos numeravit, ut ad exmissiones, aliasque functiones conventuales obeundas Presbyteri seculares assumi debuerint. Occasione talis defectus anno 1559 sub Augustino Praeposito Regulari ultimo regnicolariter decretum est, „ut cum Praepositus Lelesziensis in Conventu suo nunc resideat, habeatque adhuc proventus, quibus personas Ecclesiasticas in Monasterio suo intertenere possit; adhibeat diligentiam, ut in Conventu suo adminus quinque Monachos teneat: vel si eos habere non possit, saltem Presbyteros. Si et illos quidem habere non possit, tales tamen teneat, qui in Conventu resideant, et ad peragendas fideliter executiones iurati sint." Art. 49.

Caussa, propter quam Conventus Leleszianus legales expeditiones peragere non potuerit, talis in Decreto Comitiorum anni 1567 legitur Art. 31. Quia „D. Lazarus a Schwendi Generalis Capitaneus bona eius, ex quibus Conventus sustentabatur, partim Alexandro Nagy-Mihályi, partim Francisco Wékey, partim vero Petro Panka oppignoravit, quod commodo, et tranquillitati regni non parum obesse videtur." Attamen subseque medio fere seculo Conventus Lelesziensis e personis ecclesiasticis consistebat; donec ferocia Bocskayanorum e Conventu eiecti, et a custodia publici Tabularii amoti fuissent: in quorum vicem subierunt duo viri Nobiles, Notarius et Scribae vigore Articulorum in Szerencsiensi Conventiculo 17. Aprilis anno 1605. conditorum; quae, licet iniusta, consensu suo firmavit Bocskay Cassoviae die 20. Maii eiusdem anni. Quem porro titulum in publicis literis adhibuerint memorati viri Nobiles, videamus. En illum! „Nos Requisitores literarum, et literalium instrumentorum in Sacristia sive Conservatorio Conventus Ecclesiae S. Crucis de Lelesz repositarum, et locatarum, ac quarumlibet iudiciariarum deliberationum, et legitimorum mandatorum Serenissimi Domini Stephani Dei gratia Hungariae et Transsilvaniae Principis, et Siculorum Comitis executores." Inevitabilis necessitas poscebat, ut anno 1608 Mathiae II. Regis Decreto Requisitores confirmarentur, post cuius coronationem dietaliter conclusum est, ut Requisitores in Conventibus Lelesziensi et Jaszoviensi pro tempore constituti vel constituendi, suis muniis et officiis fungerentur usque Decretorum reformationem.

Anno 1610 Ladislaus Habardy e statu clericali Praepositus e manibus secularium recepit Archivum regnicolare coram Comitatu Zempliniensi, sub suo deinceps et Conventus huius nomine expeditiones facturus. At vero anno 1619 iterum viris secularibus sub nomine Requisitorum concreditum est. Gabriel enim Bethlen, Transsilvaniae Princeps infestis armis invasit Hungariam eodem anno, et occupata Cassovia cum suis sequacibus Conventum habuit, ubi cetera inter decrevit: Curam Tabulariorum Scepusiensis, Jaszoviensis, Lelesziensis et Agriensis hominibus profanis committendam. Sub annum 1655 videtur Conventus Leleszianus iterum e personis Ecclesiasticis conflatus fuisse: nam eodem anno Franciscus Somogyi, Praepositus eius, a Ferdinando III. impetravit, ut sigillum conventuale usu et diuturnitate attritum renovaretur. Decr. 4. Art. 103.

Postquam iussu Caesareo Josephi II. Monasterium Leleszianum cum bonis occupatum, et ad sic dictum Fundum Religionis fuissent eius proventus appliciti, etiam acta Archivalia, et Protocolla cistis imposita, quatuor curribus Budam pro securitate abvecta sunt, 1788 anno, die 11. Junii.

Quamquam Praepositura Lelesziensis fundatorem colat Episcopum, tamen ius patronatus in eam Reges Hungariae ita sibi proprium fecerunt, ut interdum ab ipsis exerceretur, interdum etiam aliis pro meritorum remuneratione exercendum conferretur. Ita Bela IV. ius patronatus in eam contulit Andreae, filio Nicolai Bani: huius ex Andrea Nepos fuerat Comes Georgius de Sóvár, cuius post longam avorum seriem posteri hodiedum supersunt in Comitatibus Abaujvariensi, et Zempliniensi. Diploma, teste Katona, autographum conservat D. Emericus Soós, familiae huius Surculus, a quo eidem diligentissimo historico apographum super praedicto iure patronatus recitatur communicatum. [1])

Ladislaus IV. Rex Hung. idem ius patronatus in diversas familias contulit, atque etiam ab una ad aliam pro suprema sua potestate transtulit. Legitur apud Szvorenyium istiusmodi Ladislai huius Diploma: Ladislaus Dei gratia Rex Hungariae.... significamus, quibus expedit universis, quod nos consideratis fidelitatibus, et meritoriis servitiis Magistrorum Stephani et Pauli, filiorum Comitis Michaelis, filii Ubul, patronatum Monasterii Lelesz, quem Boxa, Thomas, Dionysius, Detricus, Georgius et Simon, filii Simonis ex nostra collatione possidebant, propter manifestos et notorios excessus filiorum eiusdem Simonis et a Lachk, et Donch filiis dicti Thomae auferendo, praedictis Stephano et Paulo Magistris dedimus et contulimus perpetuo possidendum et habendum. Datum in Karansebes ante festum Apostolorum Philippi et Jacobi anno D. 1290.

Reversum videtur ius patronatus ad curiam regiam, sed eo se Uladislaus I., qui se in diplomate Wenceslaum nominat, talibus literis abdicat: „Nos Wenceslaus Dei Gratia Hungariae, Poloniae Rex significamus... quod nos ex seriebus certarum literarum authenticarum praedecessorum nostrorum Regum et aliorum, per fidelem nostrum Egregium Akus filium Emerici de Chap, aulae nostrae militem... in recompensam expensarum ipsius Akus, quas idem in eisdem nostris obsequiis grandi numero consumsit, ius patronatus Ecclesiae, et facultatem collationis Praepositurae de Lelesz simul cum iure regio, si etiam quod in eodem forsan ex quacunque causa haberetur, ipsi Akus et per eum Stephano carnali, Ladislao filio Nicolai, et Dominico filio Pauli de Eadem; Ladislao et Nicolao filiis Dominici; Thomae filio Joannis de Zrithe, Georgio filio Jacobi, et Nicolao filio alterius Jacobi de Zeech; Dionysio filio Joannis de Agócz, Georgio filio Stephani de Eadem; Nicolao filio Francisci de Eadem, et Joanni de Zerdahely, nec non Georgio et Stephano Soós de Sóvár eorumque heredibus universis novae nostrae donationis titulo dedimus, donavimus... Datum Budae in festo Ascensionis Domini anno 1441." [2])

Non apparet in tota Praepositurae Leleszianae historia exemplum, quo viderentur usi fuisse iure suo in electione institutioneque Praepositorum moderati donatarii. Post cladem Mohacsianam anno 1561, supplicem libellum porrexerunt ad thronum regium Nobiles de Bachka, de Szürte, de Chapi, de Polyanka et de Ezen, non tam petentes, quam sibi arrogantes ius patronatus in hanc Ecclesiam, quam tamen iam sequioribus temporibus, Religiosis vacuam, soli duntaxat Reges nostri conferre solebant.

Catalogum Praepositorum Lelesziensium chronologicum, et eruditum e monumentis eiatibus certis compilavit Florianus Szmercek professus Lucensis, ac Conventualis Lelesziensis, qui dein complures annos in Praepositurae huius administratione exegit laudabilissime. Eorum acta et gesta publica luce digna sunt; sed quia mihi methodus brevis, et notitia Monasteriorum synoptica proposita est, eos hic duntaxat

[1]) Hist. crit. VI. 172.—[2]) Pray, Hier. Hung. I. 85.—

recensebo, qui aut ad historiam Hungariae propius accedunt, aut qui pro sua Praepositura se distinxerunt.

Paulo post Fundationem occurrit Joannes Estoras Ludovici Estoras filius, et Demetrii Frater. Ordini Praemonstratensi adlectus, dein Praepositus Lelesziensis floruit anno 1250 usque 1270. Patet hoc ex libro insignis raritatis, cui titulus: Trophaeum nobilissimae et antiquissimae Domus Estorasianae. — Blasius II. Capellanus Elisabeth Reginae, et Petrus I. Capellanus Ludovici I. Regis, quorum uterque a suis contemporaneis Regina, Regeque impetrarunt literarum fundationalium confirmationem. Hic praeterea privilegium nundinarum in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis in Lelesz celebrandarum consequutus est.—Joannes II., sub cuius regimine circa annum 1370 exiit mandatum regium Abbatibus et Praepositis Praemonstratensibus sonans, ne Religiosi eiusdem Ordinis delinquentes ex uno Conventu ad alium profugiant, ob metum poenae, sed in loco delicti illico puniantur. — Dominicus de Palócz Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Dancusis, Praepositus Leleszianus totius Ordinis per Hungariam Gubernator perpetuus, et Pater Abbas. Huic Urbanus VI. Romanus Pontifex mandavit anno 1389, ut convocatis Ordinis Praemonstratensis Abbatibus, Praepositis, Prioribus et aliis eiusdem Ordinis Religiosis, Capitulum Generale celebret in Hungaria, ubi sibi visum fuerit.

Anno dein 1390 commiserat ei Sigismundus Imperator, ut in praedicto Generali Ordinis Capitulo statuat, ne ullus Praemonstratensis Regi supplicet pro aliqua Praepositura vacante. Collata etiam eidem fuerat potestas, ut Praepositos minus idoneos, bonorumque dilapidatores deponat, ac alios sufficienter idoneos substituat, quos deinde Regi praesentet confirmandos.

Nicolaus de Chicheriis, nobilissima olim in Provincia Zempliniensi stirpe ortus, pauperibus ditionis Leleszianae Hospitale S. Spiritus cum consensu Regis et sui Conventus fundavit anno circiter 1405, et privilegium nundinarum pro festo Epiphaniae impetravit. [1]) — Nicolaus II. vetustissima iuxta ac nobilissima stirpe Comitum de genere Osl, alias Osth apud Sopronienses ortus, ac Osthffy cognominatus, anno 1491 protestationem interposuit per Fr. Georgium Conventualem coram Capitulo Agriensi contra Valentinum Episcopum Varadinensem, qui Ordinem Praemonstratensem in Hungaria exstirpare, et Ordinem Cisterciensem substituere apud Curiam Romanam laborabat. — Benedictus II. Avorum christianis virtutibus et facinoribus bellicis famosissimorum de Kornis haud degener filius, Canonicis primum Vaciensibus adscriptus, dein Praepositurae et Conventui de Lelesz Commendatarius Praelatus datus est. Hic memor Decreti Uladislaiani anno 1498 editi, et hanc Constitutionem anno 1500 per Comitia Regni confirmatam esse: assumto post biennium habitu Praemonstratensi, et facta professione religiosa, tam Constitutionibus iuris hungarici, quam Sanctionibus canonicis eximie satisfecit.

His merito accensendi veniunt Elias II., qui e Csornensi Praeposito per viam compromissi Praelatus Lelesziensis electus anno 1531; et Joannes II., qui post decessum Eliae in Praepositum sublimatus anno 1526, quorum uterque, singulari Leleszii honore, Vice-Cancellarii et Secretarii Regii fuerunt. Hos tandem post cladem Mohácsianam Praepositi e venerando ecclesiastico Ordine exceperunt, quorum plurimi fortia egerunt, tuleruntque pro Leleszio.

Quantis revolutionibus involutum, et quam diversis fortunae bonae, quam saepissime vero pessimae casibus subditum fuerit Leleszinum, vel ex tantilla mea relatione patet. Post cladem Mohácsianam non

[1]) Hunc Annalista Praemonstr. Hugo, Sigismundi Regis aetate, Regii Vice-Cancellarii munere functus fuisse docet. —

lego quidem Turcas illud occupavisse, insedisseque: sed eorum officium egregie impleverunt Bocskaii, Bethlenii et mali vicini, quos auri sacra fames ad iras, plus quam hostiles accendit; quia posthabitis maiorum sacris, inque vicem horum novitiis erroribus irretiti, fundos et proventus Ecclesiae sic corrasere, ut vix pauxillum vitae subsidium subministraverit iis, qui ab anno 1569 e Statu ecclesiastico Praepositurae huius titulos gesserunt, tam pinguis dos et fundatio.

Extorres fere sesqui seculo Leleszino Praemonstratenses feliciter reduxit Franciscus Schöllingen, Praepositus Pernecensis in inferiore Austria. Redemit is primo Oppidum Király-Helmecz, anno 1697, erga pretium 18000 fl. a Francisco II. Rákóczy, ad quem post malae fidei usurpatores Paloczios medio Lórándfy viduae devolutum fuit. Post duos annos coepit agere cum postremo Praeposito, Augustino Benkovics, Episcopo Varadinensi; obtinuitque a viro moderatissimo cessionem Praepositurae, et iurium suorum in eam anno 1699, consentiente, imo adplaudente Leopoldo I. Rege. — Sed Pernecensis Praepositura infirmior erat, quam quae Lelesziana iura, undequaque iam involuta sustentare, bona abalienata revindicare, ac denique hiantia aedificia reparare, Religiosorumque habitationi accommodare posset. Quapropter eam Canoniae Vratislaviensi ad S. Vincentium in Silesia cessit; haec vero ob difficillimam ad tantam distantiam provisionem Abbatiae Lucensi resignavit, utrobique consentiente Leopoldo Augusto.

Lucensis Abbas Carolus iuxta Librum regium Nro. 25. p. 335. quemadmodum Paintner Michael Episcopus Noviensis adnotavit, anno 1700, die 25. Junii in Praeposituram hanc auctoritate regia introductus et solenniter installatus est. Nihil postea non egit prudentissimus Abbas, quo Leleszinum ad priorem statum florentem reponeretur. Per Administratores Praeposituram administrare coepit; sed votis Regnicolarum satisfacturus, anno 1710 Carolum Franciscum Tahy, Nobilem Hungarum Cibiniensem, professum Lucensem, votis omnium electum, primum iure postliminii Praepositum Leleszio dedit. Lecti sunt postea Superiores Leleszienses e Conventu Lucensi; mansitque Praepositura usque Josephum II. Imp. sub iurisdictione Abbatum de Luca. Optime prospectum fuit hac subordinatione Leleszino: nam Superiores hoc freno coërciti, strenuam in omnem oeconomiam adverterunt industriam. Abinde iam omnia aedificia reparata; ecclesiae nitor suus redditus; Archivum regnicolare novo, concinnoque ordine compositum: toti Zemplini-ensi Provinciae pro decore et utilitate evasit Leleszium.

Sed postquam oeconomiae, observantiae et Archivo publico sua perfectio fuisset procurata, placuit Suae Maiestati Caesareo-regiae, Josepho II. observantiam regularem removere, bona Praepositurae fundo Religionis tradere, Archivum denique publicum e gremio Comitatus alio transferre. Accidit hoc religioni Praemonstratensi triste fatum anno 1787. die 16. Octobris. — Qua per gloriosae memoriae Franciscum II. Imperatorem et Hungariae Regem anno 1802 in Hungaria cum obligatione publicae institutionis restituta, Praepositura de Lelesz Praeposito Jaszoviensi conferri coepit: cuius proinde Praepositus hodie est Illustriss. D. Josephus Répássy Praepositus S. Joannis Bapt. de Jászow, et S. Stephani de Promontorio M. Varadinensi. — Eodem Anno, restituto Conventui de Lelesz pristina quoque Credibilitas Art. 16. Comitiorum anni 1802 restituta est.

XXV.

Praepositura S. Crucis de Osztmach.

Vicum, qui olim Osztmach dicebatur, modo Aszód dicimus. Est Aszód secundum Belium Comitatus Pestiensis, et Dioecesis Vaciensis vetus locus olim Osztmach, qui deinde in privilegiis familiae Pochuk Aszú nominatur. Eleganti diplomate vicum hunc et bona reliqua una cum nobilitatis praerogativa familiae Pochuk contulerat Sigismundus Imperator, et Rex Hungariae. — Solertius deinde citatus auctor describit loci illius amoenitatem, nec non Heri, procul dubio Maecenatis sui, comitatem. „Nunc, inquit, Joanni Podmaniczkio, viro multae comitatis, subest, Ostroluczkianae ditionis heredi.... Colitur a Slavis, rerum suarum egregie satagentibus. In primis ornat vicum ex se ad Oppidi modum copiosum herile domicilium a Podmaniczkio positum, eximieque instructum."

Inter memorata bona reliqua non vana coniectura recenseri potest Keresztur, suffragante ipsa nomenclatura. Vicus hic trans amniculum Rákos ad sinistram huius ripam situs est, et possidetur a Podmaniczkiis; oram vici ornat ipsorum domicilium. Pagus alter est Versek, ultra colles Aszódiensium milliari unico recedens, ditioni Podmaniczkianae subiectus. Domony redit ad eandem vallem, qua est Aszódum, vicus hungaricus, Slavis mixtus; paret familiae Kandó. Haec ex Belio: Not. Hung. III. 150.

In Annalibus S. Praemonstratensis Ordinis Praepositurae de Osztmach mentio talis est: „Sub invocatione S. Crucis duplex habebat in Regno Hungariae Monasterium Ordo Praemonstratensis: aliud in Lelesz... alterum in Vaciensi agro, quod simpliciter S. Crux nuncupabatur." [1]) — Huius Monasterii meminit quoque Layruelius, ita scribens: „In Dioecesi Vaciensi S. Crux, filia de Thours (Thurócz), Coenobium insigne." Situm eius optime designat Stephanus Harsányi, olim Parochus Jánoshidensis, serius Praepositus Csornensis, qui sic perhibet: „Praepositura S. Crucis in Aszód sita est; modo iuribus Podmaniczkianis obnoxia: collata haec est cum Praepositura Jánoshidensi, a Leopoldo Imperatore Abbati Zabrdovicensi, L. Bar. Maximiliano Pfendler de Loosberg. Verum ab ea vi repulsus; nunquam postea eius possessionem adiimus." Ita ille professus Zabrdovicensis anno 1789.

Quando, quave iniuria et vi Ordo Praemonstratensis a S. Cruce de Osztmach depulsus sit, haud ita in obscuro est. Facile advertet, quisquis legerit Decreti sexti Ferdinandei anno 1542 Posonii editi articulum 44, cuius vigore Joannes et Raphael Podmaniczky proscripti sunt, quod ad eam usque diem ad fidelitatem et obedientiam suae Maiestatis non accesserint; castra item et castella, ac omnia bona, et iura

[1]) Tom. 1. p. 569. —

possessionaria ecclesiastica et secularia violente per eos occupata remittere non curarint. Ultimus Praepositurae huius titulo gaudebat Dominicus Feichtinger, Collegiatae Eccl. Posoniensis Canonicus. Nunc eum tenet Reverendiss. D. Michael Paunácz, Cruce aurea pro meritis donatus, L. R. Civitatis Comaromiensis Parochus.

XXVI.

Praepositura S. Joannis de Ponte, vulgo Jánoshida.

In Pestiensis Comitatus processu Kecskemetiensi, et Dioecesi Vaciensi, loco campestri, frumentique praedivite, in citeriore Zagyvae ripa, milliari hungarico ultra Nagy-Káta versus orientem posita est Praepositura Ordinis Praemonstratensis, honoribus Joannis Baptistae dicata, et ex hoc titulari nomine patrio idiomate Jánoshidja, seu de ponte Joannis, una cum pago Praepositurae hereditario nuncupata. Dicitur a ponte, quo hic Zagyva iungebatur. Frequentatur votorum causa ab accolis die D. Joannis Baptistae festo. Ita fere Belius : Not. Hung. III. 158.

Possedit usque abolitionem Josephinam haec Praepositura: Possessionem Jánoshida totam pacifice, uti et vicum Alattyán, demta una quarta parte, quam Recskiana familia obtinet; praedia Tóth-Kér, et Mizse; praedium item Tisza-Jenő, 5 horarum cursu a Jánoshida meridiem versus seiunctum, ac ideo rapacitati vicinorum et assiduis vitilitigiis expositum. Huc quoque iure vetere pertinebat possessio Tóth-Almás; nunc possidetur a L. B. Prónay. Altera Possessio Szászberek, pari fato est obnoxia, iuribus Orczianis. Abony olim late patens praedium, iam populosum est Oppidum, quod a pluribus possidetur, et habitatur Nobilibus. Praedium Félegyháza Jazyges Berényienses ditioni suae adiecere. Consimiles acquisitiones, violentasque bonorum occupationes facit incerti fallax fiducia Martis, — et multis utile bellum. [1]) Hinc apparet unam e locupletioribus S. Ordinis Praeposituris fuisse Jánoshidanam, quae post cladem Mohacsianam Turcarum, aut his forte peiorum domesticorum grassatorum impetu cum compluribus aliis priscae Hungariae monumentis, abiit pene in favillas. Eius primigenium fundationale privilegium, aliaque literalia documenta ac pretiosiora antiquitatis cimelia aut conflagrarunt, aut direptioni cesserunt malecontentorum patriae civium: quae si exsistunt, ubi lateant, ignotum est. Id unum, teste Schematismo Praepositurae Csornensis anni 1854, e residuis Tabularii Praepositurae Jánoshidanae documentis colligere licet, quod sub Bela III. circa annum 1186 fundata fuerit.

Diversos variis temporibus Patres Abbates venerata haec Praepositura; cui eorum in sua origine paruerit, incompertum est. At anno 1294 ex Decreto Capituli generalis Ordinis Praemonstratensis paternitatis ius in eam obtinuit Canonia Litomisliensis in Bohemia; subseque vero Ab-

[1]) Silius. VI Lucanus I. —

batia Zabrdovicensis in Moravia, iure hoc usque cladem Mohacsianam fruita.[1]) Layruelius eam (Pontum Joannis vocat) filiam Jaszoviae dicit. Eandem, Hungaria a iugo Turcarum liberata, Leopoldus I. Imp. anno 1688 Casimiro Meyners, Canonico Praemonstratensi, et longiori tempore Capellano Castrensi ad praemiandos castrenses labores contulit. Cum Praepositura simul adeptus fuerat Parochiam Leutsoviensem; deditque hinc epistolam ad Alattyanienses, qua eos ad fidelitatem Regi, sibique servandam cohortatus est.

Firmiori postea iure adstricta est Praepositura haec S. Praemonstratensium Ordini, cum eam idem Leopoldus Augustus, cum Osztmachiensi S. Crucis, Maximiliano de Lib. Baron. Pfendler de Loosberg, Abbati Zabrdovicensi, et Praelato Marchionatus Moraviae anno 1693 regio diplomate contulisset, quam is Canoniae Zabrdovicensi serius subiectam auctoritate paterna rexit, et regendam suis successoribus reliquit. Huic successit Engelbertus Hájek Abbas aeque Zabrdovicensis, qui a Leopoldo M. collatam hanc Praeposituram tenuit ab anno 1702—1716. Hunc excepit Hugo Bartlicius 1717—1739; quo defuncto successit Christophorus Matuska, Abbas Zabrdovicensis, et diplomate Caroli VI. Imp. Praepositus Jánoshidensis 1739—1772. Hunc secutus est eodem titulo Michael Morave ultimus Praepositus Jánoshidensis Epochae anteabolitionalis 1773—1785; quo anno, Decreto Josephi II. Imp. Praepositura haec abolita est, et bona illius fundo Religionis adscripta. Demum anno 1802 gloriosae memoriae Imperatoris, et Regis Francisci II. Diplomate Ordo Praemonstratensium in integrum restitutus: Praepositura haec a Zabrdovicio separata, et Praepositurae Csornensi clementer unita est, in qua unione hodieque perdurat.

XXVII.

Praepositura B. Mariae V. de Mayk.

Praeposituram hanc sic adnotavit Petrus Pazmanus: „Mayk in Dioecesi Strigoniensi, viguit anno 1252.“ Mallem scriptum fuisse: intra Dioecesim Jaurinensem sub iurisdictione Archiepiscopi Strigoniensis. Est enim Mayk praedium in Comitatu olim Comaromiensi, et Processu Tatensi, recenter Comitatui Strigoniensi adiecto situm; ab Oppido Tata duobus fere milliaribus: ab Oroszlány nec medio milliari remotum, quae regio nunquam Dioecesi Strigoniensi continebatur. Omnia naturae beneficia in eo reperias. Praeter densam quercinam silvam, praebet aquam potatu svavem, complectiturque sinu suo frequentiores piscinas, piscibus, cancris et testudinibus refertas. Aptus omni ex parte locus Praemonstratensibus primaevae observantiae, quibus sua lege cautum fuerat, sine esu carnium vitam traducere, et ex

[1]) Schematismus Ord. Praem . . . de Csorna. 1854. —

statutorum obligatione penes severam monasticen rus colere, et statui necessarias artes tractare.

Fundatorem ignorare cogimur. Viguisse eam iam anno 1252, testis est Petrus Pazmanus, qui se id in vetustis scriptis legisse asseverat. Scripta illa non reor alia, quam fundationale diploma Praepositurae Thurociensis, in quo exserta fit mentio Ecclesiae de Moik, e quo Carolus Wagner concludit Praepositurae Maykensis aevum anterius esse Thurociensi. Layruelius eam dicit filiam S. Stephani, dein vero Luchonis; Annalista Hugo autem anno 1516 Csornae subiectam fuisse docet. Ampliorem notitiam suppeditat Annalista Camaldulensis ita scribens : „Exsurgebat olim ibidem (in Mayk) insignis Basilica et Praepositura Ordinis Praemonstratensis. Ex veteri instrumento anni 1281 mentio fit Joannis Praepositi Praemonstratensium de Mayk cum sigillo pendulo, repraesentante effigiem B. Mariae V. stantis, et Jesulum inter brachia tenentis cum verbis: Sigillum Capituli de Maik.“ [1]) E testimonio mox adducto videtur Mayk Conventus regnicolaris fuisse. Praeposito Joanni Car. Wagner addit Ambrosium, quem ab omnimoda oblivione liberat taxa, et solutio papalis in hunc modum : „Praepositus Ambrosius de Mik solvit 14 parvos, et non 18 parvos.“

Quandonam in triste bustum abierit, cum aliis Hungaricae pietatis monumentis, quod adferam, non habeo. Verum reliquias quaspiam ibi relictas fuisse argumento est, quod parietinae veteris Coenobii Seculo XVIII. pro PP. Camaldulensibus adcommodatae fuerint, quas hi Decreto Josephi II. Imp. deserere sunt coacti. — Praepositurae huius titulum possedit Reverendiss. Dom. Aloysius Sámuel, Archidioecesis Strigoniensis Presbyter, 16. Febr. 1856. defunctus. Distingvunt perperam ab hac Praepositura Schematismi patriae nostrae eam de Moyk, cuius titulum gessit Reverendiss. Dom. Vincentius Kraupa, Oppidi Holics Parochus, 24. Dec. 1854. defunctus.

XXVIII.

Praepositurae Magodlin, et Zemlén.

Obscura sunt nomina, atque ad ipsam titulorum collationem obsoleta. Recensentur per Petrum Pazmanum ad Dioecesim Colocensem. In huius Schematismo explicatur Magodlin quasi diceretur S. M. Magdalenae. Carolus Hugo, Annalista Praemonstratensis adnotavit in indice Circariae Hungariae Praeposituram de Kapusfő, in Dioecesi Colocensi, et Comitatu Bodroghiensi sitam, filiam fuisse Zemelini. Praepositi S. Mariae Magdalenae de Magodlin titulum tenebat Reverendiss. D. Josephus Langvieser, Parochus in Apathin, 16. Martii 1855. defunctus; eum vero S. Ladislai de Zemlén Reverendiss. D. Petrus Sattvar, Metr. Eccl. Zagrabiensis Canonicus, hodieque tenet.

[1]) Annal. Camald. VIII. 649. —

XXIX.

Praepositura S. Jacobi de Móriczhida.

Canonia haec, quod mirum, Layruelio, et Pagio ignota, Cardinali Pazmano, qui eam se in antiquis scripturis reperisse memorat, non ignota, nec Annalistam Hugonem latebat, qui eam nonnullis Indiculis Morricidae nomine venire, et anno 1516 per Generale Capitulum Turiensi Praepositurae subiectam fuisse narrat. Sita fuit in pago Comitatus et Dioeceseos Jaurinensis ad fluvium Arrhabonem, vulgo Rabam: unde prisco aevo Monasterium de Raba audiebat. Hodie locus ille Móriczhida (Pons Mauritii) nuncupatur, quem veteres chartae iam Mauruchhidam, iam Morushidam, denique Moruczhidam exhibent.

Fundatorem sacra haec Domus, dum viguit, Magistrum Mauritium Comitem, ut videtur, Nitriensem, et Curiae reginalis Judicem, eiusque fratrem, Comitem Marcum coluit, cuius literae fundationales e Collectione diplomatica Georgii Gyurikovics desumtae tales sunt: „Magister Mauritius, Comes Nicen. et Judex Curiae Dominae Reginae omnibus praesens scriptum inspecturis salutem in Domino. Quoniam spiritualia absque temporalibus geri non possunt, dignum est, ut per Patronos, et Fundatores suos Ecclesiae providentiam suscipiant temporalem. Ad universorum igitur notitiam volumus pervenire, quod ob remedium animarum Parentum nostrorum et nostrae, huic Ecclesiae de Raba, in qua Fratres de Ordine Praemonstratensi commorantur, volentes in bonis temporalibus providere, ut decet; praedia, terras, vineas, silvas et mancipia, quorum nomina in subscriptis continentur, eidem Ecclesiae nostrae contulimus iure perpetuo possidenda. Igitur, quod eadem Ecclesia de eisdem terris collatis . . . nomine Mauruchhida sunt ad tria aratra, quam dedimus et donavimus una cum Marco Comite, Fratre nostro, dicto Monasterio nostro; cuius prima meta, prout per eundem Marcum Comitem . . . quem ad perambulandas metas ipsas transmiseramus, constitit, incipit ab occidente super Rabam, in fine Pontis veteris, Magni Mauritii Comitis; exinde procedens ad orientem, transit quandam venam, quae dicitur Morchol (hodie Marczal), et inde ad viam, quae vadit ad Pok: et per eam venit ad finem paludis, quae dicitur Bordas.“ Tum post plura donata, et metis accurate definita prosequitur: „Donavimus ei similiter . . . mediam partem silvae Twlgy (tölgy) ... Super aquam Raba contulimus duo molendina et tributum pontis, quod nos contingit . . . partem etiam tributi fori villae . . . Item donavimus omnes vineas in Barathy Sokorow existentes: item in Simigio, in villa Chaba, triginta vineas minus duabus ... Item dedimus silvam, quae vocatur Gyerthian ... Ut igitur huiusmodi donatio salva semper et inconcussa permaneat, nec per aliquem a nobis descendentium possit aliquatenus retractari, vel per alios, praesentes concessimus literas nostri sigilli munimine roboratas. Datum Anno ab Incarnatione Domini Mil-

lesimo ducentesimo quinquagesimo primo." Literas, quarum hic nec partem quintam dedimus, integras continet Fejér : Cod. diplom. T. IV. Vol. 2. p. 85. et sequ.

Porro magnanimus, aeque ac providus Fundator, quum videret donationem suam firmo pede non posse consistere prius, quam auctoritate regia roboretur, anno 1263 a Bela IV. Rege diploma exoravit hoc tenore : „Bela, Dei gratia, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniaeque Rex universis praesentes literas inspecturis salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire: quod dilectus et fidelis Baro noster Mauritius, Magister Tavernicorum nostrorum, una cum Fratribus Ordinis Praemonstratensis, quos in Monasterio suo de Raba collocavit, ad nostram accedens praesentiam, super collatione de suis possessionibus dicto Monasterio, seu Fratribus de Raba, iam dudum facta, obtulit nobis literas suas cum pendenti sigillo; supplicans, ut easdem nostro dignaremur privilegio confirmare; quarum quidem tenor talis est: Magister Mauritius (ut pagina priore). Verum quia de qualitate, quantitate, et circumstantiis earundem possessionum nobis plene non constabat veritas, fideli nostro Favo, Abbati S. Martini de sacro monte Pannoniae, nostris dedimus literis in mandatis: ut ad ipsas possessiones personaliter accedens videret, seu inspiceret, si idem Monasterium esset in pacifica possessione earundem nec ne? et nobis postmodum remandaret; cuius quidem postmodum literas recepimus in haec verba : Excellentissimo Domino suo Belae, Dei gratia Illustri Regi Hungariae, Favus Abbas S. Martini de sacro monte Pannoniae, Servus fidelis inclinationem, et orationes in Domino. Recepi literas Magnitudinis vestrae, continentes, quod accederem personaliter ad omnes possessiones, quae a Magistro Mauritio Monasterio suo de Moroczhida, in quo Fratres Ordinis Praemonstratensis commorantur, sunt collâtae; et viderem, si idem Monasterium esset in pacifica possessione earundem. Igitur mandatis vestris reverenter obtemperans, accessi ad possessiones praedictas, et inveni ipsum Monasterium in omnibus possessionibus suis, quarum haec sunt nomina : videlicet Moroczhida, ubi situm est Monasterium, villa Téth, villa Boywa, villa Kapy, et villa Chaba, quae est in Comitatu Simigiensi, pacifica, et quieta possessione gaudere, et ipsas possessiones inveni certis metis undique distinctas; nullo ipsi Monasterio consangvineo praefati Magistri Mauritii, vel alio contradictore existente. — Nos igitur taliter per praedictum Abbatem de ipsis possessionibus certificati easdem auctoritate praesentium perpetuo duximus confirmandas. In cuius rei testimonium praesentes dedimus literas, sigilli nostri duplicis munimine roboratas. Datum per manus Magistri Farkassy, electi Ecclesiae Zagrabiensis, Aulae nostrae Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo ducentesimo sexagesimo tertio, regni autem nostri anno vigesimo octavo." [1])

Initia huius Canoniae vidimus: at consecutas eius vicissitudines densae, ut aliarum plurimarum, tenebrae tegunt. Paucorum duntaxat Praepositorum nomina novimus, quorum memoriam diuturnae illorum cum Abbatibus S. Mauritii de Beel Ordinis S. Benedicti lites, ad publica tribunalia delatae, conservaverunt. Ita Simonem Praepositum S. Jacobi de Moruczhida, anno 1370 per Paulum Abbatem de Beel ob pontem super fluvio Raba de suo pristino loco translatum, eiusque tributum, Ecclesiae de Beel debitum, ad se violente trahentem, ad iudicium palatinale citatum non comparuisse : — Fratrem Benedictum Praepositum anno 1377; Fr. Joannem pariter Praepositum anno 1409 eadem in

[1]) Fejér : Cod. diplomat. T. IV. Vol. 3. p. 122. —

caussa iudicio contendisse; demum Albertum Praepositum ob interpositam exsecutioni sententiae palatinalis contradictionem anno 1436 ad iudicium citatum : Paulum vero anno 1455 per Gregorium Milkoviensem Episcopum, Abbatiae una de Beel Gubernatorem, uti et Petrum Praepositum anno 1464 per Dionysium Cardinalem, Archiepiscopum Strigoniensem, ut Abbatiae S. Mauritii de Beel pariter Gubernatorem ab occupatione et detentione terrarum possessionis Árpás, ad ius Ecclesiae S. Mauritii, donatione S. Stephani, primi Hungariae Regis, devolutae, publice inhibitum fuisse, coaeva documenta, in Tabulario Archicoenobii S. Martini deposita docent. [1]) Ceterum ex his ipsis documentis, penitius perspectis, et mutuo collatis elucet, longa haec centum fere annorum litigia non tam indecorae Praepositorum alieno fruendi lubidini, quam Patronorum Ecclesiam et Monasterium suum quacunque demum via et modo ditandi studio tribui oportere.

Desertum a clade Mohacsiana Monasterium anno 1553 Sanctimoniales eiusdem S. Ordinis insederunt; quibus, occupato per Turcas anno 1594 Jaurino, Tyrnaviae in Claustro [2]) Ordinis S. Clarae, una cum adlato secum in Móriczhidam proprietatis iure, ad vitae et regulae societatem admissis, vacuus Parthenon tractu seculorum collapsus disparuit, cuius memoriam nec Collatio regia illius tituli conservat.

XXX.

Praepositura de Ocra.

Hanc post Layruelium Pazmanus et Szentivanyius adducunt, et in Dioecesi Agriensi collocant. Quo nomine cum nullus per omnem Hungariam locus veniat, Pestiensis provinciae pagus Ócsa sub eo latere passim existimatur. „Est autem Ócsa, inquit Belius, [3]) quatuor milliaribus Buda dissita in late patente planitie, ostenditque templum structurae olim magnificae, et sumtuosae : mero enim saxo instructum erat. Fama est id a Regulo Serbiae Georgio temporibus Regis Sigismundi, qui Serbios induxerat, excitatum, praestantia operis pauca habuisse similia. Desolatum bellis turcicis diu in ruinis iacuit, donec vico a Slavis insesso inciperet frequentari. Solo tamen Sanctuario obtectum est, reliqua parte solitudinem referente.“ — Reperta quoque sunt corpora integra intra rudera, quae helveticae Confessionis eias Minister decenter sepeliri fecit.

Verum, cum Layruelius Praeposituram de Ocra Dioecesi Agriensi tribuat: Ócsa autem, quam nunc attigimus, nunquam in hac, sed semper in Vaciensi sita fuerit: Car. Wagner Soc. Jesu alium locum assignare conatur Praepositurae de Ocra. „Datur, inquit, etiam Otsva, et Otsva-Apáthi in Comitatu Szathmariensi. Quare, cum hanc Praeposituram Servatius de Lay-

[1]) Caps. 50. Bb. Ss. Bbb. Ii. Cc. Ll. Caps. 52. Qq. — [2]) Claustrum hoc in tuendis suis in Móriczhidam iuribus Seculo XVIII. sola fere Archiabbatis S. Martini, Benedicti Sajgó opera utebatur. — [3]) Notit. Hung. III. 159. —

ruelz ponat fuisse in Dioecesi Agriensi, et filiam S. Stephani de Promontorio Magnovaradinensi; si recte scripsit, in Comitatu Szathmariensi, et non in Pestiensi collocari debet; cum Comitatus Szathmariensis semper ad Dioecesim Agriensem [1]) pertinuerit." Facile adsentimur, postquam fide digne [2]) accepimus, in Ocsa (olim oppido Molcha) templi quidem in rudere multa, sed Praeposituraе, seu Monasterii nulla vestigia reperiri. Eadem fide adiicimus bonorum Monasterii, iam per Tartaros deleti, partem domiciliis PP. Franciscanorum, et Dominicanorum oppidi Beregszász cessisse; id, quod Szirmaius in sua Notitia Com. Szathmariensis testatum fecerit. Verum nulla ibi horum amplius superest memoria, utroque pago ad Confluentem Krasznae, et Samusii sito dudum ad Ill. Dynastiae Comitum Károlyi iura pertinente.

Titulo Praepositi de Ocra gaudet Reverendiss. D. Joannes Albrecht Parochus Gölnicensis. [3])

XXXI.

Praepositura B. Mariae V. de Rajk.

Binae sunt hoc nomine possessiones sibi mutuo vicinae in Comitatu Zaladiensi, receduntque a celebri quondam praesidio Kanisiensi duorum et medii milliaris intervallo. Pertinent hae aevo isto ad dominium familiae de Raik, quae num e nexu, quem forte ad I. familiam Bánffyanam aut Szeéchiensem habet; num nova impetratione indito sibi a vicis nomine possideat, aenigma est.

Familia Bánffy de Alsó-Lindva, a sanctitate morum, et zelo Religionis commendatissima, praeter alia pietatis suae monumenta, communi consilio Raikensem Praeposituram honoribus Marianis anno 1239 erexit, et Praemonstratensibus transscripsit. Ita Topogr. R. H. p. 123. Et recte quidem. Nam Magister Buzad, filius Chak Bani anno 1289 coram Nicolao Palatino personaliter comparens, Monasterium gloriosae Virginis de Royk suum et sui fratris Friderici esse solenniter fatetur; ubi eius protegendi, defendendi, et conservandi facultatem, suo et fratris nomine, Comiti Ochus, cognato suo, tribuit. [4]) Unde et Benedictus, Praepositus de Csorna, vacanti huic Canoniae, utpote filiae, de Praeposito provisurus, Fr. Walterum electum „Nobili et honesto Comiti Ochus, Fundatori Monasterii B. V. de Rayk" praesentat. — Fuisse quondam filiam Csirnae, etiam ex Layruelio constat; quae postquam serius diu Gradicensi subiecta fuisset, anno 1516, teste Hugone, ad Csornenses rediit. —

[1]) Ante scilicet, quam initio huius seculi Episcopatus Szathmariensis erectus fuisset. — [2]) Symbolam hanc debemus Spectabili Viro, D. Paulo Erdey, ad I. Dominium Debrő, et Aquas soter. Paradienses Physico. antiquitatum patriarum, praesertim, ut videtur, ecclesiasticarum scrutatori solerti aeque ac felici et erudito, qui etiam ad vestigandum Praepositurae de Darnó locum, indicato opere Szirmaiano, viam aperuit. — [3]) Ita Schemat. Cleri Szathmariensis. 1855. — At in illo Cleri Rosnav. eiusdem anni hoc titulo Reverendiss. D. Nicolaum Tremel, Parochum Oppidi Rimaszombath potiri lego. — [4]) Fejér: Cod. dipl. T. 5. Vol. 3. p. 481. — Confer: Budai Ésaiás: Lexicon. I. art. Bánfi Buzad. —

Pazmanus fundatam asserit circa annum Domini 1255. Parum est calculum variare, dum utriusque relatio fide digne consentit, eam omnino pro Praemonstratensibus fundatam fuisse.

Successivis temporibus Sigismundus Rex pro fidelibus servitiis donavit Nicolao Széchy possessiones Felső-Raik, Alsó-Raik, et Sz.-Benedek. Existimo Széchyo non dominium praedictarum possessionum, sed ius duntaxat patronatus in Praeposituram Rajkensem a Sigismundo collatum fuisse. Solebat quidem familia Széchyana sub praetextu iuris patronatus possessionem bonorum usurpare, et suos fiduciarios e dominatione excutere; uti saepius in hac Monasteriologia occurret. Attamen possessiones praedictas sub Nicolao Széchy, praetenso donatario, adhuc Coenobio subditas fuisse apparet inde, quod adhuc in eodem Coenobio Praepositus praefuerit; nec plane exstinctum fuisse ulla monumenta prodant. Opinor ego eam primum post cladem Mohacsianam fuisse desolatam. Dum enim a iudicio Tyrnaviensi sub Olaho Archiepiscopo Strigoniensi celebrato Achatius Chányi anno 1557 admonetur, prohibeturque ab usurpatione bonorum Praeposituraе Rajkensis, eam sub id tempus ob metum vicinorum Turcarum Kanisiensium vacuam derelictam fuisse; virosque Religiosos, relictis in incertum bonorum possessionibus, ad tutiora profugisse, argumento est. Accedit vero id quoque, et vel maxime, quod Chányius nunquam ausus fuisset viscosas manus in dominium Rajkense exporrigere, si hoc a Sigismundi regis tempore praepotens familia Széchyana usque eius aetatem adhuc late dominans tenuisset. Titulus Praepositurae huius a compluribus annis non collatus haeret.

XXXII.

Praepositura B. Mariae V. de Rátóth.

Praepositura isthaec ad radicem silvae Bakony Zircium inter, et Vesprimium per familiam Gyulafy de Rátholt pro Canonicis regularibus Ordinis Praemonstratensis circa annum Christi 1255 est fundata. „Ráthót, inquit Belius, est e regione pagi Kadártó intra Hagymáskér, et praedium Jutas, quorum hoc proxime ei vicinum in occidentem intercedit ex eadem parte Vesprimio, illud vero est intra ortum et meridiem, milliaris fere quadrante. — — Crebrae aquarum salubrium scatebrae sunt pagello interfluae. Olim amplum eum fuisse et nobilem, rudera eius, hinc templi, Claustri Templaristarum (vulgus rudera quorumcunque Coenobiorum Templaristis peraeque attribuit) ab oriente, illinc domiciliorum, ut fertur, Gyulafyorum in editiore colle supra pagum in septemtrionem eminentium docent: nobilia enim haec omnia fuisse muri ostendunt. In eodem colle paullo propius ad pagum visitur templum geminum duplici nave paris longitudinis amplitudinisque olim exstructum, cum turri tamen unica pariter in ruinis: tametsi Templorum unum negligenti ob-

tectione incolae, qui reformati sunt, exercitio suae Religionis libero adplicuerint." Hactenus ille in Not. Hung. MS.

Praepositura haec initio erat filia Lutomislensis, tardius Decreto S. Ordinis sui subdita fuit Canoniae de Luchonis, secundum Layruelium; anno demum 1516 Csornae subiecta. Perstitisse videtur usque seculum XVI., quod universim ferreum fuit religioni, et statui ecclesiastico. Ob turbas domesticas, civilesque motus continuos eius seculi, vacua suis Heris mansit Praepositura, cuius bona pro more tunc recepto fortior quisque sibi occupabat. Spes quaedam semet ostendebat, regno ad quietem composito, Praemonstratensi Ordini ad suum Rátholt redeundi, dum Praepositurae huius beneficium Canoniae Zabrdovicensi collatum fuisset ea sane intentione, ut cultus divinus ibidem restabiliatur. At exortis iterum bellorum turbinibus deserta plane vacabat; aedificia sacra collabi coeperunt.

Anno 1644 Christophorus Gyulafy de Ráthót, arcis et praesidii de Csobáncz supremus Capitaneus, et hereditarius Dominus, e iure collationis sibi proprio noviter eam conferre coepit, et contulit Francisco Gorup, El. Episcopo Noviensi, Cathedr. Ecclesiae Vesprimiensis Custodi et Canonico, cuius insigni liberalitati debet Ráthótiensis Praepositura suas terras et reditus, quae ille mira dexteritate sua scivit revindicare; fecitque, ut Praepositura haec usque modo realis sit, suosque dominos statui convenienter alat.

Exstincta pervetusta familia Gyulafyana, praesidium Csobáncz, atque omnia ei connexa iura devoluta sunt ad I. Familiam Eszterhazianam, e qua S. R. I. Principum linea Praeposituram Rátóthiensem hucdum confert iam ab anno 1670. Hoc anno die 6. Sept. usum acquisiti iuris inchoavit Princeps Paulus Eszterházy, conferendo eam filio suo Ladislao Eszterházy, Canonico Posoniensi, quo defuncto anno 1689., alteri filio Adamo, Ordinem postea Servorum B. M. Virginis ingresso. Quemadmodum vero Princeps Paulus Eszterházy avitae religionis in Hungaria restituendae, stabiliendaeque demum studiosissimus fuit: inter cetera plurima, eaque praegrandia praestita in veram religionem beneficia, etiam Praeposituram Rátóthiensem S. Praemonstratensi Ordini anno 1694 restituere volens, eam Maximiliano Pfendler a Loosberg Abbati Zabrdovicensi contulit. At collatio effectu intento caruit. Cum enim proventus ea aetate pauciores forent, quam qui Praepositum cum Conventu regulari alere possent, et aedificia totius Canoniae iam undequaque prolapsa maximis impendiis restaurari oporteret; visum fuit Abbati, Conventuique Zabrdovicensi maius fore beneficium, beneficio sibi tam oneroso carere.

Reassumtum proinde iterum est ius patronatus a Principibus Eszterháziis; et ab anno 1699 collata est viris illustribus de familia, aliisque, qui de eadem familia quoquomodo bene meriti sunt, Praepositura de Rátóth. Hoc titulo eam primo huius Seculi XIX. quadrante tenuit Michaël Paintner, utpote antea Principis Antonii Grassalkovics, Principis Nicolai Eszterházy e filia nepotis Institutor et Praefectus. Saepius in hac Monasteriologia viri huius occurrit mentio, nunquam nisi cum honore adferenda; quem videlicet summa in agendo dexteritas cum suavitate morum composita, et vel maxime ardens literarum, librorumque amor non modo coaevis suis commendabant, sed etiam apud seram posteritatem honorificam ei famam conciliaverunt. Ex officio Superioris Scholarum et Studiorum Districtus Jaurinensis Directoris, quo ultra decennium solertissime fungebatur, translatus est cum titulo Episcopi Noviensis ad Excelsum Consilium R. Locumt. Hungaricum Budam, inde post paucos annos Viennam ut Episcopus Referendarius ad Exc. Cancellariam Reg. hungarico-aulicam, et Consiliarius Aulicus: Canonicatum Jaurinensem et Praepositu-

ram S. Adalberti de Jaurino dudum antea consecutus. De eius bibliotheca vide supra: I. pag. 15. —

Denique novissima rerum in patria nostra conversione factum est, ut Praepositura haec, in reditibus suis tantisper attenuata, cum ea S. Stephani Regis et S. Rhadegundis Reginae de Kis-Marton, ex voto Patroni, uniretur; quas ita unitas hodie tenet Reverendiss. D. Michaël Pichler, Arcis et Montis Kismartoniensis Parochus.

XXXIII.

Praepositura de Rockeniti.

Hanc Card. Pazmanus post Layruelium intra Dioecesim Jaurinensem collocat; at ubi sita determinate fuerit, quos vicinos habuerit, e nullo certo vestigio, scriptoreque adparet. Volunt aliqui ex etymo vocis ad Rohoncz Castriferrei Comitatus non incelebre oppidum collocatam: quae opinatio dubia prorsus, suspectaque est iis, quibus Rohonczinum notum est. Nulla ibi rudera, et ne fama quidem ibi quondam exsistentis Coenobii cuiuspiam; quorum si alterum esset, minimum Templaristis, ut solet, fama vulgi tribueret. Videtur potius Praepositura haec inter ea loca sacra reponenda, quae furor hostilis ita sepelivit, ut posteri praeter nomen nihil de iis sciamus; ingenueque cum celebri patriae nostrae historiographo Katona dicamus: „Haec est sors infelix historiae nostrae, quam nunquam satis vel deplorare, vel accusare possumus: ut monumentis authenticis, quae plurima supersunt, uti qui possent, nolint; qui vellent, non possint.“ — Schematismi nostri eam de Rochenitz appellant, quam nuper titulotenus possedit Reverendiss. D. Joannes Rakovszky de Eadem et Kelemenfalva, Parochus Veterosoliensis.

XXXIV.

Praepositura S. Pauli, et de Ruthenis, seu Rucensis.

Hodie a D. Patrono, S. Paulo, Monostoros-Pályi nomen loco Praepositurae inditum haeret; estque in Comitatu Bihariensi, quod Korabinszky in suo Lexico ita describit: „Monostoros-Pályi est in processu Sárréthiensi, duobus milliaribus Debreczino dissitum, spectat maxima parte ad familiam Draveczki, cum ecclesia Re-

formatorum." Olim dicebatur Nyirpályi; ita enim decimae papalis conscriptio ad annum 1332: „Item Praepositus de villa Nyirpályi solvit decem grossos pro decimis secundi anni." Praescriptis duabus, imo compluribus Praeposituris, aliorumque sacrorum Ordinum domiciliis recte accommodaveris illud Ovidianum:

Oedipodioniae quid sunt nisi fabula Thebae?
Quid pandioniae restant, nisi nomen, Athenae?

Layruelius Praeposituram hanc dicit filiam de Raab, Graab, tum Montis Sion, in Dioecesi Varadinensi, et de Ruckenis compellat. Schematismi Regni Hungariae, nominatim ille anni 1847, tres distinctas Praeposituras memorant, nempe: Praeposituram B. Mariae V. de Ruthenis seu Rucensem, cuius titulum Reverendiss. Domino Josepho Horváth de Szent Péter, Metropolitanae nunc Eccl. Zagrabiensis Canonico et Lectori tribuunt. Tum Praeposituram S. Pauli de Monostor-Pályi, cuius Praepositum Reverendiss. D. Josephum Istványi, Parochum in Szent Erzsébeth nominant; denique eum itidem S. Pauli de Nyirpályi, cuius titulum Reverendiss. Domino Stephano Gerdenics de Jerebics, Quinqueecclesiensis Suburbii Budensis ad S. Augustinum Parocho addicunt. Praeposituram de Ruthenis ab ea S. Pauli diversam esse ex Layruelio, et qui eum sequutus est, Card. Pazmano satis constat; sed an Praepositurae S. Pauli duae distinctae reapse exstiterint, et an Praepositurae de Ruthenis titulus B. Mariae V. genuinus sit, dubitare licet, postquam Hugo Rucensi [1]) Patronum S. Paulum tribuit. Eum de Nyir-Pályi nunc Reverendiss. D. Georgius Degenheim, L. R. Civitatis Kismarton. Parochus possidet.

XXXV.

Praepositura B. Mariae V. de Saagh.

Ságh oppidum in Comitatu Hontensi ad flumen Ipolyam situm, et inde Ipoly-Ságh dictum, in Solo, qua laetissimam planitiem aspectat, agris et pratis lepide consito, olim Ordinis Praemonstratensis Alumnos in Praepositura, aedificiorum structuris, iurisdictionis praerogativa, Praelatorum nobilitate, opibus item iuxta ac praeeminentia Loci credibilis clara, gremio suo complectebatur. Vide Belii Notit. Hung. in descriptione Comitatus Hontensis.

Huius Praepositurae originem ita docet Topogr. M. R. Hung. p. 401.: „Castellis iure Saaghum accenseas, opibus olim, praesidio, Praepositura Ordinis Praemonstratensis B. M. V. ab Angelo salutatae, et Conventu seu Tabulario Regni oppidum florens. Sacerdotio illi constituisse reditus Hunt-Paznános anno 1268, e tabulis constat." Anno 1270 Stephanus V. Rex Hung. cum aliis Praepositurae privilegiis literas fundationales condam Martini Bani, quibus iste villas suas Ságh, Leánd,

[1]) Praeposituram hanc olim insignem omnino fuisse inde colligi posse videtur, quod, teste Hugone, florentissima Canonia de Ságh eam, ut Matrem sibi per Generale Capitulum assignatam, fuerit venerata. —

Egek, et Doba; ac terras Dolmod, Iva, Haczoë, Huznoy, Nádas, et Gen, partem item Nék, et insulae Tobold cum descriptione metarum Praepositurae contulit, per Belam IV. ad instantiam relictae viduae praedicti Fundatoris rati habitas confirmat. — Haec e Tabulario Ven. Capit. Rosnaviensis.

Per familiam Hunt-Paznán fundos Praepositurae de Ságh fuisse ampliatos, et proventus auctos, certum est. Pertinebant ad eam praeter Oppidum Ipolyságh, pagi: Tesmag, olim Tismogh, Egegh, Nádas, Pecsenicz, Alsó-Almás, Alsó-Palajta, seu Palachta, olim Oppidum, nunc tenuis fortunae vicus. Addenda his tria ampla praedia: Parassa, Olvár, et Lipócz. — Aliorum quoque benefactorum munificentia crevit Praepositura. Bela IV. Rex ei tributum pontis exstructi super fluvium Ipul, prope Monasterium fluentem iam anno 1266 donavit, quam donationem postea anno 1343 Elisabetha Regina novo diplomate confirmavit, uti constat e Tabulario Capituli Rosnaviensis. Stephanus V. Rex ad petitionem suae Consortis terram, in qua olim silvarum regiarum Custodes morabantur, donavit anno 1272 Laurentio Praeposito et Conventui eius, eumque per Michaëlem Comitem Zoulum statui mandavit. Anno 1288 Stephanus filius Mohud de genere Hunt-Paznán eidem Canoniae contulit terram duorum aratrorum de villa Prosa. Anno deinde 1291 Comes Benedictus, filius Moth de genere Hunt-Paznán testamento legavit eidem Palatium suum ante Coemeterium Ecclesiae S. Laurentii de Strigonio constitutum, simul cum mansionibus et areis curiarum ad idem Palatium pertinentium, et Ladislao Praeposito privilegium a Capitulo Strigoniensi eatenus confectum consignavit. Ex MSS. Wagnerianis. Denique anno 1298 Magister Lampertus, filius Kazméri de eodem genere Hunt-Paznán in recompensationem enormium damnorum, quae Ecclesiae Sághiensi intulerat, cessit Coenobio possessionem Olwár in Comitatu Hunt exsistentem. Ex Tabul. Capit. Rosnav.

Bonorum possessionibus munificentia Regum addidit varia privilegia Praepositurae Sághiensi. Sigismundus Rex anno 1407 Jus gladii concessit; et iam anno 1405 indulsit, ut in Ságh omnibus diebus dominicis forum liberum, et in singulis festivitatibus Assumptionis B. Mariae V. mercatus publici seu nundinae exerceri possint. Quod privilegium Mathias I. Rex anno 1489 etiam ad Festum Annuntiationis B. Mariae V. extendit. Idem Rex concessit similia fori privilegia etiam aliis Praepositurae possessionibus, uti pro Palotha in festo B. Martini; pro Egegh in festo Cathedrae B. Petri Apostoli et ipso die BB. Petri et Pauli Apostolorum. Tabul. Rosnav.

Jus patronatus in Ecclesiam Sághiensem speciali favore Stephanus V. Rex anno 1270 sibi reservavit; populosque eius ita exemit, ut nulli iudicum adstare tenerentur, nisi in praesentia Judicis Curiae Reginalis. Ladislaus IV. Rex, vestigiis Patris insistens, ius patronatus novo edito diplomate suae regiae protectioni asseruit, et omnes ad Ecclesiam Sághiensem spectantes populos et Jobbagyiones exemit ab omni collecta, et exactione, ac quorumlibet violento descensu, per quae ad summam paupertatem, et egestatem redacti fuerunt Fratres. Hoc insigne privilegium edidit, et signari fecit anno 1275 ad instantiam Reginae, suae Consortis, cuius protectioni idem Monasterium fuit specialiter devotum et subiectum. Wagner MS. T. 9.

Tabularium publicum cum Sigillo legali quando coeperit Saghini, nullo eatenus reperto certo instrumento, adfirmari nequit. Verum anno 1295 iam in eius usu fuisse, docemur e Codice diplom. Fejérii VI. 1. p. 369., ubi Praepositus Ladislaus et Conventus de Saagh super pacifica divisione inter congenerationales de Teszer peracta testimonium praebent: et anno

1498 sub Uladislao II. Rege in Conventu Ordinum Budae celebrato, pro bono publico declaratum fuit art. 13. : „Quoniam Comitatus Gemeriensis, et ceteri regnicolae illarum partium pro utilitate publica Sigillo Conventus Ecclesiae de Saagh carere non possunt : pro eo statutum est, ut possint in dicto Comitatu Gemeriensi in omnibus executionibus procedere.“

Uladislao I. Polono in Hungaria inaugurato Hungaria in semetipsam desaeviens, intestino bello facem accendit permultis civibus futuram exitio. Quantas calamitates in hoc furentium factionum impetu cum reliquis sacratioribus locis subierit Ecclesia Saaghiensis, cetera inter e sequentibus patet. Anno 1444 Uladislaus rex iubet inquiri, num Ladislaus, Sigismundus, Stephanus, et Georgius, filii Nicolai, filii Blasii de Gyarmath Ecclesiam de Saagh occupaverint; Valentinum Praepositum, et Fratres de suis Cellis removendo, de ipsa Ecclesia fortalitium fieri procuraverint, ex quo omnes possessiones eorum, et Jobbagyiones in vinculis detentos vexarent, ac robora domorum comburi fecissent; unde exponentibus plus quam octo millia florenorum damni illatum fuisset : quodque idem possessionem Monasterii Palotha vocatam ad Castrum suum Kékkeő occupassent, et violente detinerent. Tabul. Capit. Rosnav. Item:

Anno 1446 mandat Comes Ladislaus de Palócz, Judex Curiae, Capitulo Vaciensi inquisitionem super eo : num Ladislaus, filius Vajvodae de Léva, cum aliis suis familiaribus tempore inchoationis guerrarum praeteritarum primitus ad Monasterium manu sacrilega valvas eiusdem confringendo, omnia ornamenta sacerdotalia, pallasque et mappas altarium ac vexilla, undecim item calices argenteos deauratos, ampullas, thuribula deaurata argentea, missalia quoque et alios libros, nonnulla etiam privilegia, et literalia instrumenta abstulissent ; universos Fratres dire, et acriter (stupeat posteritas nefandam latronum barbariem) verberassent, et quod dictu horribilius, omnibus vestibus, tunicis videlicet, scapularibus, cappis, et caputiis spoliassent ; res etiam tam ipsius Monasterii, quam eius Jobbagyonum, nec non universa pecora cum rebus, et clenodiis eorum Levam depelli, et auferri fecissent; atque adeo plus quam sexdecim millia florenorum auri damna intulissent; aliorum privilegiorum pendentia sigilla abscidissent, et his damna maiora perpetrassent. Ex Tabul. iuxta Grón.

Expugnata dein ab Ali-Bassa Eunucho arce Drégeliensi, arduo, petrosoque monti imposita, ac defendendae regioni Ipolyae opportunissima, illico subiectae fuerunt tyrannidi turcicae arces : Szécsény, Buják, Gyarmath, cum Coenobio de Saagh, quod Istvánfius Benedictinum fuisse scribit; quale reapse fuisse olim, antequam Ordo Praemonstratensium exstitisset, apparet e diplomate Geysae Regis anni 1075.—Sághiensem ergo Praeposituram anno 1552 ferro, igne devastaverant Turcae; qua communi strage aedes, chartae, sacra supellex, quin et nonnulli Fratres Canonici interierunt. Casu fatali et miserabili perculsi Canonici Saghienses ad Coenobium S. Benedicti de iuxta Grón, quod utpote melius munitum latronibus resistere posset, semet receperunt, in eoque habitaverunt, donec deficerent. Ita Timon. Hospitibus suis reliquerunt in tesseram grati animi nonnulla vasa sacra et ornamenta de Ecclesia sua allata. Exstat praeter alia monumenta literaria etiam Protocollum monasticis characteribus solertissime iuxta, ac nitidissime conscriptum.

Inter viginti septem meritissimos Praepositos moestissimam sortem nacti sunt duo postremi : Lazarus re et nomine, qui anno 1557 ad notum iudicium Tyrnaviense in habitu sui Ordinis comparuit; et Matthaeus Poklostay, qui licet admodum tenues perciperet suae Praepositurae fructus, pro duobus studiosis Hungaris fundationem fecit numeratis 1100 florenis. Hos

iam qui sequuti sunt, erant Praepositi titulares ex Ordine ecclesiastico, et duodenarium Apostolorum numerum expleverunt: viri suis nominibus, et dignitate praepositurali digni. Ultimus horum Georgius Szelepcsényi e Vesprimiensi Cathedra ad Nitriensem translatus, proventibus huius Praepositurae fruebatur circa annum 1653. Ex piissimi huius Episcopi, postea Primatis Regni, voto Leopoldus I. Imperator et Rex contulit eam Societati Jesu anno 1688, ut Neosoliensi, tertiae Societatis huius probationi reditus ministraret. Desertum itaque Praemonstratensium Monasterium tres de praedicta Societate Religiosi incolebant; aedificia iniuriis tumultuosi temporis vastata, quamvis pristino honori non restituerint, suis tamen usibus accommodaverunt; bona quoque a furentibus desolata instaurarunt. Anno demum 1773 exstincta Societate Jesu bona eorumque fructus Fisco regio cesserunt.

Anno 1776 condidit M. Theresia Augusta, Hungariae Regina duos Episcopatus, unum Neosolii, alterum Rosnaviae. Capitula Cathedralia cum suis Episcopatibus eandem originem habent: singula 6 Canonicis constant. His duobus Capitulis bona Praepositurae de Saagh ita fuere assignata, ut Capitulo Rosnaviensi integrum Ipolv-Ságh, Alsó-Palojta, Tesmagh, et tria praedia: Parassa, Olvár, et Lipócz; Neosoliensi autem: Alsó-Almás, Egegh, Nádass, et Pecsenitz obtigerint possessiones. — Titulus Praepositurae, quem Paulus Füzesséry, Parochus Szepsiensis postremo tenebat, ad praesens collatus non est.

XXXVI.

Praepositura de Ságha.

Jeiuna est notitia de hac Praepositura. Quam certum est eam aliquando exstitisse, et intra Dioecesim Strigoniensem S. Praemonstratensium Ordini propriam fuisse: tam incertus, imo ignotus est ulterior eius situs, et historia. [1]) Fortassis fuerit in Saga Comitatus Neogradiensis, quem locum Belius ita describit: „Saga, Castello olim insignis, et ditionis huc accensae caput. Rus ei obtigit fertile, at collini situs: pertinet ad dominationem Koharianam.“ Catalogus Layruelianus eam filiam de Steinbach dicit, Schematismi R. Hungariae vero ad Scepusium reponunt: quo id fonte, quo auctore, incompertum est. Titulo eius hodie fruitur Reverendiss. D. Joannes Nep. Weisz, Cath. Eccl. Neosoliensis Cantor. et Canonicus.

[1]) Hugo Praeposituram de Ságh ab illa de Sága solo nomine differre iudicat. —

XXXVII.

Praepositurae de Steinbach, et de Schida, seu Scheidun etc.

Hae quoque Praepositurae ad earum Categoriam pertinent, quarum sola fere nomina noscimus. Layruelius utramque in Dioecesi Strigoniensi collocat: illam, filiam S. Stephani; hanc, filiam Goteshay dicit. Hodie passim ad Scepusium referuntur. Illius titulum Reverendiss. D. Josephus Hermann, Cath. Eccl. Vaciensis Canonicus; huius vero Reverendiss. D. Stephanus Matyasovszky de Eadem, Cath. Eccl. Rosnaviensis Lector et Canonicus gerit.

Eiusdem Categoriae sunt Praepositurae de Csudány, et B. M. Virginis de Schlangenmund, uti et de Topissa, de quibus id tantum novimus, quod eas Pazmanus Diœcesi, ut tunc erat, Agriensi, et S. Praemonstratensium Ordini attribuat. Harum proinde memoriam sola Caes. Regia tituli collatio tuetur. Hoc modo illam de Csudány, Pazmano Cudan, Rmus D. Stephanus Zsitway, Parochus Semliniensis; alteram Rmus D. Joannes Fejér, Parochus Egyekiensis; postremam Illustr. ac Rmus D. Josephus L. B. Baumgartner de Baumgarten, Parochus Loókensis obtinuit. — Denique Praepositura de Drózó Sororum Praemonstratensium aeque intra Dioecesim olim Agriensem sita fuit, cuius titulum nuper obtinuit Reverendiss. D. Michael Németh, Metr. Eccl. Agriensis Canonicus, AA. LL. et Philosophiae Doctor Collegiatus.

XXXVIII.

Praepositura S. Joannis Bapt. de Sambók.

„Sambók (ex hodierno usu : Zsámbék) tribus milliaribus hung. in occidentem Buda recedit. Arx in ea munita antea, inculta hodie est. Veneratur hodie Heros Comites Zichy.“ Ita Belius. Praepositura huias anno 1476 ad Regis Mathiae I. petitionem data est Eremitis S. Pauli a Sixto IV. Papa, de quo Annales Paulinorum ita loquuntur : „Nobile Claustrum S. Joannis Baptistae de Sambók nostris, cum facultate Sedis Apostolicae, exstincto Praemonstratensis Ordinis titulo collatum : ubi prioria dignitate Frater Joannes Vaciensis, alias Patris Generalis Achates, primus

enituit." Ad Ecclesiae dotem pertinebant praedia Pátka, Zerdahely, alias Keuezrekezy; Répás, [1]) circa Hathalom; tertia pars terrae Samboch, et medietas silvae eiusdem, per praedecessores Comitis Cynardi de Zolga-Győr (Geur), Magistri Smaragdi Praepositi Albensis electi Colocensis, et Gyleti fratris eorum anno 1258 consentiente Bela IV. Rege donata. [2]) Anno 1520 Franciscus, Praepositus Saaghiensis, et Visitator Generalis cum reliquis Praepositis protestatus est coram Andrea Praeposito Strigoniensi, et Judice, ac Commissario specialiter deputato contra Paulinos, tanquam illegitimos huius Praeposituraе detentores. Elenchus Lelesz. Titulus tamen hodieque confertur, quem nunc Reverendiss. D. Carolus Aigner, Cath. Eccl. Albaregalensis Canonicus possidet.

XXXIX.

Praepositura B. Mariae V. de Thurócz.

Arci Znio subiacet tenue Oppidum Znio-Várallya, communius a religioso domicilio Claustrum nuncupatum. Intra huius pomoeria illustrem Praemonstratensium Praeposituram erexit, et egregie dotavit Bela IV. Rex in honorem B. Mariae V., quam singulari titulo Regni Dominam appellat, in perenne monumentum beneficiorum a Deo precibus Sacratissimae Virginis his in locis acceptorum. En Diploma, quo piissimi Regis animum metiare! „In Nomine Sanctae Trinitatis, et Individuae Unitatis. Amen. — Bela Dei Gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniaeque Rex, successivae posteritati ad perpetuam rei memoriam salutem in Domino sempiternam. Quanto propensiori cura divinae dignationis multiplicata circa nos insignia recensemus, et beneficiorum Jesu Christi, ac praecelsae Genitricis Eiusdem, Gloriosissimae Virginis Mariae, et Regni nostri Advocatae magnitudinem devotae mentis libramine ponderamus: tanto flagrantioris affectus studio circa ea intendimus exequenda, per quae Domini nostri Jesu Christi gloria, extrinsecus in se nostro indigens adminiculo apud homines sublimetur sancta Religio, quam et plantare, et plantatam favoris regii dignum est confoveri amplitudine, dilatetur; et per preces virorum religiosae conversationis excellentibus meritis ornatorum nobis et successoribus nostris propitiatio proveniat exoptata desiderantibus gaudere, et gloriari in virtutum Domino, ex fide operibus redimita: cum non ignoramus potius Regni gubernacula orationibus Sanctorum, et religionum clypeis, quam sudoribus bellicis defensari. Sane considerantes dilectos nobis in Dei filio Fratres Ordinis Praemonstratensis tanto potiori antidoto favoris regii prosequendos, quanto specialiori devotione eosdem Numinis obsequiis, et reverentiae

[1]) Fejér: Cod. diplom. IV. 2. p. 482. — Praedia haec sub iisdem nominibus hodieque in Comit. Jaurin. et Vesprim. fere mutuo contigua existunt. Quid si sub vicino Szerecsen, Zewren, pariter donatum, latet? — [2]) Eo tempore villa erat. —

Beatissimae Virginis, quae nostra et Regni nostri est Domina, et Patrona, obligatos, ac uberioribus charitatis operibus ipsos abundare volentes pro nobis apud Deum ponere intercessores, Monasterium pro iisdem Fratribus sub Castro nostro de Thurócz in honore ipsius gloriosae Virginis, et domos, ac officinas Religiosae conversationis quieti congruentes disposuimus praemissa deliberatione Regia ordinare. Et quia Religiosam vitam ducentibus paterna benevolentia quoslibet Catholicos, et maxime personas Regali dignitate praeditas convenit subvenire, ne alicuius necessitatis occasio eos in divinis desides aut negligentes efficiat, vel robur, quod absit, sanctae conversationis subtracto subsidio vitae utriusque infringat : Monasterium praedictum, et Religiosam Domum supradicto Castro de Thurócz voluimus et volumus filiationis iure soli subesse Ecclesiae Praemonstratensium : dotantes idem Monasterium datis, concessis, et collatis eidem pleno iure." .... Hic recensetur longo ordine dos Monasterii. In hunc deinde modum desinit diploma : „Ut igitur tam salubris ordinationis et donationis per nos factorum series salva, illibata, et irrevocabilis, praesertim contemplatione Dominae nostrae Virginis Gloriosae, quae supradicti Monasterii est Patrona, imposterum perseveret, praesentes Praeposito, et Fratribus in ipso Monasterio Domino famulantibus ad perpetuam rei memoriam concessimus literas, Bullae nostrae aureae charactere insignitas. Datum et actum per manus Reverendi Patris Benedicti Archiepiscopi Colocensis, Aulae nostrae Cancellarii, Ven. Patre Stephano Archiepiscopo Strigoniensi, Bartholomaeo Quinqueeccl. Zlando Vesprim. Artolpho Jaurien. Philippo Zagr. Hieronymo (al. Heymone) Vacien. Lamberto Agriensi, Gallo Transilvano, Pousa Bosnensi, Olymnio Sirmiensi : Vincentio Varadin. Adam Nitriensi Episcopis, qui in regno nostro Ecclesiis Dei praefuerunt. Dionysio Palatino, Stephano Bano totius Slavoniae, Csák summo Camerario, et Comite Soproniensi, Rorando Senascalo[1]) nostro, tenentibus regni nostri Baronatus et etiam Magistratus anno Domini 1252, Regni nostri anno 17." [2])

Literis fundationis contulit idem Rex duas partes tributi portus, et pontis de Sala, hungaris Séllye; praeterea utramque villam Sala, villas : Beke Udvorch, Purad, hodie Pered, Palatha, geminam villam Chumboy, Borotnak, Stojka, quarum pleraeque erant Castri Nitriensis, a quo eas exemit. Contulit insuper quatuor mansiones vinitorum regiorum intra villam Potok, et villam Oloz. Item terras 5 villarum in Thurucz, quas per cambium ab Abbate de Zobor recepit, ac villam regiam Solumus vocatam iuxta fluvium Blatnicza in Thurucz existentem. Tum duas villas suas Scelech vocatas in Lyptou. Deinde vinitores regios de Sokorou in villis Éch, Szőllős, Megyer, in Baráth, in Niol, in Tarján, et in maiori Megyer constitutos. Demum villas Kulchud, et Negeven vocatas, olim ad Castrum Golgouch pertinentes, ut curribus Praeposito inserviant. Harum autem villarum metae describuntur, earumque populi ab omni iudicatu exemti, solius Praepositi iudicio subiiciuntur.

Constitutae hoc pacto Praepositurae, accessit annis vertentibus Tabularium Regni publicum, cuius non una est in Comitiis Regni eorumque Decretis mentio. Sigillum Conventus Deiparam corona redimitam, sedentem, conversumque ad se natum divinum, ac pedibus materna super genua nixum sustentantem ostendit. Latera hos characteres praeferunt : I. H. V. MR. DNI. id est : In honorem Virginis Matris Domini. Ambitum inscribunt sequentes : S. CONVENTUS. BTE. M. D. CAST. TVRV. id est : Sigillum Conventus

[1]) Idem, quod Curiae Regiae, aut Tavernicorum regalium Magister. Vide Du Cange. Ad vocem: Senescalcus. — [2]) Katona : Hist. crit. T. VI. p. 169. —

Beatae Mariae de Castro Turócz. Ex cerographia Hung. Verum incuria veterum, multo magis autem perniciosis bellorum civilium incendiis, plurima Thuróczii interierunt Regum diplomata, atque alia literaria documenta. Urserunt proinde Regnicolae in Comitiis Posoniensibus anni 1569, ut Thurócziensis Praepositurae Conventus restauretur, etiam opera vicinorum Comitatuum. Art. 48. Similiter adurgebant in Comitiis anni 1578, ut Thurocziensis Comitatus Protocollum una cum Sigillo transferatur ad Capitulum Ecclesiae Strigoniensis, quod prae manibus Dominorum Révay habebatur, qui illud vi conditi Articuli 21. Tyrnaviam deferre, et Capitulo Strigoniensi resignare iussi sunt. Serius tandem paruere Revayii, et anno 1618 id restituerunt, ut docet Comitiorum anni huius Art. 76. — Anno 1780 Acta et Sigillum Conventus B. M. V. de Turóczio novello Capitulo Neosoliensi cum una eiusdem olim possessione Sielnica tradita sunt.

Quindecim a tempore fundationis numeravit Thuróczium Regulares Praepositos, omnes infula pedoque pastorali dignissimos. Hos inter, Iwanka anno 1295 concambio inter Lodomerium Archiepiscopum Strigon. et Praepositum de Chut inito, qua Praepositurae S. Eustachii de Chut pater Abbas coram Ladislao de Saag, Laurentio de Bozók, Benedicto de Csorna, et aliis Praemonstratensis Ordinis Praepositis consensit, [1]) et Daniel anno 1270 utile cambium super suis decimis cum Abbatia Benedictinorum de Zobor iniit.[2])— Postremus horum Uriel de Majthén anno 1510 accepta a Rege Uladislao facultate in Galliam ad sui Ordinis Caput profectus est, indeque reformationis literas in oppido S. Quirini die 10 Maii per Capitulum Generale sub Generali De la Cluse celebratum signatas reportavit, easque cum Francisco Fegyverneky Praeposito de Saag Regi exhibuit. Iste vero eas per formam diplomatis confirmavit, et Praemonstratensibus Hungariae indulsit, ut ex suo Ordine ipsi Praepositos idoneos eligerent, insufficientes vero et dissipatores deponerent.

Sed iam tarde medicina parabatur. Nam in turbulenta prorsus tempora incidit intenta haec S. Ordinis reformatio. Clade enim Mohácsiana, et casu Ludovici Regis totam in transversum vertente patriam, res Catholicorum pessime habebant. Namque bello intestino, quod mox consecutum est, iura divina et humana pervertente, Episcopatus plerique in manus profanorum devenere, Religiosis vis maxima, eorum Monasteriis horrenda vastitas illata fuerat, cum incredibili iactura orthodoxae religionis. Denique auri sacra fames, rerum sacrarum rapacitas, et quidvis agendi licentia plurimorum sanguini se infuderunt.

Quae in specie Praepositurarum Thurócziensem consecuta sunt mala, e Timone, fidedignissimo scriptore hoc fere ordine discere licet. Franciscus Nyáry, Aulae Regiae familiaris hanc Praepositurarum eripuit Urieli Praeposito, quam anno 1534 vendidit Révayo, biennio post Baroni creato, qui eam cum Castro Znio 3500 fl. eo iure, quo ipse possedit, tradidit. Pecuniam non numeravit Révay, sed pro ea summa dedit Nyáryo Castrum Cassense in Comitatu Trenchiniensi, quod fuit patrimonium Pauli Petroczii. Verum sequente anno Uriel Praepositus Francisco Révay, cuncta Praepositurae bona tradidit utenda ea conditione, ut ei quotannis trecentos florenos monetae iustae atque usualis in Oppido Prividiensi coram Praetore loci solveret. Hinc gravissimae in recipienda Praepositura difficultates ortae sunt.

Interiecto dein tempore, cum ius et aequum a plurimis in transversum ageretur, quidam Christophorus de Turri, arcium Mariae Reginae Curator, viscatas iniecit manus in possessionem Szelnicze in Com-

[1]) Fejér: Cod. diplom. VI. 1. p. 362. — [2]) Ibidem. VII. 1. p. 358. —

itatu Zoliensi existentem, eamque vi tenuit ab anno 1536 usque 1539, quo per Ferdinandum I. Regem literis Strigonii datis, ad eam Urieli restituendam coactus est. Colligebat solum reliquias Praepositurae Uriel; alii enim potiora et maiora bona possidebant. Demum Uriel, postquam adversus cambium per Ferdinandum Regem cum Archiabbatia S. Martini respectu Nagy-Écs, Nagy-Baráti, Kis-Megyer, et Kulcsod initum incassum fuisset protestatus, in Comitatu Liptoviensi, ubi sedem et domicilium fixit, vitam claudicans finivit.

Dissipato Religiosorum Canoniae huius contubernio, diu templum Curatores sacros exspectabat, et lugebant Sanctuarii Lapides hereditatem Christi versam ad alienos. Quo factum, ut etiam laudes Marianae coram gratiosa, et miraculis clara Deiparae imagine conticescerent, quas ibi olim fideles, ad impetranda beneficia longa annorum serie ex tota vicinia confluentes, solebant concinere.

Tandem anno 1544 ad extorquendam Révayo Praeposituram iussit Ferdinandus Rex per Paulum de Varda Strigon. Archiepiscopum, et Albertum Peregum Praepositum Quinque-Ecclesiensem refundi illi impensas, quas in expugnanda arce Thuróczíensi fecerat. Ita Timon. Reddita iterum Praepositura Statui ecclesiastico varios habuit possessores, quibus gratia Regum nostrorum collata fuit, ea lege, ut habitum Praemonstratensis Ordinis indueret, qui Praeposituram obtineret, aut, quod anno 1563 Antonio Verantio Praesuli Agriensi mandatum fuit, ut aedificia reparet, Ludimagistrum doctum, catholicum, Sacerdotesque adhibeat, qui plebem doctrina et sacris sermonibus erudiant. Quod cum Donatarii non praestarent, ut etiam molestis petitionibus via praecluderetur, eam anno 1586 per mortem Stephani Radetii, Episcopi Agriensis vacantem, Rudolphus Imperator ad preces Card. Draskovics Episcopi Jaurinensis, Collegio Soc. Jesu Tyrnaviensi contulit, dato diplomate, cui haec inserta leguntur: „Ut dicto Collegio Soc. Jesu, et personis Deo iugiter famulantibus, atque erudiendae iuventuti perpetuam operam navantibus de vitae, aliarumque rerum necessitatibus queat esse prospectum, Praeposituram Conventus Ecclesiae B. M. V. in Comitatu Thuróczíensi existentem, et per mortem Reverendi condam Radetii Episcopi Agriensis, et Locumtenentis olim nostri, eiusdem Praepositurae ultimi, veri, et legitimi possessoris de iure, et de facto vacantem, auctoritate iuris patronatus nostri Regii . . . memorato Collegio Jesuitarum applicuimus, dedimus, donavimus, et contulimus.“ Diploma isthoc totum fere legi potest apud P. Timonem. Purpura Pann. p. 201.

Ast optimae, et salutari voluntati regiae sua rebellione intercessit Bocskaius cum suo grege, qui depulsis Societatis Jesu Religiosis de possessione Thuróczii, ausu prorsus temerario anno 1606 plane legem condiderunt, qua Jesuitae Bonorum in Hungaria incapaces declarantur. Verum discussis post aliquot annos his nebulis, et serenitate Regno reddita, Forgáchius protector Societatis res eius curare denuo exorsus est; quo cooperante a Mathia II. Rege anno 1616 Petro Pazmano dictae Societatis Sacerdoti, sed prius a Paulo V. Romano Pontifice a votis Religionis soluto collata fuit haec Praepositura. Mox simul, ac pleno iure Strigoniensem Cathedram obtinuit Pazmanus in favorem suae Societatis, quantam potuit maximam inpendit operam, et quadriennio post per Ferdinandum II. benigne requisitus, Praeposituram hanc pro Collegio Societatis Jesu Tyrnaviensi prompte dimisit. — Abolita Societate Jesu Bona Praepositurae huius Fundo Studiorum, subin Regiae Scientiarum Universitati Hungaricae collata sunt, unica possessione Sielnicza erecto anno 1776. Capitulo Neosoliensi attributa. Titulo eius hodie gaudet Reverendiss. D. Emericus Hiros-Szliacky Vice-Archidiaconus et in Velicsna Parochus.

XL.

Praepositura B. Mariae V. de Türje.

In omnibus Praemonstratensium Indicibus hanc Praeposituram legimus, sed variis nominibus expressam. Hugo Annalista Foërlam appellat, sic de illa scribens: „Praepositura Foërlae ex veteribus Catalogis, quos Layruelius consuluit, et quos ignoravit Pagius, Ordini adscribitur. Posita erat in Jaurinensi Dioecesi, eiusque positionem non modo agnovit Petrus Pázmány Strigoniensis Archiepiscopus; sed et eius existentiam ante vastationem Regni hungarici.“ Hanc iste in Péterffyo Jurle nominat: sed puto typi est vitium, illis Péterffyi paginis non infrequens, pro Turle; vetusta enim documenta iam Thurie, iam Thyrle exhibent. Utut sit, eam non ignobilem fuisse colligitur ex eo, quod primis et maioribus ab origine sua comparetur Monasteriis, quodque iure postliminii S. Ordini reddita splendide coeperit assurgere, novos e candido Ordine acceperit Praepositos, suosque professos Canonicos aluerit. Teste Layruelio filia fuit Telezensis.

Praeposituram hanc temporibus Belae IV. fundavit, [1]) et bonis adauxit Dionysius Banus de S. Gerardo, christianis virtutibus una, et bellicis facinoribus clarus. Aeternum Dionysianae liberalitatis monumentum sunt statutoriae literae anni 1241. Munifici Bani conatus pia liberalitate adiuvit Akus eiusdem Comitis soror anno 1255, et postea Magister Philippus de S. Gerardo, qui possessionem Bessenyő-Szent-György donavit anno 1335. Praeter praemissos nullum alium habuit benefactorem, uti ingenue fatetur Mathias Santich Praepositus Türjensis, in libello supplice, quem adversus Hagymassios Synodo anni 1638 porrexerat.

Sita est Praepositura in Comitatu Szaladiensi, et Archidiaconatus Papensis, qui olim ante annum 1778 ad Jaurinensem Dioecesim pertinebat, Districtu Sümeghiensi. Locus, quem occupat, circumfuso plano aliquantum altior est. Spatium ipsum, in quo Monasterium, et oppidum interius visitur, a reliquo solo separatur valle, quae naturalis valli vices obit. In hac piscinarum vestigia pro vetere Praemonstratensium a carnibus abstinentia necessariarum adhucdum apparent, quae procumbente postmodum Monasterio stagnantes ita se propagarunt, ut fere accessum impedirent. Deductae postea cauletis pratisque opportunae plane evaserunt.

Ecclesia cum Monasterio septemtrionalem, eamque prae reliquo spatio altiorem partem occupavit. Ecclesiae veteris aedificium stat adhuc, nec adparet in eo notabilis mutatio facta. Columnae bino ordine positae molem sustinent. Et hae, et tota ecclesia e coctis lateribus structa est, ob lapidum in eo provinciae tractu defectum. Nec inter maiores censeri potest ecclesia, neque ad minimas deponi; populi, Religiosorumque etiam capax. Ara maior Iconem B. M. V. ab Angelo salutatae prae-

[1]) Schematismus Praeposituraе de Csorna anni 1857 eius fundationem Comiti Lamberto de Thyrle, S. Ladislai e sorore Sophia nepoti tribuit, eique annum 1184 assignat. —

fert; in qua, et ceteris aliis nihil praeterea desideres, quam meliorem pictorem. Habet praeterea Capellam introeuntibus ad latus sinistrum ad aream chortis protuberantem, quae olim forsan Sacristia fuerit. Parochialia munia inde a restituta S. Ordini Praepositura Sacerdotes Praemonstratenses obeunt.

Monasterium vetus septemtrionali Ecclesiae lateri adiunctum fuit; quod cum post cladem Mohacsianam certis heris caruisset, collapsum, modo spatium cessit chorti. Postquam anno 1699 Praepositura S. Ordini fuisset restituta, Monasterium meridionali Ecclesiae parti adiunctum fuit; quod ad contignationem elevatum et Praeposito et Religiosis accommodum praebuit hospitium, et modo praebet.

Türjenses Praemonstratenses a tempore fundationis usque ad cladem Mohacsianam in pace Deo famulati fuisse videntur, eo quod nulla historia doceat graviores aliquas apud eos rerum conversiones, aut tristes vicissitudines locum habuisse. At post dictam cladem status eius tristis prorsus, et desolatus evasit. Quid ruinarum Turcae in Monasterio adduxerint, non constat: verum prae exercitu Turcarum barbaros erga illud fuisse Hagymassios de Berekszó, auctoritate publica novimus. Recitat horum crudelia facta supradictus Santich Praepositus in suo libello supplice, quem anno 1638 pro remedio sibi impertiendo Synodo provinciali Tyrnaviensi porrexit, e quo haec pauca excerpta:

„Familia, inquit, Hagymássi de Berekszó . . . innumeris iniuriis, violentiis vexavit, afflixit Praepositos, Colonos, Praepositurarum . . . Christophorus et Eustachius Hagymásy de Berekszó . . ab anno 1541 usque ad 1545 vexarunt hoc Claustrum: cellas, coemiterium, S. Annae templum funditus destruxerunt, ut literae S. Salvatoris de Kapornak testantur. Postea Christophorus, et Nicolaus Hagymásy ... hoc Monasterium denudarunt, omnes res hinc absportando: Officialem Georgium Németh captum incarcerarunt 1605. Tunc Christophori Hagymásy famulus Michael Csabi Praepositum Türje in arce Symegh, utpote Ludovicum Ujlaky Episc. Vesprimiensem decollaverat . . . Ad haec, donec Reverendissimi Episcopi Vesprimienses Turie tenuerunt, medietatem tributi in Oppido Sz. Gróth DD. Hagymásy violenter usurparunt, . . . unde singulis annis ultra 200 Imperialium valorem Praepositurae damnum inferunt.“ Péterffy: Conc. hung. II. 348. En specimen demutatae priscae religionis in Hagymásiis, qui nova dogmata secuti, revera eorum classem ingressi sunt, de quibus Christus praedixit: se arbitraturos obsequium praestare Deo, cum servos Dei occiderint.

Et quid tantum nefas profuit Hagymásiis? Vindice Deo familia haec in serie nepotum exstincta: Praepositura Türjensis propitio Deo iterum revixit, et refloruit. Hanc enim Leopoldus I. Hungariae Rex anno 1699 die 5. Martii iure postliminii ad preces Francisci de Schöllingen Abbatis Pernecensis, adnitente etiam Comite Adamo de Battyán Judice Curiae Regiae, S. Praemonstratensi Ordini restituit, et anno 1703 eidem Abbati Pernecensi contulit. Praeerant deinde huic Praepositurae Abbates Pernecenses ad annum usque 1741, quo Monasterium Pernecense in rei familiaris angustiis constitutum, hanc una cum Csornensi cum suis iuribus paternis resignavit Abbatiae Gradicensi: cuius Abbates postea usque suppressam anno 1786 Praepositurarum etiam Praepositorum de Türje axiomate gaudebant. Demum Ordini Praemonstratensium per gloriosae memoriae Franciscum I. Regem Hungariae anno 1802 clementer restituto, Praepositura haec Csornensi Praepositurae unita eidem cum hac Praeposito paret. [1])

[1]) Schematism. Ord. Praem. Praepos. Csorn. 1854. —

XLI.

Praepositura de Türe..

Intra Archidioecesim Strigoniensem Praeposituram de Türe, quamvis corrupta voce, invexit Layruelius, ita referens: „Tural, sive Turna quondam filia Praemonstrati, nunc Gradicensis.“ Eandem sub nomine Türö, seu Türne Card. Pázmán eodem reponit. Situm eius certius nobis indicat Car. Wagner, qui in suo MS. Codice de Abbatiis et Praeposituris Regularium isthaec adnotavit : „Duo sunt, inquit, pagi vicini ad praeterfluentem Granum (in Comitatu Barsiensi) Nagy- et Kis-Türe, ab oppido Léva ultra milliare dissiti: amplum Praepositurae esse debuit aedificium, uti rudera testantur, quae ipsemet vidi.“ Nec ultra quidquam de hac Praepositura notum est; sed nec titulus eius per Reges Apostolicos conferri solet.

XLII.

Praepositura S. Stephani Protomart. de Promontorio M. Varadinensi.

Quam hic ordine alphabetico ultimam scribo Praeposituram S. Stephani de Promontorio Varadinensi, origine et fundatione prima fuit in Regno Hungariae. Fundatorem colit Stephanum II. Regem, qui cum e continuis morbis mortem sibi iam vicinam adverteret, opera pietatis geminavit; ac primum in Hungaria Monasterium excitavit ad Magnovaradinum, quod Annales Ordinis Praemonstratensis ita perhibent: „Monasterium S. Stephani Protomartyris condidit Stephanus II. Rex Hungariae 1130 Dioecesis Varadinensis prope Varadinum:“ cui post Layruelium consonat Pazmanus. Erat filia Praemonstrati olim, serius Zabrdovicio adscripta. Primam quippe Coloniam ipse S. Norbertus ex originario suo Monasterio Praemonstratensi [1]) Varadinum submisit; quae, quemadmodum sui instituti et primi rigoris tenacissima, ita Regum, Procerumque Hungariae animos inflammavit, ut subsequis temporibus vi-

[1]) Istud male congruit cum Praemonstr. Annalibus, qui certo perhibent, primos Canonicos isthuc ex Regia Valle in Lotharingia deductos fuisse. Quapropter iidem Annales Canoniam hanc non Praemonstrati, sed Regiae Vallis, serius Zabrdovicii, demum anno 1516 Jaszoviae filiam fuisse memorant.—

deamus Praemonstratensium Monasteria, quae tantum pro viris fundata fuerunt, ultra quadragesimum numerum assurrexisse.

Situm Praepositurae ipse titulus commonstrat, quod videlicet extra episcopale praecipuumque Bihariensis provinciae oppidum Magnovaradinense, in colle vini ferace, laetissimamque planitiem aspectante fundata fuerit. Regia haec fundatio aedificiorum structuris, bonorum amplitudine, iurisdictionis praerogativa, Tabularii publici custodia, ac denique praecipuo in tota Circaria hungarica gradu spectabilis fuit.[1]) Tam liberaliter vero dotata exstitit, ut vix legatur fundationi facta accessio, praeter unicam terram Vetys vocatam, quam Christophorus Comes, filius Georgii eidem addidit. Denique qualitatem fundationis vel ex censu papali advertere licet: de quo ante Seculi XIV. medium Collectores ita testantur: „Iste (Praepositus de Promontorio Varadinensi) pro se, et Conventu suo solvit XV. Marcas grossorum ad rationem Budensem nobis Collectoribus pro decimis primi anni.“ Atque iterum: „Praepositus et Conventus eiusdem prima vice solverunt X. Marcas, secunda LX. grossos, tertia vice LII., quarta vice duas Marcas.“ [2])

Anno 1390 floruit Sylvester Praepositus, sub cuius regimine Varadinensis Episcopus, et eius Capitulum iura Praepositurae convellere adnisi sunt. Vicesimalitatem quippe omnium frugum, quae ad Monasterium hocce vetere et directo iure spectabant, violente occupare, sibique appropriare intendebant. Quod iure ne, an iniuria factum sit, difficile est in tanto temporum recessu, et rationum defectu pronuntiatu. Interim Sylvester contra factum hoc velut illegale, suoque Conventui summe iniuriosum anno 1396 in Conventu Jaszoviensi protestatus est, quo effectu, ignotum. Notius illud, quod anno 1410 omnia Praepositurae bona partim desolata, partim abalienata fuerint. Quapropter Joannes XXIII. primo Pontificatus sui anno mandavit Stiborio de Stiborics, et Minori Szobovics eodem anno Infulis Agriensibus decorato, ut bona Praepositurae Varadinensis in hac Dioecesi existentia, qualitercunque abalienata, pessumdata, et deteriorata recuperare, eidemque Monasterio restituere satagat. Ita Elenchus Lelesz.

Initia haec erant maiorum calamitatum, quae huic Praepositurae imminebant. Anno enim 1490 Valentinus Episcopus Varadinensis licentiosa et vaga Religiosorum vita, ut ipse observabat, offensus, totius Praemonstratensis in Hungaria Ordinis exterminium meditatus, totis viribus adlaboravit, ut in Praeposituras Praemonstratensium monachi Cistercienses illocarentur. Contra quos conatus Episcopi solemni protestatione obviare conabatur Frater Georgius Diaconus professus Lelesziensis, coram Capitulo Agriensi anno 1491. Idem Elenchus Lelesz. Sed infirmius erat hoc protestationis remedium, quam ut Valentinus coepto desisteret; qui demum assumto sibi in socium accusationis Nicolao Episcopo Sebastensi, et Praeposito Maiore Varadinensi animum Uladislai II. Regis eo inflexit, ut accedente consensu Alexandri VI. Papae nobilissimam hanc Praeposituram una cum Coenobio, bonisque omnibus contulerit Ordini Carthusianorum anno 1494.[3]) Num Carthusiani Coenobium adierint, bonorumque possessionem capessiverint, nulla certa documenta probant: imo cum praeiudicio alterius Ordinis eos donum non acceptavisse inde fit verosimile, quod post 26 annorum decursum quidam Emericus, incertae conditionis homo, Praepositurae incubaverit, contra quem non Carthusiani, sed Franciscus Praepositus Saaghiensis Ordinis Praemonstratensis coram Andrea Praeposito, Zagrabiensi Canonico, anno 1520 protestatus est.

Communi Seculi XVI. in Hungaria

[1]) Fundatorem Stephanum II. ibidem sepultum fuisse docet Katona: Hist. crit. III. 452. — [2]) Pray: Hier. R. Hung. II. 147. — [3]) Ibidem: 185. —

turbine haec etiam S. Stephani Praepositura involuta fuit, cuius integro fere seculo honorem sola tutabatur collatio regia, secundum quam plures e ven. Clero seculari titulum et honorem Praepositorum de Promontorio Varadinensi gessere. Sub finem Seculi XVII. cum titulo nonnullos eius fructus colligebat Andreas Berzeviczy, Canonicus Scepusiensis. Huius tempore Franciscus Schöllingen, Abbas Pernecensis Memoriali Commissioni Regiae porrecto rogabat post mortem Praepositi Berzeviczy Praeposituram hanc Ordini suo conferri, uti etiam alias tam vacantes, quam vacaturas, quae quondam Praemonstratensis Ordinis fuere, reddi. E MS. Hevenesiano.

Obtinuit etiam memoratam Praeposituram studiosissimus Ordinis sui in Hungaria restabiliendi Abbas, quam deinde ineunte Sec. XVIII. cum duabus aliis : de Jászow, et Lelesz transtulit in Abbatiam Lucensem cum consensu regio. Reincorporata itaque est Ordini Praemonstratensi, et quidem Conventui Pernecensi anno 1705. Ab hoc transiit eius possessio et iurisdictio ad Abbatiam Lucensem Moravorum anno 1711, cui etiam insignem conciliavit praerogativam, de qua Kaprinay : Hungar. diplom. Part. 2. p. 220. ita scribit : „Abbates Lucenses nunc obtinent Praeposituram S. Stephani Protomartyris de Promontorio Varadinensi, ubi sanctissimus Praemonstratensium Ordo temporibus Stephani II. Regis ex ipso Praemonstrato [1]) excitus, primam in Hungaria sedem fixit: ac idcirco Abbates Conventus huius, Vicarii tota Hungaria Generalis dignitate sunt potiti, quam etiam nunc retinent Abbates Lucenses, ceu dictae Praepositurae S. Stephani possessores, gaudentque iure Comitiorum ac Suffragii inter Praelatos et Proceres Hungariae connumerati.“ [2]) Vide etiam Art. 73. anni 1715.

Procurabant Praeposituram Varadinensem Lucenses Abbates per sic dictos Administratores, S. sui Ordinis Religiosos professos. „Candidi huius Ordinis Canonicus (Stephanus Szenczy) ultimus eam administrabat, a morum suavitate, liberalitate, hospitalitate . . . celeberrimus, qui brevi suis indefessis curis efficiet, ut aedificio novo iam in altum educto plures socios accipiat, sacraque haec familia rursus ad Varadinum, etsi non in eodem Promontorio, reflorescat,“ Ita suo aevo Katona. Hist. crit. III. 452. — Coepit omnino aedificium a fundamentis novum assurgere in praedio S. Martini ad Thermas; mansitque vetus locus suis ruinis consepultus. Non defuere itidem Valentini, qui mutationem loci studio maioris commoditatis tribuebant. — Non effugit commune sui et aliorum Ordinum fatum Praepositura haec: nam anno 1787 Josephus II. Imp. universa eius bona pro suo in Religionem studio fundo Religionis addixit. Evolutis tribus lustris per gloriose regnantem quondam Franciscum I. Hung. Regem restituta, Praepositurae Jaszoviensi unita est; unde ad praesens eundem cum hac Praepositum veneratur.

---

[1]) De hoc Annales Praemonstratensis Ordinis aliud tenere, iam supra suo loco monuimus. — [2]) Ita ille suo tempore, Hung. dipl. II. 220. —

Pro coronide Praeposituarum S. Ordinis Praemonstratensis in Hungaria, pro iis, quibus Péterffyi Concilia Hungariae ad manus non sunt, iuvat adducere ea, quae in nunc dicto Péterffyi opere (P. II. p. 276.) ita de his Praeposituris recitantur, sicut ea ex celeberrimi Cardinalis Petri Pazmani Archiepiscopi Strigoniensis, et Primatis Regni Hungariae calamo fluxerunt. [1])

Praepositurae Praemonstratensium.

In Commentario regulae S. Augustini, auctore P. Servatio de Layruelz, Ordinis Praemonstratensium Vicario Generali; et in Optica Praemonstratensium Sandecii in Polonia descripta, hasce Praepositurae recenseri video Praemonstratensium.

In Dioecesi Varadinensi: Praepositura S. Stephani Protomartyris de Promontorio Varadinensi. Fuit primum coenobium huius Ordinis in Hungaria.— Aiska (sive Ochka). — Ruthenis (seu Rucensis). — S. Pauli. — Abraham. — Adon.

In Dioecesi Strigoniensi : De Been. — Saág B. M. Virginis. — Bozok S. Regis Stephani, fundata anno 1139 a Comite Lamberto, et uxore eius Sophia, sorore S. Ladislai Regis. — Türő (seu Türne). — Grába.— Thürs, seu Turócz B. M. Virginis, fundata anno 1252 a Bela IV. — De Insula Leporum. — Chut, S. Eustachii, fundata a Bela IV. Data est Paulinianis a Pontifice anno 1475, Mathia I. Rege Hungariae instante. — Saga. — Steinbach. — Schida, vel Schajdun. — Landek, in Scepusio.

In Dioecesi Jaurinensi : Chorna (sive Schirna), S. Michaelis Archangeli. — Jurle (sive Türje), B. Mariae Virginis. — Rocheniti. — Horpász.

In Dioecesi Vesprimiensi: Chöppe-fő.— Rátóld—Rajk, B. Mariae Virginis. Fundata a Maioribus Dominorum Bánfiorum de Alsó-Lindva, circa annum Domini 1255, in Comitatu Szaladiensi.

In Dioecesi Quinqueecclesiensi: Insula Lazari. — S. Augustini.

In Dioecesi Vaciensi : S. Crucis. — Pontis Joannis. — Albei. — Dornau. — S. Michaelis. — Hatvan. — Chuchnis. — Graba.

In Dioecesi Agriensi : Jászó S. Joannis Baptistae. — Ocra. — Lelesz. — S. Crucis. — Cudan. — Missle. — Schlangenmund. — Topissa. — Drozo, Sororum Praepositura.

In Dioecesi Colocensi: Geidel. — Zemlin. — Magodlin.

In Dioecesi Zagrabiensi : Ivaniae, Coenobium Sororum in Slavonia.

Praeter has Praepositurae a Servatio notatas, reperimus in vetustis scripturis Coenobium S. Lamperti, Sororum Ordinis Praemonstratensis in Oppido Vásárhely, Dioecesis Vesprimiensis. — Sámbok S. Joannis Baptistae, Vesprimiensis Dioecesis; quae ad Regis Mathiae petitionem data est Paulinianis a Sixto IV. Pontifice An. 1475. — Mayk in Strigoniensi Dioecesi, viguit Anno 1252. — Móriczhida in Dioecesi Jaurinensi. — Kapusfő S. Benedicti in Comitatu Bodrogiensi. — Hactenus Pázmán. [2])

Petro Pazmano de Monasteriis S. Praemonstratensis Ordinis adiungo Josephum

[1]) Excipe typi errores, in hac Péterffyani operis parte frequentissimos. — [2]) Praeter has per Cardinalem enumeratas Praepositurae Annales Praemonstratensium Praepositurae de Timerócz memorant, quae anno 1516 filiae nomine subdita fuerit Sághae. Quodsi nomen hoc exterorum scribarum errore ex Thurócz natum non est, Praepositurae hanc merito sibi vindicabit provinciae Trenchiniensis vicus, nomine Timorácz. Qui licet paucissimos in Recinctu Parochiae Szlatinensis, Matris suae, incolas numeret: eo tamen est ceteris nobilior, quod solus Ecclesiam sinu suo contineat. Ceterum Praepositurae hanc, ad isthoc Timerócz, licet hodie in Hungaria unico, necessario referri non oportere, clarum est.

Memorant iidem Annales aliam quoque, de Porvik, aut Pormik. Sed hoc loci nomen patria nostra non novit. Nec huius, nec prioris Praepositurae titulus per Apostolicos Reges conferri solet. —

Mallyo, cuius non possum cum promerita laude non meminisse, et eius singularem candorem non commendare. Vix cum rescisset vir praestantissimus intentionem meam de Monasteriologia Regni Hungariae conscribenda, pretiosa sua Manuscripta, seu posthumam sacri sui Praemonstratensis Ordinis memoriam mihi addixit, egitque quam solertissime, ut mihi in manus Jászó-Mindszentino conveniat. Contrario is plane studio ductus est plurimis, qui ingeniorum suorum fetus ita depereunt, ut more simiarum malint eos intra sinum emori, et monumenta sua a blattis potius corrodi, quam cum erudito orbe communicare. — Posthumam hanc memoriam nactus, omnia mea adversaria et monumenta, quae undequaque pro notitia sacri Praemonstratensis Ordinis posteris tradenda operoso conamine conquisivi, huic accommodavi; et notitiam Monasteriorum Praemonstratensium intra Hungariam, fide domestici scriptoris ad posteros transmittere volui. Quaecunque igitur, benevole Lector, de his intra Monasteriologiam Regni Hungariae legisti, flores sunt ex horto Mallyoiano; et ubi ubi quaepiam e meis adversariis addidi, spicae solum sunt, vix quidem ad subactum opus Mallyoianum necessariae; attamen ubi utiles censui, non superfluae. Nec multum sollicitus fui, ut hae ab illis secernantur; cum totum operis honorem praestantissimo Viro deferendum velim. [1])

[1]) Textus iste, quem ipsi Fuxhoffero gratus animus olim expresserat, se non ad praesentem, sed ad primam Operis huius Editionem refert, in qua Libri II. pag. 87. reperitur. —

II.

MONASTERIA

S. ORDINIS CISTERCIENSIS.

Anno milleno, centeno, bis minus uno
Sub Patre Roberto coepit Cistercius Ordo.

SECTIO II.

DE SACRO ORDINE CISTERCIENSI.

Seculo XI. ad finem vergente incepit ex regula S. Benedicti celeberrimus in Ecclesia Ordo Cisterciensis, dictus a valle Cistercii Dioecesis Cabillonensis in Burgundia, auctore, et institutore S. Roberto. Fuerat iste antea Molismi, ditissimi in Gallia Monasterii apud Lingones Abbas Ordinis S. Benedicti. Verum, cum suos ab arctiore semita quotidie magis deflectere doleret; nec facile reducendi viderentur, eo, quod divitiis, virtutibusque diuturna societas esse non soleat : inito cum viginti et uno monachis consilio ad dictam solitudinem secessit, inter opera manuum secundum Regulae suae praeceptum deinceps victurus. Nec defuerunt favores Gualterii Episcopi Cabillonensis, uti et Othonis Ducis Burgundiae, quorum praesentibus adminiculis primum Coenobium brevi excitatum fuit.

Antequam Robertus opus Cistercii coeptum absolvisset, Molismenses Monachi apud Urbanum II. Summum Pontificem effecerunt, ut Robertus ad eos reverti cogeretur : cui ad suos reverso Albericus est substitutus; eiusque opera, et cura vallis illa non parum exculta fuit. Pauci tamen adhuc tum erant numero, qui austerum vitae genus hoc sequi amarent : donec post annos XV. S. Bernardus secum XXX Socios, ad Ordinis amplitudinem opportunas suppetias, afferret; quorum virtutibus ita dilatata est vinea Domini Sabaoth, ut palmites suos extenderet a mari usque ad mare, et impleta sit terra possessione eius. Primae eius propagines exstiterunt : Firmitas, Pontiniacum, Morimundus, Claravallis. Unde quatuor istarum domorum tanta fuit auctoritas, ut Abbatem Cisterciensem simul visitaverint, et singillatim, versa vice fuerint visitati.

Claravallis a suo primo Abbate, S. Bernardo, prae ceteris illustrius ornamentum sortita est; huius enim studium in propagando Ordine tantum fuisse perhibent, ut centum sexaginta Monasteria ipse vivens erexerit. [1]) Per alias quoque provincias tam propitiam omnium hominum manum experta est haec religio, ut C annorum spatio Monasteria bis mille nu-

[1]) Sartorii Cistercium, p. 102. —

meraverit. Ad Capitulum Cisterciense anno 1244 quingenti Abbates confluxerunt, cui etiam interfuit sanctissimus Rex Ludovicus IX., rogaturus, ut in communionem precum totius Ordinis adoptaretur. Et quoniam intra exiguum tempus mirifica Cisterciensium propagatio nimium accelerari videbatur, sanctione singulari ab ipso Capitulo Generali anno 1151 provisum est, ne amplius concederentur, conderenturque Abbatiae.

Quemadmodum ab Abbatiarum maiore numero sub initium alieni erant Cisterciences : ita privilegiorum acquirendorum minus amantes sunt visi; nam S. Bernardus non semel haec velut Ecclesiae, et S. Ordini non satis utilia oppugnavit. [1]) Vicit tamen Summorum Pontificum, ac Episcoporum pietas, qui Ordinem sibi dilectissimum suis muneribus ac honoribus ornare non sine amico certamine contenderunt. Paschalis II. anno 1100 Cistercii Monasterium protectioni Sedis Apostolicae reservavit : Callistus II. Statuta Ordinis sacro diplomate confirmavit; plura his privilegia adiecit Eugenius III., eiusdem antea Ordinis professus, et alii denique quamplurimi Romanorum Pontificum suos favores, privilegia, plenam totius Ordinis exemptionem S. Ordini concesserunt.

Huc accedunt illae dignitates, quae a pontificio fastigio in Vallem Cisterciensem toties defluxerunt. Numerat S. Ordo e gremio suo ad Cardinalitiam dignitatem provectos 420; Archiepiscopos 800; Episcopos vero 1400. — Quem numerum licet devalvet Miraeus; illud tamen pro singulari huius Ordinis decore fatendum est, quod plurimi ex eius eremis ad splendidissimas Ecclesiae Praelaturas sint proliciti. Et ne summus etiam honos huic Ordini deesset; bis, nempe : in Benedicto XII., et Eugenio III. ad summum totius Ecclesiae sacerdotium est evectus. Beneficia Imperatorum, Regum, Ducum, et Comitum in Cistercienses profecta hic congerenda non existimamus, eo, quod in Chronico Cisterciensi iam exarata posteris prostent apud Miraeum; [2]) tum, quod ipsa splendidissima aedificia, ditissimaque praedia satis testentur, quam munificis et locupletibus e fontibus possessiones eiusmodi acceptae sint.

Sed ne quis opinetur exteriore duntaxat luce, seu praerogativis ad tempus concessis hunc venerabilem Ordinem effulsisse : inspiciat is Coelitum Cisterciensium Catalogum, quos solemni inter Sanctorum numero adscriptos, et gloria immortali coronatos Ecclesia veneratur. Inspiciat, inquam, Acta Sanctorum Cisterciensium ab Angelo, et Chrysostomo, utroque Manrique appellato : deprehendetque in iis infinitos Martyres, Confessores, Virgines, in quibus Ordo Cisterciensis coelo sanctos, mundo vero exemplaria virtutum, et sanctitatis dedit. Hac coelesti eorum vita illecti quamplurimi e Regibus et Reginis coronas et diademata cum cucullo Cisterciensi commutarunt. In solo Trebnicensi Silesiae Sanctimonialium Cisterciensium Monasterio XL Polonae, Principes Dominae, Deo servierunt. [3])

Regulam sequuntur Cistercienses S. Benedicti : nec fuit unquam alia mens S. Roberto, quam ut eius sequaces hanc regulam ad literam observarent. Edidit quidem S. Stephanus, tertius Abbas Cisterciensis certas Constitutiones, a diversis Romanis Pontificibus approbatas, quas Chartam Charitatis appellavit, sed tota haec Charta nihil aliud est, quam aliquorum Regulae S. Benedicti capitum explanatio.

Mitigata postea fuit aliquantum disciplina, et vivendi rigor temperatus. Hinc multi suspicati sunt remissionem observantiae regularis maiorem subnasciturum. Quare plurima Cisterciensium Monasteria in unum coetum semet collegerunt, et

[1]) L. 7. de Consider. C. 4. — [2]) Chron. p. 152. — [3]) Brougthon : Lex. Relig. —

plures efformarunt Congregationes, ut vi unita fortiores efficerentur ad repellendum teporem, qui semet per minimas rimas etiam in optimarum Religionum Coenobia insinuare solet. Itaque aliam Congregationem videre est in Hispania, erectam anno 1131: quam Seculo XV. Michael de Vargas ad priscam observantiam reformavit tempore Martini V. R. P. anno 1425. Haec in Hispania Congregatio vocatur de Observantia, et reipsa eius membra observantissima erant ieiuniorum regularium, et silentii fere continui. Erat alia per Pium V. anno 1567 in Lusitania consociata: alia in Regnis Arragoniae, Navarrae, et Maioricarum nata tempore Pauli V.: alia Lombardiae et Thusciae a Sixto IV. unita: denique visuntur Congregationes in Germania, Polonia, Sicilia, quae suis specialibus Generalibus, aut Reformatoribus sub certis novis legibus, et statutis obsequebantur.

Celebrior prae reliquis, ampliorque evasit Congregatio de strictiori Observantia nuncupata, tanquam, quae in ipsa Ordinis origine, Cistercii, nata est. Auctorem habuit Dionysium Argentier, Abbatem Claravallensem, qui Ludovici XIII. Galliarum Regis, et Gregorii XV. R. P. auctoritate fultus reformationem perfecit, ut primaevae secundum Regulam S. Benedicti observantiae de abstinentia a carnibus, de continuato silentio, atque opere manuum quotidiano tam in eius, quam aliis plurimis Monasteriis reviviscerent. Plurimum operae ad id perficiendum contulerat Cardinalis Richelius, Commendatarius Abbas Cistercii: sed quam magno zelo coepta fuit, ita diuturna non fuit gravior disciplina. Jam anno 1666 ab Alexandro VII. R. P. interpretationem strictioris observantiae circa esum carnium impetravit haec Congregatio, secundum quam nemo adstringebatur ad continuam abstinentiam, nisi qui hanc vovisset; et postea liberum non fuit hanc vovere, nisi petita et obtenta legitimi Superioris facultate. Quoad reliqua puncta tenacissima mansit haec Congregatio usque ultimum fere prioris Seculi decennium, quo tempore non tantum Congregatio haec, sed totus Ordo Cisterciensium in Gallia communi calamitati succubuit. [1])

Eodem plane tempore coepit sanctissima, et rigidissima Congregatio Trappensis. Auctorem habuit Armandum Joannem Bonthillium de Rance, virum ex nobilissima in Gallia stirpe oriundum, qui cum ingenti profectu peracto studiorum cursu sacerdotium amplexus, praeter alias ecclesiasticas dignitates Abbatiam Trappensem in Commendam, ut dici solebat, acquisivit; et inter patrimonii, et Ecclesiarum suarum divitias in praeceps ire coepit. Verum revocato gradu Cisterciensem Ordinem professus, cum ingressu in suam Abbatiam eam vitam exorsus est, quam universi stuperent, sequique posse desperarent. Fundamentum novae regulationis erat, Regulam S. Benedicti, quam profitebantur, ad literam observare. Secundum S. Regulae praescriptum profundum in Monasterio Trappensi observabatur silentium, ieiunia servabantur prout in regula praescribuntur, obedientia omni ex parte coeca, labor manuum quotidianus. Quod mundus plurimum admiretur, illud est divinae ordinationis miraculum, quod plurimi Trappensium Monachorum e primis domibus orti, sutoriam, sartoriam, dolabra tractent, et in spiritu humilitatis, et patientiae non pudeat pecora pascere, stivam tractare, et semet secundum mundum abiicere; pro Deo negligere. Hanc vero vivendi rationem inde, a quo coepit, non refrixisse: usque ad Monasteriorum in Gallia seculi prioris fine inductam desolationem sine mutatione perduravisse: et, quod amplius, delicato hoc, et voluptatum unice studioso aevo revixisse, in pluribus Monasteriis hodieque vigere, imo Sanctimonialium quoque Coe-

[1]) Fama ferebat, Napoleonem III. Imperatorem eius regenerationem meditari. —

nobiis inductam stricte observari; — digitus Dei est hic, et omnia possibilia sunt credenti, teste Christo.

Vestes Cisterciensium initio nigrae erant, quemadmodum Benedictinorum, a quibus orti nunquam aliud esse volebant, quam Benedictini. Postquam deinde Beata Virgo B. Alberico, secundo Abbati Cisterciensi apparens tunicam, seu habitum album porrexisset, habitum album cum scapulari, caputio, et cingulo nigris deferre coeperunt quam plurimi. Transfigurationis huius festum secundum Brougthonium celebrabant Patres Cistercienses die quinta Augusti. Ut vero ad uniformem vestitum universus Ordo restringeretur, Benedictus XII. R. P. sanxit, ut Cistercienses uterentur veste de bruno. Brunum colorem in Hungariae Monasteriis Cisterciensium gestatum fuisse, legere erit infra, sub titulo Abbatiae Pilisiensis.

Ex ancipiti notione vocis, et conceptu bruni coloris alii nigrum, alii griseum colorem sibi vendicabant; donec Sixtus IV. anno 1475 apertius praescripsisset, ut Monachi et Moniales Cistercienses vel nigro, vel albo tantum colore uterentur. Propterea mutarunt quidem vestem, quam albam ferunt: liberum tamen mansit etiam antiqui usus caputium nigrum, et scapulare, quod cingulo peraeque nigro cum veste ligant. Et haec ab Alberico sancto se vestiendi ratio tradita obtinet iam modo in toto S. Cisterciensi Ordine: in nonnullis tamen Monasteriis usu receptum erat, ut in itinere constituti Religiosi, etiam habitu nigro, adeoque veste per totum Benedictina uterentur; uti id priore Seculo in Neostadiensibus Austriae inferioris Cisterciensibus Religiosis observatum fuisse legitur.

Monasteria Cisterciensium magis accommodata fuerunt Regulae S. Benedicti, quam ipsa Benedictinorum. Cum enim secundum vulgare: Montes Benedictus amabat, montium superiora spatia praescriptam in Regula monasticam agriculturam non admitterent, artificia potissimum exercebantur, quae intra septa Monasterii poterant exerceri. Cum etiam praeterea Benedictini ab Ecclesia destinarentur ad conversionem Gentium, ad idololatriam in toto Occidente exstingvendam, ad informandas gentes in fide: labores manuales ut plurimum restricti sunt ad Monachos Laicos, Sacerdotibus studiis, quae ad Apostolatum necessaria viderentur, occupatis. Longe alia fuit ratio Cisterciensium. His Regulam S. Benedicti ad literam observare adstrictis, etiam loca talia pro Monasteriis quaerebantur, et assignabantur, ubi omnia necessaria, puta: molendinum, horti, agri, foenilia, sine ullo secularium consortio haberi, et haec omnia per solos Religiosos tractari et coli possent.

Aedificia Cisterciensium aeque secundum Regulam structa fuerunt. Commune ubique dormitorium, e quo aditus patebat ad paucas easque parvas cellas Superiorum seniorum etc. Sub dormitorio pistrina, culina, aliaque conclavia erant, quae toti Communitati serviebant. Qui quampiam secundum Regulam S. Benedicti aedificii monastici ideam spectare vult, adeat Monasterium Campililiorum, aut S. Crucis in Austria: ubi, si separaverit moderna splendida hospitalia, videbit Monasteria secundum Regulam S. Benedicti ad literam aedificata.

Hungariam stricte sumtam pia haec Sodalitas sub Geysa II. anno 1142 ingressa, et civitate donata est. [1]) Quam

---

1) Teste P. Rosenthal Ord. Cist. Campililiorum Professo, iam Bela II. (anno 1135) obtentos ex Clara-Valle ab ipso D. Bernardo huius Abbate monachos Topolczkam in Croatia induxit. Extractus privilegii Emerici Regis Hung. (apud Fejér: Cod. dipl. II. p. 327) omni quidem vi ad probandum destitutus, nonnihil fidei sortitur inde, quod in determinanda Monasterii S. Gotthardi fundationis epocha Mauricio, Cisterciensis Ordinis Annalium Scriptori, mire consonet; qui ductu antiquae Monasteriorum Ordinis sui Chronologiae, Cistercii exsistentis, fundationem hanc ad annum 1134 adducit. Sed huic nec Heimbius, qui nunc dicti Monasterii historiam ex proposito scripsit, nec ullus alius Scriptor, quod mirum, assentitur; licet nullus eorum aliquam divergentis adserti sui rationem adsignet. — Si Mauricus recte scripsit, S. Ordo Cisterciensis iam anno 1134 Hungariam ingressus est. —

proni, et liberales erga Cistercienses fuerint Hungariae Reges et Proceres, argumento sunt crebrae, et locupletes Abbatiae, quae non obstante iam tanto numero Benedictinorum, et Praemonstratensium Coenobiorum, pia munificentia fundatae fuerunt. Singulari etiam eos favore complexos fuisse Hungaros, patet e genuino Belae III. Regis Decreto, quod tale est: „Ego Bela Dei Gratia Hungariae . . . Rex. Notum fieri volo praesentibus, et futuris ad petitionem dilectissimi Nostri Patris Abbatis Cistercii, omnibus Claustris Cisterciensis Ordinis, quae constructa, vel construenda sunt in regno meo, me propria benignitate indulsisse, ut ea libertate in tota mea terra utantur, quam in Francia obtinere noscuntur. . . . Anno ab Inc. Dni 1183." [1]) — Sed iam ad singulas praeclari huius S. Ordinis Abbatias, quoad eius fieri potest, illustrandas, veritate duce, accedamus.

I.

Abbatia B. Mariae V. de Abraham.

Inter Cistercienses Abbatias primam ponit Petrus Pazmanus, ordinem alphabeticum sequutus, eam de Abraham, bene gnarus ea tam aetate, quam fundatione plures alias fuisse potiores. „Abbatia, inquit, de Abram (sive Abraham) B. Mariae Virginis in Comitatu Bodrogiensi, Dioecesis Colociensis, fundata a Moyse Palatino Hungariae, et eius fratre Comite Alexandro anno 1270 circiter." At plures, praeter hic adductos, fuisse eius fundatores, ipsae eorum literae docent huius tenoris: „Nos Moys Palatinus, Comes Sopronienses, et Judex Cumanorum: C. Stephanus, filius Comitis Nicolai; magister Salamon Cancellarius Dapiferorum D. Regis, filius Comitis Nicolai, et magister Alexander filius C. Alexandri significamus universis, quod quum considerantes esse omnia transitoria, et ad spiritualia quaepiam ordinare optassemus, ob remedium animarum nostrarum, quasdam possessiones nostras, quae inferius inseruntur, Monasterio B. M. V. de Abraam contulimus, donavimus, et concessimus perpetuo et irrevocabiliter possidendas; scilicet omnem terram nostram et iura, quae in Abraam habuimus, exceptis Sessionibus nostris, praeterea villam Olfalu, et quamdam villam Varalwy vocatam, villam Chyka, villam Kurd, ubi est Ecclesia fundata, cum duobus molendinis ibidem constructis . . . Contulimus et eidem Monasterio servos, et ancillas, quorum nomina . . . . Et nos Moys Palatinus specialiter condonavimus eidem Monasterio totam nostram portionem in Dalacha existentem, cum piscinis, et aliis pertinentiis . . . Quod quidem Monasterium commisimus Ordini Cisterciensi . . . Ut tamen huius nostrae collationis series non posset ullo unquam tempore revocari, praesentibus duximus confirmandam. Anno Domini M. CC. LXXII." [2]) Secundum Katona, [3]) ex aliis documentis apparet, Ecclesiam

[1]) Katona: Hist. crit. IV. 288. — [2]) Fejér: Cod. dipl. T. IV. Vol. III. pag. 111 recitat diploma, quod docet fundationem hanc iam anno 1263 per Moys Comitem Simigiensem, et de Varasd, ac alios factam fuisse. — [3]) Historia Coloc. Ecclesiae. —

B. M. V. penes fluvium Dalacha, qui possessioni Dalacha nomen dedit, in Comitatu Bodroghiensi sitam fuisse. Licet autem nec pagus, nec fluvius Dalacha iam existat; exstat tamen ad Bogyiszló silva Dalacha; nec procul a Sükösd rudera vetusti cuiusdam Monasterii visuntur. Verum utraque haec possessio in limite Comitatus Pestiensis iacet, qua iste Tolnensem contingit.

Abbatum loci huius exilis memoria superest. Unicus fere notus Petrus, qui possessionem Gerbő olim a coniuge Magistri Moys donatam, tum abalienatam, anno 1351 a Georgio Comite Byssenorum Nicolai Palatini sententia recuperavit. [1]) Item: Joannes, qui anno 1387 literas fundationales olim per Ladislaum IV. transsumtas per Capitulum Strigoniense transscribi procuravit.

Abbatiam hanc longissimi temporis spatio suis ruinis sepultam, cuius praeter nomen vix quidpiam aliud supererat, nitebatur S. Ordo recuperare. Quo fine Mathias Abbas Rhunensis, per Regnum Hungariae Visitator Generalis supplicem libellum ad thronum regium porrexit, rogans, ut S. Ordo in eadem Abbatia restabiliatur, et cultus divinus post exactos ex ea regione Turcas iterum reparetur. Verum solertissimi viri conatus effectu intento caruit. Tenebant Abbatiae bona familiae: Schilson et Eszterházy, a quibus ea Franciscus Barbacsy, Canonicus M. Varadinensis, una Tabulae Regiae Praelatus, et B. M. V. de Abraham Abbas via iuris revindicare constituit. Qui quamvis optimis documentis instructus litem coeperit, nihil tamen ultra poterat obtinere, quam ut singulae hae familiae 1200 fl. Actori Abbati dependerent; quod istae praevia tractatione acceptatum anno 1735 reapse praestiterunt: ipso etiam Gabriele Comite Patachich Colocensi Archiepiscopo consensum suum largiente „ita tamen, ut summa a Principe Eszterházy depensa in eotum neoconstitutum Colocae Clericorum Seminarium investita fuerit ea conditione, ut sacrum per Alumnos Sacerdotes hebdomadatim perpetuo duraturis temporibus pro animabus piorum fundatorum unum persolvatur.“ [2])

Erat Abbatia haec, dum viguit, filia Clarae-Vallis: nunc solus eius titulus superest, quo nuper fruebatur Reverendiss. D. Georgius Maurer, Cath. Ecclesiae Albaregalensis Lector, et Canonicus.

II.

Abbatia B. Mariae V. Belae Fontis.

„Belae Fons, alias Bellus Fons. Fundata legitur Abbatia apud Manricum, et alios circa annum 1152.“ Ita Theophilus Heimb in Mantissa ad suam de ortu et progressu Abbatiae S. Gotthardi notitiam: Rosenthal in Actione S. Ordinis Cisterciensis, et alii. Dicitur etiam Bellus Fons de Valle in Vuta, vel Unta, ad quem fundatam fuisse in Archidioecesi Colocensi Abbatiam Cisterciensem discimus e Syllabo

[1]) Fejér: Cod. dipl. IX. 2. p. 119. — [2]) Schematism. Coloc. 1847. —

Abbatiarum intra ambitum Archidioecesis Colocensis fundatarum impresso, qui de hac Abbatia ita proloquitur: Abbatia B. M. V. Belli Fontis de valle in Vuta, vel Unta fundata anno 1198 a Saule de Hedervára Archiepiscopo Colocensi pro Cisterciensibus; unita mensae Archiepiscopi Colocensis sub Uladislao II. Rege ab Alexandro VI. Papa anno 1493 XI. Cal. Aprilis Archiepiscopo Colocensi Petro de Varda."

Verum: tam Heimbium, quam Syllabum corrigit diploma Belae IV. Regis de anno 1237, quod per Capitulum de Kew anno 1385 authentice transsumtum in Archivo Camerali conservatur, et sic sonat: „Bela Dei gratia, Rex Hungariae universis praesentem paginam inspecturis salutem in vero Salvatore. (Post consvetum Exordium.) Hac nimirum consideratione provocati conventum Monachorum Cisterciensis Ordinis de Monasterio trium fontium de Campania in Hungariam transmitti petiimus, quibus locum, qui Ukurd vulgariter appellatur, ad Monasterium aedificandum deputavimus, et ne eos... propter defectum temporalium . . . detrimentum pati contingeret, quasdam possessiones eidem Ecclesiae contulimus perpetuo possidendas. In Comitatu Sirmiensi de possessionibus hereditariis quondam Petri, filii Gurwey, quae sua infidelitate exigente, quia crimen laesae maiestatis matrem nostram occidendo commiserat, ad manus regias sunt devolutae: imprimis ipsum locum, ubi Monasterium est constitutum, qui antea Ukurd, sed modo Belae fons appellatur, cum omnibus suis pertinentiis, scilicet vineis . . . cum parte Danubii fluentis super terram illam, et cum viginti quinque villis sub una meta existentibus, quarum nomina sunt haec: Villa Camonek, villa Chuda,... villa Ukurd . . . Scepfalu . . . Ojfalu . . ." Enumeratis omnibus villis prosequitur: „Contulimus etiam in Sirmia terram Narad, . . . villam unam demtam alicui, qui servum Abbatis interfecit . . . Item contulimus eidem Ecclesiae ultra Danubium Peturvarad (Petro-Varadinum) et regale palatium ibidem constitutum cum omnibus pertinentiis suis . . . cum tribus villis, quarum duae vocantur Zoyl, et tertia Bywolou, ipsas etiam cum terris eis appendentibus, quae de possessione fuerant Petri de praenotato crimine condemnati ... Contulimus etiam terram Cheway eidem Ecclesiae, quam propria pecunia emimus . . . Inter alia, terras quasdam ad Castrum Bodrogh pertinentes in Comitatu Baachiensi, propter longinquitatem eidem Castro inutiles . . . Item contulimus eidem Ecclesiae villam, quae vocatur Borycza, quae fuit Dionysii Comitis Palatini, qui de regni dilapidatione, et infidelitate evidenter est convictus . . . Contulimus insuper eidem Ecclesiae de consensu Venerabilis Patris Roberti, Strigoniensis Archiepiscopi Plebanias utriusque Pest, cum Patronatibus et omnibus proventibus in decimis maioribus et minoribus, et Capellis . . . Porro omnes possessiones praenotatas contulimus eidem Ecclesiae tali libertate, ut populi ... liberi sint ab omni tributo vel exactione in toto regno Hungariae; nec audeant ibi Monetarii vel Collectores descendere ... verum, si Collectam Rex in regno indixerit, sive pro redemtione pecuniae, quae recepta non fuerit, sive lucrum Camerae, vel quocunque alio nomine censeatur, Jobbagyiones praedictae Ecclesiae a regali collecta penitus sint liberi et immunes; sed medietas illius quantitatis, quae ab aliis recepta fuerit, a Jobbagyionibus Ecclesiae Abbati persolvatur, medietas vero eisdem Jobbagyionibus remittatur. Omnes autem caussas inter Jobbagyiones Ecclesiae emergentes Curialis Comes ipsius iudicet, et decidat, ni forte poena sangvinis, vel suspensionis debeat exerceri, quia tunc exsequutio Sententiae ad Comitem Parochianum pertinebit . . . Volumus etiam, et statuimus, quod saepedictum Monasterium Belae

fontis quoad ius patronatus immediate ad regem pertineat, qui pro tempore fuerit divina gratia constitutus. Ut igitur haec nostrae donationis pagina inviolabiliter in posterum perseveret, eam duplicis sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum in Sebus anno Dominicae Incarnationis Millesimo ducentesimo trigesimo septimo, Octavo Kalend. Julii. Regni autem nostri anno secundo." [1])

Diploma isthoc Monasterii Belae fontis originem tam certo determinat, ut mirari subeat, quomodo Syllabus ille eius fundationem Saulo, Colocensi Archiepiscopo tam secure tribuere ausus sit, si Abbatiam Belli fontis ab ea Belae fontis non differre credidit. Sed eius Syllabi auctorem aliud credidisse inde coniicere licet, quod suam Belli fontis Abbatiam in Vuta, vel Unta stetisse scribat, quod Abbatiae Belae fontis non convenit. Ceterum, liberalitatem Sauli huius e literis Innocentii III. Papae [2]) novimus, qui eius donationem super Ecclesia de Unta Praeposituræ Colocensis Ecclesiae factam, anno 1198 auctoritate apostolica confirmavit: verum fundatae per eum in Unta Abbatiae nullum, praeterquam in dicto Syllabo, aevo recente confecto, vestigium reperitur.

De Abbatibus loci huius parum novimus. Unius eorum, nomine Guillermi, memoriam conservat conventio cum Comite Chaba, Monasterii S. Nicolai de Bách Patrono, coram Joanne, Colocensi Archiepiscopo anno 1291 inita, vi cuius Comiti, eiusque in Patronatu successoribus in festo S. Nicolai devotionis caussa ad eam Ecclesiam accedentibus, sive cum multis, sive cum paucis eo venirent, non plus quam una ovis, quinque cubuli vini, et panes sufficientes, idque tantum in ipso festo, velut Patrono ministrarentur; et Comes Chaba, eiusque famuli, et cognati per Danubium ad Petrovaradinum transeuntes, naulum solvere non essent obligati. [3])

Chrysostomus Hanthaler Scriptor Cisterciensis in suis Campililiorum Fastis [4]) scribit in memoriam huius Abbatiae sequentia: „Carolus Robertus institutus Rex Hungariae, sed a plurimis non receptus, tametsi diademate sacro dudum inauguratus esset, novem propemodum annis, quibus aemulos Venceslaum Bohemum, et Ottonem Bavarum ferre debuit, in hoc Cisterciensi Belae Fontis Coenobio degebat, sustinens aspera plurima et adversa: quousque decrescente adversariorum potentia Regnum potentionaliter anno 1308 est adeptus."

Monasterii Belli Fontis proprietas fuit Castrum Petrivaradini, et hoc residentiam praebuit Abbatibus; quemadmodum fors Báthaszék sedes fuit Abbatum Báthensium. Istud edocemur e diplomate Uladislai II. Regis Castrum Petri-Varadini Petro Archiepiscopo Colocensi anno 1494 conferentis. „Hinc est, inquit Rex, quod Nos ob singularem devotionem quam in sancta et intemerata Dei Genitrice habemus, cuius nominis vocabulo et appellatione Monasterium Fontis Belae Abbatiae de Varadino Petri insignitur, cupientes eidem Abbatiae et Ecclesiae melius consultum iri .... ut quicunque jobagialis conditionis hominum intra muros praefatae arcis, in locis alias non habitatis locum eligere, et nova pro se aedificia construere voluerint ... exempti, supportati, et exonerati in perpetuum habeantur, tanquam veri nobiles regni nostri. Datum Budae anno 1494." [5]) — Titulo Abbatiae gaudet Reverendiss. D. Fridericus Konrád, Cath. Eccl. Csanadiensis Cantor et Canonicus.

---

[1]) Fejér: Cod. diplom. Tóm. IV. Vol. I. pag. 68. — [2]) Ibid. T. II. pag. 335. — [3]) Fejér: Codex diplom VI. 1. p. 166. — [4]) Tom. II. p. 84. — [5]) Katona: Hist. crit. XVII. 600. —

III.

Abbatia B. M. V. in Coelos Assumtae Trium Fontium de Beel, seu Apátfalva.

Abbatia Trium Fontium de Beel est in provincia Borsodiensi, de qua ita Petrus Pazmanus: „De Beel trium Fontium B. Mariae Virginis Assumptae (alias Trium Fontium de Beel Cumanorum) Agriensis Dioecesis fundata anno 1232.“ Fundata est per Cletum, Episcopum Agriensem, qui possessorium huius Abbatiae a Nobilibus de genere Beel, origine Cumanis, eius tunc Dominis emerat; id, quod caussam praebuit nonnullis perperam opinandi eam in Cumania quaerendam esse; cum etiam Pazmanus eam Trium Fontium de Beel Cumanorum nuncupaverit. Situm Abbatiae, tanquam qui ipse oculis usurpavit, optime describit Joannes Schay, S. J. Sacerdos in literis ad amicum suum Kaprinay datis, quas hic describendas censeo; cum plurimum lucis affundant notitiae de hac Abbatia:

„Abbatia, inquit, de Beel, Ordinis Cisterciensis, est in Comitatu Borsodiensi, bis mille passibus ab Agria in aquilonem remota. Exstat etiamnum Ecclesia horae ferme dimidio ab Apáthfalva seiuncta, Virginis Beatae in Coelos Assumtae honoribus sacra, quam populus magno numero eo confluens institutis eo die supplicationibus multa quotannis religione colit. Juxta hanc positum erat Monasterium, cuius muri tricenos abhinc annos duas substructiones alti, adhuc conspiciebantur. Ipse ego rudera vidi. Dicitur Beel a cognomine loco, cuius modo nulla vestigia supersunt: habetur tamen eius memoria in diplomate Belae IV. Regis anno 1261. V. Idus Septembris edito, quod infra montem Beel-Kő dictum, qui e Collegio nostro versus Fel-Németh prospicientibus eleganter apparet, situm fuerit. Videntur Cumani locum Beel olim insedisse, atque inde Abbatia de Beel Cumanorum (ut habet Pazmanus,) nomen accepisse. [1]) Trium fontium nuncupatur, quoniam infra montem Beel-Kő dictum tres fontes habentur septis quondam Monasterii inclusi.“ [2])

Anno 1330 Chanadinus Episcopus Agriensis, deinde Archiepiscopus Strigoniensis Abbatiam hanc Richardo Abbate confirmavit. Ab anno 1362 usque 1483 quinque Abbates memorantur, hoc ordine: Stephanus, Conradus, qui desolatam possessionem Thekwa, cuius restaurationem desperabat, anno 1387 Magistro Ladislao Kakas annue 35 florenos soluturo in sexennium elocavit. Tum Christianus, Nicolaus, Petrus. Variam experta est fortunam cum vicina urbe episcopali Agria. Quotiescunque hanc barbari petivere et obtinuere, toties inermi Monasterio incubuerunt; donec tandem irrestaurabiliter procubuisset. Exactis postea ex illis plagis hostibus, Abba-

[1]) Secus est. Vide supra. — [2]) Kaprinay: Hung, dipl. II. —

tia cum bonis suis in ius Fisci regii devenit, Rakoczianaeque familiae est vendita. Verum titulus continue conferebatur Viris ecclesiasticis, quorum unus spiritu vere ecclesiastico praestans, Albertus Cziglédy partem bonorum, aliam vero dignus Successor Joannes Ajtay redemerunt, et sic Abbatiam realem effecerunt: quam serius Leopoldus I. Imper. Hungariae rex in annos XXX. Capitulo Agriensi cessit, Capitulum Seminario, eodem Rege ad preces Stephani Telekesy anno 1700 translationem in perpetuum confirmante. Aedificiis antiquae Abbatiae sensim collapsis Episcopus Comes Gabriel Erdödy vetustam nobilis structurae Abbatialem ecclesiam anno 1744 curavit restaurandam, quae hodie Oppidi Apáthfalva parochialis est. [1]) Titulus huius Abbatiae in Schematismis duplex occurrit, utpote: de Beel, seu Apáthfalva: et de Behel; distinctisque Personis altissime conferri solet. Ille, defuncto Mathia Mogyoróssy, Honorario Canonico Jaurinensi, et Parocho Oppidi Szent-János, domino vacat: hunc de Behel Reverendiss. D. Josephus Markovics, Cath. Eccl. Rosnaviensis Praepositus Maior et Canonicus obtinuit.

IV.

Abbatia S. Petri de Bodrog-Monostor.

Huius Abbatiae nulla fit mentio in Catalogo Abbatiarum Cisterciensium, sive apud Pazmanum, sive, quod mireris, apud ipsos Scriptores Cistercienses, qui de suis Hungariae Monasteriis agebant. Exstitisse eam docet series Abbatiarum Dioeceseos Colocensis, typis vulgata, ubi inter reliquas haec de Bodrogiensi: „Abbatia S. Petri de Bodrog-Monostor, olim Cisterciensium floruit anno 1327.“ Eam limitibus Colocensis Dioecesis inclusam fuisse, pluribus documentis ostendi potest, ex quibus elucet, eam olim iuxta Monostor-Szeg exstitisse. Hic enim locum Bodrog, caput provinciae Bodrogiensis tunc fuisse docet adiacens lacus, qui hodieque Bodrotska-Bara vocatur. Nec alia de caussa Bodrog-Monostor appellabatur, quam quod Monasterium Abbatiae huius ad Bodrog situm fuerit. Inter Abbatiam huius loci, et claustrum Paulinorum S. Crucis in vicina insula collocatum emersit lis de quadam piscina Hotyas dicta, quam Fr. Ladislaus, Archiepiscopus Colocensis ad se deductam medio sui Vicarii diremit: qui inspectis Abbatiae documentis pro ea contra Claustrum Paulinorum sententiam tulit, anno 1327. — Huius quoque Abbatiae, licet satis obscurae, titulus per Apostolicos Reges conferri solet, quo hodie Reverendiss. D. Josephus Linczy, Cathedr. Eccl. Szathmariensis Praepositus Maior, et Canonicus fruitur.

[1]) Schemat. Agr. 1851 —

V.

Abbatia B. Mariae V. de Bocconio.

Abbatia de Bocconio, alias Buctati, testibus Jongelino, et novissime Samuele Timon fundata est sub Bela III. Rege anno 1182 in Dioecesi Vesprimiensi. Loci notio adeo peregrina evasit evastato Monasterio, ut plurimi existimaverint Monasterium de Boccon alio referri non posse, nisi ad Zircz, quod est eiusdem Ordinis Monasterium in Bakon. Verum dispulit talem de Bocconio opinationem tam diversa utriusque Abbatiae fundationis epocha, quam, et vel efficacissime, reambulatoriae literae de anno 1279, in quibus Abbatia de Boccon diserte de Bakon-Sumla nominatur. Produxit has literas Prayius; qui cum e certissimis monumentis scribere soleat, etiam, quod has literas attinet, fidem meretur.

Hac Prayii relatione comperta, omnem operam impendi, ut undequaque ignoratam Bakon-Sumlam reperiam: edoctusque sum a Joanne Gombás, Ecclesiae Nagy-Szöllösiensis meritissimo Parocho, in margine Bakoniae Silvae ad aequalem a sua Parochia, et monte Somló distantiam, inter creberrima dumeta grandia cuiusdam Monasterii rudera spectari, et in his conclavia Religiosorum, ecclesiam, aliaque permulta distincte apparere: at nomen loci omnino perivisse. Sed, si Abbatia de Boccon alibi quaeri non possit, nisi in silva Bakon, a qua et nomen traxit, et Boccon interdum etiam Bakonsumla dictum fuit, convenit credere, Abbatiam de Boccon haec inter rudera latere, quáe in margine silvae Bakon, celebri monti vinifero Somló vicina sunt. Nomini Boccon vocula Sumla poterat addi ad distinctionem ab alia Abbatia in Silva Bakon sita, ea nempe de Beel, quae nunc de Bakonybél, adversus veterem usum nuncupatur, et Benedictini est Ordinis. Montem vero de Somló olim de Sumla frequenter fuisse compellatum, historia Monasterii Vásárhelyiensis Sanctimonialium perhibet, quod oppidum monti Somló adiacet.

Abbatum de Bocconio nonnulli, tantam sibi a virtute, et doctrina famam procurarunt, quae etiam ad Romanam Sedem penetraverit. Recitat Baluzius ad annum 1198 literas Innocentii III., quarum tenore R. Praepositus Colocensis, et Magister J. Archidiaconus Szegediensis detulit, quod Magister L. Tarvisinus 4 folia de Regestro Alexandri Papae praedecessoris Innocentii III. Romae suffuratus sit. Quapropter committitur Episcopo Jaurinensi, et Abbati Bocconiensi, ut in P. Praepositum Strigoniensem, et Magistrum Robertum Anglicum, et Azonem Presbyterum, velut iniquitatis conscios inquirant. Datum III. Cal. Febr. anno Pontif. Innocentii III. primo. Non secus Honorius III. Papa Episcopo Vesprimiensi, et Abbati de Bochim seu Bokon anno 1218 negotium mandavit inquirendi de vita, et moribus Episcopi M. Varadinensis apud Sedem Apostolicam delati.

Quo tempore Abbatia de Boccon desierit, et Monasterium in rudus abierit, e

nullo certo documento elici potest. Verum binae occurrunt in patria historia epochae, quae post Tartarorum in Hungariam irruptionem, sacrarum domuum, et Religiosorum virorum excidium aut exterminium genuerunt: Bohemi videlicet a Matthaeo Trenchiniensi contra Carolum I. Regem evocati, latrocinantesque in Hungaria dicti; et clades Mohacsiana. Bohemi latrocinantes arcem supra Somló, Dobó, a suis Fundatoribus Dobó de Ruszka sic dictam diu insederunt, totamque ex ea viciniam suis latrociniis infestarunt. Hos more latronum in vicinum Monasterium de Boccon procurrisse, et in resistentes etiam crudeles fuisse, facile credi potest. Si autem hoc fato excisum non est, certo certius post cladem Mohacsianam cum Abbatia Dömölkiensi, et Praepositura Vásárhelyiensi, sibi vicinis, in ultima sua fata propulsum est. Conservat memoriam Abbatiae collatio regia tituli, vi cuius hodie istum Reverendiss. D. Ignatius Markl, El. Episcopus Dulcinensis, Cath. Eccl. Vesprimiensis Praepositus Maior, et Canonicus possidet. Ipsa Abbatia in Schematismis patriae nostrae Abbatia B. Mariae V. de Bocconio, alias Buktati, vel Bakon-Sumla nuncupatur.

VI.

Abbatia Benedictionis Dei.

Tam obscura sunt omnia circa hanc Abbatiam, ut nec Fundator, nec tempus, aut locus fundationis ulla diligentia deprehendi possit. Ipse Theophilus Heimb fatetur, Abbatiam hanc ipsis Ordinis Annalibus ignoratam fuisse; nec superesse in Ordine suo quodpiam monumentum aliud de ea, quam duos manuscriptos Catalogos in Archivo S. Crucis Austriae, qui eam Cisterciensibus in Hungaria adnumerant. [1]) Conservatur tamen memoria eius per collationem regiam tituli, quo hodie Reverendiss. D. Josephus Kovács, Eccl. Metropol. Colocensis Canonicus, SS. Theologiae Doctor potitur.

[1]) De ortu et progr. . . . S. Gotthardi. p. 167. — Paintnerius eam Dioecesi Vesprimiensi tribuit. —

VII.

Abbatia B. Mariae Virg. de Biers.

Abbatiam hanc, quae in rerum natura nunquam exstitit, hic ideo solum adducimus, quia eius titulo Viri Ecclesiastici honorari solent, quem hodie Reverendiss. D. Joannes Csernohorszky Parochus Ribinensis gerit. Exhibet quidem apud Péterffyum Catalogus alphabeticus Card. Pazmáni Abbatiam de Biers; sed non inter Abbatias literae B. verum inter eas literae K. manifesto indicio, Pazmánum non Biers, sed Kiers scripsisse, et ex hoc, errore typographico, Biers ortum fuisse, cuius nemo alter meminit; dum contra Abbatiam in Kiers Cisterciensem exstitisse, Sartorius, Vischius, Heimbius et alii docent. — Ceterum : eam Péterffyani operis partem, quae hos Pazmáni Catalogos continet, plurimis typi erroribus corruptam esse notum est. De Abbatia de Kiers infra suo loco agetur sub Kerz.

VIII.

Abbatia B. Mariae Virg. de Candelis.

Abbatia haec ductu notitiae, per D. Carolum Liszkay, Dioecesis Scepusiensis Presbyterum in ipso Abbatiae olim de Candelis, ut videtur, Monasterio in Galicia haustae, et hungarici scripti periodici, Religio dicti vehiculo cum harum rerum Studiosis laudabiliter communicatae, in ea nostrae Galiciae parte exstitit, quam olim sub nomine Comitatus Óvárosiensis ad Hungariam pertinuisse Bárdossy in Supplemento ad Analecta Scepusiensia memorat. Eadem notitia fert, hanc Abbatiam cum ea de Casa nova, et cum 'Abbatia inter Hungariam et Poloniam unam eandemque esse, soloque titulo has tres Abbatias differre. — Praelaudato Viro teste existit in Archivo Capituli Cracoviensis originale documentum, e quo patet, Abbatiam hanc anno 1232 per Theodorum Cracoviensem Palatinum pro S. Ordine Cisterciensium in boreali pede Carpathi montis, penes vicum Ludimir, oppido Neofori (nunc vulgo Novi Targ), quod olim Nova Casa dicebatur, in honorem B. Mariae Virginis funda-

tam fuisse. Verum teste Cromero, [1]) cum primaevae huius fundationis Monasterium, in confinio Hungarorum situm, horum latrociniis infestum esset; idem „Theodorus, gente Gryphius, qui Cedro (alias Czader) vulgo appellatus est, in pago Sciricio (nunc oppidum est, Szczyrzycze dictum) aliud Monasterium Cisterciensibus monachis excitavit, et locupletavit," ad quod se hi deserto Ludimirensi retraxerunt. E quo cum anno 1255 reversi fuissent, nomen non a pago Ludimir, ad quem fundati erant, sed ab Oppido Nova Casa (hodie Novi Targ, seu Neoforum [2]) vix medio milliari distante, sumserunt: decursuque temporis Abbatia haec a suo situ Abbatia inter Hungariam et Poloniam dicta est. Quae expressio, licet mathematice considerata videri possit ridicula: eo tamen tempore sensum rectum dare poterat; si scilicet limite ibidem inter Hungariam et Poloniam controverso non fuit extra omne dubium positum, an ea ad Regnum Hungariae, an ad illud Poloniae pertineat. Et reapse regio haec, in qua Abbatia isthaec sita erat, olim, ut vidimus, ad Regnum Hungariae, et nominatim ad eius Comitatum Óvárosiensem spectabat, quae hodie Regno Galiciae incorporata est; ad quod iam a. 1308 censebatur, quo Monasterium Scirzicense libertatem villas, grangias, allodia ponendi, illasque per proprios scultetos, iure theutonico autem in casum negligentiae per Judicem Curiae iudicandi a Wladislao, Duce Cracoviensi obtinuit, anno 1333 per Casimirum Poloniae Regem, Cracoviae, Sandomiriae etc. Dominum, et heredem confirmatum.

Sed unde tandem huic Abbatiae mirabilis titulus de Candelis adhaesit? Istud supra laudata relatio Liszkaiana vero simillime inde derivat, quod fors cum Abbatia de Schavnik nexu sororio, aut filiali nexa fuerit. Cumque utraque Abbatia, pro more Cisterciensium, Ecclesiam B. Mariae V. honori dedicatam habuerit, distinctionis gratia, Schavnikiensis B. Mariae Virginis Natae [3]): ea vero de Casa nova B. Mariae Virginis Purificatae titulum gesserit; cuius festum 2. Februarii, ut notum est, celebrari solitum, cum Hungari aeque ac Poloni, imo et Germani vernacula sua lingva a candelis, [4]) eo die benedici solenniter solitis, denominent, pronum fuerit similem denominationem etiam latine usurpare.

Quibus praeterea fatis iactata fuerit haec Abbatia, non constat. Monasterium, [5]) ut videtur, uti et Ecclesia, nullam nisi quam longa seculorum aetas induxit, mutationem subiere. Praealtis montibus circumdatum in angusta valle ad Sciricium (Szczyrcze) fere pedibus tantum accedi potest: currui via solum per rivi alveum patet. Quinque tantum Patres Monasterium sub Priore incolunt, temporum iniquitate, praesertim amissis, quae in Regno Hungariae tenebant, omnibus, ad eam egestatem redactum, ut Abbatem alere nequeat: quapropter Abbatiae Hohenfurthensi in Bohemia filiali nexu coniunctum est, a qua recenter Priorem suum acquisivit, qui rem eius familiarem aliqua ratione in ordinem redigat. [6]) Quamvis vero Monasterium possessiones suas in Hungariae regno amiserit, retinuit tamen nonnullas ibidem, ut vocant, Exposituras, in quibus eius Religiosi curam animarum exercent. [7])

Ex hactenus dictis patet, Abbatias de Candelis, de Casa nova, et Novam inter Hungariam et Poloniam solo titulo et nomine inter se differre, reapse autem unam

---

[1]) Polonia. L. VIII. — [2]) Civitas haec originem suam Fratribus Cisterciensibus Conventus de Szirzice debet, qui eam in fundo per Boleslaum Ducem Cracoviensem denotato locandi facultatem ab eodem ita obtinuerunt, ut Neoforum appelletur. Ipsum Ducis diploma vide: Fejér: Cod. diplom. T. IV. Vol. II pag. 151. — [3]) Ecclesia Schavnikiensis titulum hunc usque ad praesens conservat. — [4]) Gyertyaszentelö — Hromnicki — Lichtmess. — [5]) Liberalissime fundatum fuisse, e literis Nobilium: Clementis et Marck, fundationem Patrui sui Czader confirmantium patet. Fejér: Cod. dipl. IV. 2. p. 282. 78. — [6]) Religio. Egyházi és irodalmi folyóirat 1853. 58-dik szám. — [7]) In Schematismo Dioec. Scepusiensis nullum rei huius vestigium adest. —

eandemquae esse, variis temporibus varie compellatam. At usus, quem in eius tituli collatione Reges Apostolici sequuntur, supponit eas non tantum nomine, sed etiam re mutuo differre; quapropter singulis eius nominibus distinctos Abbates assignat; contra: Abbatiam de Candelis eandem esse cum ea de Schavnik, aeque supponit, quam tamen ab hac differre inferius loco suo videbimus. Igitur titulum Abbatiae de Candelis postremo tenebat Illustrissimus D. Adalbertus Pogány de Cseb, El. Episcopus Drivestinensis, Ins. Collegiatae Ecclesiae Posoniensis Praepositus, AA. LL. et Philosophiae Doctor. Illum de Casa Nova Reverendiss. D. Thomas Cserven, Cath. Eccl. Neosoliensis Custos, et Canonicus: denique Abbatiae Novae inter Hungariam et Poloniam, Reverendiss. D. Dominicus Biaczowszky, Cathedr. Eccles. Scepusiensis Praepositus Maior, et Canonicus tenet. — Quum Abbatia de Candelis cum ea de Schavnik confundi soleat, commoditatis gratia hanc ei, licet assumtus ordo alphabeticus reluctetur, sine medio placuit subnectere.

IX.

Abbatia B. Mariae V. de Schavnik, seu in Scepusio.

Chronicon Leutschoviense fundationis huius Abbatiae annum 1216 memorat, [1]) quin Fundatoris meminerit. Fuerit is Andreas II. Rex, aut potius Colomannus, huius filius, cui Scepusium et Galicia parebat. Istud videtur innuere Bela IV. Rex, cuius diplomation certas huius Monasterii terras olim acquisitas confirmans, sic sonat: „Bela Dei Gratia Hungariae, Dalmatiae ... Rex, omnibus tam praesentibus, quam futuris, praesentes literas inspecturis salutem in omnium Salvatore. ... Proinde ad universorum volumus notitiam pervenire, quod fideles nostri Albertus Abbas, et Conventus Monasterii B. M. V. de Scepus Ordinis Cisterciensis coram nobis comparendo proposuerunt, quod cum Monasterium et claustrum ipsorum casuali incendio sit consumtum, inter alias res ipsorum, privilegium nostrum super collatione terrae existentis circa claustrum, quam quidem terram de consensu Charissimi Fratris nostri Colomanni Regis piae recordationis ipsis iam dudum contuleramus, exustum casualiter exstitisset. Unde supplicaverunt nobis, ut praedictam donationem nostram ipsis, cum sint in pacifica possessione earundem terrarum, iterato nostro dignaremur privilegio confirmare. Nos igitur eorum supplicationibus inclinati, maxime quod seriem nostrae donationis revocaverimus in memoriam, eandem terram dicto Monasterio iterato nostro privilegio duximus confirmandam. . . . Datum per manus Magistri Pauli Praepositi Posoniensis, Aulae nostrae Vice-Cancellarii anno Domini 1260 XIX. Cal. Sept. Regni autem nostri anno 25." [2])

Ludovicus I. Rex Hungariae confert certas immunitates eidem Coenobio, quas

[1]) Ibidem. — [2]) Wagner: Annal. Scepus. I. 391. —

hoc suo diplomate complectitur: [1]) „Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariae ... Quod cum nos Gloriosam et intemeratam Virginem Mariam ... intendamus totis sincerae mentis affectibus honorare ... Monasterio eiusdem B. M. de Scepus, et Abbati eiusdem Monasterii Ordinis Cisterciensis nunc et pro tempore constituto hanc gratiam duximus concedendam, quod nullus iudicum aut iustitiariorum nostri regni populos dicti Monasterii praeter Abbatem iudicare debeat, vel praesumat ... Datum per manus Hon. et Discreti Viri Tatamerii Albensis Ecclesiae Praepositi, Aulae nostrae Vice-Cancellarii. VIII. Cal. Nov. Anno Dni 1347."

Jacobus Episcopus Scepusiensis Coenobio B. Mariae V. de Scepus, erga 20 marcas annuas, decimas ex propriis villis permittit Anno 1294. Eodem anno Joannes Abbas de Scepus cum Helbrando Stoyani coram Baldo Comite Scepusiensi super villis Granigh, et Kabach pacifice transegit. [2]) — Nunc allata diplomata, privilegia, donationesque ad Coenobium B. M. V. de Scepus directa sunt sine addito de Schavnik. Verum quod horsum respexerint praedicti Benefactores, et quod Coenobium B. M. V. de Scepus idem sit cum Coenobio de Schavnik, clarissime docet Ladislaus eiusdem Coenobii Abbas, in fragmento literarum, quibus Tepliczensibus quaedam tributa relaxat, hoc tenore: „Nos Frater Ladislaus Abbas B. M. V. de Scepus iuxta Schevnik nomine totius Conventus loci eiusdem Ordinis Cisterciensium, Strigoniensis Dioecesis, tenore praesentium memoriae commendamus, quibus expedit universis. ... Datum et actum in praelibato Monasterio nostro in die Purificationis Mariae anno Dni. 1436." — Hac fere phrasi utitur Sigismundus Rex, qui dum terram Coenobii Schavnik, Stoyanfölde dictam confert Oppido S. Georgii; Coenobio vero Schavnikiensi villam in Primfalva, sic proloquitur: „quandam terram Monasterii B. M. V. de Schevnik, Stoyanfölde nuncupatam in Comitatu Scepusiensi." Isto longe fortius, et ad nostram rem decretorium est documentum, cuius initium sic habet: „Nos Fr. Joannes de Czwla Providentia Divina Abbas B. M. V. de Scepus ad universorum," ect. concludit autem: „Datum in Coenobio nostro Schavnik .. anno 1513." — Contulit denique Abbatiam hanc Sigismundus Rex sub titulo de Schavnik Ladislao, filio Michaelis Frank, Fratri Magistri Kokuss, Episcopo Tinniniensi, qui occupato per Turcas Tinninio in Hungariam rediit, et in alio publico instrumento Commendator et Gubernator Abbatiae Monasterii B. M. V. Gloriosae in Scepus compellatur. [3]) Haec profecto sufficiunt ad evincendum id, quod Abbatia B. Mariae V. de Scepus, ab ea B. Mariae V. de Schavnik solo nomine differat. Quocirca id notatu dignum occurrit, quod ante annum 1436 Abbatia haec cum praedicato de Schavnik nunquam occurrat, sed vel de Cyps, vel de Scepus, vel de Altzenov, cuius postremi nullum hodie superest vestigium. Videtur itaque Oppidum Schavnik, hodieque existens, primum Seculo XV., et quidem huius Abbatiae conatu surrexisse, cui haec Scepusiensis Comitatus regio culturam suam in acceptis refert.

Floruit Abbatia de Schavnik ab origine usque ad tristem huius regni epocham, qua caeso ad Mohács eius robore, et exstincto Rege duo aemuli, Ferdinandus, et Zapolya de sceptro decertabant. Regularibus Abbatibus paruit semper, si unum excipias, Ladislaum Episcopum, qui e sua sede exturbatus illi qua Gubernator praefuit. Sinceram pietatem, et regularem observantiam in ea viguisse, argumento est diversorum Hungariae Regum in eam liberalitas, et praeprimis munificentia Jacobi, primi, et

[1]) Ibid. — [2]) Fejér: Cod. dipl. VI. 1. p. 332. — [3]) Wagner: Anal. Scep. — Religio. 1853. Nro 58. —

usque stabilem fundationem unici Episcopi Scepusiensis. Cum enim Episcopi ex officio censores sint Religiosorum, nec, nisi sinceram pietatem, et diuturnam regularem observantiam praemio soleant afficere; utramque in Monasterio de Schavnik caute fuisse custoditam, patet e declaratione publica eiusdem Episcopi, qui Religiosorum Virorum, Abbatis, et Conventus B. M. V. de Scepus profectibus ex intimis congaudens, cum totius Capituli sui voluntate et consensu dedit Abbati et Conventui dicti Coenobii cum exiguo onere Decimas in eorum villis, quas ei persolvere fuerunt obligati.

Mox post fatalem Hungariae annum 1526 Monasterium, Religiosis potissimum in Polonia salutem quaerentibus, desolatum est, et Abbas Michaël possessiones Teplicz, Vidernik Civitati Kesmarkensi anno 1530 in 600 fl. pignori dare coactus. Tum Joannes Zapolya, cum non haberet, unde clientes sibi emeret, conservaretque, aggressus est patrimonium Christi, et Abbatiam cum bonis omnibus suo Hieronymo Laskyo donavit; et, licet ab obitu Abbatis Michaëlis anno 1542 Ferdinandi Regis mandato quidam Blasius literatus in Abbatiam fuerit introductus, tamen nomine Laszkyi Capitaneus Kesmarkensis Loboczky efficaciter contradixit, et Albertus Laszky Abbatiam 7420 fl. Stanislao Thurzó vendidit. Qua hinc ad Tökölyianos devoluta, cum Sigismundus et Stephanus Tökölyi in eam introducerentur anno 1656, Abbas Michaël Mráz extorris frustra protestatus est. Tandem a Tökölyianis ex nota infidelitatis ad Fiscum Regium recidens anno 1674 per Georgium Szécsényi Strigoniensem Archiepiscopum 60,000 fl. redemta, et anno 1692, bona Regis gratia Collegio Agriensi Soc. Jesu adscripta fuit. Degebant in loco, aedificio per Tökölyios commode instructo, tres Societatis Jesu Religiosi, et cum re familiari sedulam subditorum ad fidem, et dignos Christianis mores traducendorum curam gerebant. Interim S. Cisterciensis Ordo Abbatiae bonorum integritati conservandae intendebat. Exstant in Tabulario S. Crucis in Austria binae literarum copiae, quarum una occasione litis inter Baronem Nyáry, et Collegium Agriense super Oppido Hranovicza ad ditionem Abbatiae de Schavnik pertinente motae Gerardum S. Crucis Abbatem, et Generalem Ordinis Vicarium, Andream Gallya Plenipotentiarium anno 1717 constituisse : altera vero eundem contra eiusdem oppidi ab Abbatia abalienationem protestatum fuisse docet.

Mansit Collegium Agriense in possessione bonorum Abbatiae usque exstinctionem Societatis Jesu : postea vero anno 1776 tunc erecto Episcopatui Scepusiensi bona haec transscripta sunt; cuius quidem ibi erigendi necessitatem iam Ludovicus I. Rex clare perspexit; sed defectu sufficientis fundi ad congruam Episcopi sustentationem requisiti sanctam intentionem ad effectum perducere non poterat. — Monasterii veteris in Schavnik nulla vestigia. Aedes, quas Episcopium ibi possidet, Tökölyius posuit, quod tam ex conspicuo eius in fronte insigni, quam ex similitudine aedium eiusdem in Késmarkensi arce erectarum creditur. — Abbates de Schavnik tantum ab anno 1256 noti sunt; horum primus Albertus, de quo supra. Praedecessorum memoria cum Archivo combusto pariter exstincta est. [1]) Anno 1718 Abbatiae huius titulo condecoratus fuit Comes Nicolaus Csáki, dum cum magno plausu philosophicas positiones publice propugnasset. Addita sunt in honoris collati diplomate castella, oppida, terrae cultae et incultae, et plura similia; non, quasi ea Collegio Societatis Agriensi fuissent detracta; sed ut eius temporis stilus Curiae conservetur, quae hac forma vacantium beneficiorum titulos conferre consvevit. Hodie titu-

[1]) Religio : 1853. Nro 58. —

lus Abbatiae de Schavnik ab obitu Adalberti Pogány de Cseb domino vacat. Quamvis vero Abbatia B. M. V. in Scepusio eadem sit, quae de Schavnik, ut supra evictum habetur, tamen illius titulus seorsim conferri solet, quem possidet Reverendiss. D. Marianus Klassanovich, Metrop. Ecclesiae Colocensis Canonicus.

X.

Abbatia B. M. Virginis de Campo Strigoniensi.

Abbatiam hanc, quam Petrus Pazmánus, et qui eum secuti sunt, in suis Catalogis Abbatiarum Cisterciensium exmiserunt, in seriem reposuit, suoque Ordini revindicavit Theophilus Heimb. [1]) Asserta est eidem S. Ordini ab erudito Consiliario Aulico, Michaële Paintner, tam in Mantissa post sermonem Seculari anno Abbatiae Zircz 1798 dictum, quam data opera in manuscripto suo libro, in quo eam Abbatiam S. Tisiboti [2]) nominat. Etiam ii, qui Abbatiam de Campo Strigoniensi ab ea S. Tisiboti distinguunt, in aera fundationis conveniunt; secundum quos utraque fundata est anno 1269. Utinam praelaudatum Manuscriptum Paintnerianum prae manibus esset, [3]) e quo uberiores de hac Abbatia notitiae desumerentur. Abbatia de Tisiboti collata fuit anno 1794 Antonio Leoni Cazzianti, Presbytero Seculari, Nationis Armenicae Constantinopoli Deputato, qui eam usque annum 1842 tenuit. Ab hoc tempore nulli collata nec inter vacantes titulos visitur. At titulus Abbatiae B. M. V. de Campo Strigoniensi etiamnum conferri solet, quo hodie ornatur Reverendiss. D. Joannes iun. Kelecsényi, Cathedr. Ecclesiae Nitriensis Custos et Canonicus.

[1]) De ortu . . S. Gotthardi. p. 165. — [2]) Rectius Disiboti. Vide Acta SS. (Bolland) Mensis Julii Tom. II. — [3]) Inter Manuscripta Paintneriana, quae Archi-Coenobio S. Martini prius legata, deinde testamento irrito declarato per istud emta, in eius Bibliotheca conservantur, Manuscripti, cuius hic Auctor meminit, paucae duntaxat paginae in folio reperiuntur; cum tamen Opus ultra 150 paginas excurrrisse constet. Quo reliquum devenerit, ubi nunc latitet, pro summa Viri, et illustris Scriptoris diligentia, et accurata scribendi ratione non minus, quam haustis ex primae auctoritatis Libro regio suis notitiis perdolenter ignoramus. —

XI.

Abbatia B. Mariae V. de Czikador

Primum hoc fuit in Regno Hungariae fundatum pro Cisterciensibus Monasterium, et opulentum olim, ac magnificum in Dioecesi Quinqueecclesiensi anno 1142 sub Rege Geysa II. incertis Fundatoribus, quod tamen per Geysam II., Stephanum IV. et Belam III. Reges Hungariae dotatum fuisse Emericus Rex auctor est in adiudicatoriis Ladislai de Gara Palatini de anno 1404.[1]) Primam sacram Coloniam horsum e fecundo S. Crucis in Austria Monasterio deductam, et per B. Conradum S. Leopoldi Marchionis filium submissam, cum reliquis Scriptoribus asserit Theophilus Heimb. Erat igitur filia S. Crucis ad lineam Morimundi pertinens. Per intervalla temporum variis nominibus compellabatur. In Rescripto Innocentii III. anno 1212 pro Czikador legitur Sekudwor. Eodem Seculo audiebat Scodor, tandem Stekdor: interdum Cicada. In monumentis seculi XIV. vocatur Zek, quod idem est cum hodierno Szék.

Inter tam varias denominationes adeo latet Abbatia de Czikador, ut coniectura vix assequi liceat, ubi primo substiterit sacra Cisterciensium familia. In Quinqueecclesiensi Dioecesi fundatam fuisse, constans est omnium Scriptorum sententia: at quo in tam vasta Dioecesi loco steterit, aenigma est, quod solvere plures successu plus minus felici tentaverunt. Koller in sua Hist. Episcop. Quinqueeccl. T. III. pag. 390. ita de loco Czikador opinatur: „In monumentis Sec. XV. vocatur Zech, quod a Sekudvor revera non videtur differre: estque, ni fallor vocabulum Czikador ex Zek, et Udvor compositum. Monasterium de Zek, et Czikador idem esse, testatur Thuroczius.[2]) . . Monasterium de Zek Ord. S. Benedicti an eodem loco steterit cum Monasterio de Czikador . . . incompertum mihi est. Nam istud a Monasterio Czikador, quod erat Ordinis Cisterciensium, distinctum esse constat. Alterutro igitur loco, vel in hodierno Báthaszék, quod est opinione mea Czykador, vel in hodierno Szék, si e similitudine nominis arguere licet, situm fuerit, oportet.“

Hanc eruditissimi Kolleri opinionem Reverendiss. D. Praepositus Haas[3]) nuper admodum Directioni Scholarum Districtus Budensis clementer admotus amplectitur, et Sedem Monasterio Czikador in Báthaszék assignat,[4]) quod praesertim vulgi, locorum nomina breviare amantis, usu Zek, seu Szék fuerit compellatum. Idem eos, qui e similitudine nominis, et ruderum praesentia illecti eam sedem in possessione Czikó se feliciter reperisse gaudebant, eo refutat, quod Regestum Decimae papalis Czikó a Czikador accurate discernat, maiusque ab hoc quam ab illo pensum deposcat. Accedit, quod Joannes Hunyady et Ujlakius Elisabethae Reginae copias magno praelio ad Czikador vicisse legantur:

[1]) Fejér : Cod. dipl. II. p. 303. — [2]) Chron. P. 4. num. 32. — [3]) Jam Illust. Episcopus Szathmáriensis. — [4]) Danielik : Emlékkönyv. II. 377. —

id quod ad Czikó locum habere potuisse, nullus sana mente asseveraverit, qui situm possessionis Czikó aliquando spectavisset. Denique rudera quidem in Szék adesse constat, sed unius duntaxat ecclesiae; contra in Báthaszék longe maiora, et maiore numero reperiri aeque certum est.

Solemnis Abbatiae de Cikador memoria crebrius reperitur in literis Romanorum Pontificum. Cum Robertus Archiepiscopus Strigoniensis Praedecessorem suum Lucam Bánfi in numerum Sanctorum referri Romae postulavisset, Gregorius IX. inquisitionem in mores, vitam, et virtutes eiusdem Lucae commisit Episcopo Chanadino, Abbati de Czicador Cist. Ordinis, et Magistro Hospitalis S. Regis Stephani Strigoniensi, anno 1231. — Iterum anno 1236 Czikadoriensem Abbatem cum plena Legati potestate ad Colomannum Ruthenorum Regem Belae IV. Hungariae Regis fratrem, Templariis atque Hospitalariis oppido infensum et infestum misit. — Andreas Abbas a nefaria persecutione, quam perpessus est, literis Urbani V. Papae innotuit, quibus iste anno 1367 malo medelam ferre festinabat. [1])

Teste Franc. Kazy, Soc. Jesu Sacerdote „Sacer Cisterciensium Ordo bona Ferdinandi III. Regis gratia anno 1653 in Abbatia per Metropolitam Lippay suis in fundis stabilitus est, unde nonnullum sibi proventum pollicebatur. Verum obice Turca vix aliud inde sive ad Ecclesiam catholicam, sive ad Ordinem illum redivit, nisi quod Velehradienses Joannem Salix Abbatem suum et in hac caussa apud Caesarem Oratorem dignitatibus auctum, ornatumque haberent.“ Báthaszék hodie Academiae Theresianae Viennensi adscriptum est, in cuius iura cum Abbatia Bathensi concessit. At titulum eius gerit Reverendiss. D. Ludovicus Starek, Cath. Eccl. Nitriensis Canonicus Hon. et L. R. C. Trenchin. Parochus.

XII.

Abbatia S. Crucis.

Abbatiam hanc Petrus Pázmán in Appendice Synodi apud Péterffy, ait fundatam anno 1201. At Rosenthalio, in Actione S. Ordinis Cisterciensis anno 1640 edita, magis probantur illi, qui eius initia ad annum 1244 reiiciunt. — Erat filia de Egres lineae Pontiniacensis, intra Quinqueecclesiensis Dioeceseos ambitum sita, quod ex Edmundo Martene, noto illo a sua eruditione Congregationis S. Mauri Benedictino discimus, qui in Thesauro Anecdotorum Titulo de Monasteriis e Pontiniaco prodeuntibus scribit: „Ex Hegrensi Monasterio prodiere Kerzense in Dioecesi Varadinensi, et S. Crucis in Quinqueecclesiensi.“ — Qua huius vastae Dioeceseos parte steterit, ignotum est. Eam adhuc Seculo XV. floruisse, inde apparet, quod iuxta Sartorii Cistertium ad clavum eius sederit anno 1460 Joannes Polyeus SS. Theologiae

[1]) Fejér: Cod. dipl. IX. Vol. IV. pag. 71. —

Professor in Ebracensi Franconiae Coenobio professus Cistercita. Cum praeter hanc alia sit Abbatia S. Crucis Ord. S. Benedicti, et praesens titulus duabus personis non conferatur: sed neque id constet, cuius earum titulus conferri soleat; postquam illi Benedictinae suum Abbatem assignavimus, hanc domino carere necesse est: nisi eam sub titulo de S. Cruce conferri dicamus: cui quidem Schematismus regni Hungariae nullum praedicatum tribuit; at ille Strigoniensis adiicit: de valle Segniensi. — Quod si fundamento non caret, hanc a nostra, in Quinqueeccl. Dioecesi sita, diversam esse oportet. Istam hodie titulo tenus possidet Reverendiss. D. Agricola Kargacin, Cath. Eccl. Modrusiensis, seu Corbav. Praepositus Maior, SS. Theologiae Doctor.

XIII.

Abbatia B. Mariae V. de Egres.

Praelaudatus Edmundus Martene in nunc citato opere initia Monasterii Egresiensis paucis complexus „anno, inquit, 1179 Bela III. Hungariae Rex multa cum magnificentia Hegrense Monasterium construxit, ac Pontiniacensibus subiecit.“ Alibi vero sic refert: „Circiter anno 1187 (consummata nempe aedificii structura) e Pontiniaco, petente Bela Rege, exiit monachorum examen ad fundandum celeberrimum Hegrense Monasterium, quod postea Regum Hungarorum Conditorium fuit.“ Qua regni parte situm fuerit, tradit Manricus. „In Tabulis, inquit, nulla Dioecesis praefigitur: sed supplenda, ut aliae, ex Regestis Vaticani, ac literis Innocentii III. R. P. datis Perusii VI. Cal. Febr. Pontificatus ipsius anno tertio, quibus hic titulus: „Abbati, et Priori de Egris Cisterc. Ordinis Cenadiensis Dioecesis.“

Est vero Egres tribus circiter milliaribus Csanadino remotum oppidum. Monasterium olim in eo ad formam castri communitum Tartarorum impetum aliquantisper moratum fuit. Quid tandem a Tartaris Egresini actum sit, enarrat Rogerius in suo miserabili Carmine his verbis: „dimisso, inquit, Monasterio Egres, Cisterciensis Ordinis, in quod tanquam munitum castrum se milites, et multae dominae receperant. Nec Tartari loca illa aggredi volebant, quousque circum circa esset terra totaliter desolata. . . . Tandem post paucos dies dictum Claustrum sive Monasterium obsederunt, et appositis eidem machinis, cum in ipso existentes nequirent resistere, ad manus et fidem ipsorum se, ut vita potirentur, tradiderunt. Sed de ipsis, quod et de aliis factum est; exceptis aliquot monachis, quos abire libenter permiserunt.“

Andreas II. Rex Hungariae tam liberalis munificusque fuit erga hoc Monasterium, ut passim fundator creditus fuerit. Commutationem bonorum Regem hunc cum Monasterio de Egres, verosimiliter huic, quam sibi utiliorem procuravisse, Honorii Papae III. Rescripto a. 1224 ad Egresienses dato docemur. Idem Pontifex ad graves horum querelas eodem anno Re-

gem attente hortatur, ut eos contra multos, inter Sanctum et profanum minime discernentes, nec contentos, quod in bonis eorum prodigaliter debacchentur, nisi ea diripiant, ut praedones, potentiae suae dextera tueatur, [1]) Ceterum : ipse Bela IV. eius filius, Annalium Cisterciensium testimonio ad annum 1236 nonnullis possessionibus Monasterium exuit. Qua id intentione fecerit constanter piissimus Rex, inquirere non vacat; nec, si hactenus ignotum est, in tanta facti antiquitate, prudenter inquiri potest. [2])

Abbatiam primus moderabatur Hugo, qui ob spectatam suam virtutem antea Cari-Campensis Abbas in Belgio, Egresinum a Bela III. evocatus fuit. Successores aeque optimi apud Sedem Apostolicam nominis nactus est. „Memoratur, inquiunt Annales, et Egris frequentissime in literis Innocentii Papae IV. multis et gravibus caussis eiusdem Abbati iniunctis; ut non immerito liceat coniectare, insignem virum pietate, doctrinaque fuisse, cui tot, et tanta negotia Petri a Successore committerentur.“ Alias literas direxit Gregorius IX. ad Belam Regem super Coenobii huius restitutione in integrum, et eam ipsam epistolam ipsi de Egres Abbati commiserat Papa, Belae tradendam, quem vel offensum, ut iidem Annales ferunt, revereretur Rex; et eo viso, et audito nihil omnino posset recusare.

Monasterium de Egres, Conditorium Regum Hungariae fuisse ab erudito Martene compellatum, supra diximus. Prima in fastis nostris ponitur Andreae II. secunda Coniux Jole, vel Jolantha, ibi sepulta. [3]) Testatur id etiam Albericus Monachus, Synchronus Scriptor ad annum 1233. „Regina, inquit, Hyolencz de Hungaria in praesentia Cardinalis, et Episcoporum moritur, et in Abbatia de Aegris sepelitur.“ In eadem Ecclesia suprema voluntate suum exanime corpus sepeliendum voluit Andreas II. „Migravit autem, inquit Thuroczius, Rex Andreas ad Dominum anno Dom. 1235, trigesimo anno regni sui; cuius corpus in Monasterio de Egrus feliciter requiescit.“ Nec obest, quod Chronicon Budense tradat eius corpus Varadini ad pedes S. Ladislai requiescere; si dicamus, partem aliquam Varadini, reliquum in Egresiensi Coenobio conditum esse.

Fecunda prae reliquis fuit Abbatia Egresiensis, pluraque inter alias S. Cisterciensium Ordini generavit Asceteria. Horum quatuor, utpote : Kercense, S. Crucis, et Dezanense in Dioecesi Vesprimiensi, saepe laudato Martene teste; de Eremo autem Annalium Cisterciensium fide intra Hungariam novimus : extra Hungariam de Orles, et Landola idem Martene eidem Matri adscribit. — Quam triste fatum subiverit sub immanitate Tartarorum, vidimus supra ex Rogerio. Restauravit tamen se, ut a Turcis peiora pateretur. Exstabant seculo priore tenues quaedam parietinae florentissimae huius Abbatiae, indices tituli Abbatialis, quo hodie potitur Reverendiss. D. Andreas Mészáros, Cath. Eccl. Nitriensis Praepositus Maior, et Canonicus, SS. Theologiae Doctor.

[1]) Fejér : Cod. dipl. III. 1. p. 451. — [2]) Potest, inquam. Belam enim mox, ut sceptrum capessivit, multa bona, quae pater ultra modum prodigus a Sacra Corona et Castris regiis summo reipublicae malo abstracta in ius privatorum inconsulte transtulit, medio Commissionis hoc scopo constitutae, citra iacturam pietatis, priori suae destinationi restituisse notum est. — [3]) Katona : Hist. pragm. I. 736. —

XIV.

Abbatia S. Nicolai de Erchi.

Cum iuxta generalem Patrum Cisterciensium Canonem, ipso huius S. Ordinis initio perlatum, omnes eius Ecclesias „in memoria eiusdem Coeli, et Terrae Reginae Sanctae Mariae“ fundari et dedicari oporteat; quod praesens Abbatia S. Nicolai titulum gerat, ratio est illa, quod primitus non pro Cisterciensium, sed pro Carthusianorum Ordine fundata fuerit. Discimus id ex literis Innocentii IV. Papae anno 1253 ad Abbatem et Conventum Toplicensem datis, quae sic habent: „Innocentius . . . Abbati et Conventui de Toplicza, Cisterciensis Ordinis, Zagrabiensis Dioecesis . . . Cum . . sicut lecta coram nobis ex parte Vestra petitio continebat, Venerabilis Frater noster (Steph. Vancsay) Episcopus Prenestinus, tunc Strigoniensis Archiepiscopus in Monasterio S. Nicolai de Erche sibi subiecto, Vesprimiensis Dioecesis, in quo fratres Carthusiensis Ordinis aliquando morabantur, post recessum Tartarorum, a quibus idem Monasterium adeo destructum exstitit, quod de personis eiusdem Carthus. Ordinis non poterat commode reformari, quosdam monachos et conversos vestri Monasterii collocarit. Nos Vestris devotis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Archiepiscopo in hac parte provide factum est, ratum et gratum habentes, illud auctoritate Apostolica confirmamus . . . Datum Perusii XV. Kal. Februar ... Anno X.“.[1]) Quapropter Card. Pazmanus, cui haec metamorphosis ignota fuit, dum Monasterio huic fundatorem Thomam,[2]) Regni Palatinum tribuit, ita intelligendus est, quod iste illud per Tartaros combustum, aut plane deletum restauraverit, et in fundationalium bonorum possessionem induxerit.

Sita fuit Abbatia in provincia Albaregalensi, et Dioecesi Vesprimiensi, hodie Albensi: sed iam adeo est desolata, ut vix lapidem reperias, argumentum ibi quondam vigentis Monasterii; quod ante, quam eversum fuisset, anno 1449 Eremitis S. Augustini cessum est. Titulus tamen Abbatiae perennat, quo hodie fruitur Reverendiss. D. Franciscus Farkas de Királyhegy, Cathedr. Eccles. Albaregalensis Praepositus Maior, et Canonicus, Ins. Ordinis Leopoldi Imperatoris Eques, SS. Theologiae Doctor.

---

[1]) Fejér: Cod. dipl. T. IV. Vol. 2. p. 178. — [2]) Pazmanus noto loco apud Péterffy. Ubi notandum Thomam Palatinum in Catalogo vetere ad calcem Corporis Juris hungarici conspicuo ad annum 1260 occurrere; contra: in eodem ex authenticis documentis concinnato Henricum II. de Thamási legi: qui cum priore unus idemque esse videtur. —

XV.

Abbatia S. Gotthardi.

Celeberrimae huius Abbatiae, filiae Trium fontium Galliae, lineae Clara-Vallis, historiam descripsit integro volumine P. Theophilus Heimb, ad S. Crucem in Austria professus, eruditam, et lectu omnino dignam. Ex hac synopsis praesens omni ex parte compilata est, cuius fide digna relatione fundata est a Bela III. Rege Hungariae anno 1183. Pro eximia sua, qua in Cisterciensem Ordinem, et praecipue in recens natum S. Gotthardi a se fundatum Monasterium ferebatur, pietate, Bela, insigne illud, cuius partem in prologo dedimus, eidem Ordini, et in specie suo Gotthardino Monasterio concessit privilegium, quod per extensum tale est:

„Ego Bela Dei Gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramaeque rex, notum volo fieri praesentibus et futuris, ad petitionem Dilectissimi nostri Patris Abbatis Cistercii, omnibus claustris Cisterc. Ordinis, quae constructa vel construenda sunt in Regno meo, me propria benignitate indulsisse, ut ea libertate in tota terra mea utantur, quam in Francia obtinere noscuntur. Indulsi etiam eisdem, ut ubi regni mei turbatio non impedierit, liceat eis, qui noti fuerint in eisdem Claustris, et per eos etiam ignotis monachis et conversis cum servientibus illorum libere ingredi, et egredi, cum necessitas eorum exegerit. Et ut hoc ratum in perpetuum habeatur, sigilli nostri impressione munivi, praesentibus Petro Abbate Cistercii, Ubicello Abbate de Parisio, Guillelmo Priore Cistercii, Petro et Servio monachis Cistercii, Saulo Cancellario meo, et Magistro Crispino. Anno ab Incarn. Dom. 1183."

Quantae aestimationis etiam apud alios Hungariae Reges Abbatia S. Gotthardi fuerit, unum e multis adducere placuit Ludovici I. Regis testimonium, qui anno 1347,[1]) cum Regni Judicibus ordinariis, ceterisque cuiuslibet status hominibus scriberet, ita proloquitur: „Noveritis, quod Monasterium S. Gotthardi et Abbas, et Conventus eiusdem, nec non possessiones, jobbagiones eorum ubilibet existentes, ac ad eos pertinentes, sub protectione regali, tanquam veri Patroni sunt constituti, et Jobbagiones eorum in nullius alterius Judicis praesentiam, nisi in praesentiam Judicis Curiae D. Regis, vel illius, quem D. Rex pro iudice eis ordinaverit, possunt evocari." Legi potest hoc privilegium per extensum apud P. Theophilum Heimb, pag. 46.

Quemadmodum vero tenere adfectus fuerat Bela Rex Cisterciensi Ordini: ita locum longe amoenissimum pro eodem delegit in provincia Castriferrei, et Dioecesi tunc Jaurinensi, hodie Sabariensi. In tali enim valle locavit hoc Monasterium, quae maxima sui parte, et ad plura milliaria plana est. Gaudet fertili agro, pratis, et vineis, quae sua specie fruges copiose af-

1) Fejér: Codex diplom. privilegio huic Tomi IX. Vol. 1. p. 94 plene illato annum 1348 tribuit. —

fundunt. Nec silvestres, quibus incingitur tota vallis, montes desunt, ferarum vinique praestantis feraces : auram salubriorem in Hungaria haud quaesieris. Bini fluvii, Arrhabo et Lapincza ita latifundia Monasterii alluunt, ut ea ab omnium vicinorum possessionibus discriminent. Nec piscium, praecipue Arrhabo, vacui sunt. Hos vero Monasterio deesse non potuisse clarum est, cuius monachi primitus secundum regulam S. Benedicti ab esu carnium abstinebant.

Dotem regiis opibus dignam suo Monasterio addidit Rex Bela, latifundiis undequaque fecundissimis, et copiosis. Adhuc numerabat sibi incorporatos, omnique iure appertinentes pagos intra ambitum Castriferrei Comitatus viginti octo, demtis iis, quos in Saladiensi provincia olim possedit. Aliorum quoque Regum favoribus interdum recreabatur, quos inter ille Caroli I. sane memorabilis, quo Comites Castri ferrei, ceterique huius officiales a laedendis Abbatiae huius libertatibus prohibentur ea cum exceptione, „quod Abbas, et Conventus, ac Subditi seu Jobbagiones illorum monetam Camerae regiae reverenter accipere, currere, et permutare teneantur; ne libertates eorum non per regem, sed per eos ipsos, si secus fecerint, infringantur.“ [1])

Monasterii veteris moles, et Templi fabrica, quantae olim fuerint, apparuit, dum pro novo Monasterio et ecclesia in vetere spatio locus aptaretur. Testatur Franciscus Pilgram in Austria ordinarius Architectus, se curatissima dimensione fundamentorum utriusque, anno 1738 peracta didicisse, Monasterium aeque ac Templum quadratae figurae, et hoc quidem Crucis formam retulisse: Templumque in longitudine 297, in latitudine vero 138 pedes geometricos numerasse. Quantae molis, quantae celsitudinis hocce opus fuisse oportebat! Stetere ambo inter varias rerum, bellorumque vicissitudines in sua primaeva integritate per quatuor secula, et ultra. Quod his vetustis regiae pietatis monumentis careamus, iners Tieffenbachii timor fecit. Rem cum suis adiunctis ita enarrat Istvánfius: „Quo tempore cum Tartari et Haidones (grex Bocskaiani exercitus) a populando revertentes S. Gotthardo appropinquare nuntiarentur, Tieffenbachius, qui iussu Ferdinandi Principis loco praeerat, perterritus, suffosso iam ante Templi pulcherrimi, et sumptuosissimi fundamento, sulphureum pulverem 15 Octobris supposuit, eoque incenso totam aquilonarem partem puncto temporis disiecit, corruente toto aedificio, omnibus partibus elegantissimo, quod olim a priscis Hungariae Regibus constructum, hoc tandem servili impioque bello deletum ab degenere, meticulosoque homine est, nunquam fortassis restaurandum . . . Dignus omnino, qui tam supinae ignaviae, quam deleti celebris Templi ac Coenobii nomine . . .“ Effulminat hic diras in memoratum Tieffenbachium Istvánfius.

Monasterio successive accrevit oppidum homonymum a S. Gotthardo dictum. Sed quanto id accidit commodo temporali, tantum detrimenti accessit regulari observantiae, et monasticae disciplinae. Jam enim terrestres Dominos non decuit suis subditis immixtos sulcum ducere, remque pecuariam tractare, cum tamen secundum literam regulae, quam Cisterciensis Ordo profitebatur, haec negligi non licebat. Successive evasit Oppidum S. Gotthardi frequens Civibus, domibusque cultum; sed a nundinis hebdomadariis, annuisque in iis plagis celebratissimum. Aucta demum undequaque est Abbatia, sed ipso suo incremento periculosum reddidit statum suum. Mox enim nacta est procos, qui vario stratagemate usi, semet in tam fecundam hereditatem immittere conabantur.

Ita anno 1391 Magister Joannes Széch, Nicolai Széch quondam Palatini filius, impetravit a Sigismundo Rege ius patronatus in Abbatia S. Gotthardi, eiusdemque ap-

[1]) Fejér : Cod. dipl. VIII. 4. p. 436. —

pertinentiis pro se, suisque uterinis fratribus, et ipsorum heredibus, et posteris universis. Praetextus emendicati iuris hi fere fuerunt : nimirum, ut Rege gravioribus saepe Regni curis occupato, saepe bellorum caussa domo absente, Patroni Viros Religiosos occasione tumultuum, bellorumque tutarentur, iura defenderent, bona denique conservarent. Primi isti Patroni satis modeste uti videbantur obtento iure patronatus; neque se immiserunt in regularem observantiam, neque volebant videri emolumenta quaepiam carpere titulo protectionis.

At vero protrusit se lupus e pelle ovina in Thoma de Széch duorum Nicolaorum successore, ac successive in Nicolao, Thoma, et Stephano, qui Monachos ita tutabantur, ut felicior fuerit, qui fuga elabi, professionisque locum defugere potuit. Longa narratione recitatur ab Heimbio sacrilega Ecclesiae S. Gotthardi evacuatio, inhumana praeterea non cum subditis tantum, sed cum ipsis etiam Parochis intra Dominium Abbatiae existentibus agendi ratio; quibus armata manu canes, aves, equosque suos alendos commiserunt. Quae res cum toti Regno iam nota plurimorum e Proceribus iustam contra Széchios indignationem excitavisset; tandem ad Regis Mathiae Corvini aures penetravit; qui malis medelam laturus Abbatiam supremo Jure Fratri Henrico Cisterciensis Ordinis professo anno 1480 contulit, triaque mandata curavit expediri; primo quidem Nicolao de Széch intimans, se Fratri Henrico Abbatiam regendam, ac pleno iure possidendam contulisse; altero praecipiens, ut praefato Henrico Abbatiam continuo remittat, et ius patronatus, si quod in hoc Monasterio habet, in eundem transferat : tertium denique ad Capitulum Castriferrei direxit iubens, ut duo de eodem Capitulo, adiunctis sibi duobus secularibus, Henricum ad Abbatiam introducant. Haec vero et alia Regum decreta circa restitutionem Abbatiae S. Ordini, quo minus effectum sortita sint, tum dierum malitia, tum Széchiorum in suum ius patronatus praefidentia, ac denique serius oborta funestissima Turcarum irruptio impedivere.

Anno 1527 iussu Ferdinandi Augusti Regis iterum reassumta est actio contra Széchios, et quidem in persona Stephani de Széch Thomae filii, coram Stephano de Báthor Regni Palatino, qui assumto DD. Praelatorum, Baronum, et Magistrorum consilio hanc tulit sententiam : „Praenotatum Stephanum .. in caussam attractum, pro minus iusta, et indebita Thomae de Széch patris sui in ipsam possessionem Abbatiae dictae bonorumque eiusdem intromissione, proventuumque eius per 20 annos perceptione, in amissione praedicti iuris patronatus sui . . . et insuper in refusionem et satisfactionem praedictorum proventuum per dictos 20 annos perceptorum, in toto 40,000 flor. auri faciendam, praefato duntaxat Regi persolvendorum convictum, et aggravatum esse . . . Budae . . anno 1528.“ Quo facto Abbatia per eundem Ferdinandum Regem anno 1550 collata fuit Joanni Betha professo Cisterciensi, Regis Maximiliani perito Physico : quo defuncto, post sexennium in Monasterio Runensi in Styria, quorsum desolata S. Gotthardi Abbatia adfiliata fuit, electus est Abbas Nicolaus Achácz professione Runensis, natione Ungarus. Hic anno proxime sequente 1557 ad S. Gotthardi Abbatiam directus, per Comitissam de Limbach, Margaretham Széchi, armata manu, intentatisque minis carcerum exclusus, et repulsus est. Ea quippe Domina mox a Bethae obitu Abbatiam non modo subitanea invasione occupavit; verum in ea continue 50 armatos intertenuit; ut adeo aetate illa non Monasterium, sed Castrum in S. Gotthardo quaesieris.

Femina tantum ausa, Thomae de Széch filia, et Nicolai Comitis de Salmis coniux fuit : quae cum sciret ius patronatus a sanguine suo irrevocabiliter avulsum, ad tyrannidem converti videbatur. Sed cum adverteret hac via se non profecturam; ad artes

muliebres conversa, importunis suis, suorumque heredum precibus eo inflexit Maximiliani Regis animum, ut Margarethae huic, et sorori eius Elisabethae, nuptae Thurzo pro 20,000 flor. hungaricalium summa per spatium 12 annorum immediate sequentium Abbatiam cum omnibus appertinentiis tenendam et possidendam inscripserit, et impignoraverit, anno 1565. At evolutis hisce pignoris annis, adiecta est inscriptioni inscriptio, successere Laicis Laicae; Dominabus Domini. Et hi nepotes praedictae Margarethae ita rem adornare, Regemque fallere noverant, ut tres successive se vestem Ordinis assumturos Regi praementirentur, ut se in possessione Abbatiae stabilirent; licet vix maturi semet coniugio illigarint.

Mutata videbatur tandem S. Gotthardi sors, cum Georgius Széchenius Archiepiscopus Colocensis ultimo possessori e nepotibus Margarethae, Ladislao Cháky anno 1675, 24,000 flor. deposuisset: eamque a Leopoldo I. Rege primum pro se impetravisset; deinde cum eiusdem Regis assensu nepoti suo, Paulo Széchény, tunc Episcopo Vesprimiensi cessisset. Oblata nihilominus fuit Abbatia Sacro Ordini etiam inter has eius conversiones: at una postulatum, ut pro relevandis publicis necessitatibus, speciatim vero pro Castro Aradinensi ad flumen Marusium instaurando 40,000 floren. in doni gratuiti vicem numeraret. Verum DD. Cisterciensis Ordinis Abbatibus aut tanto aere, aut animo ad tantum solvendum carentibus, Leopoldus Comes a Kollonics Archiepiscopus Strigoniensis non tantum petitam summam numerandam, sed et aliam 10,000 fl. pro eliberandis e turcica servitute captivis gratis adiiciendam obtulit; moxque consentiente Rege, Abbatiam sub certis conditionibus velut in pignus accepit. Harum praecipuae, quae ad rem nostram faciunt, erant: „ut nonnisi post mortem aut cessionem Pauli Széchényi, iam Archiepiscopi Colocensis possessionem adeat; deinde: ut per testamentum dictam Abbatiam, non in emolumentum alicuius personae, sed in pias caussas, pleno iure applicare, conferre, ac donare possit; demum: cum eandem Abbatiam ex primaeva Fundatione ad Ordinem Cisterciensem pertinuisse constet, si a die harum datarum computando intra unius anni revolutionem Abbatum aliquis eam Ordini suo reapplicare cuperet, id ei numerata summa requisita liberum foret. Quodsi autem intra dicti anni spatium nec sua Maiestas, nec Ordo Cisterciensium dicto modo Capitale refuderint, irrevocabiliter maneat Abbatia perpetuis temporibus illi fundationi applicata, cui eam dictus Creditor pro sua prudentia, et catholicae religionis zelo applicare, et donare voluerit. — Viennae 1 Sept. anno 1699." Ita literae obligatoriae.

Suboluit vero plurimis, quorsum studia Cardinalis Kollonichii tendant; displicuitque universis aspera praeclusi temporis brevitas, ut si Ordo sacer 50,000 fl. eidem intra anni spatium non deposuerit, in perpetuum iure suo excidat. Interim Cardinalis, iure novo usurus, postquam a Gabriele Hevenesy, Domus probationis Soc. Jesu Viennae ad S. Annam Rectore 30,000 fl. mutuo acceperat, eidem suprafatas obligatoriales Suae Maiestatis literas, cum omni iure per eas obtento in vicem hypothecae cessit, iure nullo, nullaque eius proprietate sibi reservata; donec memoratae domui de censu et Capitali . . . integre satisfactum foret. Acta sunt haec 1. Nov. 1699. — Anno insequente idem Cardinalis in dominium Abbatiae S. Gotthardi, eiusque universorum bonorum se more patrio statui et introduci procuravit 1700 die 2. Augusti: et iam sequentis mensis Sept. die 8. totum suum in eam ius Thyrso Gonzalecz S. Jesu Generali, et per eum Societati ipsi, sub Corona Regni Hungariae in vinea Domini laboranti, iure perpetuo cessit, et irrevocabiliter donavit: vi cuius praefatus Generalis in persona P. Francisci Ravasz Rectoris Ginsiensis in dominium Abbatiae introductus fuit.

Verum, cum collatio isthaec vivente adhuc Paulo Széchényi Archiepiscopo Colocensi, et Abbate S. Gotthardi facta, iuribus huius aeque ac Juris canonici statutis adversaretur, solemni protestatione obviatum fuit statutioni; demum Joannes Majthényi, qui iussu Exc. Camerae anno 1717 utriusque partis fundamenta iuris examinavit, pronunciavit : ius Ordinis Cisterciensium tam in formali, quam in ipso materiali, iuribus superinductis Patrum Societatis, lege, iustitia, et conscientia exigentibus, dignius censeri. Non attenta hac collatione, licet Leopoldus I. Augustus eam diplomate anni 1700 firmaverit, Josephus I. Rex eam L. Baroni Pilati, mortuo Széchényi Paulo: Carolus VI. vero Cardinali Emerico Cháky contulere: hoc demum decedente, S. Ordini Cisterciensium postliminio restituta fuit.

Anno itaque 1734 Carolus III. Rex Hungariae restitutionis diploma de 29 Julii expedivit, quo de plenitudine regiae potestatis, et gratia speciali, auctoritate iuris patronatus S. Cisterciensium Ordini pleno iure restituendam, ac incorporandam, et proprie Monasterio ad S. Crucem in Austria habito in perpetuum applicandam: — sed et benignam ac singularem habens reflexionem ad praeclaras virtutes Roberti Abbatis antelati Monasterii ad S. Crucem, eidem clementer dandam, et conferendam Abbatiam S. Gotthardi duxerat, ita tamen, ut pro tempore existens Abbas S. Crucis in oppido S. Gotthardi conveniens Monasterium restaurare, et in eo completum Conventum 12 praefati Ordinis Religiosis constantem pro peragendis iuxta mentem Fundatorum divinis officiis servare debeat, ac teneatur.

Post aditam consveta statutione Abbatiae possessionem, convertit se Robertus Abbas ad onera ipsi Collationi Caesareo-Regiae connexa depuranda, et anno eodem 1734 6. Augusti ad Caesareum Fiscum universalem 100,000 fl. Cassae pauperum Parochorum inferendorum numeravit. Quibus rite depositis eodem anno 26. Nov. Robertus Abbas coram sua Maiestate comparens, cum nativus Hungarus non esset, ex lege praescriptum indigenatus, et fidelitatis perpetuae iuramentum deposuit, taliterque obligationi sibi hoc nomine incumbenti satisfecit, receptis super hoc actu literis testimonialibus, manu ipsius Aug. Caesaris subscriptis.

Ne porro in S. Gotthardo sola temporalia quaesivisse videantur Abbas et Conventus S. Crucis, maximam curam in spiritualem profectum suorum subditorum converterunt adeo, ut iam anno 1737 Exc. Consilium Regium his literis honoraverit Robertum Abbatem: „Clementissime Maiestatem suam Sacratissimam id intellexisse, quo zelo, et fervore, in procurando Gotthardiensibus subditis vero Dei cultu, desudatum sit : hincque eandem Sacratissimam Maiestatem exinde etiam clementer propensam medio dicti Consilii huius praefatum D. Abbatem adhortari curasse, ut ulterius quoque in eiusmodi bene coeptis continuet, et persistat.“ Ut autem directioni, et moderamini spirituali consuleretur, certa conventionis puncta pacti sunt inter se Jaurinensis Episcopus, cuius iurisdictioni tunc ea regio subiecta fuit, et Abbas S. Crucis, qua S. Gotthardi, ita comparata, ut nec communibus Episcoporum iuribus, nec certis S. Cisterciensis Ordinis privilegiis, et exemtionibus adversentur. Puncta haec in perpetuum duratura Episcopus Adolphus, et Robertus Abbas anno 1740 subscripsere: tum Franciscus Zichy Episcopus Jaurinensis anno 1755 confirmavit.

Hunc in modum stabilita utraque sua iurisdictione, Robertus locum veteris Monasterii repurgare, dispersos Sanctuarii lapides colligere, et tandem Deo, eiusque servis novam habitationem praeparare aggressus est. Anno 1740 Basilicae novae asceteriique regularis iacta sunt fundamenta : aedificiumque ita ordinatum, ut cum Ecclesia figuram quadrilateram rectangulam constituat. Hortus Monasterio contiguus, amplus est, et splendidus. Perstat

hodieque Abbatia haec, non obstantibus, qui seculo priore intervenerunt, Abbatiae Runensis adversis nisibus, in filiali nexu cum ea S. Crucis, liberali profecto Matre sua; eundemque cum illa Abbatem lubens veneratur Reverendissimum Dominum Edmundum Komáromy, S. Caesareae et Reg. Apostolicae Maiestatis Consiliarium.

XVI.

Abbatia S. Jacobi de Insula Danubii.

Inter loca sacra Insulae Danubii, quam Ladisl. Thuróczi eandem cum ea, quam vulgo Csallóköz dicimus, existimare videtur, numeratur Abbatia S. Jacobi Ordinis Cisterciensis. „Ad S. Antonii, inquit, Franciscani degunt; olim Templarii Eberhardini, et ad S. Jacobi Cistercienses.“ Apud Heimbium hoc duntaxat superest de ea: „Simplex eius mentio occurrit ad annum 1274, quo erecta creditur; cetera oblivione sepulta.“ Eandem fundationis aeram Pazmanius quoque assignat; a quo illam Heimb sumserit. Nec aliquid praeterea de illa compertum est. Opinio enim, quae huic Abbatiae sedem in possessione Csákány assignabat, nullo fundamento nititur; cum hanc ad Abbatiam de Pilis pertinuisse, et cum hac ad Velehradienses, non tanquam Abbatiam, sed tantum, qua possessionem iuris Abbatiae Pilisiensis devolutam fuisse constet. Ceterum : nec id extra omne dubium positum est, quod per Insulam Danubii hoc loco non alia, quam ea Cituorum intelligi possit. Igitur memoriam Abbatiae huius solus fere usus collationis tituli eiusdem conservat, quo hodie fruitur Reverendiss. D. Emericus Tóth, Cons. Episcopus Taumacensis, Praepositus S. Stephani de Castro Strigoniensi, Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Canonicus.

XVII.

Abbatia S. Michaëlis Archang. in Insula B. Mariae V. iuxta Budam.

Insula Leporum inter reliqua domicilia religiosa, duas continebat Praelaturas regulares, Praemonstratensem unam, alteram Cisterciensem, quarum utraque sub titulo S. Michaëlis Archangeli fundata fuit: unde promanavit, quod Xystus Schier, aliique censuerint unum solum fuisse Coenobium, successiveque duobus Sacris Ordinibus incolatum praebuisse, nominatim Cistercienses ibidem Praemonstratensibus successisse. „Cistercitae, inquit ille, huc immigrarunt, sive priores incolae taedio turbarum illius temporis sponte locum deseruerint, sive a Patrono discedere iussi.“ Verum, cum fide Cardin. Pazmani epocha fundationis Abbatiae huius, quam Cistercienses quoque Scriptores amplectuntur, ad annum Christi 1302 statuatur; Praemonstratenses autem anno adhuc 1362 in hac insula exstitisse constet; [1]) communi opinioni de simultanea ibi horum SS. Ordinum existentia est adhaerendum. Fatendum etiam est, nemini non mirum videri posse, fuisse hominem in Hungaria, qui anno 1302, [2]) dum inter Sceptri aemulos divisis regnicolarum animis omnia susdeque, ut aiunt, vertebantur, de fundando Monasterio cogitare potuerit. Cuius opera et impensis fundata fuerit Abbatia haec, nec divinando assequi licet: dirutis enim desolatisque omnibus insulae huius sacris aedificiis per Turcas, ne etiam nomen Abbatiae huius intereat, collatio Regia tituli abbatialis impedit, quem hodie gerit Illustrissimus D. Antonius Lipthay de Kisfalud, Elect. Episcopus Dulmensis, Metropolit. Ecclesiae Strigoniensis Canonicus, AA. LL. Philosophiae, et SS. Theologiae Doctor Collegiatus.

---

[1]) Vide supra: Praeposit. S. Michaëlis Arch. in Ins. B. M. V. inter Praemonstratenses. — [2]) Quidsi apud Péterffyum in anno 1302 error typi latet, quales in nota hac appendice plurimi occurrunt, et qui hinc auctoritate Pazmani ad Scriptores Cistercienses manavit? —

XVIII.

Abbatia B. Mariae V. de Lucentia.

Theophilus Heimb, saepe laudatus scriptor Ordinis Cisterciensis ad Calcem Operis sui de S. Gotthardo haec de Abbatia de Lucentia continet : „B. M. V. de Lucentia, seu iuxta Chronologiam Monasteriorum apud Vischium, Vallis lucida. Passim ea anno 1190 in Dioecesi Colocensi erecta creditur, quamquam Fundationis epocham 1198 signet Sartorius in suo Cistercio bis tertio pag. 1136 cum nonnullis. Bellum et haeresis posterorum memoriae vix haec reliquerant de eadem“.. Haec ille.

Notum est, hoc praesertim nostro tempore, in Comitatu Aradiensi Oppidum Világos, cum adsita vetere arce Világosvár, quam Bonfinius latine scribens, merito Castellum lucidum appellavit. Cum arx, seu si mavis Castellum monti bene alto, a ceteris in planitiem procurrenti, insideat; habet vicinam vallem, quam a Castello lucido vallem lucidam compellare pronum erat : sicque Vischii vallem lucidam reperissemus. Verum obest, quod Abbatia de Lucentia, seu valle lucida Dioecesis Colocensis feratur : Világos autem in Chanadiensi situm sit, adeo semotum; ut ad illam nec olim unquam pertinere potuerit. Propius ad verum accedere videtur ea opinio, quae fert Abbatiam de Lucentia Lossoncini Comitatus Neogradiensis celebri oppido stetisse, quod una cum fluvio cognomine Slavis eius incolis Lucenecz audit, claraque Monasterii vestigia ostentat, quod teste Thuroczii Chronico, anno 1451 dum munitio penes hoc Monasterium, tunc S. Stephani Regis dictum, [1]) per Joannem Giskra Bohemorum Ducem erecta, Joannis Hunyadi virtute oppugnaretur, duros casus sustinuit. Accedit, quod oppido contiguus vicus, hodieque Lossoncz-Apáthfalvae nomine veniat, [2]) quod vicum Abbatis de Lucenecz, seu Lucentia significat. Hactenus omnia sat recte. Verum hanc Lucentiam Dioecesis Rosnaviensis, pars veteris Archidioecesis Strigoniensis tenet; et ea Colocensis nunquam tenebat. Quapropter : qui sibi in exterorum Scriptorum Cisterciensium verba iurandum putat, (cur autem id putet?) is fateatur oportet, locum Abbatiae de Lucentia ignorari; nihilque nos de illa certius nosse, quam titulo eius hodie potiri Reverendissimum D. Josephum Columbus, Ecclesiae Metropolitanae Viennensis Canonicum, SS. Theologiae Doctorem.

---

[1]) Pazmanus Abbatiam de Lucentia a Monasterio S. Stephani Regis prope Lossoncz distinguit; et illam S. Cisterciensium Ordini, istud Sanctimonialibus attribuit, quae cuiusnam Ordinis fuerint, sibi non constare fatetur. — [2]) Schematism. Ven. Cleri Rosnaviensis Dioec. ad annum 1855. —

XIX.

Abbatia B. Mariae V. de Loco regali.

Postquam Theophilus Heimb in Appendice chronologica sui Ordinis Abbatiarum in Hungaria fundatarum Abbatiae de Loco regali aeram fundationis, annum 1282, iuxta quosdam 1274, item 1272, et 1280 indicavisset; hoc unum addit: „Fundatore aeque ac Dioecesi incertis." Fundatore quidem ignoto, ad resciendam Dioecesim nos forte Abbatiae loci nomen deducit. Quid, si locus, quem olim regalem dicebant, modo Aula regia, germanis Königs-Hof audit? Vigebat nempe olim hac in regione, fluvio Leita adsita, castellum regium, Cyperon dictum, ad quod Rex Colomannus ducem Cruciatorum Godefridum ad pacificum colloquium invitavit, hoc, aut simili tenore: „Rex Kalomanus duci Godefrido, et omnibus Christianis salutem et dilectionem sine simulatione. Audivimus de te, quia Vir potens, et princeps tua sis in terra, et fidelis inventus ab universis, qui te noverunt. Idcirco te semper diligens ex sola bona fama, nunc te videre, et agnoscere optavi. Et exinde consilium accepi, ut descendas ad nos in Castellum Cyperon sine alicuius opinione periculi: ex utraque ripa paludis residentes totum colloquium teneamus de omnibus, quae a nobis requiris, et quorum nos reos arbitraris." [1])

Ubi vero Castellum Cyperon steterit, discimus e synchrono Chronico hierosolymitano, quod ita loquitur: „Godefridus, Dux Lotharingiae, Vir nobilissimus, fraterque eius uterinus Baldevinus ... eodem anno, medio mensis Augusti viam recto itinere in Jerusalem facientes, in terram Osterich ad civitatem Tollenburg (hodie Bruck an der Leitha), ubi fluvius Lintax (Leitha) regnum Galliae (Germaniae) terminat, et dividit, hospitio resederunt ... visum est omnibus utile consilium, ut ... Godefridum de Ascha eo quod notus esset Kalomano Regi terrae, ante multum tempus huius viae in legationem Ducis Godefridi missus ad eundem Regem Ungarorum ... mitteretur."

Composita locorum adiuncta, Civitatis nempe Tollenburg, seu Bruck ad fluvium Leitham, ad quam Godefridus cum suo exercitu consedit, et Castelli Cyperon, quod huic vicinum esse oportebat, ad quod Colomannus Godefridum pro amico colloquio invitavit, velut indice produnt Castellum Cyperon non aliud esse, quam hodiernum Königshof, vix quadrante milliaris a dicta civitate distans ad ripam fluvii Leitha situm; ad quod vestigia paludis, cuius Colomannus in sua epistola meminit, apparere; ipsumque aedificium veteris aevi structores prodere dicitur. Ab aula hac regia (Königshof) ad mille passuum distantiam adhucdum existunt, aut certe fine prioris Seculi existere dicebantur Abbatialis Monasterii rudera, quod a quopiam e Regibus nostris fundatum fuisse argumento est, quod ipsam Aulam regiam cum ceteris

[1]) Katona: Hist. pragm. I. 515. —

possessionibus Monasterio contulerit pius, quisquis fuerit, Fundator. Post cladem Mohacsianam procubuit status Abbatiae, quam subseque cum bonis, iuribusque suis Ordini Cisterciensi revindicavit Monasterium S. Crucis in Austria, cuius optimi Patres incolunt, administrantque in temporalibus et spiritualibus Aulam regiam, Steinbruch, Vindenam, Barátfalvam, et Pátfalvam, possessiones in Comitatu Mosoniensi, et Dioecesi Jaurinensi, cuius Schematismus Abbatiam de Loco regali pariter ad Aulam regiam seu Königshof reponit : licet fatendum sit, non omnia hac in re ita esse expedita, ut nulli dubio locus remaneat. Nam inprimis 24 loca sistit Schematismus Universalis ecclesiasticus Reschii 184⅔, quae pari iure, qua Königshof, latine Locus regalis dici possent; qua propter nomen Aulae regiae nihil evincit. Deinde : adsint prope hanc Aulam regiam rudera, sed ista esse Monasterii Abbatialis, imo determinatae Abbatiae de loco regali, quis evincet. Denique maxime suspectam reddit coniecturam illud, quod Abbatia S. Crucis enumerata superius bona [1]) uti Steinbruch, Königshof etc. non qua Abbatiae de Loco regali bona redemerit, et Ordini suo revindicaverit. Secus enim eruditissimus Heimbius ad S. Crucem professus in sua citata Appendice non dixisset Dioecesim Abbatiae de Loco regali ignotam esse; utpote bene gnarus Königshofium in Dioecesi Jaurinensi situm esse. Poterat igitur ibi aliqua Abbatia stetisse, et quidem Cisterciensium; sed eam de Loco regali ibidem extitisse, necessario non consequitur. Id unum certum : titulo eius gaudere Reverendiss. D. Joannem Fragner, Cath. Eccl. Scepusiensis Custodem, et Canonicum. [2])

XX.

Abbatia Mellei Fontis B. M. V.

Abbatia, de qua hic agitur, a Cisterciensibus tam incolis, quam scriptoribus, Mellei Fontis, item Meli-Fontis nuncupata fuit. Hoc nomine eam etiam Schematismi Hungariae insigniunt; sed ille Dioeceseos Rosnaviensis addit: „seu Hárskút.“ Sita est in provincia Tornensi, et Dioecesi Rosnaviensi. Crebrae circa fontem solitarium crescebant tiliae, a quarum copia fons ipse praenomen tulit, dictusque Hárskút, quasi latine diceres: Fons tiliarum. Plurimum mellis, inter reliquos, tiliarum flores continere norunt, qui cura apum occupantur. Secundum Annalistam Cisterciensem Manricum fundata fuit anno 1141. Cetera : profundum est silentium de conditore, progressu, interituque eius tum in Annalibus Ordinis, tum apud Scriptores domesticos. Explicatiora reddi possent eius fata ex Archivo Ven. Capituli Agriensis, in quo pro secura conservatione deposita habentur eius documenta, et literalia instrumenta.

1) Abbatiam S. Crucis in Austria iam a Regibus Stirpis Arpadianae variis gratiis et beneficiis ornatam fuisse, constat. — 2) Idem titulus in Schematismo Status austr. etiam Reverendissimo D. Franc Sal. Rách, Colleg. Eccl. Soproniensis Canonico tribuitur. —

Spectato universali Monasteriorum in Hungaria cataclysmo, etiam Mellei fontis Abbatiam haustam, et post cladem Mohacsianam aut occupatam a Turcis, aut certe metu eorum a sacris viris desertam credendum est. Monasterii rudera iam pauca admodum seculi prioris fine visebantur, materialibus a colonis in suarum aedium structuram conversis. Ecclesia Abbatialis adhucdum in prima integritate conservatur; servitque populo Hárskútiensi ut parochialis. Post cladem Mohacsianam occuparunt eam Lutherani, tenueruntque usque ad annum 1662, quo usurpationis rei convicti, eam pristinis sacris religionibus restituere coacti sunt. Exacto novae religionis Ministro, Jacobi dicto, anno eodem 1662 primus sacer curio institutus fuit Stephanus Telekesy, immortalis memoriae sacerdos, qui facundia sua, tribus demtis, omnes Hárskútienses ad ovile Christi reduxit. Postquam pristino cultui sacro reddita est Ecclesia, Patronum pii fideles delegerunt S. Joannem Baptistam. Non est dubium, eandem primitus honoribus B. M. V. sacram fuisse pro more Cisterciensium. Jus patronatus in eam exercet Familia Comitum Andrássy, et cum hoc, utplurimum connexum sit cum iure proprietatis, verosimile est, etiam bonorum abbatialium bonam partem in huius familiae manibus existere. Titulum autem Abbatis tenet Reverendiss. D. Andreas Obermayer, Cathedr. Eccles. Szathmariensis Lector, et Canonicus, AA. LL. et Philosophiae Doctor.

XXI.

Abbatia de Monte S. Mariae.

Exemplo Belae III. Regis Hungariae inductus Dominicus Banus de familia Bors, Abbatiam hanc lineae Morimundi prope Ginsium, ab eius nomine Bors-Monostra dictam fundavit anno 1195. Vi fundationalium literarum, quarum transsumta in Archivo Monasterii S. Crucis in Austria conservantur, Comes Dominicus Bann in praesentia Abbatis S. Crucis, Marquardi, iureiurando sese obstrinxerat, futurum, ut in proximo B. M. Virginis honori provehendo, sub paterno praelaudati Abbatis iure et cura, S. Ordinis Cisterciensis Monasterium erigi curaret, assignatis in eum finem dotemque, et eidem Abbati traditis CCC. Marcis argenti, C. bobus, vaccis totidem, mille ovibus, et viginti servis, quibus adiecit possessiones ac pagos octo, nempe: Manersdorf, Hochenberg (quo in loco Coenobium exstrui curavit), Pressing, Stroblstorff, Puzlstorff, Münchhoff, Wauenstorff, et Dägenstorff: quam fundationem suo quoque Diplomate Rex Bela III. anno 1195 confirmavit. Existit in Archivo Archi-Coenobii S. Martini [1]) confirmatae huius donationis Copia seculo, ut character literarum innuere videtur, XIII. confecta, de cuius sinceritate ad calcem antiquis, sed nitidissimis literis exaratum legitur: „Ego Fr. Jacobus servus, et Minister fratrum mino-

[1]) Fasc. 85-ti 16 I. —

rum in Hungaria, ad preces Domini abbatis iam dicti loci gloriosae Virginis matris, privilegium praesentis scripti propriis oculis videns, in hoc rescripto nostrum sigillum posui; ut quicunque hoc scriptum viderit, nullatenus dubitet, si ei placuerit nobis credere, omnia, quae in hoc rescripto tam dicta, quam nominata habentur, sub privilegio venerandae memoriae Regis Belae in omnibus et per omnia plenarie contineri." Catalogus Ministrorum Ordinis Minorum Provinciae Hungariae Jacobum hunc Joanni Principi, Fratri Regis Francorum, omnium primo in Hungaria Ministro immediate subiungit, et ad annum 1247 reponit.

Auxit mox fundationem hanc Dominici Bani filius, Comes Bors, cuius liberalitatem Andreas II. anno 1224 Literis suis ratam habuit, et ipse quoque praedicto Monasterio Jus montanum in Abbatiae terris, Jurisdictionem forensem in Manersdorf, et Stroblsdorf cum tributis omnibus prout iuris regii erant, tum magnam salis quantitatem Sopronii festo S. Stephani Regis quotannis percipiendam concessit.[1]) Idem Bors anno 1236 duo praedia, et tres villas adiecit; cumque filio superstite destitueretur, ius patronatus in hanc sacram aedem „Excellentissimo Regi Belae debito iure" reliquit: per hunc a. 1268 Laurentio Comiti de Sopron collatum.[2]) Verum, cum in Comitis Bors donatione Villae Sumuld, Stanch, et Dunazel comprehenderentur, quas Magister Pous ad se titulo emtionis pertinere ostendit, pro his Comes Bors duas villas: Myxa, et Flechindorf illico tradidit ita, ut post eius obitum insuper pars media villae Hetezer, priori vicinae, Monasterio cederet, cuius alteram partem istud iam prius possedit. Discimus haec ex originalibus literis ipsius Comitis Bors[3]) huius tenoris: „Fallax mundi gloria lapsu ruit mobili; opes, honores, omnia florent, fluunt, nec persistunt, quia marcescunt; nam populatur, et subvertit omnia mors amara. Beata gratia ergo gustato fructu salutifero postponit omnia praesentis vitae gaudia. Igitur ego Comes Bors praedictorum bonorum non immemor, functus sospitate, praecavens in futurum, Monasterio meo in honore Beatae Mariae fabricato, pro salute animae meae, parentumque meorum Villas quasdam hereditario iure mihi inhaerentes, quarum haec sunt nomina, videlicet: Sumuld, Stanch, et Dunazel cum insula, contuleram possidendas, exoptans, ut Fratres in dicto Monasterio degentes, quanto liberius corporalia perciperent, tanto quietius spiritualibus vacare valerent. Verum, quia caritate refrigescente iniquitas habundavit, praedictae donationis veritas in medium venit dubietatis, sic, ut Magister Pous, omissa veritate, assereret, villas supradictas emtionis titulo ex parte mea iure possidere. Cuius venditionis tam ego, quam Fratres iam dicti Monasterii ignari. Cum vero coram Regibus Andrea scilicet et filio eius Bela, nec non et Baronibus Regni causa ventilaretur, Fratribus saepe dicti Monasterii auctoribus ex parte una, Reo autem Magistro Pous ex altera: ego Comes Bors valefeci contentioni, praesertim cum Magister Pous instrumento uteretur contra me et Fratres dictos clandestine usurpato, gauderetque libello indebite obtento; sic cedens contentioni, ut dictum Monasterium meum nolens fraudare eleemosyna promissa, imo et data, villas duas alias in commutationem illarum, quas Pous usurpavit, perpetuo do possidendas, quarum haec sunt nomina: Myxa, Fluecendorf cum omnibus suis pertinentiis, et hoc abhinc usque in perpetuum. Similiter et mediam partem villae Hetezer, quae est in confinio Teutoniae, post obitum meum secundum rationem praedictam eidem contuli Monasterio, nullo contradictore persistente. Sic et literae Regum loquuntur. Partem vero alteram dictae villae H. Fratres diu ante datam

[1]) Ibidem, 4. — [2]) Fejér: Cod. diplom. IV. 3. p. 436. — [3]) Ibidem, 5. —

possidebant, a tempore parentum meorum. Ut autem huius donationis series perdurare possit in perpetuum, hoc decretum sigilli mei munimine feci roborari. Tempore, et teste dno Jacobo Cardinali, et Apostolicae Sedis Legato. Mediantibus autem Regibus Andrea et Bela. Jobagionibus vero, Ungulino Archiepiscopo, Nicolao, filio Burch; Ladizlao, et Pous; Judice autem Demetrio persistentibus. Datum Anno Domini M. CC. XXIII." Transactionem hanc Andreas II. Rex anno 1233 suo diplomate stabilivit, quod pariter in origine, duplici sigillo adhuc fere integro munitum conservamus. [1]) Ex eo discimus villam Flechindorf eandem esse cum Praedio Flanschendorf, quod Posonio versus Austriam contiguum hodie Capitulum Ecclesiae Collegiatae Posoniensis possidet.

Exemplo Comitis Bors provocatus quidam Etul de Pessa eidem Asceterio donavit praedium suum Chuzar cum eo pertinentibus; quod testantur literae Capituli Jaurinensis anni 1224 in hunc modum: „B. Dei gratia Praepositus Geuriensis Ecclesiae, et Capitulum eiusdem. Universis, ad quos literae pervenerint praesentes, salutem in salutis auctore. Ad universorum volumus pervenire notitiam, quod Etul, de cognatione Pessa, ad nos veniens, literas Domini Regis Andreae nobis detulit hanc formam continentes, quod ex regali licentia omnem facultatem suam [2]) disponendi, ac cuicunque vellet conferendi potestatem habet. Unde ipse, prout penes se ante disposuerat, nobis voluit protestando revelare, et coram nobis taliter disponere, quod Monasterio Dominici Bani, quod dicitur de Monte S. Mariae, dederat praedium suum, quod vocatur Chuzar, ubi continentur CCC. iugera terrae, ad duo aratra sufficientia; et duos suos aratores cum filiis eorundem, quorum nomina haec sunt: Hemiricus, et Bugar, et VIII boves; et in illa terra omnes cognatos suos dixit esse penitus expertes, pro eo, quod ut ipse nobis retulit, Dominus Rex Hemiricus piae recordationis sibi eam pro servitio suo contulisset, dum in Galicia Gubatos expugnasset. Et ut iam hoc robur caperet firmitatis, et posteris possit esse recordabile, in praesentem paginam petiit adnotari, et sigilli Capituli nostri inpressione insigniri. MCCXXIIII." [3]) Sigillum exhibet Deiparam, dextra Sceptrum in lilium desinens, sinistra divinum infantem tenentem cum Epigraphe: + „Sigillum Geuriensis Capituli."

Regis quoque Stephani V. liberalitatem experta est sacra haec Domus, qui ei vicesimam partem decimarum totius Comitatus Soproniensis, alias regi obvenientem anno 1270 contulit diplomate, singularis in Deum, et Deiparam Virginem devotionis indice, quod proinde fere integrum dare non veremur, hoc tenore: „Stephanus, Dei gratia, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae. Romae, Serviae, Galiciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque Rex. Omnibus . . . praesentem paginam inspecturis salutem in salutis largitore. Humanae considerationis subtilis ostendit intuitus. . . gloriosissimam Virginem, cuius misericordialis interventus lapsus hominum apud Deum corrigit, cadentes relevat, et ut plenissima mater gratiae, fatigatos quoslibet, et a bono torpentes, non solum suo patrocinio corroborat et confortat; sed impetrata a filio gratia in viam dirigit salutarem, prae omnibus honorandam, et totis cordis affectibus reverendam. Et licet creatura non habeat, quod creatori et reparatori suo, eiusque gloriosissimae Genitrici, per cuius manus humano generi largitur filius universa, lapsis videlicet veniam, moerentibus requiem, et desperantibus spem salutis, impendere valeat ex condigno; debet tamen tota devotione animi, totaque puritate affectus laborare, ut aeternorum intuitu in terris

---

[1]) Ibidem, 9. In hoc documento Cistercienses Monachi grisei compellantur, ut eo aevo passim — [2]) Sic! Puto pro: s u a. — [3]) Ibidem, 7. —

seminet, quod in die messionis aeternae recolligens, cum multiplicato fructu in coelesti horreo possidere valeat, et habere. Proinde ad universorum notitiam . . . volumus pervenire, quod nos in largitione eleemosynarum sperantes salutem animarum promereri, totam vicesimam decimarum, in toto Comitatu Soproniensi nobis provenientem, in frugibus et in aliis, contulimus Abbati et fratribus Ordinis Cisterciensis de domo, seu monte Sanctae Mariae in eleemosynam nostram perpetuam: cum non solum arma, verum etiam preces pie viventium per eum, a quo regnorum persistit stabilitas, tueantur regnum, et Regum diadema. Ut igitur huius nostrae saluberrimae collationis series robur obtineat perpetuae firmitatis, nec per quempiam Successorum nostrorum retractari valeat, aut in irritum quomodolibet revocari, praesentes Abbati et Fratribus praedictis concessimus literas, duplicis sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Benedicti, Orodiensis Praepositi, Aulae nostrae Vice-Cancellarii, dilecti et fidelis nostri. Anno Domini MCCLXX. XII. Kal. Decembris. Regni autem nostri, anno primo." [1]) — Donationem hanc Carolus I. Rex, anno 1326 confirmavit.

Sed et Joannes Palatinus, Comes Soproniensis, Nicolaum aeque Palatinum, qui anno 1285 villam suam Laztay dictam contulit, imitatus, devotionis suae in Coelites monumentum posteris reliquit donatione possessionis suae Zadan Ecclesiae B. Virginis de Monte Mariae anno 1303 facta. Huius donationis literae tales sunt: „Nos Joannes Palatinus, filius Herrici quondam Bani Comes Supruniensis, et Musuniensis, significamus universis . . . praesentium per tenorem. Quoniam teste sapientia bonorum operum gloriosus est fructus, tantum quisque in aeternae claritatis Regno gloriosior constituitur, quanto nunc in operibus bonis religiosior et devotior invenitur: fallax autem, imo nulla est gloria, quam non sincerum sancti operis meritum parturivit. Proin ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod nos quandam possessionem nostram Zadan vocatam a Dno nostro Ladislao illustri Rege Hungariae felicis recordationis . . . pro meritoriis et fidelibus servitiis nostris nobis datam et collatam . . . sub eisdem metis antiquis et terminis, prout per nos eadem est possessa, ob salutem et remedium animae nostrae . . . Ecclesiae beatae Virginis de Monte S. Mariae, et Fratribus in ipsa residentibus dedimus, donavimus, et contulimus perpetuo, et irrevocabiliter possidendam . . . . Datum in Apati in festo beati Thomae Apostoli, Anno dominicae Incarnationis M.CCC.III." [2]) Sigillum diametri fere trium pollicum pendet ex fasce filorum sericeorum albi, viridis, et rubri coloris.

Jam duodecimo a sui fundatione anno Religiosi huius loci vita ad veram pietatem, et ad regularem observantiam exacta eum S. Sedis Apostolicae favorem sunt consecuti, ut per Innocentium III. Summum Pontificem a praestandis decimis immunes fuerint declarati. Existit super hoc Bulla magni huius Pontificis de anno 1207, qua eos cum omnibus, quae possident, sub Beati Petri et suam protectionem suscipit, enumeratisque sex possessionibus per Dominicum Banum donatis statuit, ut nullus de novalibus eorum, quae propriis manibus aut sumtibus colerent, sive de nutrimentis animalium, vel de ipsis animalibus decimas ab eis exigere, aut extorquere praesumat. Quod cum nonnulli perverse interpretati fuissent, secutum est mox eodem anno Rescriptum eiusdem Pontificis, cuius ipsa verba huc inserere, operae pretium videtur. „Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Suffraganeis eius, et dilectis Filiis Abbatibus, Prioribus, Ar-

[1]) Fejér: Cod. dipl. T. V. Vol. 1 p. 40. — [2]) Archiv. S. Martini S. M. Pann. Fasc. 85. 16. 11. —

chidiaconis, Decanis, et aliis Ecclesiarum Praelatis in Strigoniensi provincia constitutis salutem et apostolicam benedictionem. Audivimus, et audientes mirati sumus, quod cum dilectis Filiis Abbati et Conventui de alto Monte sanctae Mariae Cisterciensis Ordinis a patribus et praedecessoribus nostris concessum sit, et postmodum a nobis ipsis indultum, et confirmatum, ut de laboribus, quos propriis manibus aut sumtibus excolunt, nemini decimas solvere teneantur: quidam ab eis nihilominus contra apost. Sedis indulgentias decimam exigere, et extorquere praesumunt ex prava et sinistra interpretatione apostolicorum privilegiorum Capitulum pervertentes asserunt de novalibus debere intelligi, ubi noscitur de laboribus esse scriptum. Quoniam igitur manifestum est omnibus, qui recte sapiunt, interpretationem huiusmodi perversam esse, et intellectui sano contrariam, cum secundum Capitulum illud a solutione decimarum tam de terris illis, quas deduxerunt, vel deducunt ad cultum, quam de terris etiam cultis, quas propriis manibus vel sumtibus excolunt, liberi sint . . et immunes, ne ullus contra eos materiam habeat malignandi, Universitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus omnibus parochianis vestris auctoritate apostolica prohibere curetis, ne a memoratis Fratribus de novalibus, vel aliis terris, quas propriis manibus aut sumtibus excolunt, seu de nutrimentis animalium ullatenus decimas praesumant exigere, vel quomodolibet extorquere. Quia vero non est conveniens, vel honestum, ut contra Sedis Apostolicae indulgentias temere veniatur, quae obtinere debent inviolabilem firmitatem, mandamus vobis, firmiterque praecipimus, ut si qui Monachi, Canonici, Clerici, vel Laici contra privilegia Sedis Apostolicae memoratos Fratres super decimarum exactione gravaverint; Laicos excommunicationis sententia percellentes, Monachos, Canonicos, sive Clericos, contradictione, dilatione, et appellatione cessante ab Officio suspendatis, et tam excommunicationis, quam suspensionis sententiam faciatis usque ad dignam satisfactionem inviolabiliter observari. Ad haec praesentium vobis auctoritate praecipiendo mandamus, quatenus, si quis eorundem parochianorum vestrorum in saepe dictos Fratres violentas manus iniecerit, eum accensis candelis excommunicatum publice nuntietis, et tanquam excommunicatum faciatis ab omnibus cautius devitari, donec eisdem Fratribus congrue satisfaciat, et cum literis dioecesani Episcopi rei veritatem continentibus apostolico se conspectui repraesentet. Datum Romae apud S. Petrum II. Non. Martii, Pontificatus nostri Anno decimo." [1])

Diuturnum tam gravis praecepti a summo Ecclesiae capite profecti effectum frustra sibi pollicebatur Mons S. Mariae: non multo post a Clericis aeque ac Laicis longe deteriora expertus. Docent id literae Gregorii Papae IX. pariter ad Archiepiscopum Strigoniensem, ceterosque eiusdem Provinciae Ecclesiarum Praelatos directae. „Non absque dolore cordis, inquit Pontifex, et plurima turbatione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur, et canonicae sententiae severitas enervatur, ut viri religiosi, et ii maxime, qui per Sedis Apostolicae privilegia maiori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis iniurias sustineant, et rapinas: dum vix invenitur, qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocentia, se murum defensionis opponat. Specialiter autem Dilecti Filii Abbas, et Fratres Monasterii de Monte S. Mariae, Cisterc. Ordinis, tam de frequentibus iniuriis, quam de ipso quotidiano defectu iustitiae conquerentes Universitatem vestram literis petierunt apostolicis excitari, ut ita eis videlicet in tribulationi-

[1]) Utraque Bulla conservatur in Archivo S. Martini S. M. Pannoniae. Fasc. 85. 16. 2. 3. —

bus suis contra malefactores eorum promta debeatis magnanimitate consurgere, quod angustiis, quas sustinent, et pressuris vestro possint praesidio respirare..." [1]) Sequuntur poenae malefactoribus irrogandae, similes iis, quas supra per Innocentium III. vidimus constitutas. Data est haec Bulla Laterani XI. Kal. April. Pontif. anno IV. seu 1230.

Inter Abbates huius Monasterii antiquissimus occurrit, initiali duntaxat litera S. notatus in documento anni 1223, quo Comes Soproniensis testatur Monasterio huic pratum quoddam, Rotundum dictum, per Andream II. adiudicatum fuisse. En eius tenorem partim noscendi usus eius aevi, partim subscriptorum testium caussa memorabilem. „J. Dei gratia Comes Supruniensis omnibus veritatis cultoribus, praesentem pagellam inspecturis salutem in eo, qui est salus omnium. Notum fieri volumus tam futuris, quam praesentibus, quod Dnus S. Abbas Montis Sanctae Mariae, pratum, quod vocatur Rotundum, a quodam, nomine Baica, et filio eius ex praecepto Dni Regis in praesentia nostri per Praestaldum nomine Wid iudicio in aeternum possidendum obtinuit. Quod si praedicti, vel Successores eorum, Fratres praedicti Monasterii de cetero in aliquo molestare, vel cum eis denuo pro dicto prato litigare praesumserint, noverit Universitas vestra, quod sub iure iurando super sacrosanctum altare coram omnibus Monachis et Clericis sic constitutum est, quatenus praedictis Fratribus XL. marcas prius persolvant, et sic cum eis litigare incipiant. Hoc autem factum est Anno ab Incarnat. Dni. M.CC.XX.III. Cuius rei testes sunt Abbas cum Clericis, et omnes fratres sui. Abbas de Bernnowe. Abbas de Jach. Praepositus de Mourih. Magister de Templo. Pousa Comes de Baran. Grecki Pousa. Oppodinus Comes. Franko de Luceman, et frater suus Steven. Orlob et filii eius. Mauritius Comes. Martinus Comes, et frater eius. Albertus de Steinberch. Prebezlaus miles. Chunradus Marchwardi filius, et omnes fratres sui, et tota provincia." [2]) Sigillum huius Chartae integrum quidem, sed epigraphe obscura, in medio Caput humanum exhibet.

Alter, qui proximus occurrit, Abbas est Fredmannus de Monte S. Mariae de Kedhel, qui anno 1317 Diploma Andreae II. Regis anni 1233 super Cambio Possessionum per Pous lite vindicatarum per Carolum I. Regem transsumi, et confirmari procuravit. Ubi notandum, quod in hoc solo documento [3]) Abbas huius loci de Monte S. Mariae de Kedhel appelletur, quod Oppidum vix quadrante milliaris a Monasterio situm, hodieque persistit. Appensi de serico rubro sigilli dimidium fere superest, in cuius adversa facie Rex solio insidens sinistra extensa globum tenet; in aversa scutum oblongum, in quo Crux duplicata. Anno 1320 Dominicus Abbas ob nimiam paupertatem, et quod possessiones huius Ecclesiae fuerint „propter regni coronam desolatae," coactus est possessionem Zadan in pignus tradere. Post quem Abbas Jacobus a Capitulo Jaurinensi literas privilegiales super donatis olim a Magistro Andrea Ecclesiae suae possessionibus Hidegségh, et Homok obtinuit 1327. — Successit Martinus, quo Abbate anno 1332 possessio Kethely per Nicolaum Kokas, Nicolai Palatini filium donata, Ecclesiae accessit. — Hunc excipit Abbas Petrus, qui cum Conventu coram Judice Ginsiensi Nicolao Neunster, et iuratis Civibus anno 1349 fassus est, se fundum Curiae in Luzma cuidam Solpis, filio Nicolai de Pula, et eius Consorti Catharinae ad dies vitae illorum concessisse ita, ut, qui post eorum obitum eam Curiam violente detinere conaretur, XX. marcas Monasterio, X. marcas Abbati solvere teneretur. [4]) Sigillum Loci de viridi filo pendens in Scuto triangulari quatuor Lilia gallica, et totidem fluvios Hungariae exhibet cum

[1]) Ibidem, Fasc. 85. 16. 8. — [2]) Ibidem, 6. — [3]) Ibidem, 11. — [4]) Ibidem, 13. —

Epigraphe : Sigillum de Ginsa. Hunc secutus Symon a Ludovico I. Rege anno 1353 facultatem obtinuit Monasterio suo Protectorem, quem vellet, cum consensu fratrum eligendi, electumque, quamdiu vellent, conservandi. Idem anno 1361 praefuit. Tum Christianus, qui revindicata terra Ombus anno 1381 defunctus, eodem anno Lippoldum nactus est successorem.

Post hunc minore intervallo comparet Abbas Nicolaus, quem anno 1398 quidam Nobiles Civibus Ginsiensibus iuncti, Monasterium armata manu ingressi, pluribus Religiosis, et servientibus crudeliter vulneratis, calicibus, libris, aliisque pretiosis direptis, ex Monasterio eiecerunt; eique Joannem Praemonstratensis Ordinis violente intrusum substituerunt. Testatur hoc Nicolai, Agrigentini Episcopi, Sacri Apostolici Palatii Caussarum Auditoris, a Summo Pontifice Bonifacio IX. specialiter Deputati, Decretum adversus dictos malefactores die 26 Januarii anno 1400 publicatum. [1]) Decretum hoc originale per Notarium imperialem Theodericum de Altamore, Clericum Trevirensem in publicam formam redactum sigillo caret, foramellis duntaxat in membrana, qua corrigia eius traducta fuit, conspicuis. Cum tam istud, quam cetera omnia documenta Monasterium hoc, iam S. Ordinis Cisterciensis, iam griseorum Monachorum, id est Cisterciensium compellent, palam est, alucinatos fuisse, qui illud Benedictinos nigri Ordinis olim incoluisse crediderunt.

Horum Abbatum aevo frequentes peregrinationes devotionis caussa ad thaumaturgam B. Virginis Iconem locum habuisse docent literae Reginae Elisabethae huius tenoris : „Elisabeth, Dei gratia iunior regina Hungariae cet. fidelibus suis universis . . . tributa habentibus . . salutem et gratiam. Cum diversi boni, et honesti homines tam Nobiles, quam Burgenses utriusque sexus . . . caussa devotionis . . . ad Monasterium B. V. M. de Borsmonostra, ad visitandas reliquias diversorum sanctorum, et sanctarum noviter inventas, apud quas multa miracula et signa, ac misericordiae fieri nunc perhibentur, continuum habeant concursum, et de eisdem tributum aliquod exigi non velimus; fidelitati igitur vestrae firmo reginali damus sub edicto, quatenus praedictos bonos et honestos homines, devotionis caussa . . euntes et redeuntes . . ratione tributi non impediatis; sed sinatis ipsos ubique libere transire, absque tributi alicuius exactione . . secus facere non audentes in praemissis. Datum in Visegrád secundo die festi Conceptionis B. Virg. Anno Domini 1380." [2])

Praeter iam memoratos Abbates, trium adhuc meminit Heimbius. Horum primus Bartholomaeus anno 1455 a Judice et Communitate de Nebelstorff testimoniales impetravit, silvam quandam et terras Rosgrund ad Jus Abbatiae suae pertinere : alter Hainricus anno 1489 in Monasterio SS. Trinitatis Neostadii novae Electioni Abbatiali assedit. Denique anonymus quoque occurrit, quem anno 1471 Generale Capitulum ad inquirendum contra Georgium II. Abbatem S. Gotthardi delegavit, qui ad Capitulum isthoc neglexit comparere.

Floruit Abbatia usque annum 1530, quo dilapsis Religiosis, mox Turcarum et Tartarorum rabie funditus excisa est, qui Ginsium virtute Jurisichii strenue defensum capere nequeuntes, iram in inermes effuderunt. Abinde amplissima eius fundatio vagabatur inter plures, et quidem anno 1568 in manibus cuiusdam Gabrielis Majláth haesisse, eodemque anno, iussu regio, ad Ursulam de Kanisa, Thomae Nádasti

[1]) Ibidem, 14. — [2]) Fejér : Cod. dipl. T. IX. Vol. 5. p. 406. — Ubi simul adnotatum est, eandem reginam obtulisse arcam argenteam, 21690 numis argenteis aestimatam, cum reliquiis Simeonis, qui Infantem divinum ulnis suis tenuit. Quibus verbis quid sibi voluerit Fejérius, non est satis perspicuum; cum citatus per eum Lucius L. V. c. 1. scribat, arcam hanc non in Borsmonostra, sed Jadrae in Dalmatia una cum integro dicti Simeonis corpore exstitisse. — Porro : quae de hoc Asceterio citra fontis indicium hactenus narravimus, ex eodem Fejérii Codice dipl. desumta sunt. —

quondam Palatini viduam transiisse, Inscriptionales, in S. Cruce Austriae conspicuae, testantur. Tandem anno 1680 Princeps Paulus Eszterházy Caput bonorum, pagum scilicet, ubi Monasterium stabat, Ordini restituit, quod hodieque Abbatia Campililiorum possidet sub nomine Klastrom, et per duos, e gremio suo exmissos, in spiritualibus, et temporalibus administrat. Titulum tamen Abbatiae non Abbas Campililiorum tenet, sed Illustriss. ac Reverendiss. D. Nicolaus Bezerédy de Eadem, Elect. Episcopus Macariensis, Cathedr. Eccles. Vesprimiensis Lector, et Canonicus, Juris Ecclesiastici Doctor.

Aedificium, quod duo dicti Administratores incolunt, videtur ex antiquo Monasterio suscitatum, et praesenti necessitati accommodatum fuisse, dormitorio vetere interiectis muris in plura cubicula diviso, id quod enormis eorum longitudo videtur indicare, utpote : quae olim dormitorii latitudinem effecerit. Contra : deiectis muris, qui cellas dormitorio adsitas separabant, praesens ambitus obtineri poterat, cuius structura nec Seculi XVII. architecturae convenit. In fine Residentiae Ecclesia visitur, quae parochialis est; et, uti decet, nitide conservatur. Locus ipse Klastrom, Germanis Kloster-Marienburg, 670 animas tantum numerat, in Comitatu Soproniensi, Ginsio vix medio milliari dissitus.

XXII.

Abbatia B. Mariae V. de Pásztó.

Pásztó oppidis quidem adnumeratur, ita tamen extenuatum iam, ut pago similius esse videatur. Fluvio Zagyva in Comitatu Hevesiensi adsitum, habebat olim Castrum, quod forte e claustro surrexit, aut fors e converso ex Castro Claustrum. Aeram fundationis Scriptores Ordinis ponunt ad annum 1190; at uno recentiorem dicit Nicolaus Schmidt in suis Episcopis Agriensibus, scribitque e Timonis Epitome : „Abbatia Pásztóiensis natales suos refert ad annum 1191, ornamentum Dioecesis Agriensis.“

Abbatiam hanc, Pilisii, lineae Claraevallis filiam ab origine regalem fuisse, adeoque Reges Hungariae in ea ius patronatus exercuisse, inde apparet, quod Stephanus V. Belae IV. filius omne ius, quod in Monasterio hocce habebat, in alios transtulerit his verbis : „Stephanus Dei Gratia Rex Hungariae, Dux Transsilvaniae . . . ad universorum notitiam tenore praesentium volumus pervenire, quod attendentes eximiae fidelitatis obsequia, quae Stephanus, filius condam Magistri Dominici, magistri Agazonum Dominae Reginae charissimae Consortis nostrae in pluribus articulis nobis, et regno nostro necessariis exhibuit indefesse, Monasterii patronatum ad nos . . . pertinentem ipsi Magistro Stephano, et suis heredibus contulimus pleno iure.“ Addidit novum diploma his conceptum verbis : „Nos Stephanus .. significamus universis . . Quod nos Stephano magistro, filio Magistri Dominici concessimus ex gratia nostra speciali, quod populos suos et populos Ecclesiae de Pásztuh, cuius patronus est, praeter personam ipsius Stephani nec Palatinus nec Judex Curiae no-

strae ... possit vel debeat iudicare. Datum apud magnam Insulam feria V. post festum B. Mauritii anno 1265. Post hunc Abbatiae huius patroni memorantur : Job Episcopus Quinqueecclesiensis, Stephanus de Porch Comes Tavernicorum 1272. — Dominicus Magnus de Hasznos, Palatinus 1320. — Joannes de Pásztó, Dominici filius 1396. — Laurentius de Thar 1407.

Antiquissimus Abbatum occurrit Imbertus ad annum 1277, post quem aeque ut ante Abbatia floruit, donec Reformatione post cladem Mohacsianam propagata desolaretur, Religiosis in praedio Nádasd per Turcas anno 1544, Abbate Luca feliciter ad S. Crucem in Austria elabente, trucidatis. Ab hoc tempore, nominatim ab Anno 1568, quo Lucas ad S. Crucem sancte obiit, titulus Abbatiae viris ecclesiasticis conferebatur, quos inter ab anno 1601, usque 1686, quinque memorantur, utpote: Stephanus Szentpataky, Stephanus Zsembery, Franciscus Somogyi, Georgius Svehla, et Stephanus Kada ad Episcopatum Transsilvaniensem promotus. Ultimus Abbatum titularium erat Andreas Zsolnay ex Parocho in Nagy Zellő collatione Leopoldi I. Regis anno 1690 Abbas de Pásztó ea conditione nominatus, ut ibidem residens orthodoxam fidem promoveat, bona ad Abbatiam ab antiquo pertinentia revindicet, revindicataque manuteneat. — Non obstantibus literis protectionalibus regiis in revindicatione bonorum ingentes difficultates expertus est. Cumque per plures annos parum profecisset, 1698 Ordinem Cisterciensem, ad quem suam Abbatiam ab antiquo pertinere noverat, ingressus effecit, ut Abbatia Pásztóiensis S. Ordini novo diplomate per Leopoldum I. Augustum postliminio restitueretur, ea conditione addita, ut defuncto Andrea Zsolnay Abbas Velehradensis unum semper e Religiosis suis Abbatem praesentet. Finito probationis anno ad Pásztó qua filialis Abbas reversus, redemtis aliquot fundis nobilibus Abbatiam ditavit, anno 1702 5. Maii e febribus Gyöngyösini aetatis 57 defunctus.

Mortuo Andrea idem Rex anno 1702 Abbatiam contulit Floriano Nezorin, Abbati de Velehrad in Moravia, qui usque bellum Rakoczianum bona per Administratores gubernavit, isto grassante per hostem occupata; sopito restituta denuo per Administratores gubernata; uti et ea Abbatiae Pilisiensis, quae anno 1712 obeunte Andrea Illyés de Csik-Sz.-György per eum acquisita fuere. Floriano successit anno 1724 Josephus Maly, electus 20. Junii, eodem anno 16. Octobris ea conditione confirmatus est, ut proventus Abbatiarum Pilis et Pásztó in earundem restaurationem convertat. Unde anno 1743 in Pásztó Conventus surrexit, postquam iam Florianus Praedecessor Abbas anno 1716 Residentiam in Pásztó, anno vero 1721 Sacellum quoque in honorem B. M. V. super ruderibus veteris Sanctuarii aedificavisset. Idem anno 1733 bona Matra-Verebelyiensia procuravit, eisque distinctum Administratorem praefecit. Anno 1749 Josepho defuncto successit Antonius Hauck, ea rursum conditione confirmatus, ut proventus Abbatiae in cultum divinum impendantur. Sed iste continuis infirmitatibus fractus Abbatis munus abdicavit, successorem nactus 1763 Philippum Zury, qui altiori intentioni, ut Abbatiae Pilis et Pásztó a Velehradiensi separentur, occurrit asserendo: harum Abbatiarum proventus non sufficere intertentioni Abbatis pro dignitate supportandae. Idem diuturnam litem de decimis episcopalibus contra Carolum Eszterházy Episcopum Agriensem feliciter terminavit. Sublata Societate Jesu, Gymnasium Agriense suscepit Moderatoribus providendum : Ecclesiam Csákányiensem, et Szántóiensem renovavit. Monasterio Velehradiensi abolito, unio eius cum Pásztó et Pilis suapte cessavit; verum Cistercitae Pásztóvio-Agrienses novo diplomate anno 1784 fuerunt confirmati, eisque omnia mobilia et immobilia Jesuitarum Agrien-

sium cum domo et Gymnasio collata sunt: at elapso biennio hi quoque sublati sunt; relicta tamen eis Gymnasii institutione, et moderato, unde vitam sustentarent, stipendio.

Restituto demum ad initium huius seculi S. Ordine, et Philippo anno 1800 Vischoviae in Moravia, dum annum aetatis 84 ageret, defuncto, Theophilus Schuhmann professus Velehradiensis anno 1802 ab Augustissimo Francisco tunc Romanorum Imperatore II. Rege Hungariae, Abbas de Pásztó et de Pilis renunciatus est. Is ante sublatum S. Ordinem suum Agriae rem scholasticam procurabat; postea vero ad Monasterium S. Crucis in Austria confugit, receptusque voluntate Superiorum Lycei Sabariensis Prodirector est constitutus. Infulas adeptus pusillam familiam suam iuxta spiritum suae regulae gubernavit ad annum usque 1809, quo pie in Domino obdormivit die 16. Nov. aetatis suae anno 62. Triennio post Abbatiae de Pilis et Pásztó unitae, Antonio Dréta Priori Zirciensi collatae; anno vero 1814 die 19. Augusti Zirciensi Abbatiae in perpetuum unitae sunt: quo in statu hodieque perseverant. [1])

XXIII.

Abbatia B. Mariae V. de Pilisio.

Abbatia de Pilisio nomen accepit a monte Pilis dicto, qui toti provinciae Pilisiensi denominationem tribuit. Pari fere spatio distat Strigonio Budaque. In hoc monte, et cognomine Comitatu per Belam III. Regem anno 1184 sexto Cal. Julii fundata, magnisque reditibus dotata est haec Abbatia. Primi eius incolae erant 12 Religiosi ex Galliae Coenobio Aceio de linea Claravallensi, qui breve intra tempus adeo multiplicati sunt, ut iam anno 1190 Abbatiam de Pásztó, anno 1232 eam trium Fontium de Beel, munificentia inprimis Cleti Episcopi Agriensis adiuti in Dioecesi Agriensi fundaverint. Monasterium hoc in ipsis suis initiis singulares Belae III. et Successorum Regum favores expertum est. In eo sepulta est Gertrudis, Andreae II. Coniux per Bankbanum de genere Bor, ut passim narratur, crudeliter necata, cuius corporis pars aliqua in Ecclesia Lelesziensi condita fuit; reliquum in Pilis, teste Thuroczio, qui sic scribit: „Cuius, scilicet Gertrudis reginae, corpus in Monasterio Griseorum Monachorum de Pelis tumulatur.“ Quod idem Bela IV. sic confirmat: „In qua (nempe Pelisiensi Ecclesia) etiam corpus matris nostrae honorabiliter requiescit.“ [2]) Memoriam piae munificentiae Andreae II. in hanc Abbatiam conservavit Gregorius IX. in sua Bulla, Monasterium in possessione suorum bonorum confirmante his verbis: „... Specialiter autem annuum reditum C. Marcarum, quem dotis caussa clarae memoriae Andreas Rex Hungariae percipiendum in Salibus suis de Tolachi, Monasterio vestro tempore dedicationis ipsius pia liberalitate concessit,

[1]) Schematism. S. Ord. Cist. Abbat. de Pásztó. 1851. — [2]) Katona: Hist. pragm. I. 734. —

sicut illud iuste, et pacifice possidetis ... apostolica auctoritate confirmamus ... Datum Viterbii VI. Id. Febr. Pontificat. nostri anno nono."

Anno 1242 Monasterium hoc per Tartaros in cineres redactum est, prout et instrumenta literaria, Strigonium securitatis caussa translata periverunt. Mox tamen restauratum adeo convaluit, ut iam anno 1254 Abbas Joannes domos ac turres Posonii in vico Vedricz exstruxerit, vicem propugnaculorum obituras adversum Tartaros, si porro Hungariam inundarent. [1]) Istud grata memoria recolit Bela IV. in suo diplomate, anno 1254 huic Joanni Abbati dato, quo cunctas possessiones, tributa, et reditus Abbatiae, populorumque eius libertates, quum ex combustis prioribus documentis transsumi nequiverint, ex certa scientia quasi de novo concessit, et sua bulla aurea confirmavit. Ex hoc diplomate patet Ecclesiae de Plys (Pilis) attributas fuisse in Comitatu Posoniensi villas Csákán, Buturian, et Olcs: prope Ecclesiam Pilis, villam Kovácsi (Kuachi); tributi Jaurinensis Comitatus partem tertiam, reliquas duas partes Ecclesia de Bocon, et Comite Jaurinensi aequaliter partientibus: denique vineas et domos in oppido Dévény, et Posonii tenuisse. [2]) Alte videtur impressa haesisse haec liberalitas cordibus successorum Hungariae regum adeo, ut Ludovicus I. Capellam, quam Aquisgrani fundaverat, erigendam, instruendam, et visitandam Henrico Abbati de Pilis anno 1367 concrediderit. [3]) Sed huius Regis aevo iam res familiaris adeo inclinabat, ut Pilisienses ab alienatione fundorum suorum teste Archivo archiepiscopali Strig. prohiberi debuerint; postquam nunc memoratus Henricus Abbas bona et reditus circa Ybsam sitos 360½ talentis cum universis pertinentiis Colomanno Abbati et Conventui S. Crucis in Austria vendidisset. [4])

Quamquam vero res suas cuique mortalium tenere, aut vendere fas sit: verumtamen stabiles fundos vendere apud Monachos status in egestatem vergentis indicium est. Et reapse Pilisiense Monasterium eo tandem devolutum est, ut anno 1494 Joannis, Cistercii Abbatis, totius Ordinis Generalis mandato Michael Abbas S. Crucis iussus sit illud reformare, visitare, et corrigere in capite et membris. Exactis postea triginta duobus annis omni sui parte Abbatia haec desolata est. Rem, quemadmodum acciderit, paucis verbis, complexus est ibi professus Monachus hoc tenore: [5]) „Anno Domini 1526 in vigilia Nativitatis Mariae venerunt saevissimi Turcae in Civitatem Budensem regalem, post stragem factam, qua succubuere Hungari, Rege ipso clementissimo, Ludovico nomine, mortuo, Joanne Vaivoda occasionem dante; qui quidem Rex in paludibus inventus, et miserrime sepultus est. Monasterium nostrum Pilisiense cum compluribus aliis combusserunt, unus Patrum nostrorum in Monasterio combustus est. Haec ego conscripsi Frater Georgius Pilisiensis professus videns." Joannes, natione Nortmannus tunc praeerat Monasterio, qui cum hoc Patre Georgio exul, hospitalitatis beneficium in Monasterio Cisterciensi S. Crucis Austriae nactus, ibidem obiit: antequam destinatum sibi a Ferdinando I. Rege Eleemosynarii regii munus adiisset: quod docet epitaphium eiusdem in Ecclesia S. Crucis repertum, [6]) quod tale est:

Quisquis in hunc cupidos tumulum convertis ocellos.
Fortassis rogitas, saxa quid ista velint.

[1]) Topographia M. R. Hungariae. p. 295. — [2]) Fejér: Cod. dipl. IV. 2. p. 214. — [3]) Eandem Capellam a. 1381 huius Successor, pariter Henricus, visitavit, eiusque supellectilem sacram conscripsit, quam, si lubet, vide Fejer: Cod. dipl. IX. 5. p. 525. — [4]) Idem Abbas terram Bethil ad villam Henig vitibus conseri cum onere solius decimae admisit, ita tamen, ut qui hanc fraudulenter subterfugeret, legitime convictus, tota sua vinea privaretur. Ceterum damnis Ecclesiae de Pilis, per hunc et alios Abbates prodigos illatis, mederi conatus est Ludovicus I. Rex, qui decreto, a. 1373 edito, servos, conditionarios, et possessiones Abbatiae de Pilis, sine consensu regio abalienatas, restitui iussit. — [5]) Rosenthal: Actio Cisterc. — Heimb: Notitia de S. Gotthardo. p. 28. — [6]) Heimb: S Gotthard. p. 156. —

Hac tegitur terra Nortmannis natus in oris,
Abbas qui quondam Pelisiensis erat.
Fecit egestatis quem Ferdinandus Alumnum,
Virtutis noscens stemmata clara suae.
Invida sed durae ruperunt fila sorores:
Non moritur: cineres terra habet, astra animam.

Ab obitu Joannis titulus tantum Abbatiae conferebatur cum paucis bonis, quae Turcarum manus effugerunt: exustum vero Monasterium hodieque rudus est. Praecipui, qui eam tenebant, erant: Franciscus Ujlaki (1546—1554), Episcopus Jaurinensis, qui res Ecclesiae, quas salvatas Joannes Abbas Simonis Kajro, Civis Posoniensis, fidei commisit, mandante Paulo de Varda, Archiepiscopo Strigon. recepit.— Joannes Ujlaki, qui anno 1557 ad iudicium Olahii Archiepiscopi evocatus, per Procuratorem comparuit, et sententia iudicum Abbatia privatus est; quam tamen via gratiae Primatis recepisse videtur. Is proventus ex sola possessione Csákány in Insula Cituorum sita trahebat; serius Episcopus Vaciensis. — Zacharias Mosóczy, qui cum Nicolao Telegdino Corpus Juris patrii primus concinnavit, et anno 1584 Tyrnaviae imprimendum curavit, Episcopus primum Vaciensis, tum Nitriensis. — Martinus Pethe de Hetesa, postremo Archiepiscopus Colocensis.— Demetrius Napragyi, Episc. Transsilv., tum Jaurinensis, denique Archiep. Colocensis. — Thomas Füley (1609—1638) anno 1609 cum Praelatis Hungariae adversus Pacificationem Viennensem protestatus est. — Georgius Szelepcsényi de Pohráncz, celeber Archiep. Strigoniensis Ecclesiam Csákányiensem e fundamentis restauravit. — Franciscus Szegedy, Joannes Gubasóczy, Petrus Korompay, Blasius Jaklin, gradu episcopali et Cancellariorum Regni munere insignes. — Horum ultimus Andreas Illyés de Csik Sz. György (1697—1712) Lector Eccl. Collegiatae Posoniensis, et Episcopus Transsilvaniensis iniqua Transsilvanorum lege a legitima sua sede depulsus, tenuibus Abbatiae reditibus, Lectoratuque suo victitans exul, impense agebat, ut Abbatia Pilisiensis S. Ordini Cisterciensi, nominatim Conventui Velehradensi in Moravia traderetur. Accedente demum consensu regio voti compos factus est; et Abbatia haec in iura Abbatis Velehradensis Floriani Nezorin transiit anno 1712, qui eam de Pásztó iam prius ab obitu Andreae Zsolnay obtinuit. Ab hoc tempore Abbatiae de Pilis et Pásztó ad praesens usque tempus unitae uni eidemque personae collatae, easdem vicissitudines subierunt; quas supra in Abbatia Pásztoiensi adumbravimus. [1])

[1]) Schemat. Cisterc... de Pilis. 1851. —

XXIV.

Abbatia S. Margarethae de Porno.

Porno, Germanis Bernau, oppidum ad Pinkam fluvium in Comitatu Castriferrei, et Dioecesi olim Jaurinensi, nunc Sabariensi Abbatiam habebat, fundatam pro Sacro Cisterciensium Ordine in honorem S. Margarethae V. ante annum 1233: id, quod e diplomate Regis Andreae II. super mille zuanis salis, anno 1233 donatis e Collectione Hevenesiana per Fejérium (Cod. dipl. T. III. Vol. 2. p. 360.) recitato, elucet. Exstat etiam privilegium Andreae II. Regis in Archivo S. Crucis in Austria, cuius extractus sic sonat: „Anno 1221 divino succensus spiritu pientissimus adolescens Stephanus, unicus filius Stephani, Regni Hungariae Palatini, temporanea cum aeternis commutare volens, ad Abbatem S. Gotthardi profugit; a quo paterne susceptus, Religionis habitu indutus, omnem paternam hereditatem Conventui, seu Monasterio S. Gotthardi adiecit. Ad hanc piam pii adolescentis, Palatini filii ordinationem Andreas II. talem consensum praebuit, ut omnes eius legitimi successores, Hungariae Reges praelibatam pii adolescentis fundationem, et eius ad id consensum observent." In eodem privilegio continetur etiam legalis statutio, et omnium donatarum possessionum metales. Atque ex his possessionibus coaluit deinde fundatio Abbatiae de Porno, filiae S. Gotthardi, iuxta alios Trium Fontium Galliae, lineae Claraevallis.

Quo anno Abbatia de Porno ab Ordine Cisterciensi avulsa, eversaque sit, non constat. Verisimillime idem annus, eadem occasio illam evertit, cui reliquae Castriferrei Abbatiae obsesso, sed non expugnato per Turcas Ginsio succubuerunt. Adeptus est eam post alios S. Ordini exteros Antonius Verantius anno 1531 ea lege, ut si Apostolicam dispensationem non impetraverit, intra tempus a SS. Canonibus praescriptum Ordinis habitum assumere teneatur.[1]) Idem anno 1553 6. Junii Praeposituram Albae Transsilvaniae, et Episcopatum Quinqueecclesiensem consecutus, priora beneficia retinuit. Quantopere illustri huic viro suum Porno cordi fuerit, loquuntur eius literae anno 1552 ad Nicolaum Olahum tunc Agriensium Episcopum, qui eum Viennam pelliciebat, datae; in quibus, licet Lectoratum, et Canonicatum Strigoniensem per defectionem a fide, et sacrilegas Clementis de Hagymás nuptias vacantem obtinuerit, haec scribit: „nisi in Pornoniano rusticationem diligenter frequentavero, nec Aula commode mihi excoletur. Sors enim prius paranda est: Aula post consectanda. Nos in Aula erogamus, non corrogamus." Et post plura lepide dicta: „Accipe iam, inquit, quot me manent, impendia. Vallo imprimis, et propugnaculis muniendum est mihi, rebusque defensivis, et praesidio militari, vigilumque custodiis

[1]) Katona: Hist. crit. T. 22. p. 394. — Koller: Hist. Episc. Quinqueeccl. T. V. p. 333. —

instruendum Pornonium : equitatus deinde pro numero colonorum ad proximam expeditionem, ut in Comitiis decretum est, meo ipsius aere apparandus; quotidiani item sumtus provida quadam, et nimis ingeniosa industria acquirendi."

Reliquum eius statum paucis adumbravit Bonbardus in Topographia M. Regni Hungariae. „Avulsa, inquit, ab hoc S. Ordine dudum est Abbatia Pornoënsis, Germanis Bernau, erecta iam anno 1235, quae ne profanorum possessione longius a mente Fundatoris abesset, pietate Austriacorum Regum attributa est Soproniensi Soc. Jesu Collegio. Spectabile hic loci templum, et sua vetustate commendabile superest; in quo sub exitum superioris seculi noctu quidam concentus auditus est; testis fors humati illic sancti cuiuspiam viri. De reliquo nullae visuntur Monasterii reliquiae, sed paucae duntaxat oppidanorum domus annectuntur templo, ad quod ob circumfusas paludes nonnisi per pontes ligneos aditus patet." Ceterum constat, seculo priore, tantum adhuc superfuisse e vetere Monasterio, ut Provisori eiusque familiae commodam habitationem praebuerit; at anno 1799 ita omnia subversa fuisse, ut iam nihil inde sit conspicuum, lapidibus in novas, et commodiores Officialium Dominii habitationes erigendas applicitis. Tradita est Abbatia Soc. Jesu anno 1643, Cisterciensi Ordine frustra in contrarium protestante, eiusque recuperationem viis variis sollicitante. Exstincta Societate Jesu ditionem Fundi Studiorum ingressa est. Hodie Porno vicus est exilis, vix 500 animas alens, nundinarum iure destitutus, in quo ius patronatus exercet Sereniss. Archid. Vidua Elisabetha de Este. Titulus Abbatiae non confertur.

XXV.

Abbatia B. Mariae V. de Valle.

Tres habuerunt Abbatias PP. Cisterciens cum axiomate de Valle sub corona Regni Hungariae; verum adeo retrusae sunt hae valles, et peregrinae Abbatiae, ut nisi collatio Regia memoriam earum conservaret, haud sciremus eas in rerum natura exstitisse. Vi huius Collationis insertae videntur a Petro Pazmano Abbatiarum Cisterciensium Catalogo, quem sequuti sunt scriptores Cisterciensium, qui, peraeque ieiunam de iis tradunt notitiam. At vel nomen, domiciliumque generis sui nosse, ubi cetera temporum imo hominum iniquitate obscura sunt, solatio servit. Domesticorum itaque fide et relatione, Vallis S. Mariae Abbatia B. M. V. de Valle oppido distingvenda venit ab homonyma Valle altera Mariana, vulgo Marienthal dicta, sitaque in Comitatu Posoniensi, cum celebri Monasterio olim Paulinorum, et thaumaturgae B. M. V. icone hodieque. Ita fere saepe laudatus Heimb. Qui, quum nulla firmando suo asserto adducat argumenta, liberum nobis relinquit opinari, hoc eodem loco Abbatiam Cisterciensem stare olim potuisse; eaque de quacunque caussa, quas historia Regni huius non parca manu propinat, desolata, Ludovicum I. Regem anno

1377 Paulinos eo induxisse; uti id pluribus locis factum fuisse, haec ipsa Monasteriologia docet. Titulum Abbatiae gerit hodie Illustriss. D. Georgius Németh de Dömötöri, Electus Episc. Tribunicensis, Eccl. Metr. Strigon. Praepositus Maior et Canonicus, Ins. Ordinis Leopoldi Imperatoris Eques.

XXVI.

Abbatia de Valle Honesta.

Secundum Petrum Pazmanum fundata est anno 1232, ad quam e Monasterio de Bocconio sacra colonia Cisterciensis deducta est lineae Claraevallensis. Scriptores Ordinis eam in Quinqueecclesiensi Dioecesi collocant, adstipulante Gregorii IX. Papae Rescripto, quod sic sonat: „Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei Dilectis filiis . . . Abbati et Conventui Honestae Vallis de Possega, Cist. Ordinis, Quinqueecclesiensis Dioecesis salutem, et Apostolicam benedictionem. — Ex parte Vener. Fratris Colocensis Archiepiscopi nostris fuit auribus insinuatum, quod cum olim quoddam hospitale in territorio Bachiensi ad receptionem infirmorum et pauperum de propriis construxerit, et facultates eidem, ex quibus concurrentes ad illud sustentari valeant, assignavit, dilectus filius noster J. Praenestinus Electus, tunc in partibus Ungariae Apostolicae Sedis Legatus, sibi duxit provide concedendum, ut in eodem hospitali per duos Conversos a Monasterio vestro pro tempore assumendos perpetuo ministretur. — Datum Laterani IV. Idus Maii Pontificatus nostri anno 8.“ [1]) Hinc discimus Abbatiam hanc ad Civitatem Posega exstitisse. Titulum eius possidet Reverendiss. D. Antonius Palsovics, Ins. Colleg. Ecclesiae Posoniensis ad S. Martinum Lector et Canonicus, Ins. Ordinis Francisci Josephi Imperatoris Eques, Sacerdos iubil. in annum quindecimum.

[1]) Manricus, Ord. Cist. scriptor, praesens Rescriptum Innocentio III. tribuit. Ceterum utrius sit, ad rem nostram parum facit; dummodo constet, illud a Sede Apostolica prodiisse; de quo nequit dubitari; cum nulla eius confingendi caussa suppetat. —

XXVII.

Abbatia de Valle Paradisi.

Huius Fundationem teste Heimbio duo, qui in Archivo S. Crucis asservantur, Monasteriorum Ordinis Cisterciensium manuscripti Catalogi anno 1172 illigant. Suffragatur Card. Pazmanus: quamquam illam alii seu silentio, seu oblivione praeterierint. Ex hac Paradisi valle ita exclusi sunt Monachi, ut vix quispiam filius Adae eo penetraturus sit, ita eius locus temporum iniuria latet. Tituli tamen collatio regia memoriam eius conservat, quo nunc potitur Reverendiss. D. Georgius Plenzner, Cathedr. Eccl. Scepusiensis Canonicus.

XXVIII.

Abbatia de Valle Vesprimiensi.

Huius quoque Abbatiae existentia fide nunc dictorum manuscriptorum S. Crucis Catalogorum nititur [1]), quibus consone Petrus Pázmán eius fundationi annum 1184 assignat. De hac Heimbius haec pauca: „Et haec, inquit, ipsa Nostrorum Domus fuit de Valle Vesprimiensi nuncupata, quae in plura viguit secula; tandem Mohacsianae cladis tempore fatum cum ceteris, excidiumque passa.“ Honorarius eius Abbas est hodie Reverendiss. D. Henricus Szajbély, Eccl. Metrop. Strigoniensis Canonicus, SS. Theologiae Doctor.

[1]) Abbatiae huius tituli Sanctimonialium Ord. Cisterciensis memoria in Codice diplom. Fejér. uti T. V. Vol. 2. p. 257 et 329; item Vol. 3. p. 515, et T. VII. Vol. 1. p. 362. sat frequens, at similis Virorum nulla, quod sciam, occurrit. De illa autem agere non est huius loci. Hanc uspiam exstitisse mihi non persuadeo. —

XXIX.

Abbatia de Zám.

In Schematismo Regni Hungariae haec Abbatia, de Zám, alias de Nám audit, eademque est cum Abbatia Dezanensi Edmundi Martene, quam iste in suo Thesauro Anecdotorum de linea Pontiniacensi ex Egresiensi Monasterio primitus prodiisse scribit. Fundata dicitur in Dioecesi Vesprimiensi anno 1219. Nec ultra quidquàm de illa notum est, nisi quod titulum eius hodie teneat Reverendiss. D. Josephus Sütö, Cathedr. Ecclesiae Jaurinensis Lector et Canonicus, AA. LL. Philosophiae, et SS. Theologiae Doctor.

XXX.

Abbatia de Kerz.

Eiusdem est originis cum priore, nata aeque e Monasterio Egresiensi. Fundatam fuisse anno 1239 passim adfirmant Scriptores Cistercienses. Dioecesim, in qua sita fuit, docet Edmundus Martene, inquiens: „Ex Hegeresiensi Monasterio prodiere Kerczense in Dioecesi Varadinensi, et S. Crucis in Quinqueecclesiensi, et Dezanense (De Zám) in Vesprimiensi Dioecesibus.“ Sed quo Dioeceseos loco steterit, ubique tacetur; nec ulla ei determinando prudens coniectura locum habet. Floruisse illam sec. XIV. patet ex eo, quod Otto Rex Hungariae privilegia eidem a Stephano V. Rege concessa, et ab Andrea III. confirmata ad evitandas omnes dubietates transsumi iusserit [1]) anno 1306.

Erat praeter hanc alia de Kerz Abbatia Ord. Cisterciensis in Terra Fogaras, anno 1271 vigens, cuius brevem historiam Schematismus Dioeceseos Albae Transsilvaniae anni 1848 eo concludit, quod bona eius anno 1477 Praeposituraе de Cibinio in perpetuum fuerint assignata. Huius titulum sub axiomate B. M. V. de Kerz in terra Fogaras Rssimus. D. Lazarus Kánz, Eccl. Metr. Strigoniensis Canonicus gerit: illius vero sub axiomate B. M. V. de

[1]) Katona: Hist. pragm. II. 24. —

Kurcz, aut Kerz, alias Eremo [1]) Reverendiss. D. Mathias Kovács, Metrop. Eccl. Agriensis Canonicus, Praepositus B. M. V. de Castro Agriensi, AA. LL. Philosophiae et SS. Theologiae Doctor. Abbatiam hanc sub nomine Kiers, quod oscitans Typotheta in opere Péterffyano in Biers convertit, Cardinali Pázmány notam fuisse inde quoque apparet, quod Sartorius in concinnando suo Cistercio iam anno 1700, adeoque longe ante Péterffyum edito, Pazmani Catalogum, ut ipse fatetur, sequutus, Abbatiae de Biers non meminerit; sed eam de Kiers, sive Kors adducat. Quam cum anno 1239 fundatam et Monasterii Egres Filiam statuat, quorum utrumque Abbatiae de Kerz convenit; favente insuper soni affinitate, nomina de Kerz, Kiers, Kors, Kurs unam eandemque Abbatiam respicere videntur; quae filia Egresii, anno 1239 fundata, in Dioecesi Magnovaradinensi sita fuit.

XXXI.

Abbatia S. Henrici.

Hanc olim in Hungaria florentem manuscripti Catalogi Cisterciensium S. Crucis pariter isti Ordini tribuunt, quam Leopoldus I. Imperator qua Hungariae Rex anno 1703 Placido a Zirklbach Ord. Cisterciensis Presbytero ad praemianda eius insignia omnino merita, quae sibi ut Capellanus Castrensis indefesso circa peste laborantes zelo sollicitaque animarum cura non minus, quam armis cum Turca ad Szalankemen, et multis aliis locis pugnando, et sanguinem pro patria fundendo procuraverat, clementer contulit. Collationis huius diploma una cum testimonio Exc. Consilii Camerae Hungaricae de legali eius introductione integrum recitat Heimbius saepe citati sui Operis de S. Gotthardo pag. 169. Quando, per quem, qua in Dioecesi, quo in Comitatu fundata, cuius filia fuerit, omnia latent. In Schematismo R. Hungariae, anno 1847 edito inter vacantes Abbatias censebatur, at hodie titulum eius tenet Reverendiss. D. Emericus Körmöczy, Cath. Eccl. Magnovarad. Canonicus lat. ritus, Ins. Ordinis Leopoldi Imp. Eques. SS. Theologiae Doctor.

[1]) Kerz Eremo synonymum esse innuit Manrique apud Sartorium, qui Filias de Egres in Hungaria S. Crucem, et E r e m u m appellat.

XXXII.

Abbatia S. Aegidii de Bartfa prope Sárus, alias de Koprivnicza.

Apud Scriptores Cistercienses nulla fit mentio Abbatiae aut Ecclesiae de Bartfa, seu de Koprovnicza, licet eam exstitisse Belae IV. diploma sequens doceat: „Bela Dei Gratia Hungariae . . . Rex omnibus Christi fidelibus, praesentem paginam inspecturis, salutem in Salvatore. Ad universorum tam praesentium, quam posterorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod accedentes ad nostram praesentiam quidam fratres de Koprovincza, Cisterciensis Ordinis, apud Ecclesiam S. Aegidii de Bartfa prope Sárus commorantes, suis nobis curaverunt insinuare querimoniis, quod Teutonici de Epuries metas terrae ipsorum Bartfo vocabulo, ubi supradicta ecclesia est sita, auctoritate propria destruxissent, elevantes in praeiudicium et gravamen ipsorum metas falsas de novo . . . Verum, quia nostro incumbit officio, iura quorumlibet illibata, et illaesa observare, nostro fideli Tegus Comiti de Sárus dedimus in mandatis, quatenus tam terram Bartfa, quam etiam alias terras, ad ipsos fratres pertinentes, quae fuerant ab eis abalienatae, nostra circuiret auctoritate, et certis novis metis iuxta veteres metas easdem restitueret fratribus antedictis. Idem vero Comes Tegus hoc nostrum nolens praeterire mandatum, sicut nobis retulit viva voce, et etiam in suis literis insinuari curavit, totam terram Bartfa undique circumeundo memoratis fratribus restituit . . . . Datum ab Incarn. D. anno 1247; Regni autem nostri anno XII.“ [1])

Bartfa Seculo XIV. regiis Hungariae Civitatibus accensa, conservat tamen adhuc insigne monumentum alienae dominationis, templum videlicet S. Aegidii, quod anno 1221 structum, hodieque cultui divino servit. Quanta fuerit terrarum seu Cisterciensium de Bartfa, seu Teutonicorum civium de Eperjes extensio, facile e mutua harum civitatum distantia conieceris, quae quatuor et medio milliaribus geogr. aequatur.

Abbatiae huius titulum Reges Apostolici conferre quidem solent Viris Ecclesiasticis, sed contracto axiomate, citra ullam seu Bartfae, seu Kopravnicae mentionem. Ita, qui eum hodie tenet, Illustrissimus ac Reverendissimus D. Michaël Fogarasy, Elect. Episcopus Scutariensis, Cathedr. Eccl. Magnovaradinensis Custos, et Canonicus, Ins. Ord. pap. S. Georg. M. Commendator, SS. Theologiae Doctor et Arcas Romanus, Abbas de Egyed, seu S. Aegidio scribitur. Quod si brevis iste titulus hanc Abbatiam non respicit, nullam in orbe hungarico facile reperiemus, cui vel cum minima veri similitudine valeat applicari. Eiusdem titulum, expresso etiam loco de Koprivnicza consequutus est anno 1859 Reverendiss. D. Theodorus Ordódy de Eadem, et Alsólészkó, Metr. Eccl. Strigoniensis Canonicus.

1) Wagner: Dipl. Comit. Sáros. pag. 513. —

XXXIII.

Abbatia B. Mariae V. de Zircz.

Ultima est Abbatia Zircensis ordine alphabeti, quae quoad omnia reliquis primis S. Ordinis Cisterciensis Abbatiis in Hungaria iure componenda venit. Fuit Zircz priscorum Hungariae Regum Curtis, seu proprietas teste Chronico Thuróczii, qui ita scribit: „Captus est (Andreas I. Rex) ad portas Musum, et negligenter detentus, in Silva Bokon ad Crucem [1]) suam, quae dicitur Stirem [2]), mortuus est.“ Varia fuit eius denominatio: nam Zirch, Ciercz, Csircz, Cibs, etiam Cirejum praesertim peregrina manu scribebatur. Etiam Siricium legitur.

Aeram fundatae huius Abbatiae, quotquot de ea scribunt, ad annum 1198 defigunt; verum Fundatorem nemo audet, et ob defectum documentorum nemo potest indubitate definire. Accidit vero fundatio sub Emerico, Germanis Aimerico, seu Henrico, Rege Hungariae; qui, si facinus in Boleslaum Episcopum Vaciensem demas, nec a pietate, nec a liberalitate in Ecclesias Dei fuerat alienus. Idem ut etiam Zircensis Abbatiae Fundator credatur, argumenta plura suppetunt. Cum enim Zircz Curtis regia, consequenter Emerici Regis privata possessio fuerit, nemo ibi praeter Regem Coenobium aedificare poterat, neque villam Zircz, qua Sedem Abbatiae, caput bonorum Monasterii constituere; sed nec potestatem erigendi Monasterii in fundo Regis privato petere decuisset. Repertus est praeterea lapis inter veteris ecclesiae ruinas, qui modo ad portam restauratae muro insertus cernitur cum hac inscriptione: „† In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti hoc altare fundatum est. F. Aimeric. Rege W. garino.“ [3]) Ubi sub F. vocem Fundatore latere verisimile est.

Inscriptio isthaec non videbatur historiographo Katona tantae auctoritatis, ut ex ea probari posset certum Abbatiae fundatorem fuisse Emericum Regem, et nec altaris quidem. At vereor, ne sedulus omnino auctor hac in re lapsus sit. Arduum enim est divinare, quid per initialem literam F. ante Aimeric. intelligere potuerit, nisi Fundatorem, aut Fundantem, ut sensus sit: hoc altare fundatum est Fundatore Aimerico Rege Ungarorum. Aut igitur literam hanc F. attentione minus dignam censuit, aut quapiam animi, eo temporis momento ad solvenda aenigmata minus dispositi, lassitudine impeditus, sensum eius literae non est assecutus. Igitur altaris auctorem Emericum Regem esse satis constat. Si vero ara, cui lapis iste insertus fuit, principalis erat, etiam Ecclesiae et Monasterii si non fundationem certe absolutionem et consummationem Emerico Regi deberi verisimiliter asserere licet.

---

[1]) Probabiliter erronec, pro: curtem, seu villam. — [2]) In MS. Codicibus iam Scirc, iam Scirioch, denique in Edit. Brun. Stirz. — [3]) In lapide hae tantum literae visuntur: IN. NOIE. PATS. ET FILII. ET SPS. STI. HOC. ALTARE. FVNDATV. E. F. AIMERIC. REGE. W. GARINO. —

Ecclesiam abbatialem, inusitatae molis basilicam divinae Triadi sacram, et ideo tribus duntaxat, sed grandissimis fenestris, totidemque columnis instructam metiri hodiedum est, dicebat suo tempore Bonbardus. [1]) Structura veteris Ecclesiae utcunque conspicua perstitit usque annum 1732; quo positis ecclesiae hodiernae fundamentis eam dirui oportebat. In perennem tamen magnificentiae memoriam relicta est una eius columna, cuius capiti simulacrum S. Emerici est impositum cum duobus Geniis, quorum unus in scuto suo exhibet: 1198 fundata, 1526 execrata. Alter hoc chronosticon : CanDIDa reDeCorata Laetor.

Qua templi parte Monasterium steterit, nullum certum superest vestigium; at, si caementi, lapidumque congeries subruti aedificii sunt reliquiae, hae ad meridionalem partem copiosae visuntur; ut adeo Monasterium ad meridiem veteri templo coaedificatum, conventualis horti, qui nunc est, spatium occupasse videatur. Totus Monasterio adiacentium terrarum status observantiae Cisterciensi undequaque aptissimus fuit. Horti, campi, agri, pro opere manuum quotidiano, Monasterio adsiti, vicinique erant, quos Monachi secundum Regulam colebant : irrigui praeterea a defluis scaturientibus aquis. Solitudo loco erat naturalis, cingente eum densa silva Bakonyiensi, quam circa vallem amoenissimam montibus sensim ascendentibus natura inseruit. Quemadmodum vero silva Bakonia omne ferarum genus copiose alit: ita hac in valle receptacula aquarum existunt, alendis necessariis piscibus, quos solos manducare primitus Cistercienses iuxta Regulam solebant.

Praeter hanc Curtem regiam, nunc Oppidum Zircz dictum, addita sunt a pio, quisquis ille fuerit, Fundatore : Solly, Olaszfalu, Németh Tevel, Polány possessiones; tum praedia : Nagy-Tevel, Usal, Ivanczháza; et haec in Comitatu Vesprimiensi. In Albensi vero itidem tria praedia: Elő-Szállás, Karácson-Szállás, et Venying, in quibus pro re pecuaria fecunda omnino sunt pascua; uti et agri procreandis frugibus maxime idonei. Subinde accessere Berénd, Koppán, Akli emtionis aut pignoris iure, pariter in Comitatu Vesprimiensi; duo postrema a vicina Abbatia S. Mauritii de Beel acquisita.

Penes opimam fundationem egregios aluit Zirczium Praelatos. Iam primus loci Abbas Nicolaus anno 1199 magni in Curia Romana nominis fuisse censendus est, utpote : cui Innocentius III. Pontifex controversiam inter Episcopum Quinqueecclesiarum, et Abbatem Feldvariensem enatam componendam commisit dato Brevi Laterani III. Cal. Febr. Pontificatus sui anno 1. — Nec minore loco stetit apud Gregorium IX. idem Abbas Nicolaus, cum Egilulpho Abbate S. Crucis in vitam B. Virgilii Episcopi Salisburgensis in fama sanctitatis defuncti inquirere per eundem Pontificem iussus. Abbas Gregorius anno 1287 Simeonem et Iwancha, Laurentiique ob servitia Monasterio praestita per malevolos enecti filios, omnes de Kis-Tewel, cum consensu Fratrum Sarcii, Theodori, Nicolai, Willermi, alterius Nicolai de Adon, et Hugonis, — e consortio populorum, et debito servitio de Tevel exemtos, ob fidelia et multimoda servitia, et ea quoque ratione ductus, quod ad Capitulum generale, in quo praesidere debeat, profecturus, ab uno eorum equum palafredum [2]) dono acquisiverit, — ad collegium, communitatem, et libertatem aliorum Jobbagionum Monasterii sui in perpetuum transtulit; terrasque, quas ipsi, eorumque heredes pleno iure tenerent, suis metis distinctas assignavit. [3])

---

[1]) Topograph. M. R. Hung. — [2]) Gallis Palefroi: equus generosus ad pompam ornatus. — [3]) Ex Collect. Czech. Fejér : Cod. dipl. VII. 2. 117. —

Exorta quaestione inter Pousa Plebanum de Segusd, et Abbatem S. Martini Nicolaum de praestanda decima, Odo Abbas Zircensis cum aliis dàtus est Judex anno 1332 per Joannem XXII., cuius sententia ex Archivo S. Martini extracta sic sonat: „Nos Frater Odo miseratione divina Abbas de Circh Ordinis Cisterciensis per Sanctissimum Patrem Dominum Joannem XXII. Judex Delegatus . . . ipso termino adveniente . . . Frater Joannes Prior eiusdem Monasterii S. Martini cum sufficienti procuratorio comparuit coram nobis, suaque instrumenta, videlicet Excellentissimi Principis Domini Stephani, Sanctissimi quondam Regis Hungariae, literasque papales confirmationem ipsarum decimarum in se continentes nobis simul cum Domino Jacobo Abbate de Beel, et Joanne Abbate de Jászt, nec non Custode Vesprimiensi pro tribunali sedentibus exhibuit, ut debebat . . . visis certis, et efficacibus instrumentis . . simul cum suis pertinentiis dicto Domino Abbati . . adiudicando decrevimus perpetuo et irrevocabiliter pertinere. Datum et actum in Monasterio de Cyrch, VII. Idus Julii anno Dominicae Incarnationis 1332."

Nicolaus Abbas a. 1396 cum duobus Fratribus Joanne et Hermanno Coenobitis de Zyrch in suis, et sui Conventus personis ab una, parte vero ab alia religiosae Dominae : Dorothea Abbatissa, Agatha et Anna Sanctimoniales Claustri B. Virg. de Valle Vesprim. coram Conventu Cruciferorum de Alba personaliter comparendo, talem inter se dixerunt factam fuisse permutationem, confitentes oraculo vivae vocis, quod „cum Monasterium de Zyrch possessionibus, in quarum superficie vineae fructiferae haberentur . . existat destitutum, redditusque possessionum eorum forent exigui, ut vina sibi . . emere valerent; ideo praefatae Sanctimoniales Dominae eorum . . egestatibus compatiendo, quandam vineam ipsarum propriam bonam, magnam, ac bene cultam in territorio possessionis . . Sándor . . dicto Monasterio de Zyrch dederunt . . Vice versa autem idem Abbas, et fratres sui . . quandam possessionem ipsorum . . Meneke nominatam, . . pro maiori parte desolatam, et maxime per Nobiles de Zegvár depopulatam, in cuius superficie tunc duo tantum homines residerent . . . ratione contiguae vicinitatis, quod ipsa possessio dicto Claustro Sanctimonialium . . vicina et commetanea adiaceret, . . dederunt, et contulerunt." [1]) Hac etiam ex Charta tristem eius aevi statum, et quum praedium Menyeke ad Vesprimium hodieque notum sit, una situm Claustri B. M. V. de Valle Vesprimiensi, utpote praedio Menyeke Vesprimium versus contigui discimus.

Perstitit Abbatia Zircensis tribus, et quod excurrit, seculis in primaeva institutione, integritate, et regulari observantia; quo ista desierit anno, Genius super columna penes viam regiam ad latus D. Emerici proloquitur : anno 1526. Exsecrata ecclesia omnia Zircio bona valedixerunt. Post cladem nempe Mohacsianam parem cum plurimis aliis Monasteriis sortem experta Abbatia Religiosis destituta, primum Ladislao More, deinde Paulo Bakics cessit; post cuius obitum Joannes Zápolya universa eius bona cum iure patronatus fratribus Joanni et Raphaeli Podmaniczky anno 1538 ea conditione commisit, ut Abbatiam idonéae personae Ecclesiasticae, nulla haereseos labe infectae conferant: quod tamen hi verisimiliter neglexerunt. Elapso abhinc circiter decennio Monasterium cum magnifica ecclesia fatali incendio absumptum est. Occupato deinde per Turcas anno 1552 Vesprimio, Abbatiae bona arcibus Papa et Palota dictis adscripta fuere : quae deinde Maximilianus Rex Georgio Thury ob fortiter defensam arcem Palota contulit; eo vero

[1]) Ibidem, X. 2. p. 390. —

interemto anno 1575 Rudolphus, Maximiliani in Regno Successor, fratribus Thurii Benedicto et Volfgango acceptis 8000 flor. pignori dedit.

Inde ab initio Sec. XVII. haec Abbatia Viris Ecclesiasticis conferri solebat, quorum primus erat Michaël Monoszloy (1609—1616), Canonicus Jaurinensis, cui Mathias II. Rex eam contulit, universis regni Judicibus iniungens, ut eidem in revindicandis eius bonis consilio, et opera assistant. Hunc secuti sunt Stephanus Bolerázy, qui anno 1629 Synodo dioecesanae Strigoniensi Tyrnaviae celebratae interfuit, et Nicolaus Böjthe Canonici, ille Nitriensis, iste Strigoniensis. Clausit horum seriem Joannes Hederváry L. Baro de Revisnye, Canonicus Jaurinensis, qui perpendens Abbatiam Zircensem olim ad S. Ordinem Cisterciensem pertinuisse, eandem, annuente Leopoldo I. Imperatore, in manus Matthaei Kohlweis, Abbatis Cisterciensis Campililiorum, qua eiusdem Ordinis per Provincias Austriacas Vicarii Generalis anno 1659 coram Francisco Nádasdy Judice Curiae Regiae resignavit: ad quam mox Matthaeus, retento paternitatis iure, Maiestati Regiae praesentavit Martinum Ujfalusy Theologiae Doctorem, natione Hungarum, quem iste ibidem anno 1660 Abbatem nominavit. Is deposita familiae Thuri 8000 flor. summa pignoratitia, quum defectu habitaculi Zircii degere nequiret, Papae, tunc heterodoxorum asylo, sedem fixit; ubi Sacellum aperuit. Sed cum acerrimum se bonorum Abbatiae vindicem exhiberet, plurimos nactus adversarios, anno 1678 Badacsony versus vectus, ex insidiis occisus est. Post cuius tristem exitum Matthaeus bonorum Abbatiae curam Administratoribus suis de Borsmonostra prope Ginsium commisit; anno 1695 pie defunctus. [1])

Huius in Abbatia Campililiorum Successor, Sigismundus Braun, Abbatiam de Zircz a Leopoldo I. Imp. obtinuit: sed cum eius administratio nimis molesta videretur, eam, assentiente Rege, Abbati Henrichoviensi in Silesia Henrico Kallert anno 1700, 31,000 flor. vendidit. Sic Abbatia Zircensis facta est filia Henrichovii, mansitque usque ad initium Seculi nostri, quo temporis decursu Abbates Henricovii una fuerunt Zircenses. Horum primus, nunc dictus Kallert ad redemtam Abbatiam duos e Religiosis suis misit, qui adductis secum pluribus germanis, laboris patientibus colonis, cum dirutas veteris Monasterii moles pervestigarent, sub ruderibus ecclesiae dumis, rubisque obsitis, duo sacella Sacris peragendis accommodaverunt, novamque coloniam in 13 domibus constituerunt.

Eius successore, Tobia Ackermann, (1702—1722) sub turbis Rakoczianis novella colonia Zircensis exusta; Administrator in captivitatem abductus; bona per factiosos direpta. Sopitis turbis alii duo Religiosi per Tobiam anno 1712 Zircium missi, coloniam instaurarunt. Post breve Antonii Niklas, inconsultis tribus fratribus Zircensibus electi, sed mox Abbatiam cum religione deserentis regimen, sede abbatiali 14 mensibus vacante, prima Residentia Zircii anno 1725 aedificata fuit. Mox Gregorii Regnard Abbatis (1725—1732) curis et laboribus effectum est, ut S. Bernardi soboles CC annis exul Zircii stabilem rursus pedem figeret. Anno enim 1727 novo Monasterio; quinquennio serius novae ecclesiae fundamenta iecit, in quibus exstruendis nullis pepercit sumtibus. Coeptum opus continuavit Gerardus Viesner, (1732—1749) Abbas, qui anno 1734 Zircium veniens, Monasterium muro cingendum curavit; auctoque deinde Religiosorum numero, anno 1738 primum regularem Superiorem Conventui praefecit. Idem Officium canonicum publice recitandum, Sacrificia Missae statis horis ordine cele-

[1]) Haec, et, quae de hac Abbatia sequuntur, de fide digno anni 1852 Abbatiarum de Zircz, Pilis, et Pásztó Schematismo ad verbum fere desumta sunt; ne superflua elaboratione veritas periclitaretur. —

branda iniunxit: interruptam ecclesiae aedificationem continuari iussit, quae 27 orgias longa, 11½° lata, fere 12° alta, iam anno 1745 benedicta, et cultui divino aperta, deinde sub Candido Rieger Abbate (1749—1763) duabus turribus decorata est, quam insigniter ornatam anno 1752 die 3. Junii Martinus Biró Episcopus Vesprimiensis solenniter consecravit. Eodem Abbate una Ducatus Münsterbergensis, et Frankenstein Capitaneo Zircii Ecclesia in honorem B. Mariae V. Dolorosae anno 1761 erecta; in Berénd restaurata vetere S. Rochi Ecclesia, anno 1751 Capellania curata condita; Sacellum in Elő-Szállás honori S. Annae exstructum; in Polány Oratorio Reformatorum vehementi imbre deleto, sensimque horum numero imminuto, Parochia constituta.

Nomine et animo Candidum anno aetatis 57 defunctum secutus est in utraque Abbatia Constantinus Hasche, alias Hascke, aut Haschke (1763—1778) mox Vicarius Generalis sui Ordinis, et Ducatuum, uti Candidus Praedecessor, Capitaneus. Iste Zircium saepius visitans, multa domi forisque salutaria constituit. Eo agente numerus Religiosorum Zircii auctus; disciplina ad primitivum rigorem reducta: cantus psalmorum introductus. Idem receptis ab usufructuariis praediis Albensibus, anno 1766 duos Religiosos assignavit, quorum unus ibi curam animarum gereret, alter oeconomiam procuraret. Sub eo piscinae novae, irrigationes pratorum, aquaeductus subterranei erecti; praedia solidis aedificiis instructa. In Polány et Olaszfalu Ecclesia, in Nagy-Venyim Castellum cum Sacello, in Elő-Szállás castellum cum allodio aedificatum; Exemtio Fratrum Cisterciensium Zircii, anno 1767 transactione cum Ignatio Koller Episcopo Vesprimiensi stabilita; ad erectam tunc Universitatem Tyrnaviensem duo Clerici missi. Obiit praeclarus Abbas ex moerore animi, quod aliena culpa Friderici II. Regis Borussiae indignationem expertus fuerit.

Constantino suffectus est Abbas Marcus Velczl (1778—1792). Iste, sublato per Josephum II. Imp. omni cum exteris Monasteriis nexu, Zircio tamen eatenus in priore statu relicto, Zircium veniens, Conventum recentibus tunc Decretis regiis conformavit. Assumsit Scholas nationales Vesprimii; Lókutiensem Parochiam resignante Vesprimiensi Praesule Abbatiae incorporavit; Parochiae Ujmajoriensis Fundator, in Koppán Ecclesiam honori S. Barbarae novam struxit; Parochias pro congrua sustentatione fundis immobilibus dotavit.

Ultimus Abbatum Henricoviensium erat Constantinus Gloger (1793—1814), sub quo lis de Exemtione iam tempore Marci Abbatis coepta, in favorem Abbatiae Zircensis decisa est, Episcopo Vesprimiensi ad observandam transactionem Kollerianam provocato. Mortuo circa finem anni 1802 Ladislao Szabady, Priore Zircensi, agente inprimis Davide Zsolnay, Sede vacante Vicario Generali, coepit Processus Separationis Abbatiae Zircensis ab ea de Henricovio; quo Constantini Abbatis auctoritate suspensa, Prior Zircensis, Antonius Dréta, per Exc. Consilium Regium, ab eo independens declaratus est. Sublatis anno 1810 in Silesia Ordinibus religiosis, uti et Monasterio Henricoviensi, Constantinus Abbatiam Zirciensem sibi reddi Viennae frustra sollicitans, anno 1814 die 18. Junii Patschkoviae in Silesia, ubi Aquilae rubrae Ordine decoratus vitam privatus egit, pie defunctus est, anno aetatis 69.

Sublato e vivis Constantino Gloger, Antonius Dréta, iam biennis Abbas de Pilis et Pásztó anno 1814 Zircensem quoque Abbatiam, omnis cum exteris nexus expertem, obtinuit; eodemque anno tres hae Abbatiae regio Diplomate in perpetuum unitae sunt. Is, dum adhuc Prioris munere Zircii fungeretur, Ecclesiam S. Stephani Regis in Berénd, a Praedecessore suo inchoatam, anno 1807 nitide per-

fecit. Anno 1813 Gymnasium Albaregalense, anno 1814 illud Quinqueecclesiense, prius Ordini S. Benedicti destinata, sed per hunc ad praestitutum terminum non occupata, e Conventu Zircensi providenda suscepit; quorum loco PP. Benedictinis duo Cursus Philosophiae, Posonii alter, alter Jaurini, Moderatoribus providendi, fuerunt assignati. Idem binos e Clero iuniore S. Ordinis ad centrale Seminarium Pestinum, binos item ad Collegium Pazmaneum Viennam misit. Convictum Albae-Regiae erexit. Synodo Posoniensi anno 1822 interfuit. Praedium Ujmajor multiplicatis colonis anno 1817 in pagum convertens, in grati animi erga Sereniss. Archiducem Josephum, Regni Palatinum tesseram, Herczegfalva nominavit. Anno demum 1823 diuturna febri quartana consumtus, die 28. Decembris vivere desiit, Vir a praeclaris corporis et animi dotibus imis et summis carissimus, literarum fautor eximius, anno aetatis 61.

Huic anno 1826 die 21. Maii successit Ferdinandus Villax Abbatiarum B. Mariae Virginis de Zircz, Pilis, et Pásztó unitarum Abbas, qui vestigiis Praedecessoris sui firmiter inhaerendo, honori S. Ordinis sui augendo, eiusque emolumentis promovendis solerter intentus, pro aucto in Gymnasiis provisioni suae traditis, ductu recentis ben. scholarum et studiorum Systematis, rem scholasticam procurantium numero, aliisque laudabilibus actis altissimo Caesareo-Regiae Maiestatis favore et gratia inter Insignis Ordinis Leopoldi Imp. Equites cooptatus est : restaurato autem et amplificato Monasterio et Ecclesia, — novisque parte una Praelaturae, et Hospitio, parte alia Librorum, Numorum, Naturalium, et Artefactorum Collectioni servituris, grandi mole, nobili et ad meliorem nostri aevi gustum exacto stylo eductis aedibus, immortale sibi nomen comparavit. — Anno 1857 Idib. Septembris pie defunctus, Successorem in tribus Infulis Reverendissimum D. Antonium Rezutsek, IV. Id. Febr. 1859 solenniter benedictum, nactus est.

CATALOGUS

Abbatiarum S. Ordinis Cisterciensis per Card. Petrum Pázmán collectarum; uti eas Péterffyus in Concil. Hung. p. 274. Partis II. ordine alphabetico exhibet.

„Monasteriorum huius Ordinis Syllabum accepi, inquit Pazmanus, partim ex Catalogo Monasteriorum Ordinis Cisterciensis in claustro S. Trinitatis Neostadii in Austria reperto; partim ex R. P. F. Chrysostomi Henrique fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensium : in quo multa habet de provinciis, et Coenobiis huius Ordinis: partim ex libro antiquo manuscripto, quem D. Abbas Runensis anno 1622 mihi exhibuit.

Abbatia de Abran, sive Abraham, B. Mariae Virginis, in Comitatu Bodrogiensi, Dioecesis Colocensis, fundata a Moyse Palatino Hungariae, et eius fratre Comite Alexandro anno 1270 circiter.

Belae Fontis in Dioecesi Colocensi: fundata 1152. — De Beel Trium Fontium B. Mariae Virginis Assumtae, alias Trium Fontium de Beel Cumanorum, Agriensis Dioecesis, fundata 1232. — De Bocconio, Vesprimiensis Dioecesis, alias Buctati: fundata 1182. — Benedictionis Dei.

De Candelis fundata 1216. — Chavnik, alias Schavnik B. Mariae Virginis, Strigoniensis Dioecesis, in Comitatu Scepusiensi. — De Casa Nova, fundata 1150. — Cikádor, B. M. Virginis, Dioecesis Quinque-Ecclesiensis, fundata 1142. — S. Crucis, fundata anno 1201.

De Egres, fundata anno 1206 [1]) ab Andrea II., ubi etiam sepultus iacet. — Erchi, S. Nicolai Confessoris, Vesprimiensis Dioecesis, in Comitatu Albensi, fundata a Thoma Palatino Hungariae, circa annum 1260. Quam postea anno 1499 possederunt Eremitae S. Augustini.

De S. Gotthardo, B. Mariae Virginis, Jaurinensis Dioecesis, in Comitatu Castriferrei, fundata 1183. — Gotho, in Posegano Comitatu.

S. Helenae, in Slavonia, fundata anno 1170.

S. Jacobi, in Insula Danubii, fundata 1274. — De Ilda, in Slavonia.

Biers [2]) Colban, alias Koblan, in Slavonia, fundata anno 1174. — De Lucentia, fundata anno 1190.

S. Mariae Abbatia, in Scepusio, fundata 1222. — S. Mariae in Regali loco, fundata 1282. — Melli-Fontis, in Hungaria. — S. Michaëlis, in Insula B. Virginis iuxta Budam; viguit anno 1302. — De Monte S. Mariae, fundata 1198.

Nova Abbatia inter Hungariam et Poloniam.

De Pásztó, B. M. Virginis, in Agriensi Dioecesi, fundata anno 1190. — De Petrivaradino, in Comitatu Valko, fundata anno 1203. — De Pilisio, B. Mariae Virginis, Vesprimiensis Dioecesis, fundata anno 1384. [3]) — De Pornó, alias Bernau, fundata 1235.

De Saaros, Dioecesis Agriensis iuxta Eperjes. — De Strigoniensi Campo.

---

[1]) Supino neglectu Correctoris typi apud Péterffyum: 2200. Quid Pázmánus dederit, mortalium nemo novit. Ut tamen adminus Andreae II. epocham salvarem, 1206 posui. Utinam Pázmáni MS. originale, quod fors in Archivo Archiepiscopali latet, inspici posset! — [2]) Legendum: Kiers. — [3]) Lege: 1184. —

De Topolszka, alias Toplicza, B. Mariae Virginis, Dioecesis Zagrabiensis, fundata anno 1135. — Teg. Tisiboti, fundata 1269.

Vallis S. Mariae. — Vallis Honestae, fundata 1232. — Vallis Paradisi, fundata anno 1172.— De Vesprimio, fundata 1184.

De Zám, alias Nam; viguit anno 1219. — De Zagrabiensi Campo. — Zirch, alias Circensis, B. Mariae Virginis, Vesprimiensis Dioecesis, fundata anno 1198."

Hactenus Pazmanus de Abbatiis S. Ordinis Cisterciensis, quibus adiungit, quod sequitur:

„Reperi, inquit, insuper Abbatias aliquot in veteribus Privilegiis et scripturis, quae cuiusnam Ordinis fuerint, non liquet.

Abbatia de Aparei. — De Bela, B. Mariae Virginis, in Slavonia. [1]) — Berucio; viguit anno 1217. — Bisztria; viguit anno 1222. — Búch, prope Castrum Solymos; viguit 1477. — De Casar. — Cholt; viguit 1217. — Curru, in Varadinensi Dioecesi, iuxta fluvium Körös; viguit 1216. — De Drusma, seu Duzma. — De Gyerö-Monostor, in Transsylvaniensi Dioecesi.— Gabrielis, in Varadinensi Dioecesi; viguit 1217. — De S. Henrico, viguit 1219.— De Heuviz; viguit 1221. — S. Jacobi, in Simigiensi Comitatu. — Szent Job, B. Mariae Virginis, in Varadinensi Dioecesi, Comitatu Bihariensi. Abbas S. Martini dicit fuisse Benedictinorum. — Monostor, in Vaciensi Dioecesi, non procul a Vámos-Gyürk possessione. — Prinou, in Strigoniensi Dioecesi; viguit anno 1252. — Pankota, in Agriensi Dioecesi; viguit anno 1218. — Poroszló, in Comitatu Maromaros; viguit 1216. — Petur, in Simigiensi Comitatu; viguit 1218. — Salamon. — S. Seraphini Monasterium, alias de Lekeer.— Tritszkai; viguit 1216. — Vhod; viguit 1219. Zeer-Monostra; viguit anno 1315."

---

[1]) Erat Benedictina, sub titulo B. Margarethae, in quam Jus Patronatus Archi-Coenobium S. Martini ab Uladislao II. Rege Hung. obtinuit. Eius titulum Archi-Abbates nostri ad annum usque 1786, quo Conventus abolitus fuit, Archi-Coenobitis conferre solebant. —

III.

S. ORDINES EQUESTRES.

SECTIO III.

S. ORDINES EQUESTRES IN HUNGARIA.

Si quis dubitat, an possit religiosa professio sociari cum statu militari, repetat ille animo secum auctoritatem tot Summorum Pontificum, Conciliorum Episcoporumque; et ultro fateri cogetur, nomina mille, mille artes iuvandi esse caritati, quibus Dei summi providentia suam fovet, amplificat et tuetur Ecclesiam. Et quamvis ab Ecclesiae instituto alienum esse videretur, eos conscribere manipulos, qui caede et sanguine Provincias inundant, ut terrestria imperia extendant: ab eius tamen zelo non est alienum, ut sub certos coetus et vexilla Religionis contra Infideles tuendae, et siquidem adflicta sit, vindicandae caussa convocet heroës, et alumnos, qui altiore bellandi genere arma circumferant, „qui non humanae laudis amore, non desiderio sanguinis fundendi, non terrenarum rerum cupiditate grassentur; sed id tantum in sua pugna intendant, ut vel Christianos ab Saracenorum tueantur incursu, vel ipsos ad culturam possint christianae fidei provocare," inquiebat Innocentius III. in confirmatione Regulae Ordinis Equitum D. Jacobi. [1])

Ob tam sublimem finem sacrae militiae adscripti iis quoque utuntur mediis, quibus belligerandi ratio ab omni vitio secura sit. Substantialia Religionis vota emittunt; queis dum se obstringunt, a scelerum militarium fomite quam longissime recedunt. Sicut enim veteres Romani uxorum usu abstinuisse feruntur, quo animum et corpus laboribus aptius conservarent: ita religiosi heroës amore Christi castimoniam perpetuam vovent ad vires spiritus pro sacris proeliis solidandas. Paupertatem quoque votivam habent, ne ad rapinas sollicitari queant. Demum, cum omnis artis militaris fundamentum obedientia exactissima censeatur, huius quoque tertium votum adiungunt. Accedit, quod tempore pacis suos Conventus et domicilia habeant; suos quoque iis addant Presbyteros; ut hac ratione ad opera spiritualia ac religiosa ex strepitu militari facilior sit redeundi, et animum colligendi via. [2])

---

[1]) Daude: Hierarch. Eccles. P. 2. p. 280. — [2]) Idem ibidem. —

A.

Ordo Hospitalariorum, seu Cruciferorum S. Joannis Hierosolymitani.

Initium habuit circa annum 1012, cum adhuc sub Saracenorum iugo Civitas sancta captiva teneretur. Princeps enim Aegyptius, qui regiones universas a Laodicea Syriae usque civitatem Aegypti Alexandriam possidebat, quartam Hierosolymitanae Civitatis partem iuxta dominicum Sepulcrum Surianis, et eorum Patriarchae sub conditione annui tributi ad habitandum concesserat: regiones urbis reliquas incolebant Saraceni. Ex Occidente frequentes ad terram Sanctam conveniebant Christiani; pars devotionis, pars negotiationis gratia. Amalphitanorum e Neapolitano Regno frequentior erat concursus. Hi Principem Aegyptium qua tributis, qua muneribus ita flexerunt, ut tandem eis concederet prope Ecclesiam S. Sepulcri, aliam B. Mariae Virginis construere, divinis officiis latinorum ritu celebrandis consecrandam. Aedes sacra, mox ut parata fuit, Abbati, et Monachis Ordinis S. Benedicti ex Occidente evocatis [1]) tradita fuit, ipsique Sanctae Mariae de Latina nomen inditum. Crescente subinde numero piorum peregrinorum, consentiente Aegypti Califa, Xenodochium erexerunt; quod una cum adiuncto Oratorio S. Joanni Eleemosynario dicatum voluerunt; quamvis a S. Joanne Baptista nuncuparetur. Monachis ad pia opera plures semet adiunxerunt etiam seculares personae, quarum praecipua cura fuit: peregrinos hospitio excipere, infirmos fovere, mortuos sepelire. Sepeliebant vero pie defunctos in agro Haceldama, cuius in Evangeliis fit mentio.

Capta a christianis exercitibus Hierosolyma Duce Godefrido, anno 1099 novum caritatis genus ab iis susceptum est. Statuerunt enim, auctore Gerardo, viro nobili e Provincia, Gallis Provence, oriundo, non modo peregrinis, et infirmis operam dare, sed et cum Crucesignatis copiis communi zelo contra infideles militiam sacram profiteri. Gerardus itaque cum octo sociis non posita quidem obedientia erga Abbatem S. Mariae de Latina, sed assumta nova obsequii divini ratione, militiae sacrae, et religiosae initium fecit. Unde ex diversitate officiorum triplex personarum in eadem Congregatione nascebatur conditio. Alii quippe Equites erant, qui pro securitate peregrinorum, et defensione fidei armis pugnabant; alii Fratres Servientes, quorum in infirmis curandis domesticus erat labor; alii denique Capellani, qui Sacra administrabant. [2]) Progressu temporis etiam Fratres Servientes in Collegium Equitum assumti ad terrae Sanctae defensionem contra Saracenos, ac demum Ordo Hospitalis in Equestrem mutatus est.

Hac fere genesi coepit S. Cruciferorum S. Joannis Ordo militaris, postea sub annum 1115 a Paschale II. R. P. confirmatus. Sub idem tempus a primo Ordinis Magistro, Raymundo de Podio nobili Delphinate certas leges, et praecipue

---

[1]) Du Creux. Sec. XII. T. V, p. 176. et alii. — [2]) Natalis Alexander in Sec. XI. —

de emittendo castitatis voto accepit. Regulam sequuntur Equites S. Augustini cum severis constitutionibus. Vestes eis tempore pacis nigrae adfixa cruce octangula candidi coloris : bello occupatis ruber cingulus. — Tiro, cum in Collegium Equitum cooptatur, facem ex candida cera gestat, indicem caritatis, et coram altari procumbens admitti rogat. Ordinis Praefectus deauratum ensem tradit, quo fidem tueatur; balteo deinde praecinctus monetur de castitate servanda; nudato ense ter percutitur in humero, quo gravia sibi pro Christo ferenda meminerit; postea ipse eodem ense ter aërem verberat, quasi hostibus fidei in nomine S. Trinitatis bellum indiceret; aurata calcaria a duobus Equitibus illi adnectuntur, ut sciat stimulis hisce se ad ardua incitari. Professione edita accipit insigne Equitis, cuius candor symbolum puritatis; crucis octo acumina totidem beatitudines evangelicas designant. Demum fune collo imposito monetur dominici iugi, cui subesse decorum est. An hic tironem ad ordinem suscipiendi Ordo hodieque accurate observetur, non assero. Hübnerus, celeber ille Lexicographus affirmat, sua aetate, Sec. XVIII. eos, qui e Protestantibus huic Ordini adlecti fuerunt, eius tantum castitatis votum elicuisse, quam status matrimonii admittit, et exigit.

Exactis fere trecentis annis in Asiae continente diversis fatis iactati, tandem anno 1308 Equites hi sub auspiciis Magni Magistri sui Falconis Villaredi Rhodum, eiectis Saracenis, occuparunt, una cum quinque adiacentibus insulis. Hanc arcem, et Religionis propugnaculum per annos tredecim supra ducentos contra vim Mahomedanorum maximam tutati sunt; donec anno 1522 Solimanni trimestri obsidione pressi, ex insula acerrime defensa excedere cogerentur. Ne postea Sedes Magistro, et Equitibus per Italiam, et vicina regna longius incerta foret, Carolus V. Imperator anno 1530 opera Clementis VII., Melitae, Gaudisii, et Tripolis insulas eis donavit hac praecipue conditione, ut contra turcicos piratas, in quodvis etiam subsidium contra nominis christiani hostes quatuor triremes constanter haberent. Ab insula Melita, quam adversus Turcas fortissime tuebantur, communiter Melitenses Equites postremo dicebantur, primum Hospitalarii, deinde Cruciferi S. Joannis, postea Rhodii nuncupati.

Ordo ex octo linguis conflatus erat, seu ex octo nationibus membra eius legebantur, hac serie : Ex Gallia tribus : Provinciae, Alverniae, Insulae Franciae. Ex Hispania duabus, Aragoniae, et Castiliae, cui adiuncta fuit ea Portugalliae. Unica Angliae, Italiae. Denique Germaniae, cui iungebantur Hungaria, Bohemia, Dania. Suprema Ordinis officia quemadmodum in se diversa, ita singulis his nationibus propria erant. Supremus Ordinis Magister e natione Provinciae legebatur. Mareschallus caput erat nationis de Alvernia; Hospitalarius de Francia; Admiralis de Italia; Grandis seu Magnus Conservator de Aragonia; Magnus Cancellarius de Castilia; Magnus Bavilius de Germania; octavus, dictus Turcopelier de Anglia, qui deficiente a catholica fide Anglia una cum sua natione cessavit. Sed nec reliquae Linguae perstiterunt. Tres gallicas Revolutio consumsit; duae hispanicae pace ambianensi anno 1802 a toto corpore separatae sunt. Italicam et germanicam variis aevi nostri vicissitudinibus succubuisse novimus : ut adeo hodie nonnisi tenues eius veteris reliquias superesse dici possit, quarum in Austriaco Imperio aliquae in Magno Prioratu Bohemiae, aliae in duobus Prioratibus in Russia dicuntur existere. In Borussia quidem subtractis priori Ordini omnibus bonis, novus Ordo Joannitarum per Fridericum Wilhelmum III. Regem anno 1812 est institutus, hodieque viget; sed iste simulacrum duntaxat illius est; nihilque cum eo, praeter Insigne, commune habet; ideo tantum, ut Rex in suo Decreto fatetur, erectus, ut memoria exstinctae Baliviae Brandenbur-

gicae Ordinis Joannitarum honoretur. Rex supremus eius est Protector, Magnum Magistrum nominat; nec ulli eum nisi Nobili confert. — In Italia Ferdinandus Imperator anno 1839 Ordinem hunc restituendi, et nominatim Prioratum Lombardo-Venetum fundandi intentionem patruo suo, Archi-Duci Rajnero, tunc Proregi significavit. Tum Ferdinandus II. Rex Siciliae eundem Ordinem in suis ditionibus anno 1840, 2. Januarii restituit. Verum: an suum effectum utraque pia et utilis intentio sortita fuerit, hoc aevo iure possumus dubitare. [1])

Quamquam certus annus defigi non possit, quo Hospitalarii, seu Cruciferi Joannitae Hungariam ingressi, et in ea civitate donati sint: id tamen infra adparebit, eos huc primum sub Gejsa II. delatos, iisque primum omnium in Regno Conventum Albae Regiae positum fuisse. Quam proni erga sacrum hunc Ordinem equestrem fuerint Reges, et Proceres Hungariae, argumento sunt complures, et ii opimi Conventus, quos pia liberalitate pro iis fundarunt, qui utplurimum Praeceptoratus dicebantur. Toti vero huic S. Ordini Ludovicus I. Rex singularem prorsus favorem ad preces Bauduni per Hungariam et Slavoniam Prioris exhibuit, [2]) dum anno 1359 indulsit, ut possessiones olim suas, indebite ab aliis occupatas, super quibus vigorosa instrumenta producere possent, non obstante 32 annorum praescriptione, via iuris revindicare possint. Sed illi quoque suam erga Reges saepe demonstrarunt fidelitatem, uti teste Chron. Thuróczii, „dum Gyurke sub vexillo Regis vexillarius existens, occisus est, quo vexillo cadente, Rex sub vexillo Cruciferorum pugnavit," Carolus I. videlicet contra Matthaeum Trenchiniensem.

E variis Regum Hungariae diplomatibus, quibus vel totum Ordinem, vel diversa eius domicilia dignati sunt, apparet, Equites hos plura secula in Hungaria exegisse: sed quo tandem tempore Monasteria ipsorum deserta fuerint, determinate asseri nequit. Jam ante cladem Mohacsianam eos defecisse Brodericius videtur innuere, dum ei neminem e Cruciferis interfuisse scribit. Neque etiam in Libro Rationum sub Ludovico II. Rege ad annum 1526 confecto ulla ad Priorem Auranae tanquam Praelatum omnium Cruciferorum per Hungariae ditiones existentium mandata, sicut ad ceteros fere Ordines in Croatia, Slavonia, Dalmatia, leguntur data; quem tamen ex Legum praescripto, ob ingruens regno periculum certum militiae, ac suorum etiam numerum alere, ac Regi in subsidium mittere oportebat. [3])

Non est inanis suspicio, plerosque ex Hungaria Crucigeros, dum Rhodo a Turcis periculum imminebat, bona Regis venia ad eius insulae defensionem missos, ibidem re in hostes fortiter patrata necem oppetiisse. Colligitur id ex bulla Clementis VII. de anno 1523, qua privilegia vetera Ordinis confirmat; ubi cetera inter haec leguntur: „Ipsi Turcae tandem, quod non sine gemitu, et cordis amaritudine recensemus, multitudine praevaluerint, et expugnata per eos vi et armis insula et munitissima Civitate praedicta, Magister, Bavilii, Priores, Praeceptores, milites, et fratres Hospitalis huiusmodi, quorum pauci superstites, et fere exanimes remanserant." Cladem Equitum ad Rhodum mox excepit clades Hungariae ad Mohács. Unde Equites hi, uti plures alii S. Ordines, calamitatem suam Solimanni armis debent.

Card. Petrus Pazmanus huius quoque Ordinis Conventuum Catalogum noto loco dedit; [4]) sed ab eius tempore plures innotuerunt. — Sequatur iam descriptio Conventuum et Praeceptoratuum Equitum S. Joannis Cruciferorum, seu Rhodiorum, modo Melitensium, quos olim in stricte dicta Hungaria tenuerunt.

[1]) Ersch, und Gruber; Encyclop. Art. Johanniter. — [2]) Fejér: Cod. dipl. IX. 3. p. 42. — [3]) Pray: de Prioratu Auranae. — [4]) Péterffy: Conc. Hungar. II. p. 278. —

I.

Conventus S. Stephani Reg. de Alba.

Inter reliquos Conventus, quos Cruciferi in Hungaria obtinebant, primum cum Prayio censeo fuisse Albaregalensem, quem Martirius Archiepiscopus Strigoniensis struere coepit, sed morte praeventus absolvere non poterat. Ne vero tantae impensae frustra essent, pientissima Regina Euphrosina (Kaprinaio Sophia), Geysae II. Regis Coniux manum adposuit, eductoque Conventui cum Ecclesia largam dotem addixit. Discimus haec ex Bulla Innocentii IV. Papae, Belae III. diploma transsumentis [1]) hoc tenore : „Innocentius Episcopus servus servorum Dei, Dilectis filiis Praeceptori, et Fratribus Hospitalis Jerosolymitani in Hungaria et Slavonia salutem et Apostolicam benedictionem . . . Exhibita nobis vestra petitio continebat, quod bonae memoriae Martirius Strig. Archiepiscopus in Ecclesia B. Stephani Regis de Alba, quae est in domo Hospitalis Jerosolymitani Vesprim. Dioecesis lapidem primum ponere, ac struere coepit eandem : sed quia morte praeventus Ecclesiam ipsam non potuit consummare, clarae memoriae Euphrosina Regina Hungariae Divinae inspirationis instinctu pro suorum, ac inclitae recordationis Geysae viri, et Belae nati suorum, Regum Hungariae, remedio peccatorum, Archiepiscopi praedicti prosequens pietatem, praefatam Ecclesiam complevit, et variis possessionibus copiose dotavit, et eidem demum ob ipsius religionem et honestatem dimisit libere retinendam, quod idem Rex Bela postmodum approbavit, prout in ipsius Regis confectis inde literis, aurea bulla munitis plenius continetur . . tenorem literarum praesentibus de verbo ad verbum ad cautelam inseri facientes, qui talis est : In Nomine S. Trinitatis, et Individuae Unitatis. Bela Dei Gratia Hungariae .. Rex in perpetuum .... pia devotione provocati, quam erga domum Hospitalis Jerosolymitani gerimus et habemus, dignum duximus ab ipsis exordiri principiis, qualiter Ecclesia B. Regis Stephani de Alba in dominium praefatae domus hospitalis fuerit devoluta. Martirius, vir honestatis eximiae Strig. Ecclesiae Archiepiscopus, primos in praefata Ecclesia lapides posuit, et eam ferme ad medietatem usque perduxit, sed morte praeventus consummare non potuit. Tandem Domina mater nostra instinctu divinae inspirationis accensa pro remedio animae suae, et pro anima Mariti sui piae memoriae Rege Geysa, et pro salute nostra praefatum Monasterium opere desiderato complevit, et variis possessionibus copiosius dotatum, ac ditatum ob religionem et honestatem ipsius domus hospitalis perpetuis temporibus contulit possidendum. Haec igitur sunt nomina praediorum, quae a Domina matre nostra praefato Monasterio sunt collata .... Data est carta per manus Katapani, Albensis Praepositi, Aulae Regiae Cancellarii

[1] Pray : De Prior. Aur. p. 116. —

anno ab Incarn. Dom. 1193." [1]) Ita Bela III. At Stephanus IV. Rex iam a. 1170 populos, et Jobbagiones Conventus Cruciferorum S. Stephani de Alba, in Insula Albensi commorantes, praeter domum et aream nullos fundos possidentes, ab omni collecta, tributo et quorumvis violenta descensione exemit. [2])

Situs erat Conventus iste in insula S. Regis Stephani, ubi hodie sic dictus fons Jancsár-Kut habetur, ea nempe parte urbis Albensis, quam hodie a crebris Rascianorum domibus Ráczváros nuncupant. Id constat e diplomatibus : Stephani V. Regis de anno 1271, Alberti Regis de anno 1439, et Ferdinandi I. de anno 1528. — Inter plurimos Conventus huius Praeceptores superest memoria Joannis Ország de Guth, qui partem silvae de Bodayth (Bodajk) fratribus Eremitis S. Pauli de Csatka, in Comitatu et Dioecesi Vesprimiensi existente transscripsit. Guthius inde Joannem et Rajnaldum Rozgonios a flumini Bodayth superstructae molae : Cruciferi contra Paulinos Csatkenses ab universi fundi Bodajth usu coram Capitulo Colocensi anno 1460, et coram Budensi eodem anno abstinere iusserunt. [3]) Protestati sunt iidem Cruciferi Albenses iisdem locis super alienatione praedii cuiusdam intra metas Barok siti, facta ab eodem Joanne de Guth in favorem Andreae Alapi de Battyán, et eius filiorum, Stephani et Benedicti. Quem successum protestatio sit consecuta, non liquet ; contra constat non domesticum solum Superiorem, sed et Auranae Priorem sibi ius usurpavisse ad faciendas donationes e bonis Conventus Cruciferorum de Alba. Nam idem Joannes Guth inhibet legaliter Auranae Priorem Thomam Székely de Szent-György ab alienatione Possessionum Archa et Fir in provincia Albensi existentium, facta in favorem Joannis Balak de Ökörd. — Idem anno 1461 contra eundem Thomam protestatur coram Capitulo Budensi super alienatione possessionis Gerenás in Comitatu Albensi sitae, donoque traditae Francisco Porkolás. [4])

Penes talem bonorum temporalium alienationem et coarctationem proventuum salvam integramque stetisse regularem observantiam illud videtur innuere, quod Mathias Corvinus Rex, Albenses Cruciferos anno 1482 a Judiciis Officialium regiorum, et a teloniis tributisque exemerit. Sed id plurimum honorem huic Conventui conciliat, quod, postquam Aurana a profanis, Gubernatorum nomine, administrari coeperat, Praeceptores Albenses titulos et auctoritatem Priorum sint adepti. Huius rei duo exempla suppetunt ad Sec. XVI.: „Anno 1551 priorante venerabili Sebastiano, Cruciferorum Conventus B. Regis Stephani de Alba." Alterum in haec verba: „Sylvester Delmády Prior Ven. Conventus Cruciferorum B. Regis Stephani de Alba." [5])

---

[1]) Integrum diploma, quod 55 praedia donata una cum suis metis exhibet, si lubet, vide in Fejér Cod. dipl. T. II. pag. 283. et seqq. — [2]) Ibidem, II. p. 184. — [3]) Róka : Episc. Vespr. p. 275. — [4]) Kaprinay : Hung. dipl. p. 434. et 478. — [5]) Pray : Prior. Aur. p. 101. —

II.

Conventus S. Petri, in Comit. Szaladiensi.

Quamquam certo definiri haud possit, ubi determinate illud Cruciferorum Monasterium steterit : attamen non procul a Kathariensi (modo Csatár) Monasterio Benedictinorum, a Martino Comite fundato abesse potuit; cum praedii Szala pars una huic Cruciferorum Monasterio a Vidone Fundatore tribuatur, altera parte ad Kathariense iam prius assignata. Si coniecturae locus est, non improbabiliter videtur, Conventum hunc aut in Szent-Péter, aut in Szent-Péter-Ur, utraque possessione in Comitatu Szaladiensi, et haud procul ab hodierno Csatár existente quaerendum esse. Ita ariolari in tanta Scriptorum taciturnitate oportet. Exstitisse vero in Comitatu Zaladiensi Divi Petri Conventum Cruciferorum, docemur auctoritate, et diplomate Stephani III. Regis, quod tale est :

„In nomine SS. et Individuae Trinitatis. Notum sit omnibus tam praesentibus, quam futuris, quod ego Stephanus Dei Gratia Hung. Dalm. Croat. Ramaeque Rex, Filius victoriosissimi Geysae, Vidoni filio Dobica suae, et multorum meorum Nobilium petitioni concessi, quod Fratribus Jerosolymitanis, pro remedio animae meae, atque suae hoc daret donum, videlicet praedium Szala et Monasterium in honorem B. Petri dedicatum, ut aliud praedium ex alia parte Szala, tertium vero, quod vocatur Cuchinius, cum omnibus appendicibus eorum, sine omni contradictione suorum Parentum supradicti Fratres, et socii pauperes hospitalis domus ad honorem laudemque Dei in perpetuum tenerent. Ut autem haec institutio firma stabilisque permaneat, coram multis mei regni Primatibus, scilicet : Vilcina ultrasilvano Episcopo, Chemma Agriensi, Macario Quinqueeccl., Stephano Csanad, et Ampudino Palatino Comite, Laurentio Comite, Rubek Com., Vidone Com., Smaragdo Com. privilegium scribi et sigillo regali muniri feci. Si quis igitur praedictae institutioni imposterum contradicere voluerit, anathematis sententia feriatur et Regiae Maiestatis reus iudicetur. Data autem haec chartula nono Kal. Nov. Anno Dom. Incarn. 1166.“ [1])

[1]) Róka, in Episc. Vespr. p. 65. —

III.

Conventus de Simigio.

Margaretha Andreae Comitis de Simigio relicta vidua dotem suam Monasterio Hospitalariorum testamento legavit; quam filius eius Andronicus detrectans tradere, ab Innocentio III. medio Episcopi Vesprimiensis officii monetur, ut sequitur: „Innocentius Episcopus servus servorum Dei. Ven. Fratri Vesprim. Episcopo, et dilecto filio de Bukan (Bokon) Vesprim. Dioec. salutem et Apostolicam benedictionem. Gravem dilectorum filiorum Prioris, et fratrum Hospitalis Jerosolymitani in Hungaria recepimus questionem, quod cum bonae memoriae Margaretha, quondam uxor bonae mem. Andreae Comitis de Simigio, amita carissimi in Christo filii nostri, illustris Regis Hungariae eidem Hospitali dotem suam in ultima voluntate legaverit intuitu pietatis, nobilis vir Andronicus, filius Comitis supradicti eandem dotem contra iustitiam detinet, et eisdem fratribus restituere contradicit. Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus praefatum nobilem, ut iam dictis fratribus dotem ipsam sine difficultate qualibet restituat, ut tenetur, monitione praemissa per censuram Ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Datum Laterani Idib. Apr. Pontificatus nostri anno 11.“ [1])

Cum annus Innocentii III. undecimus cadat in regimen Andreae II., Margaretha fuit Andreae II. Regis amita, itaque Belae III. soror, Comiti Sümegiensi nupta, quod ea aetate nihil inusitatum fuisse, historiae docent. Episcopus autem Vesprim., cui epistola Pontificis inscripta est, Calenda fuit, quem anno 1199 ad annum usque 1209 sedi Vesprimiensi praefuisse constat. Quemadmodum vero certa est liberalitas Margarethae, ita aegre iam definiri potest, cui Domui Fratrum Hospitalariorum, et qua in Hungariae provincia existenti facta sit donatio. Axioma de Simighio ideo addere placuit, ut ex hoc id saltem appareat, quam post Cupam semper prona fuerit Nobilitas Simegiensis in res divinas et erga personas sacras. Aeque enim pronum videtur, donationem huius Margarethae ad Conventum de Csorgó referre.

---

[1]) Pray: Prior. Auranae. —

IV.

Conventus S. Margarethae de Csorgó.

Csorgó, seu Csurgó, sat ampla in Comitatu Sümegiensi possessio, et caput dominii Comitum Festetics, cui nomen commodat. Fuit olim hic loci celebris Templariorum Manseria, qui cum post Concilium Viennense in Hungaria quoque transiissent in Coetus Cruciferorum S. Joannis, etiam Csorgó facta est iuris eorundem Cruciferorum. [1]) Quanti nominis quondam Praeceptoratus Csorgóensis fuerit, argumento est, quod eias Praeceptor titulum habuerit Castellani de Bela Castro. [2]) Est Bela in Comitatu Thurocziensi, olim villa regia libera, modo Familiae Révayanae heredium. Prope ad Belam est Blatnicza, a qua Processui nomen, et in qua olim Templarii. Ab his transierit titulus ad Cruciferos, et quaedam species iurisdictionis super Castrum Bela. Vide infra plura de Csorgó inter Manserias Templariorum.

Anno 1370 Baudenus Prior Auranae, et Comes Dubiczensis de consilio fratrum et Procerum suorum Magistris Stephano et Joanni de Lindva tria iudicia, videlicet effusionis sangvinis, violentiae et furti in possessione . . . ad Domum de Csorgó spectantia in remunerationem fidelium servitiorum titulo et more praediali contulit ita, ut pro censu dictae possessionis quotannis XIV marcas bonorum denariorum in patria pro tempore currentium et decimas integras solitis temporibus dare, et solvere teneantur. [3])

V.

Conventus S. Laurentii de Ükür.

Sunt, qui adstruant Conventum hunc primum Cruciferos S. Joannis in Hungaria accepisse. Sacrum hunc fuisse Divo Laurentio constat : verum a quo, quo item anno et quo denique loco fundatus fuerit, nullus Scriptorum prodit. Sed quid mirum,

[1]) Exstat in Archivo nostro documentum (Caps. 31. P.) de anno 1226, quod Fratres Hospitalarios eotum in C u r g o u habitavisse testatur. Quodsi sub Curgou nostrum Csorgó latet, Hospitalarios florentibus etiam Templariis, utpote 80 et ultra annis tardius sublatis, iam in Csurgó viguisse tenendum erit. Porro in eadem Charta etiam fratrum Hospitalariorum Albae, Strigonii, in Oracha, et in Keszthelch (Keszthely?) commorantium fit mentio, qui cum Abbate S. Martini circa decimas Simigienses in Arbitros compromiserant. — [2]) Pázmán in Catalogo Cruciferorum apud Péterffy. — [3]) Pray de Prior. Aur. p. 19. —

locum privatum, et hunc regularium post tantam temporis intercapedinem ignorari, cum praestantissimarum urbium vestigia saepe incassum perquirantur? Schematismus Ven. Cleri Magnovaradinensis anni 1855 pag. 131 Conventum hunc in Ökörito stetisse, et una cum illo de Lellis, nunc Lele, in Com. Szolnok-Mediocri situatum fuisse asserit. — Hodie Comitatus Szathmariensis ad Samusium ostentat vicum Ökörito.

VI.

Conventus S. Crucis.

Conventum hunc Pazmanus in Comitatu Strigoniensi fuisse situm affirmat. Et reapse existit locus duobus milliaribus Strigonio Tatam versus dissitus ditionis Archiepiscopatus Strigoniensis vastis ruinis horridus, quas inter olim quidam Eremitae pii domicilium sibi praeparaverunt, et sacram aediculam sub titulo S. Crucis erexerunt, unde ipse locus patria etiam lingva Sz.-Kereszt, alias Péli föld audit. Ecclesiam restauravit Emericus Eszterházy Archiepiscopus Strigoniensis anno 1735, quod sequens chronostichon exhibet: CoLLoCaVIt ILLIC esVrIentes, et ConstItVerVnt CIVItateM habItatIonIs. Rudera Monasterii aliquantum reformata Archiepiscopus Strigoniensis Franciscus Barkóczy tunc recens natis Religiosis, Nazarenis dictis assignavit, qui aetatem non tulerunt. Exulantibus Nazarenis remansit unicus Praesbyter nomine Laurentius Weiskirchner, ut Administrator Parochiae.[1]) Ad hanc eremum binis S. Crucis solennitatibus immanis fidelium numerus concurrit; licet in vasta solitudine praeter Parochiam et diversorium nullae sint domus, quae hospites hos adversus pluvias tueantur. Nescio, an in toto orbe terrarum numerus animarum alicuius Parochiae minor sit, quippe: quae anno 1841 earum 11 numeraverit; at usque praesens tandem ad 21 increvit.

[1]) Religio: Egyházi folyóirat; anno 1856, ad 27. Febr. ubi plura. —

VII.

Conventus S. Elisabethae de Kelemföldе.

Varia fuit loci et Conventus huius compellatio. Petrus Pazmanus sic eam notat. „S. Elisabethae de Kelemföldе alias de Kreenfeld.“ Manuscriptum Vesprimiense apud Róka, in Episc. Vesprim. vocat Keremfeld. Sed quocunque horum nominum compellatum velis, locum eius in nullo Geographo, in nullo Schematismo reperies. Nunc dictum Manuscriptum ad annum 1291 meminit Conventus Cruciferorum de Keremfeld, uti et eius Patronae S. Elisabethae. [1]) Eodem anno Benedictus II. Episcopus Vesprimiensis, in censum inter Budenses decimas etiam sequentes elocavit: S. Andreae, de Keszi, de Keremföld, de Ösi, de Nyék, de Tata, velut remotiorum locorum. Unde Keremföld, circa haec nominata loca, quae etiamnum retento veteri nomine noscuntur, quaerendum esset.

Propius nos ad Kelemfeld deducit Thurocii Chronicon Part. 2. Cap. 40., qui de nece S. Gerardi loquens „Beatus vero Gerardus, inquit, eos, qui se lapidabant, indesinenter crucis signo insigniebat. At illi hoc viso, multo magis saevientes, impetum fecerunt in eum et everterunt currum eius in ripam Danubii; ibique abstracto eo de curru eius, in biga positum de monte Kelenfeld submiserunt: et dum adhuc palpitaret, in pectore lancea percussus, super unum lapidem contriverunt cerebrum eius. Nunc in eodem loco, ubi contritum est caput eius, in honore B. Gerardi Martyris Ecclesia sub monte apparet fabricata.“ Perperam aliqui sentiunt, in ipso monte, qui prius Kelenfeld, postea S. Gerardi dictus fuerit, templum in eius honorem surrexisse: nec enim templi, sed castelli, a quo Germanis Blocksberg dicitur, illic rudera supersunt; et non super, sed sub monte sub nomine D. Gerardi structam Ecclesiam tam ex Thuroczio, quam e sequente monumento patet: „Nicolaus Rector parochialis Ecclesiae S. Gerardi sub monte Pestiensi anno 1392.“ [2]) Apparet itaque Conventum Cruciferorum de Kelemfeld sub monte Pestiensi, et S. Gerardi situm fuisse, et ibi quaerendum esse. — Cetera huius Conventus ignorantur.

---

[1]) Róka: Oper. cit. p. 173. — [2]) Schier: Buda sacra, pag. 72. —

VIII.

Conventus S. Joannis Bapt.

Viguisse Conventum hunc in Dioecesi Magnovaradinensi anno 1190 testis est Petrus Pazmanus. Sed quo loco in tam diffusa Dioecesi steterit, nec ille commemorat, nec alter quispiam Scriptorum. Fundatum fuisse a Bela III. existimat Katona.[1]) Cruciferos huiates, uti etiam eos, qui ad Ecclesiam B. Regis Stephani de Sz.-Király, seu Obony residebant, a solutione quorumlibet tributorum in Regno Hungariae existentium idem Rex exemit.[2])

IX.

Conventus de nova Curia.

Quam latini novam Curiam, Hungari Uj-Udvar appellant. De Conventu isto haec habet Card. Pazmanus: „De Nova Curia, alias Uj-Udvar, prope Csáktornya[3]) Castrum, viguit anno 1277.“ Korabinszky addit: In processu Kis-Kapornakiensi. — Eximio honori cedit Conventui huic, quod teste Pray[4]) anno 1358 Baudoni Cornuti, quarti Prioris Auranae, tanquam omnium Cruciferorum sub S. Corona Regni Hungariae degentium Superioris vices per Hungariam et Slavoniam gesserit Arnoldus Praeceptor Conventus de Uj-Udvar, seu de Nova Curia.

[1]) Hist. crit. IV. 333. — [2]) Katona: Hist. pragm. I. 688. — [3]) Csáktornya ab Ujudvar 7 milliaribus distat. — [4]) De Prior. Aur. p. 18. —

X.

Conventus SS. Trinitatis de Buda.

Duos Buda, Hungariae Metropolis, olim Conventus Cruciferorum sinu suo complectebatur. Unum SS. Trinitatis; alterum S. Spiritus; utrumque ut Xenodochium in veteris Budae plaga fundatum. Illud, de quo nunc agimus, Xenodochium SS. Trinitatis, etiam postquam Cruciferis traditum fuit, retento titulo SS. Trinitatis, Ecclesiam accepit sub titulo S. Joannis Baptistae; unde factum est, ut iam Conventus de Buda S. Joannis Baptistae, iam SS. Trinitatis vocaretur: utroque vero vocabulo significaretur Conventus Rhodiorum de superioribus aquis calidis. [1])

Ladisl. Thuróczi existimat [2]) Hospitalariorum aedem in loco Praepositurae Felhéviz stetisse. Id plane significat de Fel-hé-viz, quod latinis est: de superioribus calidis aquis. Nihil etiam obstat, quominus Conventus Rhodiorum Cruciferorum in Praeposituram Canonicorum fuerit elevatus; cum Reges Hungariae pro decoranda eius metropoli plures ibi fundarint Praeposituras et Collegia Canonicorum.

Praeter communem Ordinis morem, Superior Hospitalis de superioribus aquis calidis Rectoris nomine gaudebat. Legitur etiam 1483 Jacobus, qui huic Domui et templo Praecursoris Domini praefuit, solo Literati nomine insignitus.— Ceterum: Conventum Cruciferorum SS. Trinitatis privilegio Loci credibilis gavisum fuisse inde elucet, quod Blasius II. Praepositus de Lelesz anno 1335 privilegia sui Ordinis et Monasterii hoc in Conventu fide digne transsumi curaverit.

XI.

Conventus S. Spiritus de Buda.

In eadem cum priore Conventu plaga, paulo supra oppidum veteris Budae, alterum erat Xenodochium, de quo sic Olahus Archiepiscopus Strigoniensis: „Supra hoc oppidum (Budam veterem intelligit) ex eodem tractu est Xenodochium S. Spiritus, in quo thermae salutares erumpunt.“ Ad hoc Xenodochium fundatos fuisse Cruci-

[1]) Schier: Buda sacra. p. 74. — [2]) Ungar. p. 54. —

feros testatur Pazmanus, apud Péterffyum: „S. Spiritus, inquit, supra Budam in Suburbio.“ Viguit Conventus hic anno 1355, de quo Nicolaus Schmitth in suis Episcopis Agriensibus [1]) ad hunc annum continet diploma Ludovici I. Regis super medietate molendini, et rotae in capite aquarum calidarum, a parte, et in vicinitate fratrum Cruciferorum S. Spiritus existentis in perpetuum Matri suae, Reginae Elisabeth collata.

XII.

Conventus de Tolmács.

Secundum Pazmanum viguit in Tolmács Conventus Cruciferorum anno 1270. Tria huius nominis existunt loca in Hungaria. Primus in Barsiensi, alter in Neogradiensi, tertius in Szaladiensi Comitatibus. Sed haec loca sterilia, et sacri aedificii adeo vacua sunt, ut in eo Neogradiensis provinciae filialis ecclesia tenuis moduli, in reliquis nulla existat. Rudera nuspiam ulla, nec in hominum memoria quidem. Igitur locus huius Conventus plene ignoratur.

XIII.

Conventus de Serrah.

In Agriensi Dioecesi viguit anno 1219 teste Pazmano. Sed locus adeo de Serrah obscurus est, ut nec umbram eius in domesticis Geographis, aut aliis Scriptoribus reperias. Narrat quidem Belius in Notit. Hungariae novae (T. IV. p. 123.) provinciae Neogradiensis vicum Szirágh, hodie Szirák, in recinctu Parochiae Palotás ad rivum Bér situm, iuris olim Hospitalariorum S. Joannis a Thoma Comite de Szent-György, Ordinis huius per Hungariam et Slavoniam Priore, Joanni, filio Viti de Mehora, consentiente Fratrum concilio, anno 1453 donatum fuisse: nec desunt, qui sub isthoc Szirák vetus Serrah latere suspicentur. Ego vero mihi non persuadeo Thomam Priorem cuicunque donare voluisse vicum, in quo eiusdem Ordinis

[1]) Tom. I. p. 298. —

Conventus viguerit. Hoc enim tantundem fuisset, ac ipsum Conventum supprimere, aut certe (quod gravius) ex domino facere inquilinum, eumque perpetuum; cui nempe gravato per loci dominum domicilium mutare, integrum non sit. Accedit, quod Pray inter Serrah et Zirák distinguat, [1]) et utrobique distinctum Conventum collocet; atque in literis donationis, quibus etiam Belii narratio nititur, ipsum vici nomen reticeat : cuius locum in charta vacuum vico Szirák compleri oportere, Mocsáry [2]) fidenter quidem, sed sine vade asserit. Tempus et auctor fundationis pariter ignorantur.

XIV.

Conventus S. Joannis Bapt. de Sopronio.

Fundatus est Conventus iste sub invocatione S. Joannis Baptistae anno 1214, verum a quo fundatus sit, nulla documenta loquuntur. Non abs verisimilitudine asseri posse videtur, fundationem hanc attribuendam esse liberalitati Civium eiatum, qui antequam religione dividerentur, in sacris domibus fundandis et dotandis largi fuere. Iidem anno 1250 Conventui quandam turrim cum curia et domibus ad eam pertinentibus, Rembaldo Domorum Hospitalium per Italiam, Hungariam et Slavoniam Magistro, agente Chákio, Tavernicorum regalium Magistro, et Comite Soproniensi, cum consvetis talium turrium redditibus cesserunt; e cuius turris custodia Bela IV. Rex in suis literis cessionem firmantibus ait multiplicem utilitatem sibi, regno et castro proventuram. [3]) Templum per longum plateae, Viennensis dictae aedificatum, ingressum publicum e latere septemtrionali habet. Conventus Cruciferorum muro, a templo continuato, et illud altitudine aequante a strepitu populi segregatus est. Noverant nempe veteres Religiosi Aegypti solitudinem etiam intra frequentium urbium pomoeria imitari.

Anno 1484 in templi structura quaedam vitia contigerunt, quae ita emendata sunt, ut usque hanc aetatem templum in sua integritate consistat. „Faciebant in hoc, inquit Topographia M. R. Hungariae, rem divinam Cruciferi S. Joannis Hierosolymitani ad annum usque 1577.“ Quo deinde fato rem divinam in eo peragere destiterint, et ipsi etiam desierint, facile assequare, si mentem ad varias religionum demutationes sub id tempus grassantes adverteris. Postquam anno 1636 PP. Societatis Jesu Sopronium inducti fuissent, et tam Collegium quam Gymnasium prope hoc templum acquisivissent, eisdem istud traditum est, et usque sui exstinctionem in eo sacra procurabant.

Pertinebat ad hunc Conventum inter reliqua possessio Keresztény [4]) dicta in Comitatu Soproniensi. Obtinuit eam postea pro se suaque familia C. Thomas Nádasdy,

[1]) De Prioratu Auranae ad calcem. — [2]) Nógrád vármegyének . . ismertetése. I. p. 285. — [3]) Fejér: Cod. dipl. IV. 2. p. 62. — [4]) Hic loci Templarios Manseriam tenuisse, infra docebitur. —

cuius coniux eam Patribus Jesuitis, et in specie Collegio Soproniensi tunc nascenti donavit, ea tamen cautela apposita, ut si quoquo modo Ordo Societatis Jesu in Hungaria desineret, praedicta possessio Keresztény sine iuris strepitu in heredium familiae Nadasdianae reverteretur. Primum quidem factum; sed secundum non est impletum. Nam anno 1773 Societate Jesu exstincta, possessio Keresztény ab Augusta M. Theresia collata est Adamo Kollár, qui ante exstinctam Societatem venerabili illi contubernio valedicens sua doctrina et dexteritate ad Officium Directoris in Caesarea Bibliotheca Viennensi eluctatus fuit.

Ab abolita Societate Jesu variae fuere Templi S. Joannis cum ceteris Jesuitarum aedificiis vicissitudines. Attributum est primo cum veteri, sibi vicino Collegio fundo Religionis, e quo numerata pecunia redemtum fuit a Jacobo e L. Baronibus Meskó de Széplak, et Enyiczke, renovatumque eius liberalitate. In perennem memoriam hoc Chronostichon ad aram inscriptum legitur:

HVIVsqVIs LaCrIMas antIqVae absterserIt AeDIs,
InsIgne aspICIas, ara IoannIs habet.

In iura deinde venit Ven. Capituli Collegiati Soproniensis, quod indubie frequentius ibidem divina peragebat; verum iterum altissimo iussu Josephi II. Imp. clausum fuit: at anno 1790 ab huius obitu denuo fidelium pietati patuit. Ita est: Nihil in orbe perennat.

E reliquis Conventus Cruciferorum Soproniensis Praeceptoribus unius superest memoria, nomine Albertini, qui anno 1358 sub Baudono Conventui Soproniensi praefuit. De hoc nempe apud Pray de Prior. Auranae [1]) sic legitur: „Sub hoc Priore Auranae Praeceptores floruerunt: Elias Dubiczensis, et Albertinus de Sopronio.“ In Synodo Dioecesana Tyrnaviensi anni 1562 Crucifer Soproniensis per nuntium adfuit: in ea provinciali anni 1611 Andreas Polosticzai subscriptus legitur.

XV.

Conventus S. Regis Stephani de Strigonio.

Conventus huius memoriam conservat Catalogus Pazmani apud Péterffy: ubi praeter hunc, quem praefiximus, titulum nihil aliud docetur, quam fundatum per Geysam II. Regem Hungariae, iam anno 1187 exstitisse. [2]) Si quis curiosius quaerat, qua Strigoniensis urbis parte Conventus iste steterit, non aliud possumus respondere, quam fieri potuise, ut disparentibus in Hungaria Cruciferis, Xenodochia per eos procurata permanserint: adeoque, si Xenodochia Strigoniensia, quae hodie vigent, ad vetus aevum referre nihil prohibet, verisimiliter dici posse, Conventum Cruciferorum de Strigonio ibi exstitisse, ubi hodie vetus aliquod Xenodochium existit.

[1]) Pag. 18.— [2]) Urbani III. Bulla anni 1187 eius immunitates confirmat. Péterffy: Conc. Hung. II. pag. 278.—

XVI.

Conventus S. Elisabethae Strigonii.

Huius etiam Conventus memoriam conservatam Pazmano debemus. Documentorum defectu nihil de eo aliud dici potest, quam quod de Conventu S. Regis Stephani de Strigonio mox notavimus. Nam divinationibus et commentis inanibus Lectoris patientiam tentare non lubet.

XVII.

Conventus S. Nicolai de Pest.

De hoc pariter praeter id, quod titulus dicit, nihil notum. Ladisl. Thuróczi „Pestini, inquit, ad S. Nicolai Cruciferorum Conventus degebat.“ Pazmanus, e quo et Thuroczius indubie pauca haec decerpsit, eum Cruciferis S. Joannis, seu Hospitalariis attribuit. In pari documentorum inopia huic quoque ex asse applicari possunt, quae supra de Conventu S. Regis Stephani Strigonii dicta sunt.

XVIII.

Conventus de Gora.

Huius nominis Conventum in Hungaria exstitisse docet Pray de Prior. Auranae pag. 18, qui e vetere documento haec producit : „Sub hoc Priore Auranae Praece-

ptores floruerunt : Elias Dubiczensis, et Albertinus de Sopronio, et Gora." Plura existunt hoc nomine loca in patria nostra, quin eorum uni potius quam alteri honor Conventus huius tribui possit. Id unum constat, eum ante annum 1358 fundatum esse, quum documentum, in quo unica haec eius mentio fit, annum 1358 exhibeat.

XIX.

Conventus S. Joannis Bapt. de Jaurino.

Quamvis Cardin. Pazmanus Conventus huius in suo Elencho non meminerit, eum tamen exstitisse, et per plures Hungariae Reges variis favoribus ornatum fuisse indubium est. — De Fundatore quidem et primis eius initiis nihil reperio literis consignatum. At anno 1216 eum iam exstitisse, probat fassio per Uriam Abbatem S. Martini, et Joannem, filium Comitis Antonii super Concambio prati Millartou cum tertia parte villae Runka, possessioni praediali Füs contiguae, coram Capitulo Jaurinensi celebrata; in qua Pethe Magister Hospitalis Domus post Magistrum Theobaldum, Cantorem Bedam, et Custodem Petrum, ante reliquos Canonicos, inter praesentes recensetur, anno 1216.[1]) Imo, quum Innocentius III. Papa Episcopum Jaurinensem anno 1209 per Episcopum Vesprimiensem iubeat moneri, ne a Crucigeris eorumque servis contra privilegia S. Ordinis, et generalem regni consvetudinem Decimas exigat;[2]) Conventus autem Soproniensis primum anno 1214 surrexerit; alium autem praeterea in Dioecesi Jaurinensi nesciamus : merito illum iam anno 1209 viguisse tenemus.

Quae bona huic Conventui fuerint adscripta, arduum est definitu, eo quod procuratio bonorum Ordinis huius non ad singularium Conventuum Praeceptores, sed ad totius Ordinis Magistrum spectaverit. Quapropter in publicis documentis saepius recurrunt donationes bonorum huic Ordini factae; quin inde elici possit, cui eiusdem Ordinis Domui sustentandae fuerint assignata. Idem apud Templarios usuveniebat. Sic Andreas II. Rex Hung. anno 1228 villam Con, hodie Kóny, Capituli Jaurinensis, Petro, filio Endre, sine herede mortuo, sanctae Domui Militiae Templi contulit,[3]) quae Domus etiam Jaurini esse poterat, sed an fuerit, non liquet. Eodem modo Bela IV. anno 1238 in literis suis, quibus bona Cruciferorum ad preces Rembaldi de Voczon Magistri Domus Hospitalis per Hungariam confirmat, cetera inter concedit eidem quaedam „balinea in Jaurino super terram sita, quae quondam fuit castrum."[4]) E quibus verbis, nisi id aliunde notum esset, non posset concludi Joannitas Jaurini degentes haec balnea obtinuisse; sed tantum verisimiliter statui; eo quod non videretur credibile, balnea haec

[1]) Archivi Archiabb. Caps. 34. Lit. W. — [2]) Fejér : Cod. dipl. III. 1. p. 84. — [3]) Ex Anal. Jo. de Czech. Fejér : Cod. diplom. VII. 4. pag. 77. — [4]) Ibidem, IV. 1. pag. 107. —

alterius alicuius, Jaurino remotae, domus Joannitarum usibus fuisse attributa.

Ceterum anno 1260 certam villam Conventus Joannitarum de Jaurino inter Jaurinum et possessionem Baráthi exstitisse docent literae Henrici Palatini, et Comitis Posoniensis super amica compositione inter Capitulum Jaurinense, et Udvarnicos de Baráthi, ubi villa Cruciferorum, tanquam his contigua occurrit.[1]) Et reapse, teste Joanne condam de Czech,[2]) ultimo vitae suae stadio Sectionis Rei Aerariae Consiliario, antea L. R. Civitatis Jaurinensis Consule, territorii Jaurinensis urbis plaga, villae Baráthi contigua, hodieque apud accolas Jánospap országa, id est: Joannitae Sacerdotis ditio audit. Haec villa Crucigerorum serius in metalibus literis saepius recurrit, nunquam alio, quam villae Crucigerorum nomine insignita.

In ipsa etiam civitate Jaurinensi Joannitas suos populos habuisse docet privilegium Stephani V. Regis Hung. de anno 1271, quo hospites regios Jaurinenses, prout et alios, nominatim vero „populos Crucigerorum domus Hospitalis S. Joannis aeque ibidem commorantes, ad castrum Jauriense" transfert, eosque a Comitis Jaurinensis iurisdictione exemtos, ab eis electi, et per Regem confirmati villici iudicatui subiicit.[3]) Privilegium hoc Andreas III. Rex anno 1295 confirmavit.[4])

Templariorum bona, exstincto eorum Ordine, sub initium sec. XIV. ad proprietatem Cruciferorum Hospitalariorum S. Joannis sunt devoluta. Hac occasione Domus istorum Jaurinensis illorum villam Kon, hodie Kóny, Jaurino Sopronium versus tribus milliaribus distantem est consecuta, cuius primitivam donationem per Andream II. Regem, ut supra monuimus, Templariis factam, ad preces Simonis, Cruciferorum Ecclesiae S. Joannis Baptistae de Jaurino Praeceptoris, Uladislaus II. Rex anno 1491 confirmavit.[5]) Anno 1331 Procurator Magistri Jacobi Comitis Capellae Caroli I. Regis et Judex populorum Cruciferorum per Hungariam constitutus, villanos de Saag, quos ad catervam populorum de Kóny pertinere falso existimabat, ad statum Conditionariorum redigere nitebatur; sed per Capitulum Jaurinense ab omni servitutis conditione liberos fecit declarari, postquam re solerter investigata veritatem comperisset.[6])

Tenuisse Crucigeros Jaurinenses in plaga promontorio Écsiensi, et Nyuliensi contermina vineas, docent literae Comitis Petri Zudar, Judicis Curiae regiae de anno 1373, quae reambulationem metarum inter Possessiones Écs et Nyul complexae, vinearum Hospitalis de Jaurino, velut vicinarum faciunt mentionem.[7]) Quid praeterea Domus haec possederit, an, et quantum ex iis, quae olim tenebat illa temporum iniquitate amiserit, non constat. Eguisse tamen illam aevo Mathiae Corvini Regis inde discimus, quod Rex iste Buda Viennam anno 1486 profectus „Ecclesiam S. Joannis Baptistae Jaurini fundatam pro poenae, et culpae absolutionis gratia, in die nativitatis eiusdem Sancti ex devotione visitando, eandemque exiguis proventibus esse provisam intelligendo," tres Sessiones pro tunc desertas, coemeterio et curiae praedictae Ecclesiae adiunctas ab omni dica et contributione . . . in perpetuum exemerit, eidemque una omnem contributionem aut dicam de Jobbagyionibus in

---

[1]) Ibidem, VII. 5. pag. 328. — [2]) Insignis iste Vir, solers Academiae hungaricae socius, antiquitatum Regni huius qua conquirendarum, qua illustrandarum studiosissimus, ferrea plane patientia, et enormi diligentia ingentem sibi genuinorum documentorum penum comparaverat. Cui dum in ordinem redigendae, abdicato perhonorifico munere publico, reliquum vitae suae tempus unice impendere intendit, et operi manum admovet, summo nostrae historiae patriae detrimento Pestini die 1. Novembris 1854 anno aetatis 56 vivere desiit. — [3]) Fejér: Op. cit. V. 1. p. 148. — [4]) Ibid., VI. 1. p. 348. — [5]) E collect. Jo. de Czech.—[6]) Fejér, Oper. cit. VIII. 7. p. 233. Huius documenti tenor innuit Crucigeros Hospitalarios privilegiali Iudicatu regio in Regno Hungariae gavisos fuisse. — [7]) Collect. Czech. —

possessione dictae Ecclesiae Coon vocata commorantibus provenire debentem, . . . iuxta concessionem condam Andreae regis, praedecessoris sui per Innocentium Papam confirmatam, Ordinique Cruciferorum concessam . . . ad necessitates ipsius Ecclesiae tribuerit. Huic suae donationi Mathias Rex eam obligationem adiunxit, ut pro eo, successoribusque eius aeque ac praedecessoribus Hungariae regibus hebdomadibus in praedicta Ecclesia in perpetuum una Missa legatur.[1]) Datae sunt literae, pietatis regiae, quam nunc retulimus, indices, Jaurini eodem die nativitatis S. Joannis Baptistae anno 1486, quem diem Mathias Rex Jaurini devote exegit. Literas has Ludovicus II., qui eas anno 1524 confirmavit, propria Regis Mathiae manu subscriptas fuisse testatur: Ludovici vero huius privilegium super immunitate per Mathiam Regem concessa Ferdinandus I. Rex anno 1527 roboravit.[2])

Ex huius Conventus Praeceptoribus duo tantum sunt, iique fere ultimi, quorum nomina chartae superstites exhibent. Horum unus est Nicolaus de Zabadi, praeter Jaurinensem trium aliorum Conventuum Praeceptor, qui ob insignia sua merita pro Conventu S. Stephani de Alba, cui pariter praefuit, anno 1512 a Bartholomaeo, Priore Auranae, et perpetuo Comite Dubiczensi possessiones Gyara, Varasd, Fad, et Galavit, pro se, et Successoribus suis Praeceptoribus de Alba obtinuit.[3]) Lubentius sane hic insignia illa praeclari Viri merita, quam acquisitas villas enumeraremus, sed illa non exponuntur. — Alter eorum est Marcus, ad cuius querelam Ludovicus II. Rex anno 1520 Judicibus, Juratis ceterisque civibus ac colonis in civitate Jaurinensi constitutis districtim mandat, ne sata, segetes et foenilia Domus Hospitalis Ecclesiae S. Joannis in eadem Jaurinensi civitate fundatae in quodam praedio prope Jaurinum sito depasci sinant.[4])

Idem Marcus eodem anno enata super metis inter Csécsén, cuius dimidium tunc ad Archiabbatiam S. Martini pertinebat, et villam Kóny lite, cum Matthaeo Archiabbate in iudicium et arbitrium Stephani Henczelfuss, Judicis Curiae Protonotarii, ut apud nos dici amat, compromisit.[5]) Idem mandatum a Stephano de Báthor Palatino anno 1522 obtinuit, vi cuius Conventus S. Martini Albertum Ecclesiae Jaurinensis Praepositum, et Petrum Ludányi Cantorem et Canonicum eiusdem Ecclesiae ob duplicem violentiam, Praeceptoris Marci hominibus in foro communi ante castrum Jaurinense illatam, ad praesentiam Judicis Curiae citare iubebatur.[6])

Solers iste iurium Domus suae defensor Praeceptorum Domus huius agmen clausisse, eiusque opera tuendis eius iuribus impensa non iam Sacro Joannitarum Ordini, sed exteris profuisse videtur. Eodem enim anno Solimannus Turcarum Imperator Insulam Rhodum, principalem Equestris huius Ordinis sedem, infestis armis petiit; ad cuius defensionem exciti etiam ex Hungaria Equites, non virtute, sed numero barbarorum cum ceteris oppressi, plerique interierunt. Qua de caussa, ut supra dictum est, nec praelio ad Mohács anno 1526 commisso intererant, nec imminente saevo hoste ad exercitum Regis, ut moris erat, evocati leguntur. Mox vero cladem Mohacsianam secuta communis calamitas, huius quoque Domus Bona alienis manibus tradidit.

Quis vacui Conventus Joannitarum de Jaurino facultates primus arripuerit, non constat. Verum anno 1559 eas Marcum Ecclesiae Jaurinensis Praepositum Maiorem, et Canonicum tenuisse, notum est. Docent hoc literae Capituli Jaurinensis, coram quo eum, possessionem suam Kóny pro certa pecuniae summa oppignorantem a venditione et abalienatione, Thomam autem de Nádasd Palatinum, et Christo-

[1]) MSS. Czechiana. — [2]) MSS. Kaprinayana. — [3]) MSS. Hevenessiana. — [4]) MSS. Czechiana. — [5])—[6]) E Collect. Joannis de Czech, et Regesto Archivi Archiabbat. Vol. III. pag. 2963. —

phorum Nádasdy ab emtione et occupatione eiusdem possessionis Sebastianus Praeceptor suo et totius Religionis Cruciferorum ubilibet existentium nomine solenniter inhibuit. [1])

Marcus iste primis obtenti huius beneficii annis etiam titulo Praeceptoris Crucigerorum de Jaurino utebatur tamdiu, donec Praeposituram S. Adalberti fuisset consecutus. Idem ipso allatae inhibitionis momento inter vivos non agebat; quia in literis condam Praepositus dicitur: et eodem anno, 18. Maii Nicolaus Olahus, Archiepiscopus Strigoniensis, translato in eum, quo integris Ordinis rebus Prior Auranae gaudebat, per Ferdinandum I. Regem patronatus iure, beneficium Cruciferatus Jaurinensis, Marci Praepositi obitu vacans, Joanni Sebastiano Listhio de Cibinio contulit, eius administrationem in temporalibus et spiritualibus pleno iure committendo, ita tamen, ut illa ecclesiastica munia, quae Praeceptor, seu Crucifer Jaurinensis pro tempore constitutus obire tenebatur, ille quoque, quantum periculosi illius temporis status pateretur, iuxta suum posse obire teneatur. [2])

Nonnulla bona ecclesiastica per Ferdinandum I. Hungariae Regem ad intertenendas Scholas fuisse applicita, ex eiusdem Regis celebri Decreto anni 1560. 10. Aprilis edito constat. [3]) Eandem fuisse possessionis Kóny destinationem, patet ex literis Capituli Jaurinensis, feria secunda proxima post festum beatae Margarethae Virg. et Mart. anno 1565 datis, quibus quandam domum jobbagionalem in possessione Kóny Comitatus Jaurinensis, per Stephanum Fejérkövy Ecclesiae Jaurinensis Custodem florenis 16 hungaricalibus emtam, a statu et conditione reliquarum sessionum jobbagionalium eximit et libertat, unaque mentionem facit eius, quod „dicta possessio Kóny per Serenissimum olim Regem Ferdinandum ad sustentationem iuventutis Scholae Jaurinensis applicita sit finem in eum, ut per haec tempora, ubi arma vigent, non collabatur; sed potius studia liberalia in eadem floreant.“ [4])

Ecclesiam Hospitalariorum S. Joannis de Jaurino extra urbem circa annum 1538 adhuc exstitisse e quadam coaeva signatura saepe laudatus Czechius eruit. At anno 1592 eandem iam in ruinis iacuisse, e relatione et supplicatione Gesualdi S. R. Ecclesiae Cardinalis, pro translatione Joannis Kutasi Episcopi Quinque-Ecclesiensis ad Ecclesiam Jaurinensem per Apostolicum Regem Rudolphum praesentati discimus, in qua cetera inter haec legundur: „Praeter Cathedralem unica tantum Ecclesia exstat sub invocatione S. Stephani, quam haeretici occupant: ceterae, quae olim aderant, modo dirutae reperiuntur.“ [5])

Teste Catalogo, „Nomina Dominorum Abbatum, Praepositorum Regularium et Secularium, Decanorum, Plebanorum et aliorum, qui Synodis Reverendissimorum Dominorum Archiepiscoporum ab antiquis temporibus, et de iure semper interesse debuerunt“ continente, per Mathiam Graecum, Praepositum Maiorem Strigoniensem et Vicarium Generalem confecto, Crucifer Jaurinensis ad easdem comparere tenebatur; at a Synodo Dioecesana Tyrnaviensi anni 1562 abfuit, cui Crucifer Soproniensis per nuntium adfuisse legitur. [6]) Reliquorum nulla mentio.

Prayius in sua Dissertatione de Prioratu Auranae ad calcem, XLII praecipuos Hospitalariorum Conventus, praeter eum Auranae numerat, quos in Hungaria et regnis ei adnexis ductu instrumentorum literariorum se colligere potuisse ait; e quibus, omissis primum iuxta originariam Auctoris intentionem illis, qui extra regnum Hungariae vigebant, deinde iis, de quibus, si nomen demas, omnia ignoran-

[1]) Collect. Czechiana. — [2]) Kovachich: Form. Sol. Stili. p. LI. — [3]) Corpus Jur. hung. post Decretum anni 1559. — [4]) E Collect. J. de Czech. — [5]) Koller: Hist. Episc. Quinq. VI. p. 357. — [6]) Péterffy: Conc. Hungariae II. p. 149. —

tur, remanserunt numero XVI. Quibus, additis tribus, seu ignotis Prayio, seu parvi habitis, utpote Conventu de Simighio, S. Joannis de Jaurino, et S. Petri in Comit. Zaladiensi, increvit numerus ad XIX Conventus, quos clarorum fontium defectu fere ieiune tantum exhibuimus. Quodsi numero, ut aiunt, rotundo studere libuisset, vigesimo loco poteramus adnectere Conventum S. Spiritus de Cassovia, qua in urbe Tavernicorum regalium Magister civibus Cassoviensibus citatis, sed coram se non comparentibus Domum hospitalem una cum bonis eiusdem abiudicatam et ademtam Magistro Hospitalariorum iure addixit, sed mox Ludovicus I. Rex, comperto hunc eam vendere conari, annihilata priore sententia, iisdem civibus anno 1374 restituit; relicta universis, qui litem prosequi se cum fructu posse crederent, coram iudicio agendi libertate. Qua cum ob clarum civium ius nemo uti voluisset, cives Cassovienses in eius possessione permanentes, anno 1392 a Sigismundo rege plenam libertatem impetraverunt, ut, tanquam veri Domus huius hospitalis Fundatores, libere in ea disponere possint. [1])

Notitiae, quas de Conventibus Cruciferorum S. Joannis a Card. Pazmano medio Péterffyi accepimus, sic sonant:

„Ordo Cruciferorum S. Joannis Jerosolymitani, qui olim Hospitalarii quoque vocabantur."

„Equites olim Rhodienses, nunc Melitenses dicti, Prioratus insignes habuere sub Corona Hungariae: Priorem per Hungariam et Slavoniam, Comitem Dubicae, Priorem Castri Auranae in Dalmatia. Conventus permultos numerarunt, quos ipsi Praeceptoratus nominabant. Conventus de Ban-Monostra in Sirmiensi. Datus postea Fratribus Minoritis. — De Charaza. — S. Margarethae de Chorgo in Simigiensi Comitatu: cuius Praeceptor habebat titulum Castellani de Bela Castro. — In S. Crucis, Strigoniensi Comitatu. — S. Elisabethae de Kelemfölde, alias de Kreenfeld. — S. Elisabethae, Strigonii. — S. Joannis Baptistae de Sopronio. — S. Joannis Baptistae in Varadinensi Dioecesi: viguit anno 1190. — S. Martini in Slavonia prope Lüpoglavam. — De Nova Curia, alias Uj-Udvar, prope Cháktornya Castrum: viguit anno 1277. — S. Nicolai de Pest. — S. Regis Stephani de Alba. — S. Regis Stephani de Strigonio. — De Serrah in Agriensi Dioecesi: viguit anno 1219. — S. Spiritus, supra Budam in suburbio. — S. Trinitatis de Superioribus Calidis Aquis Budensibus. — De Tolmach: viguit anno 1270. — De Varasd, datus postea Minoritis. — De Zumula, et de Zirak: viguerunt anno 1270."

„Ex Urbani III. Bulla, confirmante anno 1187 Immunitates Ecclesiae et Domus Cruciferorum S. Stephani Regis de Strigonio constat: Domum Hospitalariorum Fratrum Hungarorum fuisse in Accone Civitate, sita in litore Maris Mediterranei in Palaestina. Item Geysam II. Regem Hungariae exstruxisse Jerosolymis pro hoc Ordine Cruciferorum Ecclesiam B. Mariae Virginis, Sanctique Regis Stephani, ac Domum Hospitalem pro Peregrinis. Eundem Geysam II. fundasse supradictam Ecclesiam S. Regis Stephani de Strigonio, una cum Domo Hospitali eorundem de Obom. Ibidem enumerantur Ecclesiae eorundem Hospitalariorum, ad quas se extenderunt immunitates praedictae, videlicet: Ecclesia S. Stephani Protomartyris prope Strigonium. — Ecclesia S. Trinitatis de Calidis Aquis. — Ecclesia S. Margarethae de Taat. — S. Thomae de Sidód. — S. Stephani Regis de Pulchro Praedio. — S. Nicolai de Weitech. — S. Mariae de Thout. — S. Mariae de Szokol. — S. Mariae de Characha. — S. Andreae de Torsol. — S. Crucis de Keureu. — S. Joannis Baptistae de Chura-Szombat."

[1]) Fejér: Cod. dipl. IX. 5. p. 35. et X. 2. p. 60. —

„Cruciferos quoque B. Mariae Virginis, quos Teutonicos vocant, uti et Fratres Beatae Mariae Virginis Ordinis Carmelitani in Hungaria olim habitasse, apparet ex Bulla quadam Papali anno 1434 scripta, et in Strigoniensi Capitulo asservata."

Ne aliquid potentissimi huius quondam patriae nostrae S. Ordinis, quamvis tenue, neglexisse, aut spontaneas Virorum Eruditorum symbolas, quod absit, fastidisse videamur, Conventuum — ex Prayio, et qui huic praeluxit, Pazmano solo suo nomine eoque ante secula usitato, et fors iam penna, iam typo, iam ambobus foede corrupto, notorum — probabilia intra Regnum Hungariae loca dubio indice monstrare iuvat. Igitur:

Conventus de Charazo. Fors Karaszó, nunc vicus Comitatus Bihariensis, IV. milliar. Magnovaradino ad Austrum remotus.

„ de Thold. Exstat praedium in Comitatu Neogradiensi nomine Told ad plagam Cserhát in recinctu Parochiae Szentivány, Dioec. Vaciensis. Item aliud Told in Comit. Bihariensi Dioec. Magnovaradinensis: olim Parochia, nunc filialis ad Mezőpeterd. Cum vero maiores nostros passim profundioribus vocalibus usos fuisse vetera diplomata doceant, et Thold nonnihil remissius enuntiatum hodie quoque in rudis plebis ore Thout sonaret; suspicari licet Conventus de Thout, et de Thold, cuius nec Pazman meminit, sola enuntiatione differre.

„ de Zirák. Archidioecesis Strigon. complectitur pagum Siráк in recinctu Parochiae Keökeszi, Districtus Hontensis. Archidioecesis Zagrabiensis pariter tenet Szirach, Parochiae Pakracz filiam. In Comit. Borsodiensi etiam reperitur.

Conventus de Obom. De hoc nihil suppetit, nisi ad violentas literarum detorsiones velimus confugere. Proximum videtur Abony in Dioec. Vaciensis Districtu Kecskemetiensi. Item in Comit. Posoniensi, et Hevesiensi.

„ de Thaat. Exstat vicus huius nominis in Comit. Strigon. ad viam Budensem inter stationes Dorogh et Neudorf positus.

„ de Sidód. Fors nostrum Zsidó in Comit. Pestiensi II. et medio milliar. Pestino recedens.

„ de Wejtech. Hodie Vejti vicus est in Comit. Barany. ad fluvium Dravum Parochiae Weiszlo filiali nexu coniunctus.

„ de Szokol. Exstat huius nominis vicus in Comit. Tolnensi ad oppidum Ireg; item in Sárosiensi cum arce cognomine. Tum Szokolca in Comit. Nitriensi ad Sandorf.

„ de Torsol. Nihil simile seu Schematismi seu mappae nostrae exhibent; nisi Tarczál Comitatus Zempliniensis, aut Tarcsa Comit. Pestiensis, et plurium aliorum adrideret.

„ de Keureu. Nostrum N.-Kürü Comit. Hevesiensis Sec. XIV. in elencho decimarum papalium

iisdem literis scriptum visitur.

Conventus de Karacha. Quidni Karasso Comit. Szathmár?

„ de Chura-Szombat. Corruptum suspicor ex Mura-Szombat. Nihil enim facilius, quam segniter scriptam literam M cum Ch confundere. Alioquin hos Pazmani elenchos in editione, per Péterffyum procurata, plurimis typi erroribus foedari notum est.

B.

De S. Ordine Templariorum generatim.

Sacer Templariorum Ordo equestris originem sumsit Hierosolymis anno 1118. Scilicet quum expeditio cruciata sub auspiciis Balduini tropaea sua in moenibus expugnatae Hierosolymae defixisset, Ordo horum Equitum a Principibus Gallis fuerat stabilitus, quorum primi fuerant Hugo de Paganis, et Godefridus de S. Audomaro. Hi cum septem sociis Patriarchae Hierosolymitano semet subdiderunt, et coram eo castitatem, paupertatem et obedientiam voverunt, Canonicorum Regularium secuti institutum. Quia vero sub initium instituti sui et Templo et Claustro carebant, Balduinus II. Rex partem sui palatii eis incolendam concessit ad meridionalem portam Templi; unde Templariorum iis nomen adhaesit. Abbas, et Canonici de Latina pro aliquo vitae subsidio partem plateae Templi eis cum omnimodo fructu et proventu concesserunt. Verum cum peregrinis plenam viarum securitatem virtute militari procurarent, Rex, Patriarcha plurimique Nobiles certatim eos bonis temporalibus cumulaverunt. Talibus vitae sustentandae mediis intra breve tempus adeo auctus est numerus Templariorum, ut exactis novem annis eorum Ordo ab Honorio II. in Concilio Trecensi confirmaretur, tradita eis regula, cuius auctor passim censetur S. Bernardus. Ab eo tempore pro sui Instituti ratione vias a latronibus et palantium Saracenorum insidiis securas praestiterunt. Subinde e praescripto Eugenii III. Papae rubeas cruces suis albis vestibus assuerunt; quo ostenderent, se sanguinem suum pro defensione Terrae Sanctae contra infideles fundere paratos esse.

Ordo hic successu temporis tantum bonorum per omnes mundi partes, tantasque ex iis opes congessit, ut harum comes invidia plurimos ei hostes, eosque implacabiles consciverit. Primus eos aggressus est Philippus IV. etiam Pulcher dictus, Galliarum rex, cuius regno plurimae Templariorum possessiones continebantur. Accidit scilicet, ut Prior Templariorum Montis Falconis, et Noffus civis Florentinus ob perpetrata flagitia ad perpetuos carceres (iuxta alios ad mortem) damnati, ex custodia elaberentur; qui apud Philippum regem perfugium nacti, omnes Templarios odii in Christum, idololatriae aliorumque criminum reos fecerunt, quae verecundus calamus horreat exprimere.[1]) Verum coaevi Scriptores, quos inter et Galli, Templarios per iniuriam et calumniam fuisse accusatos, passim asseverant. Nec enim, uti res est, credibile existimant, ut ingenui, optimae indolis educationisque

[1]) Natalis Alexand. Hist. Eccl. VIII. p. 37. Utor editione Veneta in folio. —

honestissimae, christianae, et nobilis, quales soli ad professionem apud Templarios admittebantur, seu Juvenes, seu iam Viri ad inhumana, innaturalia, inutilia, barbara, imo stulta flagitia consensissent; aut si consensissent, suo tempore dedecore, conscientiaque immanium aeque ac absurdorum criminum ducti, ea nonnulli ex iis non revelassent; praecipue, cum sacer ordo conflatus fuerit e tam diversis Nationibus, quae moribus, indole, studiis diversae, alias se mirum in modum aemulabantur. Ex mutua vero aemulatione, si quae sunt inter partes secreta, semper propalari solent.

Utcunque autem se res habuerit, fuerint ea vera, vel appicta Templariis crimina, idoneam Regi Philippo contra eos procedendi occasionem porrexerunt. Utprimum hanc criminum denuntiationem excepit, teste Papirio Massonio, illico secretas literas ad Praefectos urbium regni sui, in quibus Templarii Manserias suas habuerunt, anno 1307 expedivit, eo severo mandato addito, ut eas non prius, quam 13. Octobris sub vesperum aperirent, exsequerenturque subsequa nocte, quae iuberentur. Hac igitur nocte per omnes Galliae provincias Manseriae armata manu occupatae, Templarii capti carceribusque mancipati sunt. Decima quinta vero eiusdem mensis die, in Dominicam incidente, e duorum illorum infamium hominum fassione cognita crimina Rex „in aula regalis palatii coram Clero et Populo palam et publice proclamari fecit.“ [1]) Quanta e publica hac criminum ad eum diem cunctis mortalibus ignotorum, imo fors nunquam patratorum publicatione prostitutio, infamia, cum enormi scandalo enata sit, facile est iudicatu. Sermone per Parisios didita rei fama, infamia Ordinis in omnes Europae regiones, ut solet, aucta provolavit; et quocunque appulit, eiates Templarios pro vario credulitatis gradu infames, aut saltem suspectos reddidit.

Ad varia deinde protracti sunt Templarii iudicia, et variis modis extorta confessio. Alii tormentis, inedia alii, plurimi splendidis promissis tentati confessionem sinceram, impacta sibi crimina negando peregerunt: cum contra aliqui seu metu tormentorum, seu spe promissae impunitatis ultro confessi sunt flagitia, quae fors nunquam commiserunt. Ita Guillelmi Nangii Continuator coaevus ad annum 1307 haec refert: „Factum est, quod eorum nonnulli sponte quaedam praemissorum, vel omnia etiam lacrimabiliter sunt confessi: alii quidem, ut videbatur, poenitentia ducti, alii autem diversis tormentis quaestionati, seu comminatione vel aspectu eorum perterriti, alii blandis tracti promissionibus, et illecti; alii arcta carceris inedia cruciati vel coacti, multipliciterque compulsi; multi tamen penitus omnia negaverunt et plures, qui confessi primo fuerant, ad negationem postea reversi sunt, in ea finaliter persistentes; quorum nonnulli inter ipsa supplicia (tormenta) perierunt.“ [2])

Idem ad annum 1310 haec scribit: „Tunc 59 Templarii foras civitatem Parisios in campis videlicet ab Abbatia Monialium, quae dicitur S. Antonii, non longe distantibus, incendio fuerunt exstincti: qui tamen omnes, nullo excepto, nil omnino finaliter de impositis sibi criminibus cognoverunt; sed constanter et perseveranter in abnegatione communi perstiterunt, dicentes semper sine caussa morti se traditos, et iniuste.“ Consentit alter Scriptor Du-Creux in suis seculis Christianis: „LIX, inquit, Templarii in campis Abbatiae S. Antonii vivi comburio enecti sunt, alii ad perpetuos carceres, ad poenitentiam agendam alii condemnati, alii denique, plurima nempe pars, liberi dimissi.“ Si plurimi sententia iudicum liberi dimissi sunt, quomodo crimina toti Ordini impacta vera fuerunt? E libera plurimorum dimissione patet, ceterum Ordinis corpus insons et

[1]) Idem ibidem, p. 426. — [2]) Ibidem, p. 430.

sanum fuisse, licet fortassis aliqua membra languerent.

Porro Philippus Rex per Clementem V. Pontificem monitus, quaestionem super Templariis ad Sedem Apostolicam pertinere, licet eam prius Episcopis Galliae asseruerit, mox tamen non tantum inquisitionem per Cardinales a Pontifice missos peragi sivit; sed etiam plures Templarios ad suam Sanctitatem tunc Pictavis agentem misit. „Septuaginta duos, inquit Natalis Alexander, interrogavit ipse Pontifex, quos confessos reos habuit eorundem flagitiorum, quorum iam convicti erant ab Inquisitore gallicano. Responsiones suas in scripta redactas, sibique perlectas coram Cardinalibus ratas habuerunt, in eisque postea constantes fuerunt." Deputati sunt deinde duo Archiepiscopi in provincia Senonensi ad inquirendum, et duo Episcopi cum pluribus Archidiaconis. Ex horum, ut videtur, relatione Concilium anno 1310 Parisiis celebratum circa Templarios declaravit, „ut secundum mensuram delicti esset et plagarum modus, iuxta Consilium tam in iure divino, quam canonico peritorum, sacro approbante Concilio adiudicatum est, ac etiam diffinitum, quosdam ex ipsis ab Ordine simpliciter absolvi. Quosdam vero post peractam poenitentiam liberos, et illaesos abire permitti, alios autem sub arcta carceris custodia detineri, aliosque quamplures inclusione muri perpetuo circumcingi: sed eorum nonnullos, tanquam relapsos in haeresim, tradi Curiae seculari." Ita Continuator Nangii ad annum 1310 apud Natalem ibidem.

Philippus non contentus eo, si Templarios in suo regno prostravisset, idem ut in aliis Europae regnis fieret, pari ut in Galliis aestu consequi nitebatur. Quapropter teste Zurita apud Natalem „Kal. Novembris Nuntii a Francorum Rege in omnes Christianorum Principum regiones deferuntur, expostulantes, uti in sua quisque ditione fidei catholicae asserendae caussam adversus eos, qui Templi Hierosolymitani sacris addicti erant, suscipiat." Capti proinde sunt in Italia, in Anglia, in Aragonia, verbo: per totam fere Europam Templarii. Videamus, quo iudicio actum circa eos, quave sententia perstricti fuerint.

In Italia Archiepiscopus Ravennas coacto Concilio in caussa Templariorum quaestione instituta communem Patrum sententiam pronuntiavit hoc tenore: „Innocentes absolvi, nocentes ex lege puniendos. Intelligi innocentes debere, qui metu tormentorum confessi fuissent, deinde eam confessionem revocassent, aut revocare huiusmodi tormentorum metu, ne inferrentur nova, non fuissent ausi: dum tamen id constaret. De Ordine, eiusque bonis consensere omnes, servanda innocentibus ea fore, si innocentes maior pars Ordinis essent, et nocentes abiurata haeresi meritas sceleris poenas in Ordine dedissent." Rubens Hist. Ravenn. L. VI. ad annum 1310.

Robertus de Winchelse, Cantuariensis Archiepiscopus cum Suffraganeis suis Concilium Londini celebravit, in quo de Templariis habita quaestio iuxta mandata Clementis V. Papae. „Huius Concilii exitum nulla Monumenta docent," ait Natalis Alexander. In Aragonia Templarii omnes a Jacobo II. Rege in custodiam tradi iussi. Verum, cum crudelem tragoediam in Galliis cum sociis suis peractam e vicino spectavissent, ad arma confugerunt, et in munitissimas arces semet securitatis caussa receperunt. Comperto nempe longiore inedia, carcerum squallore, tormentisque confessionem criminum seu vera essent, seu falsa extorqueri, usi sunt confugio ad arma; ne iniqua sine sua culpa ferre cogantur, et ne indicta caussa in eos animadvertatur. Istud salutis adversus crudelitatem iniquam quaesitae medium Natalis noster contumaciam adversus Ecclesiasticos Judices, perduellionem in regem, et malae conscientiae indicium interpretatus est! An, et quorum postea criminum rei comperti, an et quibus, poenis affecti fuerint, non adfert.

Maiorem in modum perculit Ordinem Militiae Templi poena de Generali totius huius Ordinis Magistro Mola, et Normanniae Magistro, Delphini fratre sumta. Cum enim Viri isti ex iis, quae circa Templarios iam acta fuere, Ordinem nec defendi, neque porro sustineri in Ecclesia posse prudenter censerent; cumque praeterea in gratia Regis — Mola quidem tam ob eminentem dignitatem suam, quam quod regium Principem, Philippi filium e baptismo levaverit: alter vero ob fratrem suum Delphinatem Principem — plurimum confiderent, crimina confessi sunt, ex confessione impunitatem, honoresque sibi polliciti. Verum ne Rex et Pontifex partium studio, et distinctioni personarum in iustitiae administratione, fervente caussa, aliquid tribuisse arguerentur, muro et perpetuo carceri addicti sunt, liberandi citra dubium suo tempore.

Insperata hac sententia se spe sua delusos videntes, ingemiscunt ad praestitam confessionem retractantque omnia, quae antea fatendo mentiti fuerant. „Audita palinodia, inquit Continuator Nangii, ut ad aures Regis, qui tunc erat in regali palatio, insonuit, communicato cum suis, quamvis proinde Clericis non vocatis, prudenti consilio, circa horam vespertinam ipsius diei, in parva quadam insula Sequanae inter hortum regalem, et Ecclesiam Fratrum Eremitarum posita, ambos pari incendio concremari mandavit. Qui sic paratum incendium promto animo et volenti sustinuisse sunt visi, ut pro suae mortis constantia et abnegatione finali cunctis videntibus admirationem multam intulerint ac stuporem: duo vero reliqui adiudicato sibi carceri sunt reclusi.“ Horum unus erat Visitator Ordinis per Franciam; alter Aquitaniae Magister, quorum uterque factam confessionem, aeque ut Generalis Magister Mola, retractavit. — Id, quod nonnulli memoriae prodiderunt, Philippum Regem ad annum, Clementem V. Pontificem ad quadragesimum diem a Generali Ordinis Magistro, in rogo suo stante, ad divinum tribunal fuisse evocatum, Natalis Alex. fabulis quidem accenset. Fatetur tamen „admirando Dei iudicio“ accidisse, ut ambo, intra suum quisque terminum, e vivis excesserint.

„Omnium inquisitionum acta (prosequitur Natalis) in Concilio oecumenico Viennensi examinata. Rogata suffragia Patrum. Circa modum procedendi variae fuerunt sententiae. Quibusdam videbatur observandos esse iuris apices, extrahendam caussam, dandum Ordini defensionis locum; aliis (videlicet Gallis, aut Gallicanis) Ordinem tot turpitudinum maculis infamem, et duorum millium testium depositionibus gravatum atque convictum, qui sine totius Ecclesiae scandalo stare diutius non poterat, abolendum. Ea obtinuit sententia... At, quoniam totus Ordo in ius vocatus et auditus non fuerat,.. et quia in quibusdam provinciis absolutus fuerat, visum est Concilii Viennensis Patribus et Summo Pontifici, definitiva sententia Ordinem aboleri non posse, sed per viam provisionis et ordinationis apostolicae.“ Quapropter in sententia huius Concilii diserte exprimitur: „Eius Ordinis statum, habitum atque nomen ... Sacro approbante Concilio, non per modum diffinitivae sententiae, cum eam super hoc secundum Inquisitiones et Processus super his habitos ferre non possemus de Jure; sed per viam Provisionis, seu Ordinationis Apostolicae, irrefragabili et perpetuo valitura sustulimus sanctione. Ipsum prohibitioni perpetuae supponentes districtius inhibendo, ne quis dictum Ordinem intrare, vel eius habitum suscipere, vel portare, aut pro Templario se gerere praesumeret.“

Universa bona Ordinis Templariorum Apostolicae Sedis ordinationi et dispositioni auctoritate Apostolica sibi Clemens V. reservavit. Ea demum Equitibus S. Joannis Hierosolymitani attributa sunt, ap-

probante Concilio Viennensi. [1]) Excepta solum fuere bona Ordinis Militiae Templi in Regnis Castellae, Aragoniae, Portugalliae et Maioricarum, quae Reges horum regnorum non Rhodiis, sed aliis sacris finibus applicanda obtinuerunt a Pontifice et Concilio. An et quantum lucri ex hac divitis Ordinis suppressione Philippi Regis Fisco accesserit, disquirere, non est huius loci: non enim istud ad historiam Templariorum Ordinis, quae cum eius exstinctione cessat, sed ad eam Philippi Pulchri pertinet, quam scribere non intendimus. Sufficiat hic attigisse duntaxat transactionem inter Ludovicum Hutinum Regem Galliae Philippi filium et in throno successorem, ac Fulconem Villaretium, Magnum Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani Magistrum anno 1315 initam, qua conventum est, „ut Equites Hospitalarii Regi solverent summam ducentarum sexaginta mille libellarum, aliasque summas non expressas, quibus debitis omnia Templariorum bona onerata erant, eiusque Maiestati oppignorata ob sumtus immensos, quos in promotionem negotii huius et abolitionem Ordinis contulerat Philippus Rex eius Pater.“ Ita Natalis Alexander oper. cit. p. 435.

Quid in caussa Templariorum actum sit in Hungaria, nulla nostra historia prodit. Verum: cum Decreto Concilii Viennensis Manseriae Templariorum, cum omnibus bonis, Hospitalariis tradendae essent; Clemens V. literas ad Reges dedit, quibus magnopere hanc Concilii constitutionem singulis commendavit. Accidit istud Carolo I. Hungariae Rege: sed in quaestionem Templarios ab hoc Rege vocatos, aut severius quidpiam in eos statutum fuisse, non constat. Ut tamen auctoritati et voluntati Pontificis satisfieret; vestem eos et institutum Hospitalariorum assumsisse, eorumque Manserias Conventus Hospitalariorum dictos fuisse, dubitari nequit.

Quid? quod dubitatum fuerit, an unquam Templariorum Ordo in Hungaria domicilium quodpiam habuerit? At omne dubium sustulit Pray, qui in Dissertatione sua de Prioratu Auranae Gregorii IX. [2]) Rescriptum adducit huius tenoris: „Gregorius Episcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Magistro et Fratribus Templi de Ungaria salutem et Apostolicam benedictionem . . . Dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu libertates et immunitates vobis a clarae memoriae Henrico Rege Hungariae pia liberalitate concessas, prout in eius privilegio plenius continetur, sicut eas iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos Militiae Templi auctoritate Apostolica confirmamus et praesentis scripti testimonio communimus. Ad maiorem autem rei evidentiam tenorem privilegii ipsius de verbo ad verbum praesentibus duximus inserendum, qui talis est: Henricus Dei Gratia Hungariae . . . Rex in perpetuum. Attendentes religiosam devotionem et assiduos labores Militiae Templi Jerosolymitani, quos incessanter perferunt contra inimicos Crucis Christi et eos in corde nostro laudabiliter commendantes dignum duximus et idoneum petitionibus ipsorum facilem praebere assensum. . . . Quapropter cognoscat tam praesens universitas vestra, quam futura, quod nos pro remedio animae nostrae et Successorum nostrorum ad preces Magistri Cone et Fratris Franconis, et aliorum fratrum sacrae Militiae Templi in Hungaria omnes possessiones et omnia bona mobilia et immobilia Templi Jerosolymitani, quae in universo regno nostro iuste in praesentiarum possident et in posterum iuste poterunt adipisci, una cum personis et subditis eorum in regno nostro habitantibus et legationem atque negotia Templi praedicti exercentibus, in protectionem regiae defensionis nostrae suscipi-

[1]) Jam Nicolaus III. Papa Ecclesiae christianae utilius fore censebat, si Templarii et Joannitae Equites in unam Religionem cogerentur. Fejér: Cod. dipl. T. V. Vol. 3. pag. 42. — [2]) De simili Honorii

mus . . . Datum per manus Magistri Catapani Agriensis Episcopi, Aulae regiae Cancellarii anno Incarn. dom. 1198 . . . Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire . . . Datum Laterani IV. Non. Maii Pontif. nostri anno X." [1])

Huc facit etiam Rescriptum Pontificis Innocentii IV. anni 1253 huius tenoris: „Innocentius Episcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Magistro et Fratribus Militiae Templi in Hungaria et Slavonia salutem et apost. benedictionem. Exhibita . . . nobis vestra petitio continebat, quod licet charissimus noster in Christo filius Bela, Ungariae Rex illustris olim omnes donationes . . a clarae memoriae Andrea Rege Patre, nec non et Emerico, Ungariae regibus . . factas revocandas duxisset, idem tamen postmodum ad cor rediens, volens Domui Militiae Templi salubriter providere, quosdam redditus, terras, possessiones et res alias ad se spectantes, Fratribus eiusdem Domus concessit et concedendo confirmavit perpetuo pacifice possidendas, quasdam exemtiones, libertates et immunitates eisdem per regnum suum nihilominus concedendo, prout in literis eiusdem regis confectis exinde . . dicitur plenius contineri. Nos igitur . . . quod ab eodem rege factum est pie ac provide, in hac parte ratum habentes et gratum, illud auctoritate apostolica confirmamus. Datum Perusii V. Idus Dec. Pontificatus nostri anno undecimo." [2]) Cui haec non sufficiunt, videat in Fejérii Codice diplomatico (II. pag. 168.) apocham super soluto censu de praedio Scentha, quam Althaviz, Praeceptor de Csorgo et Capellanus de Bela Michaëli filio Thomae anno 1163 scripsit, sigilli sui munimine roboratam. Si enim, fide tabularii Rajcsanyiani, Hospitalarii non aliter, quam Decreto Concilii Viennensis anno 1311 Conventum de Chorgo sunt ingressi, Praeceptorem hunc aeque ac illos, quibus praecipiebat, Templarios fuisse dubitari nequit. Ceterum conf. quae supra pag. 141. hanc in rem dicta sunt.

In eundem modum, ut ceteros taceam, Andreas II. toti Ordini per Hungariam Praefectum vocat per Hungariam et Slavoniam Domus Militiae Templi Magistrum. „Quas intra gremium Hungariae domos habuerint Templarii, nullus quod sciam adhuc recensuit," inquit Katona. Recensuit quaspiam eruditus Kolinovics Senquicensis: Cato moribus, scientia dives, opum pauper, totius mundi praeter libros contemtor. Si eandem cum auctore huius Monasteriologiae habuisset intentionem, adcuratiorem fors Manseriarum descriptionem eruditae Hungariae parare potuisset. Sed secundum scopum suum suffecit Viro, undequaque erudito, loca indicare, quae olim a Templariis possessa, habitataque fuerunt. Hunc per omnia sequi libet, eiusque fide et auctoritate in obscurissimo argumento sustentari.

III. Rescripto certo constat. Vide Theiner: Monum. histor. I. pag. 67. 68. 69. — Item pag. 97. 143. 146. — [1]) Ad comprobandam Templariorum olim in Hungaria mansionem servirent, si opus esset, duo documenta, e quibus intelligimus eos de terra Zeülleüs ad Bársonyos cum Abbatia S. Martini Sec. XIII. litigavisse, litemque anno 1249 amica transactione fuisse terminatam. Caps. 33. Z. et Caps. 6. O. — In illo documento testantur Nobiles, in quos ab utraque parte compromissum fuit, se Magistrum Militiae Templi evocavisse, istum tamen non comparuisse; sed sui loco Fratrem quemdam durae cervicis misisse, cum quo nihil poterat terminari. — Magister Militiae Templi Morgolt ibidem scribitur. — [2]) E Collect. Hevenesiana, Fejér: T. IV. Vol. 2. p. 203. —

I.

Manseria S. Margarethae de Chorgó.

Quoad physicum loci Chorgó positum relationem supra inter Conventus Cruciferorum S. Joannis videre est. Ad hos a Templariis transiisse, horumque ante Cruciferos in Chorgó Manseriam fuisse, constat e tabulario Adami Rajcsányi sub cura Regii aerarii olim Posonii existente. Ibi de Chorgó haec leguntur: „Rajcsányius fide Regiorum Diplomatum testatur possessam in Simeghiensi agro per Templarios dynastiam Chorgó, pagis minimum septemdecim in hoc usque tempus nobilem. Ordine sublato personas Templariorum in Hungaria non ad supplicium tractas, verum ad Joannitarum, quibus cedebant bona, transiisse Ordinem. Et hi de Concilii Viennensis scito et ordinatione in Chorgó postea Conventum habuerunt." Baudenum Priorem Auranae anno 1370 circa proprietatem Conventus de Chorgó nonnulla disposuisse iam supra ad Chorgó Cruciferorum S. Joannis vidimus.[1])

Cum Templariorum bonis, quae iam Hospitalarii Joannitae obtinebant, etiam eorum Jurisdictionem in hos derivatam fuisse inde apparet, quod Chorgoensis Praeceptor continuata a Templariis potestate ius dicendi in Blatniczam et Belam semper retinuerit.

II.

Manseria de Blatnicza.

Est Blatnicza Turocziensis provinciae non incelebris possessio, a qua uni huius Processui nomen inditum olim fuit. Supra hanc in edito monte arx visitur, de qua Topogr. M. R. Hungariae : „Templariorum fuisse vulgi est traditio." Et Carolus Windisch in sua Hung. Geographia: „Quondam Blatnicza sedes erat Templariorum." Quis et quando fundaverit, quemadmodum de principali Manseria Chorgoensi, ita de Blatnicza obscurum est. Transivisse Blatniczam in dominationem Cruciferorum mox vidimus : Cruciferos vero in Hungaria sub initio seculi XVI. desiisse suo loco dictum est. Deficientibus istis recidit Blatnicza ad iura regiae Maiestatis, a qua ut praelau-

[1]) Vide, quae ad Chorgó p. 141. dicta sunt. — Item Theiner : Monumenta hist. I. pag. 17. —

data Topographia docet, „dudum una cum Szklabinensi arce transiit aeterno iure in ditionem pervetustae Révaiorum Familiae. Substructiones utriusque suis dignae sunt Heris.“ Videtur proinde Blatniczense aedificium ab hac familia in sua prisca integritate adhuc conservari. Fors ibidem etiam acta nonnulla de veteribus Heris conservantur, quae si in publicam lucem producerentur, aliquam etiam historiae praesenti adfunderent.

III.

Manseria de Telegd.

Secundum relationem Kolinovicsii adstruit Petrus Pazmanus Telegdini, agri Bihariensis circa Varadinum, Templarios aedes habuisse, a Chanadino de Telegd, suo in Archiepiscopatu Strigoniensi Antecessore restauratas, datasque anno 1335 Patribus Franciscanis. Relationi huic assentiri difficile est; si, uti credimus, e Decreto Concilii Viennensis et voluntate Sedis Apostolicae, cui Carolus I. Rex certe non obstitit, Templariorum bona cum aedibus ad Joannitas Equites sunt devoluta. Verum notum est in Mező-Telegd quondam Abbatiam Ordinis S. Benedicti non incelebrem fundatam fuisse, cuius desolatae tempus non scitur. Notum etiam est e literis Papae Clementis VI. ad Ordinem Benedictinorum in Hungaria datis, 40 Monasteria huius Ordinis per Tartaros excisa et in cineres redacta esse, quorum plurima anno adhuc 1344 suis ruinis consepulta manserint. Ex his unum fuisse Telegdini, quod Chanadinus restauratum Patribus Franciscanis incolendum tradidisse dicitur, suspicari licet; quod utique libere facere poterat, nulla seu Pontificis, seu Concilii contraria dispositione eatenus existente.

IV.

Manseria S. Albae Mariae de Bud.

S. Mariae Albae notitiam aliquam transmisit ad nos Belae Regis Anonymus Notarius sic scribens : „Post haec anno domin. Incarn. 907 Dux Arpad migravit de hoc seculo, qui honorifice sepultus est supra caput unius parvi fluminis, qui de-

scendit per alveum lapideum in Civitatem Attilae Regis; ubi etiam post conversionem Hungarorum aedificata est Ecclesia, quae vocatur Alba sub honore Beatae Mariae Virginis." Localitatem Ecclesiae Albae Mariae consignavit etiam Budensis Civis apud Schierium in Buda sacra, dum in Chronico suo ait: „ist unweith von des Franckl Pölchen mill, alvo rechter hand auch ein Closter gestanden, hat geheissen Tereighaz." Lege Törökház. Haec verba ante annos forte ducentos potuissent nos deducere ad locum Ecclesiae Albae Mariae; at hodie quot verba, tot aenigmata.

Ad hanc aediculam, quae secundum Inchofferum a Carolo Magno anno 803, iuxta Anonymum longe tardius structa fuit, adiectam fuisse aedem pro Templariis praecitatus Kolinovics existimat. At cuius beneficio, et quo anno eo sint adducti Equites, ignoratur. Non incommode id tribuitur Belae IV. Regi Hungariae, qui cum contra irruptiones Tartarorum, aliorumque hostium montem Pestiensem seu modernam Arcem Budensem munivisset, structis a se moenibus auxilium fortissimorum sacrorum Equitum addere potuit.

Post Templarios sacra isthic fecisse Sacerdotes quosdam liberioris vitae, queritur Sixtus IV. ad annum 1479. Quibus amotis, ne sacra aede divinis officiis careret, iussu et gratia Regis Mathiae Corvini, illam Fratres Eremitae S. Pauli sunt adepti. Suggessit novos Tempelli Curatores Corvinus Rex Papae; Pontifex autem non probare non poterat, quod ultro a Religiosissimo Principe deposcere debuisset, nisi Mariano-Apostolici regni Monarchae religio curam Papae praevertisset.

V.

Manseria B. Mariae V. de Koross.

Est Koross ampla, in provincia Nitriensi, si cum vicinis conferatur, possessio supra Nagy-Tapolcsány in Archidioecesi Strigoniensi. Habuit haec, teste Alexandro Rudnay Parocho suo, serius Primate Regni meritissimo, fine Seculi XVIII. duas Ecclesias, quarum altera parochialis S. Nicolao sacra, et quod intra ambitum possessionis humilius sita esset, inferior: altera edito colli adversus castellum imposita, natae Angelorum Dominae dicata, superior appellabatur. Stetit utraque, temporum licet iniuriis vitiata ad annum 1711, quo aede S. Nicolai in rudus abeunte de Ecclesia superiore restauranda cogitari coepit. A quo tempore haec velut iam sola Matris Ecclesiae dignitatem obtinet.

Superiorem hanc, gemina turri, praeter vicorum morem, adhucdum conspicuam ad Templarios pertinuisse olim, e communi apud eiatem populum fidelem traditione asserit Kolinovics. Anno 1760 Comitum Berényiorum, iure patronatus gaudentium, pio aere insignem decorem est consecuta. Consecrationis vetustissimae Ecclesiae nulla apparent vestigia: sed anniversarium Dedicationis, deducta per traditionem notitia, Dominica Festum Nativitatis B. Mariae V. subsequente celebrat.

VI.

Manseria S. Stephani Protomart. de Strigonio.

Ecclesiam Strigoniensem, veluti reliquarum in Regno Hungariae matrem, omni sui parte ambiebant aedes sacrae Benedictinorum, Cisterciensium : ceteras prosequitur Ladisl. Thuróczi in sua Hungaria. „Bela IV., inquit, alter ille Hungariae conditor, redux ab exilio, aedem posuit B. V. auxiliatrici suae in urbe regia, cui addidit Fratres Minores. Iidem ad Divum Ladislaum habitabant in Archiepiscopali Civitate : Dominicani ad S. Martinum : ad S. Annam Augustiniani : Templarii ad radicem arcis.“ Decuit etiam, ut religionis Christianae arcem minores istae cingant, veluti castrorum acies ordinata et pro primaria Domo Dei semet tanquam murum opponant.

„Templarii, inquit Bonbardi, ad radicem arcis, qua campum despectat viridem, quasi pro postibus Marianae Basilicae excubabant ad annum 1200.“ Kolinovicsius in suo Manseriarum Catalogo ait: Strigonii sub arce, ubi nunc Franciscani. Quaerenda itaque sedes Templariorum in urbe Archiepiscopali, quae nisi ob varias bellorum vicissitudines Patres Franciscani locum cum tempore mutavissent, in spatio horum Monasterii, intra Civitatem archiepiscopalem existentis sita fuit. In archiepiscopali parte locatos fuisse Templarios, definite expressum habemus in decreto Andreae III. Regis Hungariae, qui anno 1294 Strigonienses censuales archiepiscopales, contra Lodomerium I. Archiepiscopum rebellantes, ad officium edito diplomate reduxit, in quo inter cetera etiam haec continentur : „Etiam Censualis : item domus Heniael circa Templarios, in Parochia Ecclesiae S. Petri.“ [1]) De Fundatore nihil constat : videtur fuisse Andreas II. Rex ex sacra expeditione redux.

Exstincto sacro Templariorum Ordine, haec quoque Manseria Hospitalariis S. Joannis fuerat attributa; verum eos in domum non immigrasse, aut certe Conventum ibi non instituisse innui videtur nonnullis in Bulla Urbani III. apud Péterffy Oper. cit. II. 278, in qua immunitates Hospitalariorum ad Ecclesiam S. Stephani Protomart. prope Strigonium anno 1187 extenduntur. Sed illud attentus Lector inde nunquam eliciet. Si non immigraverunt in domum Hospitalarii, tribuendum id videtur ei circumstantiae, quod iam prius utique duae domus eorum Strigonii exstiterint. Hospitalariis, ut observat Pray, ad Rhodum insulam clade affectis et Hungariam deserentibus, ad Patres Franciscanos Ecclesia eadem devolvi poterat, qui mutato Ecclesiae veteris Patrono, diu ad S. Crucem residebant; donec nostra aetate domicilium hoc deserere fuissent coacti, quod recentissime in Seminarium Cleri iunioris conversum est.

[1]) Péterffy : Conc. Hung. I. 135. --

VII.

Manseria B. Mariae V. de Schemnicio.

Schemnicium Libera regia et montana Civitas fide Kolinovicsii olim Templariorum aedem sinu suo complectebatur: „Templarii, inquit, in arce Schemniciensi, in Comitatu Hontensi.“ Succinctae huius relationis defectum multum supplere videtur Bonbardus: „Primum, ait, quod se offert Schemniciensium templum, veteri in arce magnifico opere Divinae Matri constructum erat. Amplitudinem eius ac soliditatem grandes parietinae produnt: at ortum, vel occasum nemo satis.“ Fine Sec. XVIII. Georgius Keller, Parochus Schemniciensis in historica suarum Ecclesiarum recensione dicit: „Triplici loco visuntur rudera Monasteriorum, quorum unum Patres Dominicani, alterum Moniales S. Elisabethae, tertium, nescitur qui? incoluisse dicuntur.“ Postremum hoc Templariorum fuisse suspicari licet. Idem serius parochiale evasit; quod testari videtur documentum anni 1478, quo Nicolaus Ziegenpacher Sacelli S. Michaëlis in Coemeterio parochialis templi B. Mariae V. aedificati Mystae sumptus confert. Sed quid, si duae Schemnicii aedes B. Mariae V. uno eodemque tempore exstiterunt?

VIII.

Manseria Illavensis.

Illavia, cultum in provincia Trencsiniensi oppidum, geminam adhucdum habet arcem, reliquias, ut videtur, Sacri Templariorum Ordinis: et teste Kolinovics erant Templarii Illaviae in arce, in Comitatu Trencsiniensi. Quae Manseriam Illaviae credibilem faciunt, haec fere sunt: quod e Dynastis Hungariae nullus memoretur, qui arcem eam supra Vagum flumen, satis munitam aedificavisset; ubi tamen veterum arcium in eo Comitatu existentium auctores pene omnes apud Historicos domesticos noscuntur; aut qui Illaviam ante familiam Ostrosiczkianam tenuisset, quae Seculo XVI. eidem dominabatur, nullus e Proceribus occurrat. Aliud argumentum, aeque debile illud est, quod Georgius Szécsényi Archiepisco-

pus Strigoniensis arcem Illava e dominatione seculari redemerit, eamque Patribus Sanctissimae Trinitatis de Redemtione Captivorum attribuerit; quod Viro sacro e lege publica Uladislai II. Decr. III. Art. 55. non licuisset, nisi ex eo principio, quod aliquando Domus regularis fuerit. Fuerit igitur Illava ditionis Regularium : sed an Templariorum, quis definiet?

IX.

Manseria Arvensis.

Arva arx est in Comitatu cognomine, qui ab ea denominationem suam habet. Arx positu suo duplex est, superior et inferior. Hanc cum tota ferme Arvensi provincia Thurzonum heredium et post eos complurium Dominorum iuribus obnoxium esse, notum est. In superiori Templarios Manseriam habuisse plerique adfirmant, fide ab uno ad alium derivata, documento certo nullo. Ita Kolinovics „Templarii, inquit, in superiori arce Arvensi.“ Cui Carolus Windisch in sua Hungariae Geographia adstipulatur dicens : „Nomen suum sortitus est Comitatus Arvensis a cognomine arce gemina, quarum superior iam plane desolata cernitur, fuitque olim Templariorum.“ Ita et Thuroczius in sua Hungaria : „Arvensis Comitatus, inquit, ab Arva fluvio, uti et arx ipsa insignitur. Fuit haec duplex : Superior, altissimae inaedificata rupi; vetus, ut fertur, Templariorum habitatio.“ Nec minus Topographia R. Hungariae : „Superiorem si quando Templarios habuisse incolas dixerimus, una vulgi fide niti oportebit. Dubia haec admodum est, quod fere quae in rudus abiisse castra videt, famoso illi Ordini obnoxia fuisse, fidentius, quam verius asseveret.“ Fundationis tempus, auctor, fata, praeter extremum, omnia latent.

X.

Manseria S. Martini.

Complura loca in Regno Hungariae veneratione Concivis sui, Divi Martini, ab hoc nomine compellantur. S. Martinus, in quo Templarii quondam degebant, in Liptoviensi provincia situs est, distatque non integrae horae intervallo ab urbe Rosenberga. Spectat hoc aevo ad Dominium Likaviense, heredium quondam Templa-

riorum. Prae omnibus veritatem existentium olim in S. Martino Templariorum e certis documentis adstruit Jacobus Seliga Canonicus Scepusiensis, Parochus Rosenberganus et Districtus Liptoviensis inferioris Vicearchidiaconus, in ea relatione, quam de S. Martino, utpote sua filiali Ecclesia scopo concinnandi S. Lexici, officiosam praestitit; quae cum prae aliis historiam huius Manseriae illustret, eam ad verbum, ut sequitur, describendam iudicavi.

Ecclesiae S. Martini, inquit, „primi Fundatores non incongrue censentur Templaristae. Certum enim et indubitatum est Ecclesiam hanc in eodem tractu montis, slavico idiomate Mnich, id est: Monachus, vocitati positam esse, in quo Templarios exstitisse documentum literarium ex archivo Illustrissimae Familiae Comitum ab Herberstein in Styria florentis ad manus meas fido nuntio perlatum evincit, quod sic de verbo habet: Joannes Godefridus ab Heberstein, Magnus Visitator, et Praeceptor Templariorum Ordinis, mortuus est in visitatione anno 1230 in Hungaria in Peripheria Liptoviensi in Monte Mnich ad S. Martinum, cuius Pater Provinciae Praeses et Senissimus in Styria et mater Elisabetha de Stubenberg erant. Omnia huic documento congruunt, sed inprimis denominatio S. Martini, quam Monasterium horum Religiosorum ab Ecclesia eiusdem Sancti etiamnum existente mutuatum est. Hoc aevo stetisse ecclesiam probat Pastophorium [1]) ferreis cratibus in Sanctuario conspicuum, munitum. Est quoque Campana eiusdem Ecclesiae circiter 5 Centenarios appendens, in qua genuinis literis gothicis expressam habet hanc inscriptionem: In honorem S. Martini. Annus autem nuspiam reperitur."

Conspiciuntur praeterea valla in elevatiore monte Mnich ad S. Martinum sito, quae evincunt exstitisse ibidem Monasterium Templariorum, ad quod ducebat via a fluvio Vago per latus meridionale eiusdem montis, per quam aqua devehi solebat ad Monasterium. Signa porro viae istius, licet iam extra usum positae, visuntur actu, videbanturque a seculis. Rudus vero Monasterii huius nullum remansisse inde est, quod tempore sublati huius Ordinis desaevitum fuerit in ipsa illorum aedificia, quae funditus rasa erant . . Haec meritissimus Canonicus supra laudatus, qui ruderum defectum antiquitati, et tempori rerum edaci felicius et verius attribuisset.

XI.

Manseria de Eberhard.

Quemadmodum omnia pene rudera desolatorum Monasteriorum, arcium et castellorum apud vulgus hungaricum ‚vörös papoké', seu Templariorum sine omni veri testimonio dicuntur: ita plane tenuia sunt momenta, quae Manseriae Eberhardiensis

[1]) Pastophorium idem quod gazophylacium: ideo cratibus munitum. Interdum et atrium Ecclesiae denotat. —

existentiam probent. De hac Kolinovics haec pauca: „Templarii in Eberhardiana arce, in Csalóköz, Comitatu Posoniensi.“ Et de eadem arce Korabinszky: Arx vetus est et dicuntur illam Templarii olim incoluisse.

Si Eberhardum reipsa Templariorum fuit, videtur eius Manseria non ad Cruciferos S. Joannis, sed ad Familiam Comitum de Buzin et S. Georgio, eo tempore in Comitatu Posoniensi potenter grassantium transiisse. Exstincta potente hac familia, sacros iterum heros consecuta est arx Eberhard. Emtione, an donatione in iura venit Szelepcsényii, Archiepiscopi Strigoniensis.

XII.

Manseria de Keresztény.

Exstat pagus in provincia Soproniensi, Keresztény dictus, a praepositura S. Ord. Praemonstratensium de Horpács medio milliari versus Oppidum Saj-Káll remotus, in quo Templarios domicilium tenuisse docent literae Fratris Gerardi, Capellani domus Templi et Praeceptoris de villa christiana, Tedei Capellani Soproniensis, Valentini Jobbagionis eiusdem Castri, ac Salomonis maioris Villae Soproniensis, quas hi, ut in caussa inter Martinum de villa Horpács et populos Stephani Praepositi de Horpács vertente, Arbitri, in Keresztény considentes super innocentia hominum Praepositi de Horpács dederunt. In Fejérii Cod. dipl. III. 2. p. 96. annus 1226 ignoto fonte adiicitur. — Sub villa christiana nostrum vicum Keresztény, Horpacsio vicinum latere, dubium non est. Suppresso Equitum Templi Ordine, cum ceteris vicus hic in ditionem Crucigerorum S. Joannis Hierosol. pervenit et vicino horum Conventui Soproniensi attributus est, ad quem reliqua eius fata supra pag. 147. memorata sunt.

XIII.

Manseria de Timár.

Praedium est Timár in Comitatus Albaregalensis limite, qua is Vesprimiensem contingit, ab Oppido Moór uno milliari distans. De hoc Schematismus universalis Ecclesiasticus Regni Hungariae per Aloysium Reesch de Lewald ad annum 184²/₃ editus pag. 176. haec notat: „Timár (olim Manseria Equitum Templario-

rum et Parochia Seculo 14.“). Cum vero dubitari nequeat, Reeschium notitiam hanc e Schematismo Ven. Cleri Dioecesis Albaregalensis accurate desumtam suo universali Schematismo fideliter inseruisse, credendumque omnino sit, eandem notitiam Schematismum Dioeceseos Albaregalensis temere et sine verisimili saltem ratione ingressam non fuisse: Manseriae de Timár hic inter ceteras locum dare placuit; licet non desint momenta rationum, quae eius existentiam firmo pede consistere non sinant, donec ista productis idoneis argumentis fuerit confirmata.

Erat nempe Timár Sec. XII. Possessio Reginae Sophiae, etiam Euphrosinae dictae, Matris Belae III. Regis, quam haec, consummato suis sumtibus et eximie dotato Conventui S. Stephani Regis de Alba Cruciferorum Hospitalariorum, seu S. Joannis Jerosolymitani donavit. Testatur hoc Diploma [1]) Belae III. Regis, anni 1193, in quo inter 55 possessiones nunc dicto Conventui donatas Timar tricesimo loco ponitur. Hinc patet possessionem Timár florentibus adhuc Templariorum rebus non tantum Manseriam Templariorum non fuisse, verum nec ad eorum ditionem pertinuisse. Poterat quidem Seculi XIII. decursu emtione, aut sic dicta cambiatione ab Equitibus S. Joannis ad Templarios devolvi haec possessio: verum id factum fuisse, mutua, quam inter hos equestres Ordines continuam fuisse notum est, aemulatio, non facit probabile.

Si Manseria de Timár reapse locum habuit, verisimillime dici potest partem terrae Szeüleüs ad Bársonyos sitae, ad eam pertinuisse, quod praedium ab omni alia Manseria hactenus nota longe remotius iacet, quam a Timár, duobus tantum milliaribus inde dissito. Partem dicti Szeüleüs Templariorum fuisse patet ex lite, quae longo tempore inter hos et Abbatiam S. Martini duravit super aequa eius divisione, cuius decursu ob duram cervicem Fratrum, per Magistrum Militiae Templi ad tractandum exmissorum nihil poterat obtineri. Tandem anno 1249 Conventio inter Magistrum Militiae Templi in Hungaria, nomine Morgolt, eiusque Vicarium, Fratrem Joannem, parte ab una: ab altera vero inter Abbatem S. Martini locum sortita est eo tenore, qui docet, Abbatiae S. Martini studium aequitatis Templariorum violentiae et durae cervici, non obstante Arbitrorum sententia, in quos utraque pars solemniter compromisit, succubuisse. [2]) Ex documentis negotium istud sistentibus elucet, curam tuendorum iurium possessionariorum non Praeceptoribus, seu Manseriarum Superioribus, sed Magistris Provinciarum incubuisse. In neutro enim instrumento, quod in Archivo S. Martini conservatur, ulla seu Domus, ad quam Szeüleüs pertinebat, seu eius Praeceptoris fit mentio; sed semper Magister Militiae Templi in Hungaria iam per se, iam per Fratres per eum exmissos agit.

Quod porro nostrum Timár attinet: Kaprinay Hist. dipl. II. p. 214. exhibet documentum donationis super possessione Thymar per Mathiam Corvinum Regem Josepho, Antonio Custodi Eccl. Agriensis et alteri Antonio, omnibus de Thymar anno 1458 factae: cui tamen occasione Statutionis per Albensis Capituli et Regium homines institutae, non tantum Frater Mathias Crucifer suo et Praeceptoris sui Fr. Joannis de Gwth, nec non totius Conventus Cruciferorum S. Stephani Regis de Alba nomine, sed etiam Stephanus de Bakog in persona Joannis de Rozgon, qui tunc Thymar iure pignoris tenebat, solemniter contradixerunt. — Timár Seculo XIV. Possessio tam frequens, ut Parochum gremio suo tenuerit: nunc Praedium, quod in Schematismo Almae Dioeceseos Albaregalensis iam cum 5, iam cum 11 animabus comparet.

[1]) Fejér: Codex diplom. ad annum 1193. — Pray: De Prior. Aur. p. 116.— [2]) Caps. 33. Z.—Caps. 6. O.—

C.

De S. Ordine Teutonico generatim.

Sacrum Teutonicorum Equitum Ordinem ab Hospitali Hierosolymitano suam ducere originem nemo ignorat. Eodem enim fere tempore, quo ceterarum nationum caritas singulares in Palaestina coetus pro infirmorum cura, ac Terrae Sanctae praesidio erexit, etiam Ordo Teutonicus Jerosolymis initia habuit: pari quippe studio huius Alumni Xenodochium ac Templum B. Mariae Virgini dicatum pro Germanorum advenarum cura posuerunt. [1]) Quae hospitibus et aegris famulandi ratio aliis erga afflictos obsequiis aucta, nunquam magis, quam ad Ptolemaidis a Friderico II. obsessae moenia patuit. Hi enim sodalitatis piissimae Viri grassante lue in media pericula se coniicere, pro aegris suffigere tentoria, ubique praesentem opem afferre strenue sunt connisi. Quo caritatis spectaculo Principum, ac Procerum animos ita permoverunt, ut deinceps complures eorum Socios acciperent Religionis et Professionis suae.

Conradi Episcopi Virceburgensis consilio postea effectum est, ut novus ille coetus peculiaris Ordinis honore donaretur, quem Pontifex Coelestinus III. anno 1191 nomine Equitum Teutonicorum S. Mariae in Jerusalem confirmatum, legibus subiecit. [2]) Qui ut a ceteris Equestribus militiis sacris secerneretur, crux nigra albo pallio apposita est, cui sua honorum Insignia summa orbis Capita addiderunt: Rex Jerosolymorum crucem auream post annum 1200, Fridericus Imperator Aquilam; Ludovicus IX. pro auxilio sibi in expugnatione civitatis Damiate praestito ad perpetuam rei memoriam crucem eorum suis Liliis exornavit. [3])

Sub quarto Ordinis Magistro, Hermanno de Salza circa annum 1229 sua olim victricia arma ex Oriente in Prussiam, idolorum cultui adhuc obstrictam per Polonos in auxilium evocati transtulerunt; ubi victis Prussis fidem, sibi vero non parva terrarum spatia asseruerunt; ubi postmodum Marienburgum Sedes Magni Magistri Ordinis huius fuerat. Potentia earum opum, ut fit, vicinorum Regum primo metum, deinde arma provocavit, quibus Teutonici Equites multoties petiti, ad Tannebergam in Prussia ingenti clade a Polonis anno 1410 affecti sunt.

His gradibus Teutonici Ordinis amplitudo paulatim decrevit, donec Sigismundus I. Poloniae Rex hos Equites suis possessionibus Poloniae vicinis penitus exuisset, pactus cum supremo Ordinis Magistro, Alberto Marchione Brandenburgico, ut terras reliquas, quas Polonorum gens nondum sibi subiecisset, ab iis acciperet proprias clientelari nomine, ac Ducis titulo.

---

[1]) Vitriaco: Hist. orient. — [2]) Baron. ad ann. 1198. — [3]) Daude: Hier. Eccles. II. 291. —

Paria detrimenta passi sunt religiosi Milites in Livonia, Curlandia et Belgio foederato : sicque ad illa duntaxat bona reducti sunt, quae per Imperium Germanicum hinc inde possidebant, Sede Magni Magistri anno 1527 Mergentheimium translata. Occupata per Gallos anno 1797 transrhenana Germaniae parte, ex XI Baliviis tantum VII Ordini residuae manserunt. Pace Posoniensi Magni Magistri dignitas in Domum Austriacam translata est in perpetuum, qua post Archiducem Antonium hodie potitur Serenissimus Princeps, Archidux Maximilianus, Ordine tantum ad Imperium Austriacum restricto, postquam Napoleon I. Gallorum Imperator per reliquam Germaniam eius ditiones Principibus Germaniae, in quorum terris sitae erant, assignavisset.

Intra Coetum horum Equitum nemo admittebatur, qui non ex prosapia tam paterna, quam materna sedecim progenitorum nobilium seriem fidedigne exhibuisset. Hac probatione peracta duplex tyrocinium subiit Candidatus : unum apud Archi-Commendatorem, alterum apud Supremum Magistrum. Quo finito hac formula ad Ordinem admitti supplicabat : „Obsecro per Deum et Mariam Sanctissimam Matrem Dei, perque animae meae salutem, ut in inclitum Teutonicorum Ordinem Equitum recipiar.“ Secuto Fratrum consensu, solitis Cerimoniis et datis votis Equestri Ordini adscribebatur. — Sacris istis Equitibus unica, quod sciam, in Hungaria fuit Domus et quidem

Domus S. Mariae de Borza.

Ob egregia sua facinora in bello, atque singularem pietatem in Deum et caritatem in proximum, e Terra Sancta etiam in Europam traducti sunt Equites Teutonici, ubi multas Balivias et in his opime fundatas Domos acceperunt. In Hungariam Andreas II. Rex iam sub principium sui regiminis adduxit Teutonicos istos, et ut fortem, religiosumque militem insolenti et barbaro Cumano populo opponeret, donavit eis terram Borza, vel Boza nuncupatam.[1]) In diplomate suo etiam Borzae metas, in Marmatia sitae defigit, dicens: „Meta huius terrae incipit de indaginibus Castri Almegye (Almás), et procedit usque ad indagines Castri Noilgiant, usque ad effluxum aquae Borzae.“ ... Idem Rex in alio suo diplomate anno 1208 concesso ait : „Ultra silvas ipsi in confinio illo tanquam plantatio novella sunt positi et contra assiduos Cumanorum assultus se pro Regno tanquam firmum propugnaculum, de die in diem morti opponere non formidant.“

Piam liberalitatem Andreae Regis secutus Vilhelmus Episcopus Transsilvaniae, totius Marmatiae decimas, sibi de iure debitas, Teutonicis Equitibus concessit anno 1213. Postea tamen Honorius III. Papa non Transsilvaniensi, sed Agriensi Episcopo curam eiusdem terrae Clericis Superiorem praeficiendi commisit, sequente Bulla : „Honorius Papa .. Episcopo Agriensi Salutem et Apostolicam benedictionem. Dilecti filii.. Magister et Fratres Domus S. Mariae Theutonicorum sua nobis petitione monstrarunt, quod in terra, quae dicitur Borza, quam noviter inhabitare coeperunt, impetu paganorum, per quos hactenus vasta et deserta permansit, non sine multo discrimine ipsorum refrenato, est iam non parvus numerus Clericorum. Unde cum terra ipsa, iuxta indulgentias eorum Ordini ab Apostolica Sede concessas, prae-

[1]) Katona : Hist. Crit. V. 171. —

ter Romanum Pontificem, non habet Episcopum vel Praelatum, supplicarunt, ut praefatis Clericis provideremus Archipresbyterum, vel Decanum, ad quem possint habere recursum super quaestionibus emergentibus inter eos, donec ipsius terrae populus in tantum annuente Domino augmentetur, quod eis de proprio possit Episcopo provideri. Ideoque Fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus idoneam personam Tibi ab ipsis Fratribus praesentatam, vice nostra in Archi-Presbyterum, vel Decanum praeficias Clericis antedictis. Datum Laterani II. Id. Jan. Pontificatus nostri anno 7" id est: anno 1223. [1])

Postquam vero Honorius Papa hos Milites nulli, praeter Romanum Pontificem, Episcopo subditos esse voluerat: illi, cum etiam a potestate Regum Hungariae Borzam eximere voluisse viderentur, in ius eam et proprietatem B. Petri transferendo; Regem Andream adeo commoverunt, ut eos Borza depellere statuerit; ac tandem frustra dehortante Honorio etiam depulerit. Victus deinde tam Fratrum, quam aliorum precibus eam quidem restituit, sed rursus, ut Gregorius IX. P. M. anno 1232 queritur, seductus suggestionibus malignorum iterum avulsit; observato eos iura sua iuribus regiis opponere velle. Vicinissima commotionis regiae, subitaeque in Borza rerum conversionis caussa fuerit Castrum S. Crucis, quod teste Gregorio IX. Papa Cruciferi de Borza sub nomine Crucpurg excitaverunt. Istud fors Rege inscio erectum, huic metum incusserit; ne, si illud firmaverint Equites, dominationem suam in Marmatiam reliquam extendere meditentur, et regii aerarii proventus, praesertim e sale, imminuant.

Sita est Borza in extrema I. Comitatus Marmarosiensis cuspide, quae Transsilvaniam, Moldaviam [2]) et Galiciam attingit, nunc vulgo Borsa dicta. Hac parte regni suas in Hungariam procursiones suscipiebant barbari. Quibus ut obicem poneret, neque tamen perpetuum ibi Militem alere cogeretur Andreas Rex, optime a rapinis, caedibusque prohibitos iudicavit, si sacram in Borza fundaret militiam. [3])

---

[1]) Theiner: Monum. Hung. sacrae. I. p. 37. — [2]) Proprie Bukovinam, quae olim partem Moldaviae constituebat, a copia fagorum, Slavis Buk ita compellatam. — [3]) Ex literis Roberti Episcopi Vesprimiensis ad Honorium III. anno 1216 datis (Theiner: Monum. hist. Hung. sacrae I. pag. 4.) discimus Fratres hospit. S. Mariae de domo Teutonicorum quoddam monasterium, dudum desolatum, in Insula (S. Andreae: Monostor?) donatione Andreae II. regis, et assensu episcopi adiisse. Poterat quidem his etiam petita per episcopum pontificis confirmatio accessisse; verum, nec de hac, nec de ulla alia fortunae circa domum hanc vicissitudine quidquam constat. —

D.

Crucigeri equestris Ordinis cum rubea stella.

Illustris huius S. Ordinis historia, quoad veteribus, adhuc superstitibus, fide dignis chartis nititur, Pragae in Bohemia annum circa 1233 incipit. At antiqua traditio, intra ipsum S. Ordinem et extus constanter custodita, eius initia tam temporis ratione altius, quam loci respectu longius removeri suadet. Ex utroque hoc historiarum fonte sequens fere fatorum eius vera series exsurgit.

Eodem tempore, quo equestris Crucigerorum S. Joannis hierosolymitani Ordo Hierosolymis floruit, similis pariter equestris Ordo viguit in Bethlehem ad cunas Domini, solis Slavi labii hospitibus curandis, fovendisque institutus, sicut ille teutonicorum Equitum solis Germanis serviebat. Occupata per Saladinum exeunte Sec. XII. Hierosolymorum urbe et vicina regione, Joannitae Crucigeri Ptolemaidem petierunt : at Bethlehemitae, quibus fortuna in Oriente non aeque favisse videtur, antequam coetus eorum in Ordinem regularem coaluisset, duce Alberto a Sternberg Europam repetentes: quum amore Christi se amori proximi consecrare concupivissent, in Bohemiam commigraverunt : ubi in vico Hlupetin, Pragae vicino, ab Equitibus teutonicis, ut hospites, benignissime sunt excepti. Istud anno 1217 accidisse docet pervetustum Chronostichon in Ecclesia Hlupetinensi : BethLeheMItae e PaLaestIna hVC VenerVnt.

Porro Agnes, Primislai Bohemiae regis filia circa annum 1233 praeter Ecclesiam S. Francisco dicatam et duo Claustra, unum scilicet Sanctimonialium S. Clarae, cui mox ipsa praefuit, alterum Fratrum Minorum S. Francisci, — fundavit etiam Hospitale usui pauperum, infirmorum et religiose peregrinantium : quod licet iuxta Ecclesiam S. Castuli steterit, nomine tamen Hospitalis S. Francisci veniebat, ad cuius Claustrum in primis suis initiis pertinebat.

Fundationem Agnetis praeter Wenceslaum Regem fratrem, mater quoque Constantia, Primislai Ottocari regis vidua, Belae III. Hungariae Regis filia, anno 1235 donatione possessionis Hlupetin et Ecclesiae S. Petri auxit, quam olim parochialem Germanorum in Ripa,[1]) postea Ordinis teutonici proprietatem una cum domo adnexa emtam inducendis Pragam S. Ordinis Cisterciensis Virginibus destinaverat; sed comperta serius loci pro Sanctimonialibus importunitate, has Tisnoviae ad Moravam instituit : Ecclesiam vero S. Petri cum Teutonicorum Equitum aedibus filiae Agneti, vel potius administrato eotum per hanc S. Francisci Hospitali, solenniter transscripsit. Quo facto Hospitale istud servato suo nomine ad aedes S. Petri translatum est, quod etiam Agnetis alter frater, Primislaus, Moraviae Marchio, villa Racice et mox

[1]) Bohem. vulgo : Na Poříčí ; id est : in ripa fluminis Muldae.

nobilis Mulier Bohuslawa, vidua Zwestow, villa Csernuc, hodie Tursko Circuli Rakonicensis auxerunt.

At ipsis iam fundationis primordiis regia virgo, S. Elisabethae, suae patruelis,[1]) virtutes aemulata, curam pauperum, aegrorum et hospitum extorribus istis Crucigeris Bethlehemiticis commendavit, quam sane nulli mortalium sapientius et felicius poterat committere. Qui, licet nullius Ordinis religiosi regulae per solennia vota essent adstricti, ita tamen credito sibi munere sub suis iam Praeceptorum, iam Magistrorum nomine venientibus praepositis, pro aevi more, inter Equestres coetus recepto, fungebantur, ut nihil circa se desiderari paterentur. Agnes tamen, quo fundationi suae de diuturna stabilitate, atque uberiore prosperitate consuleret, ulteriorem Hospitalis sui iam rite constituti et aucti curam ea conditione iis obtulit, si alicui S. Ordini per Ecclesiam probato solennibus votis adstringerentur.

Accessit voto sanctae virginis Sternbergius, cuius exemplum secuta Confraternitas, se idem cupere proclamavit. Quo comperto Gregorius IX. Papa anno 1238 Confraternitatem, suave iugum ultro poscentem, Regulae S. Augustini Canonicorum subdidit, omnibusque sacri huius Coetus praerogativis ornavit. Quo facto Institutum hoc religiosorum domiciliorum, per Ecclesiam probatorum, seriem quidem est ingressum: administratio tamen bonorum Hospitalis adhuc penes Abbatissam Agnetem perdurabat; donec ista altius id genus arbitrium super Hospitali, iam viris religiosae professionis proviso, voto paupertatis et fors decentiae legi minus convenire rata, omne ius, quo in illa bona, titulo fundationis gaudebat, in eundem Papam Gregorium transtulit. Iste vero mox ipsum Hospitale S. Francisci in suam et S. Sedis Apostolicae protectionem suscipiens, universa eius bona Fratribus in eo degentibus tradidit, omni nexu cum Sanctimonialibus S. Francisci sublato, et ne novellae Religioni, penes S. Augustini regulam viva quaedam insvetae regularis vitae amussis deesset, annua eius Visitatione regulari primum Provinciali Fratrum Minorum de Saxonia, dein anno post, Provinciali Dominicanorum de Polonia et Priori Pragensi, donec magis consolidaretur, e Fratrum voto imposita: id quod intra quinquennium se obtenturos sperabant.

Et reapse hoc exacto plures iam reperti sunt, qui illustrem Magni Magistri personam digne sustenturi, et auctae in dies Congregationi utiliter praefuturi videbantur, quae ob membrorum suorum sanctam et S. Regulae suae conformem conversationem tanta celeritate crevit, ut iam XV. a sui origine anno in Poloniam et Moraviam penetraverit : triennio postea magnum extensionis campum sortita, dum publica opinio invaluisset, regno et Ecclesiae utilissimum fore, si fraternitates ceterorum regni Hospitalium nulli adhuc Regulae adstrictae, Ordini equestri Crucigerorum Stellatorum unitae, Magistro Hospitalis S. Francisci Pragae subiicerentur. Quo salutari scopo Wenceslaus rex Bohemiae ultimo vitae suae anno hospitalibus ita unitis aut postea uniendis cunctas libertates et immunitates largitus est, quibus iam illud S. Francisci Pragae gaudebat.

At Agnes tam felici fundationis suae successu et incremento laeta, etiam abdicato in Hospitale iure suo, commodis Fratrum Hospitalariorum caritate materna vacare non cessavit. Datis enim ad Innocentium IV. Papam literis impense postulavit, ut cum Fratres hi ab omni alio per Ecclesiam probato S. militari Ordine, ipso suo instituto differrent, externo quoque signo a ceteris, uti teutonicis et aliis Equitibus distinguerentur. Annuit precibus sanctae Virginis Pontifex Maximus et negotium hoc Nicolao Pragensi Antistiti

[1]) Katona : Hist. pragm. Hung. I. 153. —

auctoritate Apostolica exsequendum anno 1250 delegavit, qui eorum cruci suave rubenti, qua, ut Equites Crucigeri prius iam ornabantur, stellam rubeam habitui regulari decente loco adnexam assignavit; id, quod deinde Alexander IV. P. Max. anno 1255 ratum habuit; Stellam vero ad conservandam Alberti Sternberg, cuius auspiciis Equites Bethlehemitici, prisci huius sodalitii patres, e Syria in Europam traducti et ad Bohemiam, Deo suaviter disponente deducti fuerant, in omne tempus memoriam, prae aliis signis electam fuisse, facile crediderim. Ab hac stella iis mox nomen stellatorum, quo eos paulo superius compellavimus, adhaesit.

Quamvis axioma Ordinis militaris, aut equestris, quo sacer hic Coetus inde a suis initiis omni respectu legitime semper fruebatur, fruiturque hodie, citra impudentiam in dubium vocari nequeat, eorum tamen caussa, qui quidem id ei iure convenire non ambigunt, sed nec tempus, nec modum eius acquisiti satis tenent, strictim tantum pauca iuvat adiicere, quibus singulare istud eius decus velut clariore luce collustretur. Igitur antiquissima documenta, nominatim bullae papales hunc Ordinem canonicum tum hospitalarem et Bethlehemiticum compellant. Quod hospitalares Ordines ad Europam ex Oriente advenerint, ubi caritas in proximum, cui hi Ordines originem suam debent, sine armis adversus christiani nominis hostes tractandis exerceri non poterat, notum est; quorum numero cum Bethlehemiticus quoque censeatur, illum quoque armis eodem scopo in Oriente usum fuisse, adeoque et illi ab ipsis eius initiis axioma militaris iuste tributum fuisse, certum est. Unde et Ordinis huius praepositi iam antiquitus Rectores, Magistri et paulo serius Magni Magistri audiebant, id quod militaribus tantum Ordinibus in usu fuisse, constat.

Porro armorum in sacro hoc Ordine usus in Bohemia quoque ipsis eius primordiis occurrit, qui iam anno 1292 per Apostolicos Nicolai IV. Papae Visitatores expresso textu confirmatus hodie quoque Statutis Ordinis licitus est. Unde, quamvis hoc aevo non adsit, contra quem militaris huius Ordinis Religiosi gladium stringant; ad conservandam tamen preclarae eius originis memoriam laudabiliter constitutum est, et observatur, ut Generalis et Magnus Ordinis Magister statis temporibus, dum militari suae dignitati convenientem habitum sumit, gladio quoque praecingatur. Quo pacto praesentes Fratres graviter monentur, eo ferventiore studio sibi ad ea exsequenda, quibus nunc sunt destinati, esse incumbendum; quo minus habent metuendum, ne, quod primitivus eorum status deposcebat, pro salute proximi suum sanguinem cogantur profundere.

Singularem denique benevolentiam et aestimationem, qua reges Bohemiae, aliique terrarum, in quibus Equites hi operabantur, Principes eos prosequebantur, uti quod Wenceslaus Rex eos ab omni externa iurisdictione in gravissimis etiam caussis exemerit, eorumque Magno Magistro facultatem regis cum sex aut octo equis, regio sumtu alendis, per iter comitandi tribuerit; et Cardinalis Pileus, Urbani VI. Legatus Sec. XIV. ei quartum post Maiestatem in regno locum assignaverit, militari S. Ordinis origini merito tribueris; licet laudabilis Fratrum vita et utilia Ecclesiae ac Civitati exhibita servitia non parvum ad eas res momentum addiderint. Unde, licet arma iam dudum posuerint, Ordo tamen eorum postremis etiam quatuor seculis a Summis Pontificibus, uti Clemente X. in bulla Confirmationis statutorum et Innocentio XII. aeque, ac ab Imperatoribus, uti a Rudolpho II., Ferdinando itidem II., Leopoldo I. etc. constanter honore ac titulo Equestris, aut militaris insignitur. [1])

[1]) Hactenus allata partim ex relatione Prof. V. V. Tomek, Operi periodico: Památky archeologicke, a mistopisne. T. 1. p. 210 ductu Regesti Erbeniani inserta: partim e perpetua traditione intra ipsum hunc

Quod nos propius attinet: In Hungaria „Sacer Ordo Crucigerorum Hospitalariorum cum rubea stella" agente potissimum Christiano Duce a Saxonia, Regni Hungariae Primate, lege Regni non vulgares sacri huius coetus laudes complexa in Comitiis anni 1723 [1]) receptus et stabilitus est: eodemque anno e Primatis favore aedes antea Orphanotrophio successu irrito destinatas, quae alias vacuae passim hospitio militum patebant, in extremo plateae Xenodochialis fine Posonii cum contiguo agro occupavit, missis eo suorum tribus, qui Ptochodochium eias curarent. Ita fere Belius in sua Notitia Hungariae Tom. I. p. 616. Qua dein fide parva haec colonia munere suo functa fuerit, ex eodem Viro clarissimo, eadem in urbe, eodem tempore ultra decennium August. Confessionis Oratore discimus; qui testis profecto non suspectus, ita eorum meminit: „Quos intra parietes receperunt, benigne alunt, amiciunt munde, et si male habeant, multa sollicitudine curant. Si dicendum, quod res est, Institutum esse putamus uti honestissimum, ita de republica praeclare merens." Et post pauca: „Aequum est vero, ut novo in Hungaria Ordini civitatis, cuius iura lege accepit publica, amorem comprecemur."

In fundo, quem nova haec Stelliferorum Colonia sub titulo Commendae S. Martini et S. Leopoldi, anno 1723 iuxta Belium occupavit, Georgius Széchenyi, Archiepiscopus Strigoniensis Orphanotrophium fundare intendebat; sed Christiano a Saxonia placuit ibi postea Hospitale pauperum erigere. Primus huius Commendator erat Franc. Götzel, Primatis Christiani Consiliarius Ecclesiasticus, qui, dum in commune deliberaretur, cui Hospitalis cura optime concrederetur, qua suasu, qua precibus facile effecit, ut id S. Ordini militari cum rubea stella traderetur. Huic expertae virtutis, doctrinae et prudentiae Viro Christianus, ut honorem inter Praelatos Hungariae conciliaret, titulum Praepositi S. Sigismundi de Buda ab Imperatore Carolo VI. et Rege Hungariae III. procuravit.

Götzelio e vivis anno 1729 abeunti successit Antonius Mader e Consiliario Ecclesiastico Gabrielis e Cómitibus Erdödy, Episcopi Agriensis, cui eadem de caussa Praepositi S. Sigismundi de Buda honorem consecuto, insuper ob insignia merita, novus Praepositi S. Hippolyti prope Znoimam in Moravia titulus accessit. Huic anno 1750 successor datus est Carolus Schleichart de Wiesenthal aeque Praepositi de Buda honore ornatus; quo suum Commendatoris munus auspicante, fundamenta regiae Residentiae Budensis ponebantur, anno 1758 consummatae. Reliquiis Ecclesiae et Praepositurae S. Sigismundi intra novum huius atrium solo aequatis, Ecclesia titulo S. Sigismundi intra Regiam surrexit; inductisque ad Regiam per Augustam Mariam Theresiam anno 1770 Virginibus anglicanis, quae puellulas in officiis pietatis et aliis suo sexui convenientibus operibus instituerent, additi sunt, Apostolicae Reginae auctoritate, tres ex Ordine Crucigerorum de rubea stella Sacerdotes, qui parochialia munia in nova Ecclesia obirent.

Dum haec aguntur, decessit eodem anno Commendator, Praepositus Schleichart, [2]) successorem nactus Joannem de Scheiner, qui adlatam Ragusa Viennam, hinc vero Budam anno 1771 S. Stephani Regis Hung. dexteram, teste Prayio, a Josepho Bajzáth El. Episcopo Ansariensi

---

S. Ordinem conservata et variis temporibus in Equestrum Ordinum descriptionibus typis vulgata, demum ex Imperatorum et Summorum Pontificum Rescriptis, seculo XV. recentioribus desumsimus; postquam cetera incendio, et quibus istud pepercit, mox anno 1424 Husitarum furore perierunt. — [1]) Corpus Juris hung. Carol. VI. Decr. II. Artic. 96. — [2]) Schematismus R. Hung. tunc Jaurini imprimi solitus, hunc et priorem Commendatorem etiam qua Beneficiatos Soproniense s exhibet. In quo, ut videtur, paradoxo explicando, ne operam perdam, crassum typi errorem suspicor, praesertim cum ibidem semel ac iterum Commenda Posoniensis cum titulo S. Mauritii loco Martini compareat.

et Exc. Cancellariae R. Hungaricae Consiliario recepit, postquam se solennibus literis ad eandem summa cura et sollicitudine custodiendam obligavisset. Idem fecit Comes Catharina ab Hohenfeld, Anglicanarum Virginum Superior, in partem custodiae Altissimo nutu vocata; quo pacto Scheinerio, imo ob curam Ecclesiae S. Sigismundi etiam Schleichartio Budae extremo suae vitae tempore degere coacto, Commendae Posoniensi iam anno 1768 praefectus erat Joannes Antonius Brenni, defuncto vero, ipso receptae S. Dexterae anno Scheinerio successit in Custodia et Praepositura Budensi Carolus Pittroff, vir facundus et in dicendo adeo fervidus, ut sub ipso, quem ad populum habuit, sacro sermone apoplectico ictu perculsus mox vivere desierit anno 1773.

Praeposito Carolo Pittroff sequente anno ab Augusta Fundatrice suffectus fuit Sebastianus Valentinus Eberle, prius ad Ins. Basilicam S. Caroli Borromaei Viennae sedecim annorum spatio sacer Orator. Sed exiguo tempore licuit ei officio Custodis S. Dexterae fungi. Cum enim anno 1777 Scientiarum Universitas, quae Tyrnaviae cum altrice sua, Societate Jesu, pariter defluxit, sapiente consilio e regni angulo ad eius medium translata, in Budensi arce regia locum obtinuerit, Anglicanis Virginibus aeque, ac Crucigerorum cum rubea stella Sacerdotio statione decedendum erat: illis Vacium deportatis; isto Pragam ad Domum Matrem reverso; Praeposito Sebastiano administrandae Commendae Posoniensi applicito. Cum vero hanc etiam Josephi II. Imp. anni 1785 decretum, proventu eius in 180 stipendia in pauperes urbis Posoniensis eroganda convertendo sustulisset, Sebastianus noster iam secundo statione sua motus est. Verum eodem adhuc anno 1785, Universitate Hungarica regio iussu Pestinum translata, novaque fundatione ad custodiam S. Dexterae et Praeposituram cum parochia unitam enata, Sebastianus Eberle triplici honoris titulo: quâ Praepositus S. Sigismundi Regis de Buda, Custos S. Dexterae S. Stephani Regis Hungariae et Parochus arcis Budensis insignitus, Budam reversus est, duobus S. sui Ordinis Presbyteris comitatus, qui eum in parochialibus praesertim laboribus adiuvarent.

Sebastiano transactis in dignitate Praepositurae ipsis 40 annis, a. 1813 defuncto successit in omnibus muniis et honoribus Joannes Mlegnek (lege : Mlejnek), quem post breve triennii spatium ad aeterna transeuntem excepit Georgius Klinger, tertio dignitatis suae anno Abbatiae S. Martini de Vaska honorem et fructum consecutus, quem ad eius quoque successorem Florianum Scholz anno 1834 derivatum cum ceteris honorum titulis anno 1837, qui hodie viget, Reverendissimus D. Vincentius Rudolf obtinuit; quibus post biennium eum Commendatoris militaris sui Ordinis adiecit. Huius rarae virtuti debetur, quod eum insuper Ins. Ordinis Leopoldi Imp. Equitibus adlectum et aurea pro piis meritis cruce decoratum veneremur. [1])

[1]) Quae hactenus de insigni hoc militari Ordine narravimus, praeter fontem in Opere bohemico-periodico repertum et traditionem nulli certae historiae adversam et summe probabilem, prout supra meminimus, — partim e Manuscripto Fuxhofferii nostri, qui sua Sebastiano Eberle, supra laudato Praeposito, debuisse videtur; partim ex eorum temporum Schematismis Regni desumta sunt.

IV.

CANONICI REGULARES.

SECTIO IV.

DE CANONICIS REGULARIBUS.

Canonicorum Institutum in sua origine coaevum esse videtur episcopali Officio, a Christo in Ecclesia sua constituto. Cum enim Episcoporum officia spiritualia plura, maioraque essent, quam quae ipsi soli suis viribus rite implere possent, Clericos assumserunt socios sacrorum laborum, qui cum eis essent Ministri altarium et dispensatores mysteriorum Dei : quemadmodum 70 Discipulos Apostolis additos scimus. Apostolos autem et paupertatem sectatos fuisse et formam in commune vivendi primos instituisse, notum est. Erat autem hoc, veluti quoddam elementum, atque exemplar futurae communionis in Ordine Canonicorum, qui triplici voto adstricti se Regulares appellant : quem Ordinem S. Augustinus longo post tempore instituens ab Apostolico se fonte hausisse profitetur.

S. Augustinus redux in Africam factus Presbyter, ad normam Vercellensis Ecclesiae Monasterium intra Ecclesiam mox instituit et cum Dei servis vivere coepit, secundum modum et regulam sub Apostolis constitutam. [1]) Duplicem vitam, monasticam et clericalem S. Augustinum iam primitus instituisse omnes Scriptores asserunt; et e superstite hodiedum utraque specie videmus. De monastico eius instituto infra tractabimus : hic de Clericis, seu Canonicis Augustinianis, quoniam exorsi sumus, telam prosequemur. Clerici S. Augustini crescebant in Monasterio continentia et profunda paupertate. [2]) „Volui, inquit ipse S. Doctor, habere in ista domo (episcopali) mecum Monasterium Clericorum.“ [3]) Prosequitur ultro suam, suorumque vivendi rationem, dicens : „Ecce, quomodo vivimus! nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium : sed forte aliqui habent? nulli licet; si qui habent: faciunt, quod non licet.“

Regula in unum congregatis dictata, duo potissimum spectabat : propriam cuiusvis sanctitatem et Clericatum. „Clericus, inquit ibidem, duas res professus est, et sanctitatem et Clericatum : interius sanctitatem; nam Clericatum propter populum suum Deus imposuit cervicibus suis, cui magis onus est, quam honor.“ Regulam

[1]) Possid. in vita S. August. C. 5. — [2]) Lipom. in vita S. August. — [3] S. August. Serm. 49 de diversis. —

S. Augustinus proprie nullam scripsit; quam Regulam S. Augustini dicimus, epistola 109 continetur, quam ad Sanctimoniales dederat, quibus eius soror praefuit. Aliam fusiorem prae hac habemus Regulam S. Augustini, tempore Alexandri IV. R. P. ex opere eiusdem de operibus Monachor. inscripto collectam.

Quae summatim in sua hac regula S. Augustinus praecipit prohibetque, his fere capitibus continentur : Interiorem sanctitatem promoveri praecipit inprimis caritate fraterna, orationis studio ieiuniisque moderatis; opus manuum non excludit, sed in commune vult conferri; praecipue tamen commendat lectionis frequentiam, sive studia; in vestibus vult servari modestiam, in incessu gravitatem; in publicum solitarios prodire prohibet. Ut vero regularum observantiam nonnulli urgerent, Praesides suis duos imposuit : Presbyterum et Praepositum. Ad illum velut supremum in domo maiores caussae deferebantur; ad hunc regularis disciplina pertinebat: ut cuncta serventur, et si quid minus servatum fuerit, non negligenter praetereatur.

Quemadmodum vero Augustinus in Africa cum suis Clericis religiosam hanc vivendi formam sectabatur : ita ad alias provincias Institutum hoc brevi penetravit, adeo, ut Brougthonius 2000 Canoniarum cum 30,000 Canonicorum in Europa numeraverit. Enatae subinde sunt plures Canonicorum Augustinianorum Congregationes, quae in fundamento regulae a se mutuo non differunt; sed tantum quoad morem vestitus, diversasque ad suam regulam constitutiones assumtas. Varia sunt earum nomina, quae passim in S. Ordinis scriptoribus legi possunt, quaeque recensere propositi mei Instituti non est, qui solum eas Canonias describere intendo, quas Canonici Regulares olim habuerunt in Hungaria. Harum aliae fuerunt Canonicorum S. Sepulcri Hierosolymitani; aliae Canonicorum superpelliciatorum, quas iam ordine exsequemur.

A.

Ordo Canonicorum S. Sepulcri Hierosolymitani.

Teste Cardin. Pazmano „habuit Hungaria et Slavonia Praeposituras aliquot Canonicorum Regularium Ecclesiae Hierosolymitanae, sive Fratrum S. Sepulcri Dominici Hierosolymitani, qui postea vulgo Cruciferi Canonici S. Sepulcri vocabantur, sub Regula S. Augustini, et immediate spectabant ad Ecclesiam Hierosolymitanam, ut ex quadam Bulla Urbani IV. liquet.“ [1])

Canonici S. Sepulcri institutionem sui ad aetatem Apostolorum referre amabant. Cum enim S. hoc Monumentum suis custodibus ab Apostolorum tempore nunquam caruerit, et nullum tempus assignari possit, quo ii desiissent, continua successione a primo Christianitatis aevo semet descendisse existimabant. At verior Epocha Canonicorum S. Sepulcri ultra annum 1110 extendi haud potest, quo scilicet Canonici a Lateranensi Romana Basilica, Lateranenses dicti, S. Sepulcro additi sunt. Pressi hi vectigalibus ultra modum a barbaris, demum sub onere fatiscebant, succubituri mox, nisi remedium Godefridus Buillonius et Balduinus fratres in tempore attulissent: quorum prior plurimis eos donis et privilegiis ornavit, in quorum Ecclesia etiam sepeliri voluit: iste vero, fratris in Regno successor, eosdem Canonicos creavit Equites; aut, ut aliis placet, suos illis Equites in protectionem S. Sepulcri addidit, quos Patriarchae Hierosolymitano subiecit.

Receptis per Saracenos Hierosolymis, Equites hi primum Ptolemaidem et hinc quoque eiecti, Perusium Italiae petierunt; qua in civitate dein Magnus Magister Ordinis sat diu residebat. Anno demum 1484 magna eis incubuit tempestas, dum ab Innocentio VIII. R. P. coacti sunt Rhodiorum Equitum Institutum sequi, atque etiam inviti sub signa eorum iurare. Respirarunt exacto decennio sub Alexandro Papa VI., qui, ut eis pristinos animos honoresque redderet, semet Ordini Magistrum obtulit; sub cuius potenti praesidio ita rursus emerserunt, ut nostris adhuc diebus sparsi per Italiam, inprimis in ditionibus Pontificis degere dicantur.

Vestes equestri huic Ordini erant albae. Colorem hunc a suis Praedecessoribus, aut, si mavis, Sociis, Canonicis Lateranensibus sumserint, qui a sua origine semper albis utebantur. Assutae erant vestibus 5 cruces rubri coloris ad eam speciem compositae, ut maiorem unam quatuor minores stiparent. Sunt, qui numerum hunc a quinque vulneribus Salvatoris derivatum adfirment. Praeter principem sponsionem, qua se Canonici sepulcrales protegendo S. Sepulcro totos consecrabant, iureiurando promitte-

[1]) Péterffy: Conc. Hung. II. 277. —

bant symbolam suam conferre pro redemtione captivorum christianorum a Turcis; imo pro his redimendis ipsimet Saracenorum terras adibant. Candidati Ordinis bellum nulla pace interrumpendum adversus infideles se gesturos conceptis verbis pollicebantur et vel inter strepitus castrenses horas canonicas de SS. Crucis mysterio quotidie recitaturos.

Postremis seculis videtur Ordo arma posuisse et se totum quantum officiis divinis et regulari observantiae secundum regulam S. Augustini addixisse. In Hungariam, uti apparet, Ordo iste sub Andrea II. adhuc titulo Equestris Ordinis immigravit: sed postea maluerunt eundem professi, Canonici S. Sepulcri, quam regulares milites dici, ut infra patebit.

I.

Canonia S. Crucis de Komlós.

Andreas II. Rex Hungariae, cum in expeditione sacra in Krati Castello pro regia sua Maiestate a Castellano eiusdem Castri, Fratre Raymundo de Pignano et aliis Fratribus domus hospitalis Hierosolymitanae benigne, ut ipse loquitur in suo diplomate de anno 1218, et magnifice acceptus fuisset, eisdem quidem de communi consilio Principum suorum D. Marcas argenti de Saloch salinis attribuit: sed iam antea, quam propensus fuerit etiam in hunc S. Ordinem Canonicorum Sepulcri, monstravit in fundatione Glogoncea anno 1207 pro ipsis in Croatia facta; tum postea in Hungaria, ubi anno 1212 Komlosini Comitatus Sarosiensis, iisdem Canonicis fundationem fecit; quam ut stabiliret, sequens diploma est elargitus:

„In Nomine Domini Amen. Andreas Dei Gratia Hungariae Rex.. in perpetuum. Sancta et salubris est devotio, Deo servientibus manum caritatis elargiri, de quibus pie confiditur, quod eorum orationibus assiduis ira supremi Judicis misericorditer flectitur et coelestis aulae ianua clementer aperitur. Hinc est, quod nos pro remedio animae nostrae, fratribus Sancti Sepulcri terram inhabitatam, quae frigidus fons vocatur et Medies Maielle et silvam, quae circumdatur rivulis, in perpetuum contulimus possidendam ... In possessionem vero huius terrae per fidelem nostrum Banum Nicolaum tunc Comitem novi Castri, Fratres praedictae Domus Sancti Sepulcri legitime fecimus introduci. Praeterea fratribus eiusdem domus talem concessimus libertatem, ut nullus in Regno nostro Comes, vel Judex constitutus a populo iam dictae domus liberos denarios, pondera, decimas porcorum et maxime illos denarios, qui colliguntur in tribus festis, videlicet: Nativitate Domini, Pascha, in festo Regis [1]) a iam dicto populo Domus exigat: nam fratribus eisdem totaliter remisimus... Dimisimus insulam et terram, aquam piscatoriam et non piscatoriam, ut Comes Nicolaus de novo Castro per fidelem hominem suum Laurentium nomine supra-

[1]) Puta: Stephani; quod tam ex eius aevi usu, quam ex aequa anni in tres partes aequales divisione deducitur.

dictis fratribus assignavit, nullus intrare et piscari, vel venationem exercere praesumat. A Jobbagyionibus eorum nullum tributum aliquis tributariorum in foris et in pontibus deposcat. Volumus, quod Deo pacifice deserviant . . . Datum per manus Magistri Thomae Aulae Regiae Cancellarii, Sibiniensis et Vesprimiensis Praepositi. Anno ab Incarnatione Domini 1212. Regni nostri anno 8." [1])

Eandem Donationem Bela IV. anno 1244 suo diplomate firmavit hoc tenore: „Bela Dei Gratia Hungariae . . Rex. Accedentes ad nostram praesentiam Fratres S. Sepulcri nobis supplicarunt, ut Privilegium Patris nostri recolendae memoriae, Andreae Illustris Regis Hungarorum confirmare dignaremur. Quorum precibus iustis et honestis regio favore condescendentes, privilegio ipsorum inspecto, tenorem in scriptum redigi fecimus et iussimus confirmari. Cuius tenor talis est : Andreas etc. ut supra . . . Datum anno gratiae 1244. X. Kal. Febr. Regni autem nostri anno IX."

Komlós vicus est in provincia Sárosiensi, cui contiguum est praedium Hideg-Kut, frigidus fons Andreae Fundatoris; tum trium quadrantum milliaris distantia remotus alter vicus Komlós-Keresztes, quo addito Ecclesiam Canoniae sub S. Crucis titulo Deo fuisse sacram innui videtur. Medies ibidem prope sub nomine Medgyes hodieque viget. Olim utroque in Komlós Ecclesia parochialis : hodie utraque filialis est ad Pósfalu sub Patronatu Fundi Religionis.

Videntur hi Religiosi Viri Komlosinum non titulo Equestris Ordinis, sed Canonicorum S. Sepulcri ingressi: et quemadmodum Hierosolymis duplicis sortis erant Religiosi ad S. Domini Sepulcrum, Equestres scilicet et Canonici, ita etiam sacrae Coloniae, quae dehinc in alias regiones migrarunt, aliae sub titulo Equestris Ordinis, aliae sub eo Canonicorum demigrarunt. Quod Komlosini Canonici, non Equites consederint, inde elucet, quod sacra haec domus non Glogonczeo Magistro, cui Reges Hungariae omnes Equestrium Custodum Sepulcri Domini domos, tanquam supremo per Hungariam Ordinis eius Capiti subiecerunt, sed Miechoviensi in Polonia Praeposito subdita fuerit; atque etiam, quod Superiores eius nunquam Praeceptores aut Magistri, uti apud Equestres moris erat, sed semper Praepositi fuerint compellati. Titulus hodie vacat.

II.

Canonia S. Nicolai de Landek.

Uno duntaxat Seculo et anno uno Komlosini extractis, de nova statione sumenda, novoque Monasterio in Landek struendo cogitarunt Canonici Komlosienses. Quod quomodo acciderit, e rei gestae certis literarum monumentis constat, quorum unum sic sonat : „Capitulum Ecclesiae B. Martini de Scepus, omnibus Chri-

[1]) Wagner : Annal. Sáros. 389. —

sti fidelibus, quibus praesentes ostenduntur, salutem in omnium Salvatore. Quoniam memoriae novercatur oblivio, dignum est, ut acta temporalia scripturae testimonio fulciantur. Proinde ad universorum notitiam harum serie volumus pervenire, quod constituti in nostra praesentia Fr. Henricus Canonicus Hierosolymitanus et Praepositus Miechoviensis de Polonia pro se et fratribus suis [1]) ex una parte, Kokos et Joannes Magistri, filii quondam Comitis Rycolphi ex altera : idem Henricus confessus est coram nobis, quod possessionem suam Komlós vocatam in districtu Sáros existentem, Kokos et Joanni praedictis in concambium dedisset, donasset et contulisset sub iisdem metis et terminis, quibus Rex Andreas ... Sepulcro Domini . . possidendam . . . dedit et donavit. Pro qua quidem possessione Komlós, Kokos et Joannes praefati, possessionem ipsorum Landek vocatam cum silvis, pratis, rubetis ... eidem Fr. Henrico cum fratribus suis et Successoribus eius dederunt et contulerunt perpetuo possidendam ... Tali etiam conditione mediante, quod quicunque ipsum Fr. Henricum . . . ratione praedictae possessionis Landek inquietare . . attentaret; idem Magister Kokos vel heredes . . tenebuntur expedire propriis laboribus et expensis. Item idem Magister Kokos assumsit Ecclesiam B. Nicolai in Landek cum omnibus reditibus suis et proventibus liberare ab omni debito Domini Praepositi... Datum feria quarta proxima post Dominicam Invocavit, anno Domini 1313." Ut vero Magistri Kokos, seu Gallus et Joannes cambium peractum irrefragabile firmiusque redderent, consensum regium impetrare super eo adnisi sunt, quem Carolus I. Rex ultro praestitit dato confirmationis privilegio, ut sequitur : „Nos Carolus Dei Gratia Rex Hungariae ... Accedens ad nostram praesentiam personaliter Magister Kokos, filius Magistri Rycolphi, dilectus noster et fidelis dixit, quod una cum discreto Viro Ordinis Cruciferorum Hierosolymitanorum Praeposito de Miecho tale concambium de voluntate eiusdem Conventus et Ordinis inter se ordinassent, quod ipse Magister Kokos quandam possessionem Landek vocatam... pro possessione ipsius Ordinis Komlós vocata, quam Endre quondam Rex Hungariae Clarissimus contulerat ipsi Praeposito et fratribus suis . . dedisset . . . Nos igitur iustis petitionibus et legitimis dicti Magistri Kokos .. nostrum praebemus... assensum et tenore praesentium confirmamus. Datum Budae, feria 5 post festum Paschae Domini anno eiusdem 1313." [2])

Perfecto iam ex omni parte cambio, Canonici relicta vetere sede semet Landecum in Scepusio transtulerunt, novamque ibi Canoniam et Praeposituram constituerunt. Sed pessime cessit optimis Viris mutatio aurae. Iam anno 1341 tam sinistre stabat oeconomia, ut eodem anno queratur Benedictus XII. Chanadino Archi-Episcopo Strigoniensi : „quod tam dilecti filii Praepositus et fratres Domus de Landek ad dominicum sepulcrum [3])... spectantes Ordinis S. Augustini . . . quam praedecessores eorum decimas, terras, domos, vineas, iurisdictiones, possessiones, prata, pascua, piscinas, nemora, molendina, iura et quaedam alia bona ipsius domus datis super hoc literis, confectis inde publicis instrumentis, interpositis iuramentis, factis renuntiationibus et poenis adiectis . . abalienaverint : quae omnia in ruinam novae Domus et perniciem regularium tempore suo eventuram tendere videantur. Unde gravissime adhortatur Archi-prae-

[1]) Erat nempe Praepositus de Miechow, eiusque Conventus Canoniae huius Patronus, per Fundatores Kokos et Ricolfum, adsentiente Carolo III. Rege, constitutus. Fejér: Cod. dipl. VIII. 2. p. 623. — [2]) Wagner: Analecta Scepus. I. 398. — [3]) Robertus Sancius, Abbas Gradicensis Ordinis Praemonstratensium, teste Hugone Annalista Praeposituram hanc olim candidi sui Ordinis fuisse solus censebat, puto auctoritate Pazmanii ductus, quin ullam huius opinionis rationem produxerit. Unde merito addit Hugo : Penes dicentem sit fides et cautio. —

sulem, ut pro sua et auctoritate et potestate iura a Domo Dei alienata quoquomodo revindicari procuret. Datae sunt hae Avenione VI. Cal. Maii, Pontif. anno VII.

Disciplinam tamen domesticam perseveravisse, quod penes tales abusus mirere, et cultum divinum neutiquam imminutum fuisse, testes sunt Cives Kesmarkenses, qui „inspectis et consideratis habitibus salutaribus, operumque piorum Ordinis Dominici Sepulcri Hierosolymitani, consideratque perseverantia pietatis in Claustro Landek, fratrumque inibi habitantium; eisdem fratribus, Ordinique ipsorum ad instantem supplicationem ipsorum contulerunt Ecclesiam S. Elisabeth inferiorem in praedicta Civitate videlicet: Foro caseorum iuxta muros situatam.

Exardescente deinde lite de iure patronatus ratione Praepositurae de Landek inter Praepositum Miechoviensem tanquam Actorem et inter Georgium Body Electum Episcopum Csanadiensem, forte tunc Praepositum Scepusiensem, Ferdinandus I. Rex auditis partibus et discussis utriusque rationibus Praeposito Miechoviensi edito diplomate concessit, ut imposterum semper, quandocunque Praeposituram vacare contigerit, idoneam eo Personam nominare valeat, quae videlicet habitum Ordinis deferat et ab Archi-Episcopo, aut eius Generali Vicario investituram accipiat. Acta sunt haec anno Domini 1558 Viennae. Ex hac conditione apparet, Canoniam in Landek amplius non exstitisse, aut certe non eo in statu exstitisse, ut ex ea idoneus Praepositus creari potuisset. Tandem anno 1593 Canonia plene desiit. Horsum permutatio primaevae fundationis, vicinia ad Miechov Poloniae, ac tandem suscepta de iuribus altercatio bonos Canonicos promoverunt, ut omnia amitterent. [1]) Andreas Báthory de Somló Cardinalis, Episcopatus Varmiensis Administrator et Praepositus Generalis Miechoviensis cum consensu Fratrum SS. Sepulcri sub regula S. Augustini militantium totales Possessiones ipsorum Landek, Hanusfalva et Alsó-Lapsa vocatas, in Comitatu Scepusiensi existentes Georgio Horváth de Palocsa 2025 fl. Ungaricalibus perennaliter vendidit, solo Parochiarum iure reservato, quas Canonici Michovienses fere ad initium nostri huius seculi administrabant. Ecclesia Praepositurali conversa est in parochialem et hodieque servit populo fideli ad cultum divinum congregato. Sed iam multum hiat, exspectatque nervum, ne omnino rudus fiat. Aedificium Canoniae conversum est in castellum, quod I. Familia Horváth-Palocsaiana incolit. Parochias dictas hodie Sacerdotes Ecclesiastici Dioecesis Scepusiensis administrant. Titulum Praepositi de Landek gerit Reverendissimus D. Paulus Gottliebovich, Cathedr. Ecclesiae Quinqueeccles. Canonicus.

---

[1]) Facile accesserim asserto D. Caroli Liszkay (Religio: 1853. No 57.) eos sterilem hanc et cum omnium rerum, tum pacis indigam stationem ultro et lubenter deseruisse, ubi praeter miserias nihil reliquerunt. —

III.

Canonia S. Crucis de Hunsdorf.

Hunsdorf, olim Hundszdorf, latine Villa Canis, non incelebris est possessio in Scepusio, quae ab acri pugna, anno Christi 441 inter Hunnos et Romanos ibi commissa etiam Hunni villa dicitur. Pugnae huius realitatem, per historias non satis probatam tueri videntur numi romani veteres et fragmenta armorum, quae ad hunc pagum frequenter effodiuntur teste D. Liszkay loco citato. De Fundatore, inquit eias Parochus circa finem Seculi prioris: „Omnipotens Deus optime noverit: nullum enim vestigium aut documentum prae manibus existit.“ Habitavisse tamen quospiam Religiosos ad Ecclesiam Hundsdorfii dubio vacat, quos Crucigeros fuisse quaedam inscriptio Leucsoviae testatur hoc tenore: „Anno 1232 ist das Kloster Crucigerorum in Hundsdorf gebaut.“ [1]) Cardinalis Pazmanus Monasterium hoc inter ea enumerat, de quibus non constat, cuius Ordinis fuerint; addit tamen: „dicitur fuisse Crucigerorum.“ [2]) Cum vero Crucigerorum S. Joannis Elenchi per Pazmanum et Prayium sat accurati habeantur, quibus Hunni, aut Canis [3]) villa illata non est, non incongrue recensetur haec sacra aedes inter Canonias Crucigerorum S. Sepulcri, quae modo S. Joannis Baptistae nomine nota est. Huius memoriam sustentat Collatio regia: legiturque hodie Praepositus S. Joannis Baptistae de Hunnsdorf, Reverendiss. D. Franciscus Bendik, Archidiaconus Thurociensis, Ecclesiae Bergensis Parochus.

IV.

Canonia S. Benedicti de Sámson.

Postquam Cardin. Pazmanus Praeposituras tam seculares, quam regulares enumerasset, tandem sic concludit: „Fit praeterea mentio nonnullarum Praepositurarum in antiquis literis, quas cum nondum sim certus an secularium, an Regula-

[1]) Liszkay, ibid. — [2]) Péterffy: Conc. Hung. II. 285. — [3]) Villam hanc Sec. XIV. Germanis Hundsdorf, latine scribentibus villam Canis dictam fuisse, certo constat.

rium fuerint, hic subiunxi. ... De Sámson in Simighiensi Comitatu, Dioecesis Vesprimiensis." Ad hanc relationem addidit saepe memoratus Paintner in suo Hungariae Monasteriorum manuscripto indice: „Sámson S. Benedicti in Comitatu Simighiensi, probabilius S. Sepulcri Hierosolymitani Canonicorum." In re obscurissima et ante secula iam obsoleta vel tantilla lux sufficiat, oportet.

Possessio Sámson hodiedum subest dominationi sacrae; pertinet enim ad Dominium Kis-Komaromiense, Seminarii Vesprimiensis Cleri Junioris. Ecclesia novitus aedificata titulum gerit transfigurationis Domini nostri Jesu Christi. Structura novae Ecclesiae et mutatio tituli, argumento sunt, in Sámson nec memoriam olim ibi existentis sacrae Domus superesse, minus vestigium. Titulus Praepositi S. Benedicti de Sámson conferri solet, sed nunc a pluribus annis inter vacantes visebatur, donec eum recenter Reverendiss. D. Stephanus Nemecskay, Coll. Eccl. Tyrnaviensis Cantor et Canonicus obtinuisset.

V.

Canonia de Thenő.

Cardinalis Pazmanus Praeposituram de Thenő Dioecesis Vaciensis eas inter memorat, de quibus fatetur sibi certo non constare, an regulares fuerint, an seculares. Contra : Vener. Cleri Vaciensis Dioec. Schematismus, a. 1835 „Vetustorum, inquit, monumentorum scrutatores dicunt eam fuisse Ordinis Canonicorum Regularium S. Sepulcri Hierosolymitani." Utinam aliquos eorum nominavisset! Ceterum et istud, quamvis tenue, libenter amplectimur, quo Sacri Loci memoria certius conservetur.

De origine, secutisque Asceterii huius fatis nihil constat : de loco fundationis non item. Exstat enim praedium Tenő in Comitatu Hevesiensi, oppido Szolnok vicinum, ruderibus conspicuis, iisque plagarum nominibus, quae Religiosi terris suis indere solent, aut certe solebant. Quod praedium, licet hodie Archidioec. Agriensi sit insertum, olim tamen Vaciensi Antistiti paruisse, docet tabula Dioec. Vaciensis, sub auspiciis Lib. Bar. Georgii Pongrácz Episcopi eiatis annum circa 1672 parata, quae Tenő una cum vicinis Kengyel, et Szajol intra huius Dioecesis limites exhibet; ubi extremam eiusdem oram occidentalem, Agriensi tunc Dioecesi contiguam, obtinet Thenő; unde mutatio, fors ob interfluentem Tibiscum inducta, facile intelligitur.

Si Stephanus, Vaciensis Canonicus, qui iam anno 1388 in literis metalibus super possessione Legyen ut Praepositus de Thenő comparet, Canoniam hanc alio, quam Commendatarii, pro eius aevi usu, titulo tenebat, exstincti sacri huius Collegii tempus et caussam assignare arduum est. Praepositi honore ornatur hodie Reverendiss. D. Franciscus Szabó, Ecclesiae Félegyház Parochus.

VI.

Canonia de Végles.

Végles in Strigoniensi Dioecesi dicitur fuisse Cruciferorum : ait Pazmanus, quibus eodem loco addit sub nota : „Anno 1636 Vigles iure perennali datum Ladislao Csáky : obstiti, quantum potui.“ Existit in Comitatu Zoliensi arx desolata Viglesvára dicta, de qua Belius in sua Notitia Hungariae, Tom. II. pag. 491 . . pluribus disserit. Ex his, quae ad nostram rem faciunt, haec sunt : „Disiungitur, inquit, Viglesvára, Vetusolio milliari in aestivum orientem seposita. Substructiones arcis vetustiores sunt, quam quae ad aetatem Corvini possint referri. Quid, quod Szentiványius Cruciferorum Ordini arcem adscribat, quod proclivius est ad credendum. Sacellum enim adhuc habet maius, quam pro mole arcis.“ Posthaec historiam arcis inde a Sigismundo Rege usque Seculum XVIII. expedit, quo temporis decursu arx dominum octies mutavit. Exstitisse eam tempore Pazmani in Dioecesi Strigoniensi, ut tunc erat, notum est. — Titulus Canoniae huius, seu Praepositurae non confertur; unde merito aliquod dubium suboritur, an Monasterii de Vigles Regularis Superior Localis Praepositi dignitate gavisus fuerit.

Restant nonnullae notitiae de duabus Ecclesiis Ordinis Crucigerorum S. Sepulcri, sed ita comparatae, ut earum ductu neutra ad Canoniae dignitatem protrudi possit. Harum una est B. Mariae V. de Leibitz : altera B. Elisabeth in Késmark. Quid de harum singulis memoriae proditum sit, videamus. Igitur Leibitzii nec apud Cardinalem Pazmanum, nec apud Szentiványium ulla mentio. Eandem et collatio regia tituli non novit. Sola Parochi localis relatio, quam fine seculi praeteriti ad intentum eo tempore Sacrum Regni Hungariae Lexicon incassum adornaverat, praesto est huius tenoris : „Ecclesia Parochialis Leibiczensis primarii oppidi e XVI. Scepusiensibus sub Nomine B. M. V. in Coelos assumtae fundata et aedificata est. Restauravit eam populus Catholicus ex Polonia redux post persecutionem Hussitarum, qui Ecclesiam parochialem in Oberring existentem combusserunt, ac destruxerunt ac penes eandem Ecclesiam octingentos viros una die crudeliter necaverunt : reliquis in Poloniam profugientibus, quorum nepotes post centum et plures annos reduces, supra petram aedificatae Ecclesiae Equitum Custodum Sacri Sepulcri rudera deprehendentes, eandem restaurarunt et in statum pristinum reposuerunt,

atque per eandem Ecclesiam parochialem fundaverunt. Rudera nulla actu existunt, quia Ecclesia, ut supra dictum, super rudera aedificata est, et ipsa Parochia in ruderibus Claustri suprafatorum Equitum actu stat; ac, uti Ecclesia post incendium anni 1786 renovata est." Eruat hinc, qui potest, Praeposituram aut Canoniam Crucigerorum S. Sepulcri : ego praeter Ecclesiam et Parochiam eorum nihil ultra cerno, praesertim postquam fundamenta et rudera veteris Domus ideo non videntur, quia nova parochiali domo plene teguntur. Qualis ea Canonia, cuius fundamenta simplicis Parochiae limitibus continentur?

Quod eam S. Elisabeth de Késmark adtinet : notum est, Késmarkienses Cives Canonicis S. Sepulcri de Landek nihil aliud, quam administrationem Ecclesiae S. Elisabethae commisisse : in cuius rei documento proinde nulla Canoniae, nulla Monasterii, eo minus Praepositi mentio recurrit. Utramque hanc Ecclesiam Seculis XV. et XVI. primum in cineres, tum in rudus abiisse, demum de facie terrae deletam fuisse, facile credideris.

Cardinalis Pazmanus de Ordine Canonicorum S. Sepulcri in Hungaria haec pauca habet : „Habuit Hungaria et Slavonia Praeposituras aliquot Canonicorum Regularium Ecclesiae Hierosolymitanae, sive Fratrum S. Sepulcri Dominici Hierosolymitani, qui postea vulgo Cruciferi Canonici S. Sepulcri vocabantur, sub Regula S. Augustini : et immediate spectabant ad Ecclesiam Hierosolymitanam, ut ex quadam Bulla Urbani IV. liquet. Ex his fuerunt: Praepositura B. M. V. de Glogoncza, Zagrabiensis Dioecesis, in Comitatu Crisiensi, fundata ab Andrea II. Anno 1207. — Item de Bienko, Zagrab. Dioecesis. — Item de Marchia. — Eorundem Generalis Visitator per Hungariam et Slavoniam Anno 1332 fuit Frater Nicolaus, Praepositus de Glogoncza. Hic Ordo iisdem privilegiis gaudebat in Hungaria, quibus Cruciferi Hierosolymitani et Templarii."

B.

Ordo Canonicorum Regularium Superpelliciatorum.

Quemadmodum in aliis Ordinibus regularibus usuvenit, ut noviter enatae Congregationes aliqua vestium mutatione semet a reliquo corpore Ordinis distinguerent: ita factum est in Ordine Canonicorum Regularium S. Augustini. Ex his in Italia Lateranenses albas; ii S. Rufi et S. Victoris quoque nigras in Gallia; in Hungaria omnes Canonici Augustiniani vestes nigras deferebant. Sed nostratibus praeterea mos erat Superpellicium supra nigras vestes gestare; quod cum ex linea tela esset, apud Scriptores nostros passim superpelliciati, aut linteati vocantur.

Cardin. Pazmanus paucas admodum horum Praeposituras recenset; addit tamen se non dubitare, quin plures fuerint in Hungaria. Reipsa plures erant quatuor illis, quas apud Péterffyum noto loco videre licet. Nihilominus in descriptione Praepositurarum huius Ordinis ordinem auctoritatemque illius sequemur.

I.

Praepositura de Thoub.

Locus Thoub adeo in Hungaria ignotus est, ut nullum eius vestigium apud Geographos reperiatur. In archiepiscopali Archivo Strigonii scripta legitur Praepositura haec sub nomine Thov, seu iuxta nostram pronuntiandi rationem Thó vel Tó, quod latini lacum nuncupant. — Certum existentis olim Praepositurae huius argumentum est in speciali favore Clementis Papae, qui eam in spiritualibus et temporalibus ab omni alia iurisdictione eximit: ita tamen, ut Praepositus ad Conventum Strigoniensem ire teneatur. — Titulo Praepositi de Thoub hodie gaudet Reverendiss. D. Josephus Razel, Oppidi Gyula Parochus.

II.

Praepositura B. Mariae V. de Vágujhely.

Vágujhely priscis temporibus possessio regalis de Ujhely et alio nomine villa regia appellabatur. Quod indicio est, eam Regum fuisse propriam, donec a Bela IV. anno 1263 Monasterio S. Martini de S. Monte Pannoniae cum aliquot aliis villis pro ademto Monasterio B. M. V. de Güssing et in castrum iam per Patrem eius Andream II. converso tradita fuisset : uti id supra ad Abbatiam de Güssing Ord. S. Bened. fusius pertractavimus. — Stephanus V. Rex Belae IV. filius vix aditum per Monachos Ujhelyinum, anno 1271 consideratis fidelitatibus et fidelium servitiorum meritis Laurentii Bani de Severino et Comitis de Dobóka, eidem ac heredibus eius perpetuo iure tradidit cum toto suo possessorio. Sed hunc Ladislaus IV. Stephani filius, dominio mala fide sibi tributo privavit, aureamque avi sui bullam anno 1273 peculiari diplomate recoluit, et Ujhelyinum Monasterio restituit. Verum importunis Laurentii precibus fatigatus, anno 1275 Ujhelyinum eidem confirmavit, privilegium suum Monasterio ante biennium traditum cassando et penitus irritando, ita, ut ubicunque in iudicio vel extra seriem iudicii produceretur, vigore careat et nullius fiat firmitatis. Non indormivere interea Monachi suis iuribus, saepiusque de iniuria coram Regibus querebantur. Anno 1321 Nicolaus, serius Siffridus, tandem anno 1367 Ladislaus Abbates S. Martini Ujhelyinum iure repetere aggressi. Sed Laurentii Comitis, Tóth dicti, successores Stephani et Ladislai Regum diplomatibus semet fortiter tutati, lites protrahebant; donec tandem suapte evanuissent. Est hodie Ujhelyinum sub Beczkoviensi dominatione in multos dilaceratum.

Praeposituram Ujhelyiensem pro Canonicis Regularibus fundavit Stiborius, Oppidi tunc Dominus et praepotens audaxque circa Vagum Dynasta. Fundatoris nomen et memoriam conservat vetus in marmor incisa tessera, frontispicio Ecclesiae inserta. Stiborius sub Mathia Corvino Rege floruit, ac proin fundatio Canoniae Sec. XV. facta est. Attributae sunt Collegio huic a Fundatore duae possessiones: Povedin et Bosocz, tantillum pro integro dominio Ujhelyiano; quod quia non bona fide, neque aequa donatione ad ipsum devolutum sibi videretur, ad conscientiae stimulos componendos, aliquantum in caussam piam contribuit.

Parvo tempore Canonicos Regulares Praeposituram tenuisse, testimonio sunt Judices ecclesiastici, qui sub Ferdinando I. Rege, et Olaho Archiepiscopo Strigon. anno 1557 Georgium Felvár Praepositum de Ujhely in quaestionem vocarunt. Ea occasione isti Judices dicunt : „Praeposituram de Ujhely olim Canonici Regulares possederunt, in eamque mitti solebat in administrationem loci illius Ujhely, unus per Religionis illius Superiorem; tamen successive Religio illa Regularium Canonicorum septuaginta annis citra vel ultra defecit et ad Ujhely non poterat mitti Prae-

positus idoneus a Religione illa.“ Reductis itaque annis 70 ad aetatem Stiborii, exiguo sane tempore Canonici regulares Praepositorum dignitatem in Ujhely tenebant.

Post cladem Mohacsianam desolationem Monasterii accidisse dubio vacat. Diffugientibus Praeposito et Fratribus, Praepositura ad manus Patronorum, qui dominii illius, e cuius particula fundata fuit, Heri erant, devenit. Sub medium Seculi XVI. Ujhelyinum et collatio Praeposituraе iuris fuit Bánffiani. Ladislaus Bánffy eam Georgio Felvár contulit; qui cum citra confirmationem et investituram archiepiscopalem beneficium capessiverit, acrem quaestionem subiit, seque Archiepiscopi Olahi gratiae submittere coactus est.

Verumtamen Praepositura non est exstincta, aut profanata. Adhuc cum realitate confertur Ecclesiastici Ordinis viris, quos deligendi potestas est penes Beczkoviensis ditionis Heros. Templum Sacerdotii huius, ac aedes Praepositorum ad omnem instructae sunt dignitatem, quas hodie incolit Reverendiss. D. Josephus Barinyay de Monostor, B. M. V. de Vágujhely Praepositus.

III.

Praepositura B. Mariae V. de Develics.

Commemoratis binis prioribus Praeposituris Petrus Pazmanus de hac tertia ita proloquitur: „His addenda Praepositura de Develich, quae viguit anno 1292, et S. Ladislai in Simigiensi Comitatu, Dioecesis Vesprimiensis.“ Duas has Praeposituras componit Martinus Szentiványi, dicens: „De Develich S. Ladislai. Dubium autem est, an hae duae Praeposituraе fuerint distinctae.“ [1]) Distinxit vero eas Pazmanus et hodiedum distinguit regia Collatio.

Develich scribitur alias etiam Develik; sed quocunque modo scribatur, locus ignotus est. Vicinissimam loci eius notitiam commonstrat Calendarium Archi-Dioeceseos Strigoniensis anni 1793, quod eam sic memorat: „Praepositura Novae Ecclesiae ante Castrum Budense de Develék.“ Exstitit olim in Castro Budensi etiam alia B. M. V. secularis Sacerdotii Praepositura, a qua, ut haec regularis distingueretur, dicta fuit de Develék: prout hodieque videmus Budae diversis Urbis spatiis diversa esse nomina uti Tobán, Ráczváros etc. — Confertur Praepositura de Develich cum axiomate S. Joannis Baptistae, cuius titulo hodie fruitur Reverendiss. D. Stephanus Vagyon, de Hanzlikfalva, Cathedralis Ecclesiae Nitriensis Canonicus Theologus.

[1]) Catalogo 50 p. 116. —

IV.

Praepositura S. Ladislai, in Comitatu Simeghiensi.

Hanc inter reliquas Hungariae Praepositurás regulares S. Augustini distincte recenset Pazmanus, discernitque ab omni alia ponendo: „Et S. Ladislai in Comitatu Simigiensi, Dioecesis Vesprimiensis. Existit etiamnum in hac provincia possessio nomine S. Ladislai, Hungaris Sz.-László dicta, in qua Korabinszky in suo Lexico geographico scribit grande PP. Franciscanorum Monasterium existere. Rectius scribere poterat grandia ibidem videri rudera Monasterii non PP. Franciscanorum, sed Canonicorum Regularium S. Augustini. Habent illi in Szent-László Comitatus Zaladiensis suum Conventum; at in eo Simighiensis nullum.

Conservant Praepositurae huius memoriam literae iudiciariae de anno 1382, quae docent Fratrem Andream Praepositum Ecclesiae S. Ladislai de Ordine Superpelliciatorum per Uladislaum Gubernatorem Abbatiae S. Martini S. M. Pannoniae in caussa decimae et tertiae partium tributi, huic in Comitatu Simighiensi e donatione Belae II. competentis per modum legitimae citationis in praesentiam Comitis Jacobi de Scepus, Judicis Curiae Regiae, fuisse evocatum. [1]) Honoratur eius titulo Reverendiss. D. Antonius Csete de Györgyfalva, Cathedr. Ecclesiae Vesprimiensis Canonicus.

V.

Praepositura S. Stephani Protomart. de Caët, alias Kő.

Quot loco diversa olim fuere nomina, tot cum tempore subivit vicissitudines. Dicebatur primo Caët, tum Keve, tandem Kő. Totidem intra exiguum temporis spatium factae sunt mutationes Religiosorum, locum incolentium. Vicissitudines has cum suis circumstantiis legere licet supra inter Abbatias Ordinis Benedictinorum, titulo: Abbatia de Caët. Quantum ad Praepositurarum attinet, hae fere sunt:

De initiis huius fundationis Balucius in Collectione pontificiarum epistolarum ita scribit: „Dux Belus Monasterium S. Stephani Protomartyris in proprio suo fundo Caët in Archiepiscopatu Colocensi fundavit, in quo XXX Benedictini fun-

[1]) Fejér: Cod. dipl. IX. 7. p. 469. —

dati erant." Tandem de voluntate Andreae II. Regis Canonicis de valle Ebron S. Abrahae dictis, idem Coenobium est traditum. Per horum sinistram bonorum administrationem ita Monasterium destructum est, ut vix tribus alendis sufficeret. Quocirca Innocentius a Saule de Hedervára Archiepiscopo Colocensi consultus rem Caëto ita restituit, ut submotis inde Canonicis Hebronianis anno 1198 praeceperit eidem Sauli Canonicos Regulares, qui secundum Regulam S. Augustini devotum ibi Domino famulatum impenderent, instituendos.[1]) Titulus eius hodie in Schematismo Archidioec. Agriensis inter vacantes cernitur : quem Colocensis Reverendissimo D. Joanni Zombory, Metr. Eccl. Colocensis Lectori et Canonico tribuit.

VI.

Praepositura S. Sapientiae de Titel.

Clementis IV. Papae Bulla, per Lodomerium Archiepiscopum Strigoniensem recitata, continet Fundatores Praeposituraе huius Nobiles viros de Kenez, Seletuk, Nicolaum filios Selce, Paulum filium Joannis, Lorandum et Reunaldum filios Reunald, Ladislaum, Detricum et Heym, filios Odun de Kecsed, qui Paulo et Augustino Fratribus terras contulerunt; hi vero propriis laboribus et expensis, fideliumque Eleemosynis Monasterium S. Emerici fundaverunt et construxerunt : quos deinde Clemens IV. ad preces Columbani Episcopi „ad Institutum Ord. beati Augustini subiugavit." [2]) Ante annum 1138 conditam fuisse hanc Praeposituram inde patet, quod Laurentius Tituliensis Canonicus Belae II. Regis Capellanus fuerit; Ordinis autem Canonicorum S. Augustini eam vocat Lodomerius Archiepiscopus Strigoniensis iis literis, quibus Clementis IV. R. P. privilegium, ei loco concessum, recitat, quarum initium tale : „Nos Lodomerius miseratione divina Archiepiscopus Strigoniensis, eiusdemque Loci Comes Perpetuus, significamus, quibus expedit, universis praesentium per tenorem, quod Deo amabiles Viri et Sanctae Religionis Fratres, Joannes Praepositus et Saul eiusdem socius Ecclesiae S. Emerici de Titul Ordinis S. Augustini suprapelliciati Canonici regulares ad nostram accedentes praesentiam exhibuerunt nobis exemptionis suae privilegium[3])... Datum Strigonii tertio die octavarum S. Regis Stephani, anno Domini 1294."

Quam hic Lodomerius Archiepiscopus sacram D. Emerico dicit Ecclesiam, iam communiter S. Sapientiae audit; verum SS. Patronorum pluralitatem in una eademque Ecclesia successive locum habere posse, et eo ex capite titulos beneficiorum Ecclesiasticorum variare notum est.

Iniurium se huic Praeposituraе exhibuit Venceslaus Bohemus, dum villam eius Varkum iuxta Tytiam (Tibiscum)

[1]) Hinc patet eam apud Pazmanum Secularibus perperam accenseri. — [2]) Fejér : Cod. diplom. T. VI. Vol. 1. pag. 322. — [3]) Erant nempe Canonici de Titel a iudicio Episcopi, et Archiepiscopi exemti, et Archiepiscopi Synodum duntaxat adire tenebantur. Ibidem. —

existentem magistro Kakas contulit anno 1301; Clemens Papa VI. autem anno 1344 totum hoc beneficium Cardinali Guilielmo addixit, ut incumbentia sibi expensarum onera valeat commodius supportare. Ad finem Sec. XV. idem beneficium cum plurimis aliis aeque opimis tenuit Thomas Bakócz ab Erdőd Archiepiscopus Strigoniensis, cuius caussa ei cum Petro de Varda Colocensium Archiepiscopo aliquid controversiae intercessit. Hoc tempore proventus Ecclesiae de Titel iis Capituli Bácsiensis pares fuisse videntur, eo quod anno 1498 (Comitiorum Art. 20.) tam istud, quam illa L Equites statuere iubeatur. Quo aevo e regulari statu ad secularem transierit, non constat. Post desolationem conversa fuit in arcem, quae diu sustinuit et derisit iras barbarorum. Sed tandem cedendum erat tempestati; et iterum recuperata a Christianis, ne hosti perfugium praeberet, diruta est. Rudera hodiedum prominere dicuntur in monte S. Sapientiae nuncupato, qui est pone militare Oppidum Titel.[1]) Titulo Praeposituraе gaudet nunc Reverendiss. D. Carolus Bubla de Nemesujfalu, Metrop. Eccl. Strigoniensis Canonicus.

VII.

Praepositura S. Nicolai de Alba.

Praeter principem Albae-Regali a D. Stephano fundatam Praeposituram alia fuit S. Nicolai extra muros dicta. Haec opinione Petri Pazmani secularis fuit. Verum aevo Cardinalem hunc praecedente Regularem fuisse adparet ex indice regiorum proventuum anni 1494, in quo nominatur platea Linteatorum S. Nicolai, quo indicio certo proditur Praepositura S. Augustini Canonicorum Regularium.[2]) E Praepositis S. Nicolai de Alba, anno 1467 Dominicus erat una Administrator Bonorum Abbatiae S. Martini de S. Monte Pannoniae per Mathiam Regem constitutus, cuius Praepositi Albaregalensis Schematismus anni 1842 pag. 24 perhonorifice meminit. — Honore Praepositi S. Nicolai de Alba extra muros potitur hodie Reverendiss. D. Ignatius Thomaer, Oppidi Sexárd Parochus.

[1]) Schematism. Colocensis 1847. p. 85. — [2]) Róka : Vespr. Pontif. p. 273. —

VIII.

Praepositura de Apor.

Simile Sacrorum Virorum collegium habuit provincia Tolnensis in possessione Apor. [1]) „Viguit vero Praepositura de Apor (hodie Apár) Canonicorum Regularium S. Augustini, quos vulgus superpelliciatos, sive linteatos vocat, in Comitatu Tolnensi, cui Briccius Praepositi nomine praefuerat. Nulla Praepositurae huius in Appendice Pazmani memoria.“ [2]) Est Apar hodie iuris Comitum de Apony, spectatque ad Dominium Högyész. Sanctuarium Praepositurali Ecclesiae hodiedum exstat, structum e secto lapide, quod cum toti eiati Communitati catholicae sufficiat, metiri licet, quantum fuerit totum corpus: postquam Apar cum filialibus suis Ecclesiis ultra 1300 animas numerat. Titulum Praepositi gerit hodie Reverendiss. D. Joannes Peteani de Steinberg, Metrop. Ecclesiae Olomucensis Praepositus et Canonicus.

IX.

Praepositura de Kirbach, S. Petri.

In Dioecesi Jaurinensi sita quondam „Praepositura S. Augustini, cuius postea fundi ad Canoniam S. Augustini ad S. Hippolytum in Austria inferiore accommodati: ideo eius memoria post Seculum XV. iam pene nulla est in Hungaria.“ Ita Róka, oper. cit. p. 274. — Xystus Schier eruditus Eremita Augustinianus asserit anno 1295 a Theodoro Episcopo Jaurinensi Fratrem Nicolaum de Ordine S. Augustini superpelliciatorum in Praepositum S. Petri de Hurbach institutum.[3]) Hodie nec in Dioecesi Jaurinensi, nec in reliqua Regni Hungariae, lato sensu sumtae, parte locus Kirbach, aut Hurbach reperitur; sed nec titulus Praepositurae confertur.

Cardinalis Pazmanus, postquam paucas Superpelliciatorum Praepositurae memoravisset, subiicit: „Licet non dubitem

[1]) Ibidem, p. 274. — [2]) Kaprinay: Hung. dipl. II. 84. — [3]) Dissertatio de Gregorio Papa VII. p. 7. —

plures hunc Ordinem in Hungaria habuisse Praeposituras.“ Et reapse ab eius aetate quinque iam detectae sunt, ut nobis in praesente opere IX producere licuerit. His crebro laudatus D. Erdey, pro ardente suo in florentia quondam sacratorum Deo virorum Collegia studio, decimam, de Nyirbátor adnecti, eiusque memoriam aeternae oblivioni eripi impense desiderat. Cuius voto, licet nulla ei scriptura vetus, sed traditio tantum patrocinetur, resistere minus liberale et nimis cautum videbatur. Sed ipsum audiamus!

Exstat, inquit, in limite orientali oppidi Nyirbáthor, Comit. Szabolcsiensis, iuris quondam Báthoriani, nunc Károlyiani super colliculo Ecclesia nunc Evangelicorum Helveticae Confessionis, anno 1504 exstructa, superbae structurae gothicae, fenestris praealtis et angustis tantum meridiem versus provisa, cuius lateri boreali olim aedificium maius adhaerebat : id, quod ad memoriam hominum rudera nunc iam direpta docebant, hodie vero sola fundamenta conspicua testantur. Communis in plebe opinio, traditione nata, fert istud fuisse Coenobium, et quidem, ut intelligentiores asserunt, Canonicorum S. Augustini, seu Superpelliciatorum, cuius ultimi incolae tristibus illis temporibus, dum salutem in fuga quaererent, in quadam platea comprehensi, animam pro fide posuerint. Stalla canonicalia iam iam casui proxima, utrinque ad parietem posita; Mausoleum Andreae Báthory in Sanctuario ante aram erectum; aevum erectionis parieti incisum, crux super Ecclesia XX circiter ante annos adhuc persistens; insigne gentis Báthoriae super ianua conspicuum; denique structura elegans cum adnexa Sacristia catholico more parata nullum dubium relinquunt, hac in aede Sacra Catholica peragi consvevisse ... Evangelicis Báthoriensibus honori cedit nonnulla Ecclesiae Monumenta, uti praenominata Stalla, Mausoleum et insigne gentilitium intacta et inviolata cerni. Crucem quidem detrahi olim placuit; sed rupto inter nisum fune supersessum est operi, amplius non resumto: donec edacis temporis dente corrupta ultro decidisset.

Relatio Petri Pazmani de Ordine Canonicorum Reg. S. Augustini.

„Praepositurae . . Canonicorum Regularium S. Augustini, qui etiam Superpelliciati dicti sunt: Canonicorum Regularium de Thoub : et de Ujhely B. Mariae Virginis Dioecesis Strigoniensis in Nitriensi Comitatu. His addenda Praepositura de Develich : quae viguit anno 1292 et S. Ladislai in Simigiensi Comitatu Dioecesis Vesprimiensis. Nec aliam de ipsis mentionem reperi; licet non dubitem plures hunc Ordinem in Hungaria habuisse Praeposituras.“ His infra notae instar adiectum est : „Nulli nunc in Hungaria Praepositi Regulares.“ Idipsum suis locis apud eundem de Cisterciensibus, Praemonstratensibus, Canonicis S. Sepulcri, Carthusianis, Dominicanis, Franciscanis Conventualibus et Eremitis S. Augustini adnotatur.

[1]) Péterffy : Concil. Hungar. II. p. 276. —

V.

PRIORATUS EREMITARUM

S. AUGUSTINI.

SECTIO V.

ORDO EREMITARUM S. AUGUSTINI.

Quicunque natale sacri huius Ordinis tempus per minus vitiata vestigia indagare cupiunt, ii S. Augustini vitam in quasdam epochas discernant, necesse est. Ac primo figendus est terminus in conversionis initio, quod Augustinum biennio et aliquot mensibus catechumenum habuit: ab eo autem intervallo temporis hominum frequentia relicta se „ad Christianae vitae otium contulit nondum baptisatus; et soli Deo cum suis servire studuit, in illo et ex illo pusillo grege esse studens, quem Dominus alloquitur dicens: Vendite, quae possidetis; et illa facere cupiens: Si vis perfectus esse: vende omnia, quae habes.“ [1]) Tum vero rus Verecundi Cassiacum incoluit.

Post mortem matris Monicae in Africam delatus, venditis omnibus, paupertatem castitatemque colens, locum selegit, in quo cum sociis evangelicae perfectioni operam dedit. Triennio elapso Presbyter initiatus, Monasterium in agro Hipponensis Ecclesiae constituit; ne monasticen cogeretur deserere ob Presbyterii professionem: quod Monasterium utique distinctum ab eo fuit, cuius fundamenta Augustinus posuit, quando eundem episcopali curae animarum Valerius destinatum voluit. Ex illis auspiciis monasticae vitae per Africam incrementa facta fuisse confirmat Sedis Apostolicae iudicium. De Joanne XXII. R. P. legimus, quod hanc religionem Patre ac Institutore S. Augustino satam esse asserat. Sixtus vero IV. privilegium Indulgentiarum Augustinianis concedens, haec praefatus est: „Beatissimus Aurelius Augustinus Religionis Regularis et Apostolicae vitae, ac castitatis, paupertatis et obedientiae amator et inter cetera Ordinis Eremitarum Fratrum eiusdem Plantator et primus Institutor extitit.“

A plantata radice, cum variae Congregationes Eremitarum se per Occidentem diffunderent, qui nec uno nomine, nec vestitu eodem, aut Capite uterentur: Alexandro IV. placuit Capitulum Generale Romam convocare, cui praesidens Richardus Tituli S. Angeli Cardinalis iubente Pontifice omnes Domos ac Coetus Eremi-

[1]) Possid. in vita S. August. C. 2. —

tarum in unam eandemque tum legum, tum professionis observantiam consociavit; praeterea Conventus, Loca, Oratoria per orbem sparsa sub uno capite Ordinis totius Eremitarum S. Augustini Generali coniunxit. Hoc in statu Ordo mendicans declaratus est a Pontificibus, qui deinceps non duntaxat solitariam, sed mixtam vitam sequeretur.

Sodalitatibus iam in unum collectis Regula S. Augustini et habitus donatus est. Habitum Eremitis Augustinianis universim nigrum assignavit Clemens VIII. anno 1603; cavitque, ut semper nigra tunica tecti incedere deberent foris; domi tamen vestibus albis uti possent. Novis itaque supplementis et accessionibus etiam aliorum Regularium, eremum sectantium aucti, in immensum propagati sunt per Europae regiones ita, ut undecim postea eorum Congregationes numerarentur. Nominatim in Hungaria iam anno 1262 adeo increvit numerus Eremitarum Augustinianorum, ut separatam a reliquis regularem Provinciam constituerint; quo anno Urbanus IV. eidem amplissima concessit privilegia. Post cladem Mohacsianam omnia in Hungaria Monasteria desolata sunt, ut adeo nonnisi operoso labore vel vestigia eorum rescire liceat.

Memoriam Ordinis S. Augustini Eremitarum e veteribus ruderibus suscitavit P. Xystus Schier, eiusdem Ordinis, qui grandi studio et labore indefesso historiam sui Ordinis moliebatur. Collegit eum in finem, quidquid ubique rescire potuit. Sed operi intento praemortuus campum aperuit Martino Rosnák itidem Augustiniano, qui ex adversariis illius excerpsit prisca huius Ordinis Monasteria ordine alphabetico et sub titulo : Memoria Provinciae Hungaricae Augustinianae antiquae, anno 1778 edidit, e quo servato eodem Ordine praesentem notitiam compilavi.

I.

Prioratus S. Nicolai Agriae.

Fuit hoc Monasterium S. Nicolao sacrum : quis et quo anno fundaverit, non constat. Seculo XV. illud exstitisse docent literae Joannis Cardinalis anno 1456 datae, quibus Ecclesiae Monasterii huius indulgentias elargitur. Integras recitat Nicolaus Schmitt in Episcopis Agriensibus. Serius, anno nempe 1505 Nobilis Antonius Borsos contulit Monasterio suae possessionis molam et statim sequente Nobilis Philippus Kormoss de Fewzes, et eius Consors Anna totales portiones possessionarias in Possessione Füzes in Comitatu Hevesiensi existentes in perpetuam dotem et eleemosynam. Anno denique 1507 Sophia, relicta Petri de Zend, filia quondam Martini de Csán dat suam portionem possessionariam in Praedio Vadaháza, quas tres donationes iisdem fere annis Uladislaus II. Rex, datis de singulis earum diplomatibus, confirmavit : quae pariter apud Nicolaum Schmitt ad hos annos recitantur ibidem.

Subsequis annis non parum fuit au-

ctum hoc Monasterium accessione nobilitarium Curiarum in Nagyhely, quas anno 1509 Thomas de Kurottyán; et portione in Kisshely, quam anno 1512 in Comitatu Borsodiensi, consentiente Rege Gregorius Folthi contulerat. Verum malatiam hanc paulo post excepit iniquus turbo. Michael enim Kakuk, Judex Cassoviensis cum suis Civibus totum Monasterium anno 1527 expilavit: mox tamen iussu altiore omnia restituit. Perstitit Ecclesia cum Monasterio usque annum 1596, quo Turcae Agriam occuparunt, per quos Cathedralis ritibus eorum accommodata; Ecclesia S. Nicolai Rasciae populo concessa fuit.

II.

Prioratus S. Michaëlis Archangeli Albae-Regiae.

Teste Bonbardio Ecclesia Conventus Albaregalensis Eremitarum S. Augustini, S. Michaëli sacra, sita fuit in suburbio, cuius ea fuerit amplitudo, ut proprio Magistratu gauderet. Meminit huius Monasterii Szentiványi in suo Eremitarum S. Augustini Monasteriorum Elencho et Ladisl. Thuróczi. Amissum est anno 1543, dum capta urbe a Turcis, eversa principe Basilica Mariana, maiore insania in minores Ecclesias saevitum est.

III.

Prioratus S. Joannis Bapt. de Bartfa.

Monasterium Bartfense situm in media urbe obtinuit, Patronosque legitimos agnovit semper Cives Bartfenses. Card. Pazmanus de hocce Monasterio sic scribit. „Monasterium Bartfense in Comitatu Saaros Augustinianorum fuisse comperi, habuitque tredecim pagos, quos nunc Cives Bartfenses possident.“ Possident vero ab anno circiter 1528, quo Matthaeus, Prior Augustinianorum de Sáros civitatem Bartfensem rogat, ut exactos ex urbe suos fratres rursus recipiat. Unde merito refert Carolus Wagner (in Diplomatario Sárosiensi) inter fabulas id, quod de his Fratribus ab erudito quodam amico suo scriptum accepit hoc tenore: „Traditione narratur de Bartfensium Augustinianorum tristi exterminio, quod dum aliquot fratres

de Civitate spatiatum foras irent, acatholici omnes in ira comprehensos in quodam fluvio submerserint, unde locus ille hucusque nominatur a monachorum submersione Münichsauff. Duos vero pro custodia remanentes satis diu vexaverunt; donec tandem unus eorum, cedens tentationibus, desertor fidei est factus et Lutheranis adhaesit; alter vero senecio prae dolore et cordis amaritudine paulo post vita decessit. Tunc haeretici vacuum locum videntes, eundem occuparunt et ne Monasterii aliqua memoria superesset, praeter Templum omnes cellas usque ad fundamenta diruerunt."

Korabinszki in suo Regni Hungariae Lexico memorat, Templarios in vicino Bartfensi urbi monte Manseriam celebrem et splendidam habuisse. Si id verum: poterant bona Templariorum tredecim illi pagi fuisse, quos deinde ad Augustinianum Bartfense Monasterium pertinuisse Pazmanus memoriae prodidit.

IV.

Prioratus S. Stephani Protomartyris Budae.

Priscis iam temporibus Ordo Augustinianus Budae Monasterium habuit S. Stephani Protomartyris honoribus sacratum. Quo anno et cuius liberalitate fundatum sit, ignoratur: at seculo XIV. exstitisse extra dubium est. Anno 1505 emanarunt ex hoc claustro literae, quarum clausula sic sonat: „Coram nobis personaliter constitutis astantibus et adhaerentibus ibidem Religiosis Fratribus Thoma Uzt de Zakar, SS. Theologiae Baccal. et Paulo de Popoz Ordinis S. Augustini in Claustro B. Stephani Protomartyris in suburbio Budensi fundato, degentibus." Perstitit hoc Monasterium usque ad annum 1541, quo Buda cum arce per Turcas occupata communem interitum habuit cum omnibus Monasteriis et Ecclesiis metropolitanae urbis aut eversis, aut profanatis.

Postquam vero Buda iugo turcico anno 1686 exemta fuisset, Eremitis S. Augustini eo redeundi potestas facta est. Anno 1709 assignata sunt eis spatia vacua pro Monasterio et Ecclesia eodem plane loco in suburbio via regia dicto, quem olim occupabant. Multum bonis viris luctandum erat, deficiente ut plurimum nervo pecuniarum, donec statum Monasterii eo deducerent, ut et officia divina rite peragi et regularis disciplina observari posset. Sed suscitavit Deus pios Zelotes, qui liberaliter tantum suffecerunt, ut et Ecclesiam et Monasterium commode perfecerint. Et Ecclesia quidem ad apicem perducta apparatuque sacro digne instructa dotataque, anno 1770 die 27. Sept. per Josephum Carolum Zbisko Episcopum Tinniniensem, ac una Praepositum Scepusiensem solenni ritu consecrata fuit.

Vix respirarunt in sua nova Eremo Fratres Augustiniani. Nam, postquam quatuordecim annis eam incoluissent, iussu Augusti Josephi II. eam deseruerunt. Accidit, ut eo tempore etiam Capistranae Provinciae PP. Franciscanorum Monasterium evacuandum videretur. Ne igitur hi

Christi pauperes omni tecto, focoque carerent; precibus et commendatione Comitis Christophori Niczky vacua illa Eremus illis tradita est cum onere Parochiam eiusdem plateae administrandi, quod hodieque praestant.

V.

Residentia Canisiensis.

Novitia, nec diuturna fuit. Anno 1713 mense Maio in Capitulo Graecii celebrato de Canisa haec occurrunt: „Lectae fuerunt literae fundationales Illustrissimi D. Baronis Sempronii Gracich super Civitatem Canisam in Hungaria, in Dioecesi Vesprimiensi sitam, pro erigendo ibidem Monasterio et administratione Parochiae, una cum obtento et producto consensu Ordinarii, Episcopi loci. Super quas Ven. Deffinitorium respondit locum hunc suscipiendum; prius tamen videndum, quomodo constitutus sit locus, et pro quot Religiosis fundatio sufficiens foret.“ Secundum hanc determinationem anno 1719 binos Religiosos sacer Ordo ad capiendam possessionem exmisit; sed post quinquennium in Congregatione Ordinis Viennae celebrata definitum est his verbis: „Tollitur Residentia Canisiensis . . . nam posita et fundata est super arenam; aura etiam insalutaris et fratres in mero otio ibi ducunt vitam.“

VI.

Prioratus S. Nicolai de Erchi.

Ercsi, pagus est in Comitatu Albensi ad Danubium Buda quatuor milliaribus austrum versus remotus. In eo Thomas Regni Palatinus anno 1260 fundavit Abbatiam Cisterciensem S. Nicolao sacram tempore Belae IV. Regis Hungariae. Haec postea anno 1499 Fratribus Augustinianis collata est titulo Prioratus, qui anno 1526 paulo post cladem Mohacsianam adeo desolatus est, ut iam nec rudera visantur: et, quod magis mirere, nec fama ultra supersit apud Ercsienses ibi quondam florentis Coenobii.

VII.

Prioratus de Gissing.

Güssing, locus est in Comitatu Castriferrei ad confinia Styriae in Dioecesi olim Jaurinensi, nunc Sabariensi, quem Hungari Németujvár vocant. Plura de Monasterio Benedictino in monte super hoc Oppido fundato, supra inter Abbatias Ordinis S. Benedicti dicta sunt. Successu temporis in Oppido habebant Monasterium Eremitae S. Augustini; a quo et quando fundatum, cuius Sancti honori, non constat. In Archivo Familiae Comitum de Battyán habentur de anno 1519 literae donationales Laurentii Ducis Bosniae super possessione Aránd pro Monasterio Német-ujvariensi. Asservantur quoque donationales Francisci de Battyán super turri lapidea prope portam Németujvár de anno 1526.

Oppidum hoc undequaque muro cinctum est : et turris nunc allata argumento est Augustinianos intra Oppidum, non in arce, quae oppido imminet, Coenobium suum habuisse. Quando istud desierit, non proditur. Existit ibidem hodie Conventus PP. Franciscanorum Provinciae Marianae ab Adamo Comite de Battyán, Partium Regni Cisdanubianarum Supremo et Generali contra Turcas Capitaneo anno 1641 fundatus, cuius Guardianus Parochiam eiatem administrat.

VIII.

Prioratus S. Spiritus de Harapkov.

Est Harapkov prope Eperjesinum in Comitatu Sárosiensi, ubi Nicolaus de Peryn fundavit Monasterium Eremitis Augustinianis de Spiritu Sancto dictum, in loco veteris Abbatiae Benedictinorum. Fundationales e nunquam satis laudato Car. Wagner opere[1]) exscribo : „Capitulum Ecclesiae B. Martini de Scepus . . . quod Nicolaus Comes de Perén ab una, ac Religiosi Viri Fratres Joannes Provincialis totius Ordinis Heremitarum S. Augustini in Regno Hungariae constituti, ac Herke

[1]) Diplomatar. Sáros. —

de Sárus et Nicolaus de Harapkov, Monasteriorum Priores, pro se et toto Ordine ipsorum . . ad nostram personaliter accedendo praesentiam idem Comes Nicolaus exstitit confessus ministerio vivae vocis, quod quandam possessionem suam emptitiam Harapkov praedictam, excisam et exemtam a possessione sua capitali Zent-Kereszt nuncupata, in Comitatu de Sárus adiacentem cum omni plenitudine iuris possessionarii et proprietatis, ac patronatu Ecclesiae BB. Simonis et Judae Apostolorum, item molendino et omnibus suis utilitatibus, ac pertinentiis universis . . . spontanea sua voluntate legasset, tradidisset, donasset et assignasset . . . Monasterio S. Spiritus in dicta possessione Harapkov per ipsum constructo, ac consequenter praenotato Ordini et fratribus sub Regula S. Augustini . . ibidem degentibus et Deo devote famulantibus ob remedium et salutem animarum . . . iure perpetuo . . tenendam et habendam de assensu . . . filiorum suorum Stephani scilicet et Nicolai coram nobis tempore et hora ipsius . . donationis similiter personaliter comparentium . . . qui de eadem possessione Harapkow se se exemerunt et eiusdem dominio et proprietati pure et simpliciter renunciarunt." Videtur fundatio ante annum 1334 facta eo, quod abhinc Nicolaus Comes de Sárus legatur. Fundationalium conclusionem videtur tempus erosisse, e qua Prioratus huius initium certo cognovissemus.

Eodem Wagnero auctore novimus Augustinianos paulo post possessione Hrapko excidisse. Rem Hevenesius in suis MSS. sic adnotavit : Anno 1351 hanc possessionem Laurentius, filius Ladislai de Vitéz iure suam esse ostendit et occupavit: deinde questus est de hac occupatione Fr. Nicolaus Prior Ord. S. Augustini de Hrapkó coram Palatino Nicolao Kont, qui controversiam ita decidit, ut loco possessionis Hrapkó Magister Nicolaus de Perén suo et filiorum suorum Nicolai et Petri nomine debeat dare et cedere Eremitis S. Augustini possessionem Mochnya, quod et factum est; uti testantur literae adiudicatoriae Palatini, emanatae Visegradi, anno 1361.

Sub annum deinde 1526, dum videlicet omnia bello ferverent et sacra profanaque confunderentur, Monasterium suum pii Eremitae deserere sunt coacti : quo vacuo Ferdinandus I. Rex possessionem Mochnya Civibus Eperjesiensibus in usum fructuum concessit erga certam pecuniae summam; verum contradictione intercessit familia Bertholdiana, tanquam iure patronatus in Monasterium gaudens, anno 1546.

Tandem bona eiusdem Coenobii pervenerunt in ius Societatis Jesu, plurimum collaborante Gabriele Hevenesi, promittenteque, quod ad efficacem totius Societatis Jesu intercessionem Budam Eremitae Augustiniani sint reducendi. Hi omnes literas Hrapkó concernentes tanquam sibi ceteroquin inutiles Societati Jesu et in specie Collegio Eperjesiensi cesserunt. Fidem datam sincere servarunt Patres Societatis, impetraruntque coram Augusto throno, ut Eremitae Budam reverti veteremque Eremum restaurare possent.

IX.

Prioratus S. Joannis Evangelistae de Kaza.

Refert Milensius in suo Alphabeto Augustiniano Kazae fuisse Monasterium Eremitarum S. Augustini; et illud S. Joanni Evangelistae sacrum. Est Kaza ampla possessio Hungarica cum Castello in Comitatu Borsodiensi, in qua potior familia Radvanszky. Adiacet flumini Sajó, unde et Sajó-Kaza dicitur. Memorat idem Milensius a Georgio Lórándi, oppidi Domino anno 1486 moletrinam et a Tobia de Serke anno 1485 decimas oppidanas Monasterio collatas fuisse.

X.

Prioratus S. Elisabeth de Komár.

Komárváros situm in Comitatu Zaladiensi oppido Kis-Komárom austrum versus contiguum est. Teste Pazmano: „Prioratus S. Elisabethae in Komár, in Simighiensi fundatur a Bela IV. pertinetque ad Capitulum Veteris Budae.“ Ceterum, cum tempore Pazmani Comitatus Simegiensis cum Zaladiensi confusus exstiterit, a quo primum anno 1715 Art. 86. separatus est, poterat eo tempore Komár ad Simighiensem pertinere, quod hodie Zaladiensi accensetur; praesertim postquam hodieque in extremo eius limite positum, orientali suo latere Simighiensem contingit. — Cum denique idem eruditus Cardinalis doceat in Komár Claustrum Guilelmitarum SS. Cosmae et Damiani exstitisse, censebant nonnulli his in eo Augustinianos successisse; cui opinioni Bulla Clementis IV. Papae de anno 1266 repugnare videtur; quae statuit, ne Generalis, Priores et Fratres Eremitarum S. Augustini praetextu unionis vel alia quacunque caussa aliquas domos eorumdem Eremitarum S. Guilelmi ad Ordinem suum recipiant, nec se de ipsis aliquomodo intromittant. Notatu dignum est, Pazmanum, ubi de Guilelmitis agit, Komár in Comitatu Szaladiensi reponere, contra ubi de Augustinianis loquitur, idem Komár in Simighiensi collocare; unde confusio limitum inter hos Comitatus perspicua est.

XI.

Prioratus Körmendinensis.

Körmendinum oppidum est in Comitatu Castriferrei, iuris antiquissimae in Hungaria stirpis Batthyanyianae. De hoc Rosnakius sic habet: „De hoc Monasterio nihil aliud habetur, nisi Joannem de Svevia fuisse anno 1328 huic Conventui incorporatum. Videtur transiisse ad nos a Guilelmitis; eos enim tempore Belae IV. hic habuisse Monasterium patet ex literis Dionysii de Oklich, Palatini Hungariae.“ Addit praeterea: P. Thomam Stok Fürstenfelda aliquando Körmendinum excurrentem accepisse a fide dignis, ex Monasterio Hospitale esse formatum.

Hospitale Körmendini in medio foro situatum et Templum eius honoribus S. Joannis Nepomuceni dicatum est. Sed et Templum et hospitale ad contignationem quidem elevatum, tum ipsa spatii capacitas, omnia minora sunt, quam ut ibi unquam Monasterium esse potuerit. Circa medium Seculi prioris domus Mikolicsiana in Regium Salis officium conversa e regione amplissimi Castelli stat, pro quo dum fundamenta foderentur, copiosa ossa humana effossa sunt, quae Monachorum fuisse credebantur. Hac ratione Hospitale ex Monasterio formatum non est. Quid utri praeferendum, relatione utraque tam dubiae auctoritati innixa, definire non lubet. Ceterum Guilelmitas Körmendino etiam Card. Pazmanus tribuit.

XII.

Prioratus SS. Nicolai de Myra et Nicolai Tolentini de Léka.

Est Léka, Germanis Lukenhaus, oppidum in Comitatu Castriferrei ad confinia Austriae, a qua vix duobus milliaribus distat, positum, quod in latino contextu Leuca dicitur. Anno 1655 Comes Franciscus Nádasdy Judex Curiae Regiae, Dominus huius oppidi et arcis in adverso colle positae, fundavit S. Ordini Eremitarum S. Augustini Monasterium sacratum honoribus Sanctorum Nicolai Myrensis et Nicolai Tolentini, datis eodem anno, festo Omnium Sanctorum literis fundationalibus, quarum initium est: Nos Comes Franciscus de Nádasd, Perpetuus Terrae Foga-

ras, Judex Curiae Regiae in Hungaria, ac Comitatus Castriferrei Supremus ac hereditarius Capitaneus . . Notum facimus per praesentes literas...

Colitur in Choro claustrali vetus imago B. Mariae V., quae teste Principe Paulo Eszterházi olim in Ecclesia Röthiensi pie colebatur et miraculis clarebat. Subinde ingressi possessionem Röth Lutherani, multum hoc pietatis cultu offendebantur; quem ut uno veluti ictu rescinderet Minister verbi divini, non horruit imaginem Matris Dei e templo eiicere. Reverentius sane egit Michaël Ambrosi Civis Ginsiensis et ipse Lutheri dogmatibus addictus, qui sacram imaginem collegit : non colluit quidem, sed conservavit decenter; a quo tandem P. Hermannus Schmauchler eam anno 1709 impetravit, pristinoque cultui reddidit.

Memoratu etiam dignum est nobile mortuorum conditorium ab Ill. Familia Nádasdiana hic sibi constitutum, cui postea etiam Familia Draskovicsiana se se aggregavit. Praeter magnificos Sarcophagos considerationem inprimis meretur Statua B. Mariae Virginis, quae olim in Capella arcis Apáttó dictae, tunc ad Comitem Kéri pertinentis colebatur; quam Protestantes inique primum tractatam, tandem in puteum deiecerunt. Hanc mirabiliter detectam piissimus Fundator ad aram cryptae collocavit, eamque publicae venerationi exposuit.

XIII.

Prioratus B. Mariae V. de Lövő.

Loci opportunitate amoenum et glebae ubertate foecundum obtinet positum oppidum Lövő in Comitatu Szaladiensi ad ipsum Szala fluvium situm. Habuit in hoc Ordo Eremitarum S. Augustini Monasterium, Templumque B. Mariae V. dicatum sub annum 1480. Liquent haec ex mandato Regis Mathiae Corvini, quo vetat, ne quispiam de salibus, quos fratribus Augustinianis in subsidium gratiose contulerat, solutionem tributariam, aut exactionem petere praesumat. In huius mandati, ex Thomae de Nyirkalló Stylo Cancellariae descripti capite haec leguntur: „Mathias.. Rex . . . Quia Religiosi Fratres Heremitae Ordinis B. Augustini Confessoris de Claustro Gloriosae Virginis Mariae in Lewew fundato constituti illam salium quantitatem in subsidium . . ." Utinam singulis Regibus nostris olim placuisset, simile initium literis suis procurare, quo facto vix esset Monasterium, [1]) cuius titulum, locum et Ordinem, ad quem pertinebat, ignoraremus.

[1]) Nisi id horum Eremitarum, aut Paulinorum esset. Caussam vide infra ad Notam pag. 224. —

XIV.

Prioratus B. Mariae V. de Pápocz.

Vicus [1]) Pápocz in provincia Castriferrei et Dioecesi Sabariensi, in se nulla re memorabilis, multum inclaruit Praepositura Canonicorum et Prioratu Eremitarum illic fundatis. Utrumque fundavit Margarita de Felse, Pauli Magyar relicta vidua, filia Ladislai de Chapun, de genere Nádasd. Illustris haec Domina viduitatis suae annos bonis operibus et bona sua sacris aedificiis, piisque fundationibus consecravit. Coenobium hoc anno 1360 sub titulo B. Mariae V. fundatum floruit usque ad tristem cladem Mohacsianam, post quam cum plurimis aliis desolatum est.

Verum vix nato huic Eremitarum Asceterio iam triste letum, et quidem Roma imminebat. Quamvis enim Colomannus, Jaurinensis Episcopus ad preces Fr. Nicolai de Varadino Prioris Provincialis, Priorisque de Pach (Paty?) Benedicti de Zala et aliorum Fratrum facultatem concesserit claustrum in Pápocz Fratribus Eremitis Ord. S. Augustini e donatione Fundatricis erigendi, [2]) et ipsa aegre in Visegrad decumbens anno 1360 coram Joanne et Gregorio, Magistris et Canonicis Strigoniensibus e suo Capitulo emissis solenni fassione duas tertias de Pápocz cum tributo fori et molendinis; possessionem item Sebus integram et Miklósfalva dimidiam; item tributa montium Hosszupatak et Fulpach (Felső Paty?) Ecclesiae B. Mariae V. de Pápocz et Fratribus Ordinis Eremitarum S. Augustini in perpetuam eleemosynam dederit et legaverit, [3]) in quibus hi anno 1361 iussu Ludovici Regis per Capitulum Castriferrei nullo contradicente statuti sunt; [4]) dum tamen Fundatrix super aedificationibus Ecclesiarum S. Mariae Eremitarum et Corporis Christi, seu S. Salvatoris, harumque dotatione confirmationem a. 1370 Romae quaesivisset, Franciscus de Aretio Legum Doctor et in romana Curia Advocatus, collaudata Fundatricis quatuor Procuratorum solerte opera, rescripsit, Cardinalem Vice-Cancellarium, cui caussae huius cognitio per Gregorium XI. in Consistorio Cardinalium commissa fuit, censuisse, petitam confirmationem pro Ecclesia et Claustro Fratrum Eremitarum tribui nequire eo, quod hi vi suae Regulae non possint habere proprium, nec loca, domos, vel possessiones acquirere, vel tenere : non obstante privilegio per Urbanum IV. huic Ordini in Hungaria concesso, utpote : cui Bonifacius VIII. recentiore Constitutione sua, ipsum Juris Canonici Corpus ingressa, plene derogaverit.

Imo, ut idem Legum Doctor porro refert, dictus Cardinalis nec secularis Ecclesiae Corporis Christi, seu S. Salvatoris de Pápocz fundationem confirmari posse ideo iudicavit, quod Margaretha, fundatio-

[1]) Rectius Oppidum dixeris. — [2]) Fejér : Cod. dipl. IX. 3. pag. 63. — [3]) Ibid. pag. 175. — [4]) Ibid. pag. 230. —

nis suae integritati in perpetuum consultura solenniter statuerit, ut si una e fundatis per se Ecclesiis aliquam possessionem alienaret, talis possessio debeat ad alteram e dictis Ecclesiis pertinere. Quod cum stante eo, quod Fratres Eremitae bona et possessiones vi suae Regulae acquirere nequeant, impleri non posset; laudatus Legum Doctor suasit Fundatrici, ut, si adminus secularis Ecclesiae S. Salvatoris fundationem salvam et Romae confirmatam cupit, donationem Fratribus Eremitis factam revocet, atque in alia pia opera convertat: efficacem suam operam apud Summum Pontificem pollicitus, si fors Fratres Eremitae fundationem abdicare recusarent. [1])

Non probavit Jurisconsulti consilium pia domina, postquam constructa utraque Ecclesia fixum ei firmumque erat Eremitas in suum Pápocz inducere. Quapropter quum gravi infirmitate impedita Jaurinum nequiret proficisci; coram duobus Archidiaconis et totidem Magistris Canonicis ad Pápocz per Capitulum Jaurinense missis, anno 1371, viva voce, mente sana fassa est, se Ecclesiae, in honorem B. Mariae V. pro Fratribus Eremitis beati Augustini Confessoris constructae, tertiam partem possessionis suae Pápocz cum quatuor rotis molendinorum in una domo: tum tributum fori [2]) villae Pápocz, praedium Éch (Écs), medietatem possessionis Szent-Miklósfalva, unam et dimidiam molam in Sebus, dimidium prati Urréte, medietatem Juris montani in possessionibus Nagy-Écs et Páznán dedisse, donasse et contulisse perpetuo tenendam et possidendam. Hactenus donatio, priore illa, si non longe potior, certe nihilo deterior.

Sequuntur conditiones et obligationes, per ipsam nobilem Dominam adiectae, quae docent eam iudicium Cardinalis Vicecancellarii respexisse quidem, sed ita, ut de introducendis in Pápocz Fratribus Eremitis non desperaret; id, quod et praesens Fundatio nova clare monstrat. Conditiones adiectae sic sonant: „Quodsi temporum in processu Prior et fratres in dicto claustro Beatae Mariae Virginis .. constituti ... praedictas possessiones ... ac alias utilitates quaslibet per ipsam Dominam .. collatas ex caussis legitimis emergentibus, ut puta si regulae et Ordini ipsorum Fratrum Augustiniensium possessiones habere et servare praeiudicaret, seu quibuslibet impedimentis rationalibus ipsis obviantibus possidere, conservare, tenere et percipere non possent; ex tunc totales possessiones et possessionariae portiones in villis, possessionibus, agris, praediis, molendinis et universis utilitatibus ad easdem spectantibus, in ius et proprietatem Ecclesiae Corporis Christi et S. Salvatoris per ipsam Dominam in praefata villa Pápocz constructae, Praepositisque ac rectoribus eiusdem Ecclesiae ... devolvantur .. eo facto iure perpetuo possidenda . ." Item „ut praefati Fratres S. Augustini .. praelibatas possessiones et possessionarias portiones ... aliis vendere, vel locare minime valeant quovis modo, nisi Praeposito Ecclesiae S. Salvatoris antedictae; nec aliquem Patronum dictae Ecclesiae assumere valeant, nisi Excellentissimum Principem, Regem Hungariae, Dominum .. naturalem: qui si secus facere niterentur, ex tunc praelibatae possessiones et possessionariae portiones claustro ipsorum legatae ad Ecclesiam Corporis Christi et S. Salvatoris Praepositalem, ac Praepositum et Praeposituram eiusdem Ecclesiae devolutae habeantur ipso facto." [3])

Quid dein Romae hoc in negotio actum fuerit, non liquet. Cum tamen Legum Doctor ille, qui fundationem Eremitarum

---

[1]) Fejér: Cod. dipl. IX. 4. p. 267. — [2]) Tributo huic rara conditio est adnexa, ut scilicet „Prior et fratres in dicto Claustro existentes, de eodem tributo singulis diebus Sabbathinis Scholasticis in dicta Pápocz constitutis perenniter et in aevum XL denarios dare .. teneantur. — [3]) Fejér: dipl. IX. 4. p. 356. —

revocari voluit, ad calcem literarum haec adiecerit: „Si continget iterum ad Curiam destinare, utile erit Procuratorem habere literas Domini Regis, vel Reginae;“ probabile est piam Dominam consilium istud amplexam, demum utramque suam fundationem salvavisse. Fors alia quoque via id obtineri potuisse illud innuit, quod Colomannus Jaurin. Antistes iam anno 1366 [1]) adeoque ante petitam Romae anno 1370 fundationum confirmationem, Praeposituram S. Salvatoris de Pápocz Magistro Stephano, Canonico Jaurinensi cum omnibus suis iuribus et utilitatibus universis auctoritate ordinaria contulerit, eumque per immissionem sui annuli investiverit loco in Choro et voce in Capitulo post Custodem Ecclesiae Jaurinensis assignata.

Non vanam spem fovisse munificentissimam Dominam docuit eventus. Nam Praeposituram cum quatuor Canonicis anno 1365 fundatam et Prioratum Eremitarum S. Augustini in villa Pápocz eodem tempore habitavisse, vel ex mutuis eorum ob fatale meum et tuum litibus satis constat. Removit has a sacris aedibus Bartholomaeus de Bonitis, Camerae Apostolicae Auditor, anno 1439 caussam pro sua aequitate adiudicando Eremitis. Confirmavit sententiam sequente anno Cardinalis Capuanus, Legatus Apostolicus in Hungaria. Eandem litem anno 1456 Cardinalis Petrus penitus composuit. Sed pondus auctoritatemque addidit Mathias Rex, qui anno 1475 ad procurandam partibus litigantibus quietem et amicitiam silentium ambabus imperavit.

Donationem Eremitis in Pápocz factam supra vidimus. Quo titulo praedium Éch, ius montanum in Nagy Éch et Páznán primitive istis donatum ad Praeposituram, cui nunc adscripta sunt, fuerint devoluta, obscurum est: nisi dicas illos, necessitate compulsos haec et fors alia, e mente providae Fundatricis, Praepositurae vendidisse.

Aedificia Claustri quamquam ruderibus iam vicina sint, supersunt tamen adhuc quaepiam conclavia, quae inhabitantur. Horum aliqua fine Seculi prioris Hebreus locatarius tenebat, qui sacram aedem foedissimum in modum profanavit. Stabant enim tunc adhuc muri altissimi, in quibus imagines Sanctorum distincte fuerant conspicuae. Exstat hodieque Capella vetus opere lateritio, habitu Rotundae, cuius ara boream, ostium arcendo fors frigori austrum spectabat. Sed sequior manus omnia corrupit; nam inferior portae pars in murum, superior in fenestram abiit et latus orientale absona porta deformat. Ceterum ut veneratione vetustatis cuncta primaevam faciem lucrentur, agente indubie Caes. regio Antiquitatum Conservatore dispositum est, qui hanc aediculam olim partem Asceterii, Eremitis S. Augustini septimo Sec. XIV. decennio exstructi, constituisse recte opinatur. [2])

Prioratus Pápoczensis beneficio Parochiae Oppidi Sárvár attributus fuerat. Verum fine Seculi XVIII. divisio beneficiorum horum facta est, mansitque ius patronatus salvum Dominio; sed collatio Prioratus iuris evasit regii, conferturque cum parte Pápocz, et Sz.-Péter bene meritis Viris Ecclesiasticis, nominatim: Canonicis Cathedralis Ecclesiae Sabariensis, ad Columnas huius Capituli proxime accedentibus, qui simul Archidiaconorum Szalaegerszegiensium honorem et officium tenent. Utroque ornatur hodie Reverendiss. D. Joannes Fekete, SS. Theologiae Doctor.

[1]) Ibidem, IX. 8. p. 603. — [2]) Mittheilung. Zur Erforschung der Baudenkmale. 1856. p. 46. —

XV.

Prioratus Quinqueecclesiensis.

Quinqueecclesiis plures erant et etiamnum sunt Ecclesiae, quam nomen urbis praeferat. Eremitas Augustinianos priscis temporibus Ecclesiam et Coenobium habuisse Quinqueecclesiis, res est extra omnem controversiam posita. Quis eos Eremitas isthic fundarit, aut cuius honori sacra fuerit Ecclesia, pluraque alia sepulta et ignota latent. Eversionem Coenobii iam primis Turcarum in Hungariam incursibus merito tribuas.

Repetiere veteres lares optimi Patres sub initium prioris Seculi anno 1713 opera ut plurimum P. Josephi Achinger. Ecclesia moderna, quae a Residentia pluribus passibus distat, honori S. Augustini dicata est, atque pro suarum virium quantitate satis nitida. Ex angustia aedificii ad tenues Domus proventus concludere licet, quos habebat, quamdiu per Augustinianos incolebatur. Nunc Ecclesiae ad S. Augustinum Parochi, eiusque Cooperatorum usibus inservit.

XVI.

Prioratus S. Stanislai Mart. de Sáros.

Ab arce Sáros tota eias provincia nomen traxit, quae principio speciem quamdam urbis amplitudine sua referebat, excelsi coniceque assurgentis montis crepidini superstructa. Praecipuis arcis huius in laudibus ponitur vetustas, ut quae Belam II. Regem hospitio exceperit. Recedit septemtrionem versus sesqui horae itinere Eperjesino, Rakoczianae Familiae ante postremos civiles motus obnoxia. Ita Bonbardius. — Arcis monti adiacet oppidum nominis eiusdem, in quo Eremitae S. Augustini Coenobium habebant. Non est in promptu ortum eius et vetera fata retexere. Felix Milensius in suo Alphabeto de Monachis, ac Monasteriis Germaniae et Sarmatiae citerioris Ordinis Eremitarum S. Augustini de Coenobio Sárosiensi haec pauca adnotat, et ex eo refert P. Martinus Rosnák: „Kurche, alias Saarus vocata, in Regno Hungariae Monasterium habebat tituli S. Stanislai.“ Cetera suppleo e laudatissimo P. Wagner Diplomatario Sárosiensi. Huic conformiter:

Ladislaus IV. Rex Hungariae Coenobio Ordinis Eremitarum S. Augustini de Sáros praeter terram Scegekerche in Comitatu de Sár, nunc Sárosiensi dicto, donat hortum, fundum in Castro Tubel, foenetum et annuos 50 acones frumenti, totidemque brasii de dicio regali . . Quam donationem postea Carolus Rex anno 1329 et Ludovicus I. anno 1365 auctoritate et diplomatibus ea super re elargitis confirmarunt. Anno 1345 Nicolaus Regni Hungariae Palatinus litem metalem inter possessionem Vörös-alma Tarczaianorum et certam terram Augustinianorum Sárosiensium amice composuit. Quae amica compositio, si saepius locum haberet, dum inter vicinos lis exardescit, et firmior pax floreret et sumptibus quam saepissime inutilibus parceretur. — Idem Wagner loco citato perhibet, Conventum Augustinianorum de Saaros, olim locum, quem Caussidici nostri Credibilem appellant, fuisse.

XVII.

Prioratus Sárospatakiensis.

Placuit celebris Oppidi et una Coenobii in eo Augustiniani circumstantias ex Hungariae Topographia horsum describere : „Duobus, inquit, infra Zemplinum milliaribus Bodrogo amni perinde assidens Saarospatakinum, praenobile oppidum, caput erat Rakoczianarum his in plagis ditionum, egregii operis arce, nobilissimisque aedificiis adornatum. Perdito Mohacsiensi in clade Antonio Palochio, quum is nullum reliquisset heredem, opimum spolium se relaturum e communi gentis interitu rebatur Petrus Perényius, si castrum hoc et oppidum suam armis redigeret in potestatem. Et vero ita factum esse testis est Istvánffius, addens illud : Joannem Regem in praemium navatae ipsi a Petro ad obtinendum Regnum operae, iura occupatae ditionis affirmasse Perényianae genti. Ea rerum potiente, Religionem demutavit oppidum, factumque est unum e validioribus Calvini perfugiis. En rem ipsis Inclitae Provinciae verbis : „Calviniani, ait illa in suo ad nos rescripto, suum exercitium cum Schola in acceptis referunt Gabrieli Perényio, Petri filio. Is enim vetus Augustinianorum Monasterium in scholas novitiae religionis convertit, ac Priorem factum Apostatam, primum Lyceo dedit Rectorem."

In turpi ea Monasterii conversione literalia documenta aut vulcano tradita, aut dilacerata fuisse, quis ambigat? Sublata semel religione avita, quaecunque ad eam reducendam servire possent instrumenta, nunc dicta via sufferuntur. Quare et Fundator Monasterii et Patronus Ecclesiae ignorantur. E primis Augustiniani Ordinis Monasteriis istud fuisse, e rescripto I. eius provinciae adparet, cum in eo vetus Monasterium compelletur. Monasterium in Scholas calvinianas conversum et Ecclesiam in oratorium eiusdem confessionis demutatam fuisse a Gabriele Perényio, opus est Seculi decimi sexti.

XVIII.

Prioratus S. Elisabethae de Scepusio.

Arx Scepusiensis in cognomine Comitatu altam rupem occupat, situmque habet amoenissimum. In ea Eremitae S. Augustini amplum incolebant Monasterium S. Elisabethae cultui sacratum. De hoc ita Topographia R. Hungariae: „Habet arx Scepusiensis hodiedum grande aes campanum, olim Divae Elisabethae delubrum, ad quod accubabant Eremitae S. Augustini, a quorum Coenobio tota arx Claustrum magnum dicebatur. Cum adhuc tale dicebatur, fuit arx Scepusiensis habitaculis ampla et decora, cisternis ac perenni fonte instructa, multumque culta et habitata: at, postquam solum iam arcis nomine venit, vitium facit nostri aevi genius, quod habitatoribus Heris destituta eminus in ruinam inclinet."

De origine Coenobii nulla idonea praesto sunt testimonia; nec licet affirmare, quo certo tempore coeptum et a quo fundatum fuerit. Excidium eius ad binas rerum circumstantias assignandum existimo. Et quidem cum Joannes Zapolya post infaustum Ludovici II. Regis interitum in Regem ab aliqua Procerum Hungariae parte electus, arma contra Ferdinandum I. Regem, aemulum suum sumsisset, ab huius Duce Catzianero expugnata natali Joannis arce Scepusiensi, si tum non interiit, ad viciniorem saltem interitum parabatur Coenobium Eremitarum. Hac clade defuncti fortassis semet iterum in pristinum statum collegerunt Coenobitae; verum cum in Sigismundo Joannis filio stirps Zapolyiana exstingveretur, pingue Scepusiense heredium convenit in manus Thurzonum Comitum, qui cum religionem mutavissent, angue peius odisse coeperunt magnum Scepusii Sacerdotium et Coenobitas arcis Scepusiensis. Accidere haec sub medium Seculi decimi sexti.

XIX.

Prioratus S. Annae Strigonii.

Fuit Strigoniense Coenobium unum e primis, praecipuisque, quae Eremitae S. Augustini in Hungaria obtinuerunt. Jam in initiis unionis illius communis, qua varii Eremitarum coetus, institutione, observantia, vestibus diversi, auctoritate Romanorum Pontificum in unum Ordinem sub Regula S. Augustini coacti, collectique

sunt, incerto Fundatore surrexit hoc Augustinianorum Eremitarum Coenobium. Sacratum fuit honoribus S. Annae, situm ad moenia urbis.

Fortassis honor fundationis Monasterii huius attribui potest Comiti Strigoniensi Hermanno, qui anno 1262 eidem villam Daag prope Kolnuk in Comitatu Strigoniensi sitam donavit. Quae donatio, ut eo firmius robur habeat, eodem anno VIII. Cal. Sept. a Bela IV. confirmata : uti et a Stephano V. anno 1270 ad preces Petri, qui praedicti Hermanni filius erat. Sed nec his praesidiis tuta mansit monachis possessio Daagae. Devolutam successive in potestatem secularem Paulus de Magyar, Tavernicorum regalium Magister, cum consensu Ludovici I. Regis denuo monachis possidendam restituit : quod testatur Capitulum Budense anno 1355.

Primitivum Eremitarum S. Augustini Strigoniensium Coenobium angustum fuisse apparet ex eo, quod pro eius extensione Ladislaus IV. Rex terram Armenorum, Kunchilmo Comiti promissam, anno 1281 ultro eis concesserit. Hac fundi accessione ad tantam amplitudinem excrevit Monasterium, ut anno 1385 Capitulum generale gremio suo excipere potuerit. Ibidem anno 1331 Capitulum provinciale fuisse celebratum patet e literis Caroli I. Regis Thorda datis, in quibus ad exordium haec leguntur : „Quomodo Religiosus Vir Fr. Dominicus Lector Fratrum Eremitarum S. Augustini, Prior de Thorda Claustri B. M. V. tempore Capituli ipsorum Fratrum Eremitarum in Strigonio congregatorum...“ Daag possessio tandem in ius Capituli Strigoniensis concessit.

XX.

Prioratus S. Elisabeth in Szepes-Várallja.

Germanis Kirchdorf, Slavis Podhrad, est oppidum ex tredecim polonicis, ad pedem arcis Scepusiensis orientem versus. Est praeterea aedificiis cultum, populo frequens. Consedisse hic priscis temporibus Augustinianos Eremitas patet e sequente Sigismundi I. Poloniae Regis diplomate: „Sigismundus Dei Gratia Rex Poloniae, magnus Dux Litvaniae, Russiae, Prussiaeque Dominus et Heres ... significamus tenore praesentium, quibus expedit. Quia supplicationibus serenissimae Dominae Barbarae Poloniae . . Reginae Consortis nostrae Charissimae pro fratribus Heremitarum Ordinis S. Augustini in Oppido Podgroczie nostro, sub Castro Scepusiensi sito nobis porrectis permoti, ipsis fratribus certam aream sive domum et ortum (h o r t u m) absque tamen agris et pratis, Conventui eorum contiguam, intelligentes eorum Claustrum fuisse nimium strictum, apud quamdam mulierem Madley dictam emere, eidemque Monasterio annectere consensimus ... Datum Cracoviae, sabbato in crastino Festi S. Adalberti Anno Domini 1512; Regni vero nostri anno 6.“ Fide huius diplomatis certa Monasterii Eremitarum S. Augustini Varalljae constat

existentia; verum quae eius fuerint initia, recitabo ex Wagneri Analectis Scepus. I. p. 416. Exstant nempe ibi literae Matthaei de Vice-Dominis, Generalis Vicarii Strigoniensis ad Georgium Praepositum Scepusiensem et huius responsum huius tenoris:

„Matthaeus de Vice-Dominis . . . Reverendissimi in Christo Patris et Domini, Domini Joannis Dei et Apostolicae Sedis gratia Archi-Episcopi Strigoniensis ... Vicarius in Spiritualibus et Caussarum Auditor Generalis: Ven. Viris Praeposito et Capitulo Ecclesiae S. Martini Scepusiensis Salutem. Ex parte Heremitarum Ordinis S. Augustini in Regno Hungariae constituti, praefato Domino Archiepiscopo exstitit relatum, sicut populus prope Ecclesiam vestram S. Martini constitutus quemdam locum Hospitalis desolatum, vellet ipsi Ordini ex devotione concedere in oratorium erigendum: eidem Domino nostro supplicantes, quatenus praedictam populo voluntatem gratam habendo, certas Indulgentias concederet; verum, quia praefato Domino nostro non constitit, cuiusmodi locus sit et ubi sit?.. Nobis vivae vocis commisit oraculo, ut de praedictis claram et certam a vobis reciperemus informationem... Datum Budae feria sexta proxima post festum Pentecostes sub nostro minori sigillo. Anno Dom. 1399."

Responsum autem exmisso consveto ingressu tale est: „... Post quarum literarum receptionem nos Georgius Praepositus et Capitulum praedicti ... solerter investigavimus .. et sic .. talem .. rescivimus .. veritatem; imo nosmetipsi ex certa nostra scientia recognoscimus hoc idem constare nobis publice, notorie et manifeste ... quod locus ipse est immediate in fine dicti suburbii, a parte meridionali habens unam Ecclesiam, seu Capellam lapideam, quae Hospitale B. Elisabeth communi vocabulo appellatur et habet habitationes aliquas ligneas, sitas penes rivulum per ipsum suburbium versus illum locum defluentem; a parte vero occidentali habet copiosos frutices, seu virgulta salicum: et quod eiusdem loci seu Hospitalis dispositio, nominatio, electio et praesentatio a fundatione ipsius pertinuisset et spectaret ad Plebanum Parochialis Ecclesiae B. M. V. de dicto suburbio pro tempore constitutum, ac institutio ac confirmatio ipsius Rectoris ad Praepositum Ecclesiae nostrae praedictae, pro tempore constitutum: similiter dignoscitur spectare . . ad ipsius Ecclesiae parochianos coniunctim et non divisim: et quod aliquos certos habuisset introitus et proventus sub nomine Hospitalis, ac etiam quod certos habuisset Presbyteros per communem electionem Plebani et parochianorum de eadem electos in ipsius Hospitalis et loci Rectores et per dictum Praepositum confirmatos, et quod ultimus Rector praedicti loci et Hospitalis propter inopiam non valens se sustentare, sicut illum locum suscepisset, ita ipsum locum dimittens, ab eodem recessisset, et quod post recessum ipsius dictum Hospitale quasi per medium annum suo certo caruisset Rectore et sic tempore vacationis illius loci videntes Fratres Ordinis praedicti ipsum taliter vacuum, dictum locum seu Hospitale pro se et eorum Ordine praedicto obtinere praetendentes, irrequisitis Plebano et Plebisanis (Parochianis) ac Praeposito supradictis occuparunt; quod videntes discreti viri Domini: Stephanus de monte S. Martini et Joannes de suburbio et ceteri circumiacentes Plebani solemniter et expresse protestati sunt coram nobis Praeposito et Capitulo praescriptis, quod dicta occupatio, sicut praefertur, per fratres supradictos facta cederet in praeiudicium ipsorum Plebanorum et etiam Ecclesiarum eorundem valde magnum. Nunc autem, ut asserit plebs Ecclesiae suburbii ex devotionis fervore, ob augmentum cultus divini et ob salutem animarum ipsorum ad fratres praedictos propter certas literas Domini nostri, Domini Archiepiscopi praedicti, di-

citur esse inclinata, ita quod vellent, quod dicti fratres apud Hospitale remanerent... Datum et actum tertio die festi Purificationis B. M. V. suprascripti anno Dom. 1400."

His initiis surrexit Váralljense Augustinianorum Eremitarum Coenobium; et, quamvis inde praeiudicia quaedam, fors et odia subnata fuisse, liceat arbitrari: detulisse tamen Archi-Episcopum pietati plebis et Augustinianorum instantiae, argumento est Sigismundi Polonorum Regis diploma, supra recitatum. Cum enim beneficium eiusdem Hospitalis tam tenue memoretur, ut Rectorem suum alere pro status decore non potuerit: aequius iudicavit prudens Archi-Praesul iis illud concedere, qui licet pro status sui ratione inter mendicantes censeantur, attamen pares sint pietati apud fideles fovendae. Haec Augustinianos in suburbio eiate gnaviter egisse dubium non est; quum Religiosorum urbes, oppidaque incolentium primae functiones quoad Christi fideles sint, Cives verbi divini annuntiatione pascere et Sacramentorum promta administratione fovere. — Coenobium hoc iisdem cum eo, quod Augustiniani in arce habebant, fatis desiisse, par utriusque et temporis et loci, uti et status ratio persuadet. [1])

XXI.

Prioratus de Saar.

Tacentibus de hoc Prioratu S. Ordinis Scriptoribus meminit eius Petrus Pazmanus. Sed quo loco quaerendus sit, obscure indicatur. Sunt quidem diversis Hungariae Comitatibus suae possessiones nomine Saár; sed nulli earum convenit illud, quod Pazmanii Nota adiicit: in valle Bene.

Cum igitur Geographia nostra vallem Bene ignorare videatur, circumspiciendum est, an locus Bene uspiam loco Saar vicinus, aut saltem non nimium remotus reperiatur. Et reapse in Comitatu Hevesiensi e monte Matra meridiem versus, teste D. Erdey, ad vicinas Aquas Paradienses Physico, decurrit per vallem sat amplam amnis Bene, qui praedium Bene aeque, ac medio milliari ab hoc distantem vicum Saar, olim Abbatiae Benedictinorum Sedem, adluit; a quo proinde ipsa vallis nomen suum trahere poterat, imo si ad communem populorum usum et morem respicias, etiam debebat. Quid enim solennius, quam vallem a flumine, quo rigatur, nominare? Quapropter Prioratum de Saar ad hanc vallem Bene prope vicum Saar versus Veres-Mart sat tuto reponimus.

[1]) In Schematismo Ven. Cleri Scepus. anni 1854 Reverendissimus D. Michael Labuczky, Canonicus Scepusiensis, SS. Theologiae Doctor Collegiatus, titulo Praepositi S. Elisabeth Viduae sub arce Scepusiensi ornatur; licet Asceteriis Eremitarum S. Augustini Priores, non Praepositos, praefuisse notum sit. Qui titulus cum nec in postremis Regni Schematismis reperiatur, solutionem aenigmatis ab eodem duntaxat Schematismo praestolamur. —

Relatio Card. Pázmáni de Ordine Eremitarum S. Augustini in Hungaria.

Ordo Eremitarum S. Augustini.

„Fuisse et hos in Ungaria compertum habeo partim ex Libro Constitutionum Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, edito per R. P. F. Nicolaum Cusenium, eiusdem Ordinis Bavaricae Provinciae Visitatorem et Commissarium Generalem; partim ex privilegiis antiquis. Is inter Ordinis praedicti Provincias habet etiam Ungariae Provinciam, in qua collocat hos novem Prioratus: Agriensem, Deescoarensem, [1]) Harapkoiensem, Carensem, Saranum, Marechensem, Pápocziensem, Strigoniensem S. Annae Matris Mariae et Albae Regalis. His addendi sequentes Prioratus: de Boroch, B. Mariae Virg. in Comitatu Walkó. — Crisii B. Mariae Virg. Zagrabiensis Dioecesis in Slavonia, datus postea Observantibus Anno 1628. — S. Elisabethae Viduae sub arce Scepusiensi. — S. Elisabethae in Komár, in Simigiensi fundatur a Bela IV. pertinetque ad Capitulum Veteris Budae. — S. Nicolai de Erchi, fundatus a Palatino Ungariae Thoma tempore Belae IV. in Vesprimiensi Dioecesi. — De Verőcze in Slavonia viguit Anno 1521. Item Monasterium Bartfense in Comitatu Saaros, fuisse Augustinianorum comperi, habuitque tredecim pagos, quos nunc cives Bartfenses possident.“ Idem ad Saranum in Nota subdit: Saar in valle Bene.

[1]) Sub Deescoar Diós-Győr, oppidum Comitatus Borsodiensis, latere existimatur; in quo Paulinos fundatione anni 1304 Domum Corporis Christi habuisse Annales Paulinorum, hisque antiquior Pazmani relatio apud Péterffy docent, qui tamen annum fundationis 1312 et titulum S. Spiritus ponit. Martinus Rosnak in sua Memoria Provinciae Hungaricae Augustinianae Geurense Monasterium pariter Corporis Christi in serie Augustinianorum ponit; sed, ut subiecta eius nota innuit, subtimide; eo, quod id ductu documenti cuiusdam inter Schedas P. Xysti Schier repererit, aliena manu scriptum, quin ei notum fuerit, unde, qua via ad istum pervenerit. His ergo de caussis de eius sinceritate merito dubitavit, ignarus scilicet, illud ex Historia critica Katona ad huius documenti annum 1317 desumtum, et genuinum esse. Ceterum: documentum hoc, licet in eo Martinus, Agriensis Episcopus, Religiosum Virum Fr. Lukách Priorem Domus Corporis Christi de Geur suae Dioecesis, Ordinis Heremitarum S. Augustini dicat; ad statuendam tamen in Geur Domum, seu Prioratum Geuriensem Augustinianorum non sufficit; cum certum sit, Paulinos aevo illo aeque Heremitas S. Augustini fuisse compellatos, sub cuius Regula vivebant; et primum circa annum 1500 Thomam Bakács Archiepiscopum Strigoniensem, e mandato Summi Pontificis, speciali statuto decrevisse, ut deinceps non aliter, quam Ordinis S. Pauli primi Eremitae compellentur. — Reliquiae Annal. Paulin. pag. 99. — Benger: Annales Erem. S. Pauli. pag. 3. —

SUPPLEMENTUM AD TOMUM I.

Ad Nicolaum II. Abbatem S. Martini (pag. 86.).

In praeclaro Theinerii, quod nuper admodum sub titulo : Vetera monumenta historica Hungariam sacram illustrantia edidit, Opere [1]) cetera inter Joannis XXII. Papae literae anno 1319 ad Archiepiscopum Strigoniensem datae exhibentur, quibus ei committit, ut Monasterio S. Martini S. Montis Pannoniae, modo per pontificem praescripto, de Abbate provideat. Rescriptum hoc, etsi prolixius, quia tamen Monasterii S. Martini relationes tam ad Sedem Apostolicam, quam ad eam Strigoniensem, illo etiam aevo vigentes, opportune ob oculos ponit, integrum recitare lubet; quod tale est :

„Joannes episcopus etc. Venerabili fratri ... Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Licet Ecclesiarum et Monasteriorum omnium sollicitudo nobis immineat generalis, illorum tamen attentius tenemur invigilare profectibus, et dispendiis precavere, que pastoris gubernacione carentia, sedique apostolice immediate subiecta alium non habent preter summum pontificem defensorem. Sane dilecti filii Conventus Monasterii sancti Martini de Sacromonte Pannonie ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Jauriensis diocesis, nobis significarunt, quod Nicolaus, qui pro abbate dicti Monasterii se gerebat, per secularis potestatis abusus in abbatem ipsius Monasterii se procuravit intrudi, dictumque Monasterium absque auctoritate sedis apostolice, ad quam pro confirmatione electionis sue, si electio dici posset, infra tempus a iure statutum et post venire vel mittere non curavit, per septem annos in anime sue perniciem et grave dictorum Conventus et Monasterii preiudicium atque damnum detinuit occupatum, possessiones, vineas, tributum et nonnulla alia iura et bona dicti Monasterii alienare et dissipare temere presumendo, quodque relaxatis habenis affectibus impudicis quamdam mulierem tunc laicalem viventem, monachalem virilem habitum deferentem secum dampnabiliter tenuit, cum qua per castellanos de Vetericastro et de Jaurino eiusdem diocesis tribus vicibus fuisse dicitur publice deprehensus. Quatuor quoque calices et crucem auream cum gemmis preciosis, viaticum aureum integrum ornatum pretiosum, et duo decreta, et duo breviaria de Camera Monasterii prefati subtraxit et ab eodem Monasterio furtive recedens, ad partes remotas, et adeo incognitas transmigravit, quod infra fines regni Ungarie per dictum Conventum diligentissime perquisitus non potuit reperiri, propter quod dicti Conventus attendentes, quod idem Nicolaus ad regimen ipsius Monasterii canonicum non habuerat ingressum, sed ipsum per abusum potentie secularis tenuerat occupatum, securitate et oportunitate captata, vocatis et presentibus omnibus, qui voluerunt, debuerunt, et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa in simul convenerunt, et tandem in huiusmodi electionis negocio per viam scrutinii procedentes assumserunt duos de dicto Conventu fidedignos, qui sua

[1]) Tom. I. pag. 464. Num. DCCIII. —

et singulorum vota diligenter inquirerent, et que invenirent in scriptis redacta publicarent fideliter in communi, quibus iuxta formam huiusmodi procedentibus in hac parte compertum extitit, quod omnes de dicto Conventu in dilectissimum filium Nicolaum abbatem Monasterii de Dombo dicti ordinis, Colocensis diocesis, virum sicut asseritur, providum et discretum, literarum scientia preditum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum direxerunt unanimiter vota sua, ac dilectus filius Thomas decanus dicti Monasterii sancti Martini, qui erat unus de scrutatoribus supradictis, suo et sui college nomine, ac de mandato singulorum de dicto Conventu prefatum Nicolaum abbatem de Dombo in dicti Monasterii sancti Martini abbatem elegit, dictus abbas de Dombo ad magnam dicti Conventus instanciam electioni huiusmodi de se facte consensit, ac demum tam prefati Conventus per procuratorem eorum, quem propter hoc cum decreto electionis huiusmodi ad nostram presentiam destinarunt, quam dictus abbas Nicolaus de Dombo, qui propter hoc personaliter ad sedem eandem accessit, nobis humiliter supplicarunt, ut electionem predictam confirmare de benignitate sedis Apostolice dignaremur. Quamvis igitur status eiusdem Monasterii sancti Martini, qui propter oportuni pastoris carentiam naufragatur, officii nostri debitum sollicite et instanter invitet, ut ipsius indempnitatibus salubriter occurramus : quia tamen de premissis contra dictum Nicolaum absentem propere actis noticiam non habemus, fraternitati tue, de qua plenam in domino fiduciam gerimus, tenore presentium committimus, et mandamus, quatenus si quod de huiusmodi intrusione et occupatione et absentatione premittitur, veritate fulcitur, prefatum Nicolaum abbatem eiusdem Monasterii de Dombo, si personam suam idoneam fore repereris, et aliud sibi Canonicum non obsistat, prefato Monasterio S. Martini non obstante quocunque deffectu, si quis fuisset in electione predicta, vel quod in veniendo personaliter ad sedem eandem, vel illuc mittendo procuratorem seu excusatorem idoneum, statuta super hoc a iure tempora non servavit, auctoritate nostra preficias in abbatem curam et administrationem ipsius Monasterii Sancti Martini sibi in spiritualibus et temporalibus committendo, ei, quod si forte hactenus benedictus non extitit benedictionis munus per te vel per alium impensurus, ac faciens ei a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturus postmodum ab eodem nostro et ecclesie Romane nomine sub forma, quam tibi sub bulla nostra mittimus interclusam fidelitatis solite iuramentum, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Formam autem iuramenti, quod ipse prestabit, nobis per eius patentes literas suo sigillo signatas per proprium nuncium quamtocius destinare procures. Datum Avinione XVI. Kal. Martii. — Anno Quarto." Ex Regestis originalibus Anni IV. communium epistola 975. — Ita Theiner.

Ut ipsius Rescripti ordine procedamus, evidenter ex eo patet primum : verba illa : ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinens, quibus Romani Pontifices nostrum Monasterium S. Martini inde a septem seculis compellare dignantur, non esse vanum titulum et vacuum sonum sine re, sed veram immunitatem ab omni alia intermedia sive episcopali, sive archiepiscopali potestate expressisse, atque ita omnem erga intermedios inter abbatem S. Martini et sedem apostolicam cuiuscunque nominis dignitatum ecclesiasticarum gradus subiectionem exclusisse. Sane singularis suae circa hoc asceterium sollicitudinis eam caussam reddit Pontifex, quod cum Sedi apostolicae immediate subiectum sit, per neminem nisi per summum Pontificem defendi possit. Idem omnia, quae his literis postmodum disponit, clara in luce ponunt : ubi videmus archiepiscopum, quod mirum! talibus exsequendis per Pontificem adhiberi, quae quivis Episcopus, imo Abbas aut Praepositus pariter exsequi potuisset; ceteris, quae genuini Superioris immediati sunt, a Pontifice suae et S. Sedis apostolicae auctoritati reservatis.

Alterum, quod ex eo discimus, est: Ladislao I., Abbati S. Martini, non Nicolaum de Dombó, sed isthunc nequam Nicolaum sine medio successisse, quem praesens Rescriptum tam atris coloribus pingit; illum vero nonnisi post furtivam huius fugam anno 1319 abbatis S. Martini gradum

fuisse consecutum. Quapropter protestatio adversus Matthaeum Trenchiniensem ratione Deáki et aliarum possessionum coram Capitulo Nitriensi anno 1317 interposita, quam Nicolao de Dombo non sine quadam perplexitate chronologica, et alicuius intermedii Nicolai suspicione tribuebamus, impuro huic Nicolao debetur, qui ab anno 1312 usque 1318 Monasterio praefuit, verius obfuit. Ceterum is de Dombó quoque et quidem tam ante, quam post Matthaei mox dicti obitum eandem protestationem iteravit.

Tertium, cuius uberiorem notitiam hae literae suppeditant, est usus, qui harum datarum tempore apud Maiores nostros in electione abbatis, eiusque praefectione obtinebat; ubi non possumus non mirari singularem illam curam, qua Pontifex, dum novum abbatem praefici Monasterio mandat, cuncta ita peragi iubet, ut palam sit, istud S. Sedi romanae immediate subiectum esse; uti tunc etiam illud S. Mauritii eidem S. Sedi immediate subiectum fuerat. [1])

Rescripti huius, quo Archivum nostrum caret, ignari dolenter mirabamur, princeps regni totius Monasterium ad eum egestatis gradum fuisse perductum, ut eius abbas eleemosynam per Indulgentias conquirere adactus fuerit. Sed, dum videmus eum furi et incesto homini successisse, qui septennii decursu Monasterium possessionibus, vineis, tributis tandem et summi pretii supellectile sacra eo tempore spoliabat, quo vulnera, per turbas regno inter aemulos coronae diviso inflicta, cicatricem nondum obduxerant, iam non est quod miremur.

Ad Siffridum Abbatem S. Martini (pag. 88.).

Fontem desolationis quinque Monasteriorum Ordinis S. Benedicti, quae Siffridus noster, ut Capituli Generalis Procurator Ordini suo asseruit, opportune aperit Rescriptum Benedicti XII. Papae, ut sequitur: „Benedictus episcopus servus servorum dei. Venerabili Fratri . . Episcopo Agriensi salutem etc. — Ad apostolatus nostri non absque vehementi admiratione pervenit auditum, quod in regno Ungariae sunt nonnulli apostatae ordinum mendicantium, qui suorum ordinum habitu derelicto, habitum monachorum nigrorum ordinis sancti Benedicti assumere temeritate propria non verentes, nonnullas Abbatias et Monasteria praedicti ordinis sancti Benedicti in dicto regno consistentia occuparunt, ac intitulant se Abbates illorum, ipsaque detinent taliter occupata, ut bona dictorum Monasteriorum distrahant pro libito eorundem. Quidam etiam nomine Stephanus, in sacerdotio minime constitutus, praefatum habitum eiusdem ordinis sancti Benedicti pro suae propriae voluntatis arbitrio et de facto assumens quatuor Abbatias, videlicet Buls, Bissere, Garap et Mongerod (Monyoród) Monasteria eiusdem ordinis sancti Benedicti, Chenadiensis, Colocensis et Watiensis diocesium praedicti regni, suae temeritatis astutia occupavit, et detinuit, et detinet dampnabiliter occupata, nec aliquos monachos tenet in eisdem, neque horas legit canonicas, omniaque bona ipsorum Monasteriorum per eum detentorum suis profanis usibus applicat, et pro suae voluntatis libito distrahere non formidat, dictoque ipsius ordinis sancti Benedicti habitu saepe deposito, incedit ut laicus, arma offensibilia deferens et vitam ducens penitus dissolutam. Est quoque in iam dicto regno quidam Paulus nomine, ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, Episcopus Albensis, qui licet Abbatiam in Clusvar (Kolosvár) et prioratum de Bela dicti ordinis sancti Benedicti, Albensis et Zagrabiensis diocesium, in commendam ex concessione apostolica obtineret, tamen post revocationem nostram de commendis personalibus iam dudum a nobis factam illos detinere praesumit, nec monachos aliquos tenet in eis, nec facit in ipsis residentiam personalem; sed locavit famulos laicos in eisdem, omniaque bona illorum percipit et propriis usibus applicat pro suae libito voluntatis. Cum igitur praemissa, si veritate nitantur, in multarum animarum periculum et exempli perniciem aliorum, dictorumque Monasteriorum et prioratus praeiudicium et scandalum plurimorum vergere dinoscantur, et propterea legitima apostolicae

[1]) Theiner: Monum. Hung. sacr. II. pag. 7. —

correctionis exposcunt: fraternitati tuae, de quo plenam in domino fiduciam obtinemus per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi simpliciter et de plano de praedictis omnibus et singulis auctoritate nostra inquiras diligentius veritatem, et si ea inveneris ita esse, praedictos apostatas ac Stephanum et Paulum Episcopum a Monasteriis et ipsum Paulum a prioratu iam dictis, nec non quoslibet alios detentores illicitos ab eis et quolibet ipsorum prorsus amoveas, eosque corrigas pro demeritis eorundem ... ipsaque Monasteria et prioratum ponendo in eis ex aliis Monasteriis monachos idoneos in numero consveto, et prout facultates Monasteriorum et prioratus suppetunt eorundem auctoritate praedicta reformare procures, sicut ipsorum Monasteriorum et prioratus statui videris salubriter et utiliter expedire. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo ... Datum Avinione Id. Octobris. Anno Tertio." [1])

Parum videtur profecisse Agriensis Episcopus; post plures enim demum annos Siffridus tunc Abbas de iuxta Gron „Baronum et Potentium," ad quorum ungves bona sacrilege distracta pervenerant, livore posthabito Monasteria illa brevi tempore ad statum optatum perduxit.

Ad Abbatiam S. Aniani de Tihan (p. 173.).

Vnizku, quod Codex diplom. Hung. corrupte sistit, [2]) nuspiam legitur; nam originales Jeronymi Abbatis literae, Szölösiensibus subditis anno 1270 datae, pro eo Uruzku habent, quod ad Üreskő propius accedit. Antiquior loci huius mentio in originali Andreae II. Regis diplomate, Abbatiae Tihaniensi anno 1211 dato reperitur, quo cetera inter servi Ecclesiae beati Nicolai de Orozku recensentur, qui in Szölös degebant. Istud Fejér itidem perperam Hotozciich reddidit. [3])

Ad Abbatiam S. Hypoliti de Zobor (p. 193.).

Privilegium Colomanni Regis, quod parte sui priore Tomo recitavimus, parte altera ibi reticita enumerat quidem Abbatiae huius dotem, sed sensu per innumeras lacunas, quas longum aevum peperit, intercepto, et ob vetera terrarum nomina, quae dudum obsolevere, vix inde quid certi erui potest. Sunt in his nonnulla, quae aetatem ad nos usque tulerunt; sed ita comparata, ut de plerisque dubites, an Loca, quae designant, integra, an tantum aliqua sui parte iuris S. Hypoliti fuerint; immo an non ut commetanea, seu contigua duntaxat adducantur. Ad postremam hanc classem merito referas possessiones: Farkasd, Negyed, Szkala, Zocol, Gymes, Elefánt, Trencsén, Bajmocz, Modor, Gerencsér sub Zobor, Trebethe. Contra in villa Muchunye (Mocsanak) saltus Debrei; duae insulae in Vago; in Emöke et Lapos aratra singula, denique in Pagram agri et vineae cum eiatibus colonis communes, Ecclesiae de Zobor in diplomate clare assignantur. [4]) Abbate Thoma Capitulum Nitriense medietatem possessionis Levna anno 1340 pro Zobor metis distinxit. Idem Abbas, postquam finita lite decimali cultellum decimarum Nitriensium Archiepiscopatus Strigoniensis, plus quam 24 villas continentem a Chanadino Archiepiscopo acquisivisset, anno 1349 in grati animi tesseram, possessionem Kér eidem tradidit. [5]) Possessionem Sárfő eodem pertinuisse Belae III. et IV. diplomata docent. [6]) Portionem terrae Krakovan iuxta flumen Dudvág Vincentius Episcopus Nitriensis, anno 1258 Judex Perpetuitatum, Petro Abbati de Zobor adiudicavit. [7]) Jus decimarum in Comitatu Thurociensi Abbas de Zobor anno 1270 Danieli Praeposito de Thurócz, annuente rege, pro terris castri Zuthan, Rachich, et Udvornok vocatis, et iuxta Agriam sitis, pro annuis tribus marcis tradidit. [8]) Denique Abbas Dominicus possessionem Divék iuxta Bajmócz consentiente Lodomerio Archiepiscopo, anno 1294 Stephano de Divék ob inopiam Monasterii sui vendere coactus est. [9])

---

[1]) Theiner: Monum. Hungar. sacr. I. 618. — [2]) Fejér: Cod. dipl. V. 1. p. 79. — [3]) Ibidem, VII. 5. 200. — [4]) Fejér: Cod. dipl. VII. 5. 84. — [5]) Ibidem, IX. 1. 704. — [6]) Ibidem, IX. 2. 201. — [7]) Ibidem, VII. 1. 307. — [8]) Ibidem, p. 358. — [9]) Ibidem, VI. 1. 325. —

Conventum de Zobor publica fide gavisum fuisse docent plurimae literae authenticae, quas variis in negotiis, dum vigebat, expedivit. [1])

Ad Abbatiam SS. Apost. Petri et Pauli de Tata (p. 196.).

Conventus S. Martini Abbatem Petrum de Tata anno 1388 „in dominium . . portionum possessionariarum suarum et Monasterii de Tata, Alsó-falu et Felső-falu vocatarum, nec non iuris montani, et terrarum arabilium ad easdem spectantium, ac molendinorum super fluvio eiusdem civitatis Tata in sex locis habitorum, unius videlicet . . supra molendinum dominae Abbatissae Ecclesiae Beatae Virginis de Insula Strigoniensi, secundi prope locum antiqui molendini, qui Matho Hyde dicitur. Tertii Othon vocati, cuius aquae meatus interdum deficeret. Quarti inferius supra eandem aquam similiter Othon dictam iuxta . . arborem . . Nyárfa . . Quinti in loco Vöröskő vocato ad caput fontis calidi prope dictam civitatem Tata, et Sexti Henthmalma nominati, super fluvio Fizeg currentis, ac quarum dam terrarum arabilium Szent Miklós földe et Szent Margita Asszonyfölde appellatarum, simul et pratorum, quae vulgo Mester Réthe-Szigeth, Érkeche-Réthe dicerentur, inter terminos et limites ipsius Civitatis exsistentium," Sigismundi Regis iussu introduxit. [2])

Ad Abbatiam B. Mariae V. de Csanád (p. 200.).

Sententia prorogatoria Detrici Bubek Palatini ratione metarum inter possessiones Takson et Nemeg, nunc Alsó-Némedi lata, perhibet Abbatiam hanc anno 1398 sub Abbate Mathia viguisse, qui possessionem Nemeg Petro Vaciensi Episcopo pro huius episcopatus possessione Sytva, C florenis et variis pecudibus in perpetuum cesserat. [3]) Mathiae Abbati Lucam successisse ibidem innuitur.

Ad Abbatiam S. Gerardi de Chanadino (p. 201.).

Huius nominis Abbatiam Csanadini anno 1380 viguisse docent literae Ludovici I. Regis, quibus omnes bonorum eius alienationes, per Paulum Abbatem citra consensum regiae Maiestatis factas, cassat, annihilat, revocat; facultatemque largitur Martino Abbati, omnia sacri huius domicili iura et bona libere et absque ullo gravamine, iuris ordine requirendi. [4])

Ad Abbatiam B. Mariae V. de Saar (p. 202.).

Sigismundus Rex ius patronatus in hoc Asceterium, per Samuelem Aba Regem fundatum Stephano Kompolth non tam contulisse, quam confirmavisse censendus est, eo quod ius istud utique ad homines de genere Aba pertinuerit: unde et per Carolum I. Regem Paulo Csobánka de genere Aba ob notam infidelitatis ademtum, Emerico Kompoldi, Castellano de Sirok aeque de genere Aba collatum fuit.

Monasterium de Saar integram villam Saár non semper possedisse, innuit tractatus, tenore cuius Petrus et Theresia Nobiles de Saar fundum quempiam in Saar Comiti Blasio cedunt. — Bona huius Abbatiae nec ad Episcopatum, nec ad Capitulum Agriense fuisse devoluta D. Erdey inde opinatur, quod in tota hac regione nihil possideant, praeter Solymos, quod tamen 1430 permutatione fuisse acquisitum constet. Censet igitur illa cum dominio Patronorum plene confluxisse, eorum scilicet, qui, familia Kompoldthy iam ante cladem Mohacsianam exstincta, collateraliter, ut dici amat,

---

[1]) Ibidem, IX. 3. 447. — IX. 4. 90. et alibi. — [2]) Caps. 8. L. — Haec partim ad veterem oppidi Topographiam, partim ad minus cognitam Asceterii eius dotationem illustrandam non inutilia videbantur. — [3]) Fejér: Cod. dipl. X. 2. 821. — [4]) Fejér: Cod. dipl. IX. 5. 372. —

successere. Talis, inquit, erat familia de Zechen, qua in stirpe virili deficiente, superstes filia Anna per gratiam regiae praefectionis dimidium bonorum familiae suae ad Joannem Ország de Guth maritum suum adtulit. Quod horum Descendentes Saár, Eörs et plagam circumsitam tenuerint, plura posteriorum temporum documenta perhibent; hodieque ab iis possidentur, qui genus maternum per Nyarios et Halleros ab Országiis repetunt.

Pagum Csépa quoque in extremo Hevesiensis Comitatus limite australi situm Samuelis Abae locum fatalem existimari notum est.

Ad Abbatiam S. Demetrii de Sirmio (p. 207.).

Titulus Abbatiae huius, quem Reges Apostolici conferre solent, non caret fundamento. Quanquam enim Abbatia S. Demetrii per Palatinum Radován in Sirmio fundata non fuerit: fuit tamen fundata alia pariter S. Demetrii, quam Clemens VI. Papa in literis, ad Vitum Episcopum Nitriensem anno 1344 datis, in dioecesi Colocensi Serviam versus iuxta Schismaticos Regni Rassiae (Rasciae) sitam memorat, in qua ex primaria ipsius institutione Graeci, Hungari et Slavi, per distinctas mansiones dispositi serviebant sub gubernio Abbatis, per Patriarcham Graecorum constituti, et huic unice, exclusis quibusvis Hungariae Praelatis, subordinati.

Origo quidem et antiquissima huius Abbatiae fata ignorantur; singularem tamen in ea rerum conversionem mox laudatae Pontificis literae continent, e quibus discimus, defuncto annum circa 1330 ultimo Abbate Graeco, per Patriarcham constituto, nullum fuisse suffectum; quapropter, sede ultra decennium vacante, bona Monasterii per Laicos dissipata et violente fuisse occupata, ipsumque Asceterium ad inopiam redactum adeo, ut cultus divinus in eo tantum iuxta ritum Graecorum, et iste non parum imminutus, remanserit. Quare, antequam Domus Dei ad incitas redigatur, Summus Pontifex Vitum, Episcopum Nitriensem, eius in temporalibus et spiritualibus Administratorem constituit ita, ut iste, (verba sunt Pontificis) „praefatum Monasterium de Monachis, Magistris latinis catholicis, ordinis S. Benedicti professoribus (professis) reformare, ac in eo certum ipsorum monachorum numerum iuxta ipsius Monasterii facultatis exigentiam, super quo tuam oneramus conscientiam .. tenere ad divinum ibidem celebrandum officium et perpetuum famulatum Altissimo impendendum, eique in necessariis providere congrue de bonis dicti Monasterii continue tenearis. Quodque ipsi monachi post obitum tuum, ac eorum posteri in perpetuum, personam idoneam eiusdem ordinis S. Benedicti iuxta canonica instituta, in Abbatem dicti Monasterii eligant, per loci ordinarium confirmandum.“ [1])

Hic merito quis quaerat, cur Summus Pontifex istud S. Demetrii Coenobium, quod in Sirmio stetisse eiusdem literae clare docent, in dioecesi Colocensi collocet; licet hoc tempore iam Episcopatus Sirmiensis per Ugrinum Colocensem Archiepiscopum plus quam seculo prius fundatus dudum exstiterit. In simili casu Koller, Histor. Episc. Quinqueeccl. clarissimus Auctor, quum videret apud Collectores decimae papalis anno 1332 et seqq. singularum dioecesium solutiones seorsim recenseri, Ecclesiarum autem dioecesis Sirmiensis decimas nuspiam comparere; immo regionis Sirmiensis Ecclesias cum suo Archidiacono in dioecesi Colocensi computatas, iisque immixtum Episcopum Sirmiensem cum Ecclesia et Capitulo suo observavisset; insuperque anno 1231 testibus Gregorii Papae IX. literis comperisset, Archidiaconum Sirmiensem iurisdictionem in Episcopum Sirmiensem exercere praesumsisse: ut nodum expediret, censebat Episcopum Sirmiensem non fuisse dioecesanum, sed tantum auxiliarem, et Sirmiam ulteriorem novo episcopatui adiectam non fuisse. [2])

Verum opinionem hanc convellit cetera inter inprimis illud, quod anno 1262 Oliverius Episcopus Sirm., quum episcopalem dignitatem abdicare et Seraphicum Ordinem ingredi cuperet, per Urbanum IV. Summum Pontificem a vinculo, quo Ecclesiae Sirmiensi tenebatur, fuerit absolutus;

---

[1]) Ibidem, IX. 1. 228. — [2]) Hist. Ep. Quinqueeccl. T. 2. p. 20—22. —

deinde quod Jacobus Episcopus in literis ad Eugenium Papam IV. suae dioeceseos faciat mentionem; quorum neutrum in episcopum auxiliarem cadit. [1])

Itaque tenendum, quod verisimilius videtur, cum Katona,[2]) dioecesim Sirmiensem in Sirmia citeriore, seu cis Savum arctis limitibus fuisse circumscriptam; adeoque partem unam Sirmiae citerioris cum tota Sirmia ulteriore, seu transsavana episcopatui et dioecesi Sirmiensi fuisse adscriptam; reliqua citerioris parte vel in ipsa fundatione per Ugrinum dioecesi Colocensi reservata; vel tantis rerum eotum conversionibus ad eam iterum devoluta. Atque in hac Sirmiae citerioris parte, dioecesi Colocensi adscripta, Monasterium S. Demetrii in Sirmio, circa Semlinum aut Petrovaradinum quaerendum est.

Ad Abbatam S. Jacobi de Silisio (p. 214.).

Praeerat hic loci anno 1299 Abbas Chepanus (Stephanus), qui cum consensu Conventus et Patronorum, Thomae filio Detrici, Ecclesiae suae Jobbagioni certam terram donavit. [3]) Non fuerit haec sola ita donata eo aevo, Bonis ecclesiasticis maxime infesto, dum magnopere intererat, Jobagiones Ecclesiarum in fide conservare.

Ad Abbatiam S. Benedicti de iuxta Grón (p. 217.).

Andreas II. rex anno 1217 oppidum S. Benedicti, abbatiae huius sedem, liberalitate regia dignatus est ita, ut „cuiuscunque nationis homines Saxones videlicet, Hungari, Slavi seu alii ad terram Monasterii S. Benedicti de Gran commorandi caussa iam convenerunt, vel convenire voluerint, praerogativa eiusdem libertatis iure perpetuo gaudeant, qua hospites . . in Pest, Albae, vel Budae commorantes authoritatis regiae privilegio tranquillitate perpetua perfruuntur, sub his videlicet exceptionibus: quatenus de omnibus proventibus et commoditatibus, quae ad regiam iurisdictionem pertinent, tam in tributis, et descensibus, quam in liberis denariis et ponderibus, seu aliis quibuscunque debitis, quae in regno nostro solent, et etiam possent emergere, nec fisco, nec cuiquam hominum respondere teneantur, sed ad Ecclesiae memoratae iurisdictionem tam in iudiciis faciendis, quam in aliis, quae diximus, liberalitate regia sint in perpetuum deputati. Verum quia, quod Deo datum est, sanctum esse debet, ac irrevocabile, ut haec a nobis in nostrorum remissionem peccatorum, amore Dei principaliter, et ad honestam Abbatis eiusdem loci, Thomae petitionem facta donatio . . . salva semper et inconcussa permaneat, praesentem concessimus paginam sigilli nostri munimine in perpetuum roboratam“ [4]) . . . Ita Rex.

Ad Abbatiam B. Mariae V. de Batta (p. 231.).

Schematismus dioeceseos Chanadiensis Abbatiam B. M. V. de Batta ab ea S. Michaëlis de Bátha, alias Bátta, distingvit, eique sedem in Batta, Comitatus Krassoviensis pago, assignat. Idem asserti sui rationes quoque dicitur adducere, quas hactenus cognoscere non poteram. Ceterum hodiernum Abbatem B. M. V. de Batta Cantorem et Canonicum Agriensem pontificalibus utendi facultatem, uti et benedictionis gratiam a Praesule Chanadiensi obtinuisse nequeo dubitare.

Ad Abbatiam SS. Salvatoris de Kapornak (p. 240.).

Cum ius patronatus in Monasterium de Kapornak a Martino, filio Georgii de genere Cador ad Belam III. Regem, iudicio Decemvirorum consistorii regalis fuerit devolutum, quod mox huius filius Andreas II. Rex illius filiis Michaëli et Henrico, filiis Martini de Cador anno 1212 restituit; [5]) probabile videtur, vel hunc Martinum, vel aliquem eius Praedecessorum de Cador Monasterium isthoc ante seculum XIII. fundavisse.

---

[1]) Katona: Hist. Coloc. Eccl. T. 1. p. 277. — [2]) Katona: ibidem. — [3]) Fejér Cod. dipl. VI. 2. 233. — [4]) Ibidem, III. 1. 196. — [5]) Ibidem, III. 1. 125. —

Ad Abbatiam B. Mariae V. de Almád (p. 253.).

Terram Valus in Comit. Zaladiensi prope Rezi olim ad Abbatiam de Almád pertinuisse, docet reambulatio metarum mandato Belae IV. Regis Hung. anno 1256 per Dionysium, Comitem de Zounuk peracta. [1])

Ad Abbatiam B. Mariae V. de Zeer (p. 270.).

Quum Comes Nana, filius Pousa, de genere Kalan heredum solatio destitutus in literis donationalibus, quas Ecclesiae B. Mariae V. de Insula Leporum super suis bonis anno 1274 dederat, Mónasterium de Zeer suum vocet: manifestum est, eum huius sacrae Domus Patronum fuisse; probabile autem eius maiores Fundatorum quoque loco haberi posse. [2])

Leontinum Abbatem hic anno 1247 praefuisse, diploma regium Belae IV. docet, qui cives Szegedinenses in proprietatem terrae Thapey eiusdem liberalitate acquisitam, per illum solenniter iusserat introduci, prout id literae originales in Tabulario Civitatis conservatae perhibent.

Puszta-Zeer, vetus Abbatiae sedes hodie filia est Parochiae Puszta-Dócz dioecesis Vaciensis. Ecclesiam ex idea gothica magnifice olim structam vel rudera loquuntur.

Ad Abbatiam B. Mariae V. de Koppánmonostor (p. 284.).

Cum in literis privilegialibus Capituli Strigoniensis anni 1259 per Leustachium de Ilsva Regni Palatinum anno 1395 authentice transsumtis Nicolaus Comes, filius Joannis de genere Catpan Monasterii Catpan Patronus legatur, [3]) verisimile fit, istud a primo suo patrono, id est: a suo Fundatore nomen traxisse; adeoque originem suam alicui ex illustri Catapanorum stirpe debere. Idem stilo transsumentis Leustachii Kappanmonostor, in aliis eiusdem aevi chartis Kapan scribitur. In metalibus castri Comarum anni 1268, quas Clariss. vir Arnoldus Ipolyi-Stummer felici sua interpretatione nuper celebres reddidit, apud Fejér primo Kothpan, dein Kathpan visitur; sed hunc nihil moror. Postremorum quatuor seculorum Chartae id constanter Koppánmonostor nuncupant.

Ad Abbatiam S. Bened. de Borchi (p. 287.).

Rudera in Verebély ad Barkány conspicua, non huius Abbatiae, sed Monasterii S. Ord. Praemonstratensium de Graba tristes reliquias exhibere, Stephani V. iun. Regis donatio super terris Kutassou, Barkan et Thor anno 1265 facta clare docet, dum terram Barkan terrae Monasterii de Grab contiguam memorat. [4])

Ad Abbatiam B. Mariae V. de Tereske (p. 291.).

Huius memoriam conservat etiam Rescriptum Pauli II. Papae, quo dilectis filiis Abbati Monasterii de Derecske, et Praeposito de Bozok, e voto Michaëlis Ország de Guth Palatini, praecipitur, ut devastatum in oppido Szécsen PP. Minoritarum Claustrum aedificari curent, et memoratis Fratribus restituant.

Ecclesia veterioris aevi stilum referens duabus turribus nitet, et maiore sui parte veterem Abbatiae Ecclesiam oculis sistit.

---

[1]) Fejér: Cod. dipl. IV. 2. p. 400. — [2]) Ibidem, VII. 2. p. 32. — [3]) Fasc. 85. 6. 4. — [4]) Fejér: Cod. dipl. IV. 3. 292. —

Ad Abbatiam de Magocs (p. 295.).

Alterum, quod memoriam huius Abbatiae conservavit, sunt literae iudiciales Vicecomitis et Judicum Nobilium Com. Tolnensis, quae perhibent Mark Abbatem de Maguch anno 1355 in lite, qua particulam terrae Thekere contra Petrum Abbatem de Abram sibi asserere nitebatur, plene succubuisse. [1]) Quibus in literis licet iam Abbas, iam Monasterium de Maguch ipsis sex vicibus recurrat, titulus tamen, seu Sanctus Ecclesiae Patronus nec semel adiicitur.

Ad Abbatiam S. Petri Apost. de Petur (p. 300.).

Prisca aetate, Sec. imprimis XIII. apud nos Petur passim idem, quod hodie Péter (Petrus) notavisse, coaevae chartae produnt, quarum unica regis Andreae II. superius memorata, plures virorum huius nominis decades exhibet. Unde in definienda vocis origine nec ad problematicos Illyros, nec ad monstruosam tot vocabulorum contractionem sit recurrendum. Nam et Loca eo nomine venisse, docet possessio Alsó-Péterfa in provincia Soproniensi ad rivum Ikva posita, quam Carolus I. Rex Comiti Geuchul, civi Soproniensi anno 1318 pro fidelibus servitiis sub nomine Peturi cum aliis duabus terris pariter Peturi dictis donavit. [2])

Ad Abbatiam Natae Reg. Ang. de Kompolth (p. 307.).

Supra crebro laudatus D. Erdey refert in apice colliculi a monte Matra leni declivitate procurrentis ad amnis Tarna ripam stetisse Monasterium de Kompolth, e cuius collapsi rudere Comes Antonius Grassalkovics in ipso Abbatiae loco, immensam planitiem despiciente, anno 1750 Castellum struxerit, eique paulopost Capellam adiunxerit. — Praeter Nicolaum et Ladislaum Damianus quoque Abbas ob strenuam in restituendo iuribus Abbatiae telonio de Kompolth, quod antea mercatores per devia suas merces vehere soliti subterfugiebant, navatam operam laudem meretur. [3])

---

[1]) Fejér: Cod. dipl. IX. 2. 455. — [2]) Ibidem, VIII. 2. 151. — [3]) Ibidem, X. 4. 794. — Martinus Abbas non 1499, verum 1399 anno Monasterio huic praefuit.

ELENCHUS

Domorum Regularium Tomi II. ratione Tituli earum alphabeticus.

	Pag.
S. Aegidii de Bartpha : Cisterc.	126
S. Albae Mariae Budae : Templ.	164
S. Annae Strigonii : Eremit. S. Aug.	220
S. Benedicti de Sámson : S. Sep. Can.	190
S. Brigittae de Insula : Praem.	33
S. Corporis Christi : Diós-Győr	224
S. Crucis : Joannitarum	142
— — Cisterciensium	90
— — de Hunsdorf : S. Sep.	190
— — de Komlós : S. Sepulcri	186
— — de Lelesz : Praem.	36
— — de Ostmach : Praem.	42
S. Elisabeth in Scepus : Erem.	220
— — de Kelemföldé : Joann.	143
— — de Késmark : S. Sep.	193
— — de Komár : Eremit.	212
— — Strigonii : Joann.	149
— — in Szepesvárallja : Erem.	221
S. Eustachii de Chut : Praem.	14
S. Gotthardi : Cisterciens.	94
S. Henrici : Cisterciens.	121
S. Huberti de Graba : Praem.	17
S. Jacobi de Insula Danubii : Cist.	99
— — de Móriczhida : Praem.	46
S. Joannis Bapt. : Joannitarum	144
— — — de Bartpha : Erem.	207
— — — de Jászó : Praem.	22
— — — Jaurini : Joannit.	150
— — — de Ponte : Praem.	43
— — — Sopron : Joannit.	147
— — — de Sámbok : Praem.	57
S. Joann. Evang. de Kaza : Erem.	212
S. Ladislai : Superpelliciator.	197
S. Laurent. de Ükör : Joann.	141
S. Lazari Insula : Praem.	32
S. Magdal. de Magodlin : Praem.	45
S. Margar. de Csorgó : Joann.	141
— — de Csorgó : Templ.	163
— — de Hatvan : Praem.	19
S. Mariae V. de Abraham : Cist.	75
— — — de Abraham : Praem.	3
— — — de Adony : Praem.	3
— — — de Aicska : Praem.	5
— — — de Apátfalva : Cist.	79
— — — de Been : Praem.	6
— — — Belae Fontis : Cist.	76
— — — Biers : Cisterc.	83
— — — de Bocconio : Cist.	81
— — — de Borza : Teuton.	173
— — — de Candelis : Cist.	83
— — — de Casa Nova : Cist.	83
— — — de Cicador : Cist.	89
— — — de Darnó : Praem.	15
— — — de Develics : Superpell.	196
— — — de Egres : Cisterc.	91
— — — de Güssing : Eremit.	210
— — — de Koross : Templar.	165
— — — de Lelbicz : S. Sepulcri	192
— — — de Loco regali : Cist.	102
— — — de Lövő : Eremit.	214
— — — de Mayk : Praem.	44
— — — Mellei Fontis : Cist.	103
— — — de Monte : Cist.	104
— — — de Pápocz : Erem.	215

	Pag.
S. Mariae V. de Pásztó : Cist.	111
— — — de Pilis : Cist.	113
— — — inter Pol. et Hung. : Cist.	83
— — — de Pornó : Cist.	116
— — — de Rajk : Praem.	49
— — — de Rátóth : Praem.	50
— — — de Saagh : Praem.	53
— — — de Scepusio : Cist.	85
— — — de Schavnik : Cist.	85
— — — de Schemnic. : Templ.	167
— — — de Campo Strigon. : Cist.	88
— — — de Thurócz : Praem.	58
— — — de Türje : Praem.	62
— — — de Vágujhely : Superp.	195
— — — de Valle : Cist.	117
— — — de Zircz : Cisterc.	123
S. Martini : Templariorum	168
S. Michaëlis de Alba : Erem.	207
— — de Csorna : Praem.	10
— — de Ins. Leporum : Praem.	33
S. Nicolai Agriae : Eremit.	206
— — de Alba : Superpell.	199
— — de Chuchnis : Praem.	13
— — de Ercsi : Cisterc.	93
S. Nicolai de Ercsi : Eremit.	209
— — de Landek : S. Sep.	187
— — de Léka : Erem.	213
— — Pestini : Joannit.	149
S. Pauli : Praemonstrat.	52
— — de Monostor-Pályi : Praemonstr.	53
— — de Nyir-Pályi : Praem.	53
S. Petri in Comit. Zalad : Joann.	139
— — de Horpács : Praem.	21
— — de Kirbach : Superpell.	200
S. Sapientiae de Titel. : Superp.	198
S. Spiritus de Buda : Joannit.	145
— — de Harapkov : Erem.	210
S. Stanislai de Sáros : Eremit.	218
S. Stephani Protom. Budae : Erem.	208
— — — de Strigon. : Templ.	166
— — — de Caët : Superp.	197
S. Stephani Regis Albae : Joann.	137
S. Stephani Protom. de Promontor. Magno-Var. : Praem.	64
S. Stephani Regis de Bozók : Praem.	7
— — — de Strigon. : Joann.	148
SS. Trinitat. de Buda : Joann.	145

INDEX

Personarum et Rerum memorabiliorum Tomi II., qui Domos Regulares Praemonstratensium, Cisterciensium, Ordinum Equestrium, Canonicorum, ac Eremitarum S. Augustini complectitur.

Pag.

Abrahám : Abbatia B. Mariae Virginis Ord. Cisterc. 75
Abrahám : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. 3
Adony : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. 3
Agriae : Prioratus S. Nicolai Eremit. S. August. 206
Ahirlos : Praepositura Ord. Praemonstrat. . . 4
Aicska : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. 5
Albae regiae : Conventus Joannitarum S. Stephani Reg. 137
— Praepositura S. Nicolai Superpelliciator. 199
— Prioratus S. Michaelis Archang. Eremitarum S. Augustini 207
Albei : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. . 5
Almazu : Praepositura Ord. Praem. 6
Apátfalva : Abbatia B. Mariae V. Cisterciens. . 79
Apor : Praepositura Canonicorum Superpell. . 200
Arvensis Manseria Ord. Templariorum . . . 168
Aszód. Vide : Ostmach.

Baen. Vide : Been.
Bartphae prope Sárus : Abbatia S. Aegidii Ord. Cisterc. 126
Bartphae : Prioratus S. Joannis Bapt. Erem. S. August. 207
Been : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. 6
— Confertur Societati Jesu 7
Belae Fontis Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. 76
Benedictionis Dei Abbatia Ord. Cisterc. . . . 82
Bény. Vide : Been.
Biers : Abbatia putatitia Ord. Cisterc. 88
Bin. Vide : Been.
Blatniczae : Manseria Ord. Templariorum . . 163
Bocconio (de) Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. 81
Bodrog-Monostor : Abbatia S. Petri Ord. Cisterc. 80
Borzae : Domus S. Mariae Equitum Teutonicorum 173

Pag.

Bozok : Praepositura S. Stephani Regis Ord. Praem. 7
— Eius calamitates 8
— Pars Bonorum Societati Jesu ceditur . 9
Budae : Conventus Cruciferorum Joannitarum SS. Trinitatis 145
— Conventus S. Spiritus Crucif. Joannitar. 145
— Manseria Ord. Templariorum S. Albae Mariae 164
— Prioratus S. Stephani Protomart. Eremitarum S. Augustini 208

Caët, alias Keve, et Kő : Praepositura S. Stephani Protomart. Canon. Superpelliciatorum 197
Campo (de) Strigoniensi : Abbatia B. Mariae V. Ordin. Cisterciensium 88
Candelis (de) Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. 83
Canisae : Residentia Eremitarum S. Augustini . 209
Canonici Regulares : Institutum suum a S. Augustino derivant 183
— Eorum propagatio 184
— — Superpelliciati 194
— — S. Sepulcri 185
— — Ingressus eorum in Hungariam . 186
Carponensium civium violentia in Bozok . . . 18
Casa nova. Vide : Candelis.
Cerevisia et torta olim a subditis exacta . . . 24
Chemi : Praepositura Ord. Praemonstratensium. 13
Chorgó : Manseria S. Margaretbae Ord. Templ. 163
Chorgó : Conventus Crucif. Joannit. S. Margarethae 141
Chuchnis (de) Praepositura S. Nicolai Ordinis Praemonstr. 13
Chut : Praepositura S. Eustachii Ord. Praem. . 14
— Traditur Paulinis 14
Cicador : Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. . 89

Pag.
Circariae Praemonstratensium 2
Cisterciensis Ordinis initia 71
— Cardinales, Archi- et Episcopi ex eo assumti 72
— Congregationes 73
— Vestes et Coenobiorum character . 74
— Initia in Hungaria 74
Cruciferi S. Joannis Hierosolymitani 134
Crucis (S.) Abbatia Ord. Cisterciens. 90
— — Conventus Cruciferorum Joannitarum 142
Csorgó. Vide : Chorgó.
Csornae : Praepositura S. Michaëlis Archang. Ordin. Praemonstr. 10
— Favor Curiae romanae ; fata sinistra . . 11
— Restauratur 12
Cudán : Praepos. Ord. Praem. 57
Czikádor. Vide : Cicador.

Darnó : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. 15
Develics : Praepositura B. Mariae V. Superpelliciat. 196
Dezam. Vide : Zám.
Diós-Györ ; Prioratus Paulinorum SS. Corporis Christi, non erat Eremitarum S. Augustini 224
Drózó : Canonia Praemonstrat. apud Pázmánum 67

Eberhard : Manseria Templariorum 169
Egres : Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. . . 91
Erchi : Abbatia S. Nicolai Ord. Cisterc. . . . 93
— Prioratus S. Nicolai Eremitarum S. Augustini 209
Eremitae S. Augustini 205
Eszterházy Paulus, Princeps, Csornensem Praeposituram restaurat 11
Esztoras : Praepositus de Lelesz Seculo XIII. . 40

Fanchy Praeposituram de Bozok vi detinet . 9

Gajdel : Praepositura Ord. Praemonstr. . . 16
Galamboki Matthaeus, Praepos. Csornensis . . 11
Ginsiensis civitatis Sigillum vetus 109
Gora : Conventus Crucifer. Joannitarum . . . 149
Gotthardi (S.) Abbatia Ord. Cisterc. 94
— Templi moles, et ruina 95
— Abbatiae fata 95
— — Redemtio, et Restauratio . 98
Grába : Praepositura S. Huberti Ord. Praem. . 17
— Praepositura Ordin. Praem. in Dioec. Rosnav. 18
Gregorius II. Praepositus Csornensis 11
Gubati in Galicia 106
Güssing : Prioratus Eremitarum S. Augustini . 210

Pag.
Harapkow : Prioratus S. Spiritus Eremit. S. August. 210
— Desertus tumultu belli civilis cessit Jesuitis 211
Hatvan : Praepositura S. Margarethae Ordinis Praemonstr. 19
— Praepositura B. M. V. Ordin. Praem. . 20
Helmecz a Praepositura Lelesziensi avulsum . 87
Henrici (S.) Abbatia Ord. Cisterciensium . . . 121
Hermelinae pelles Praemonstratensium . . . 2
Honorius II. P. Rom. Ordinem Praemonstrat. confirmat 2
Horpács : Praepositura SS. Petri et Pauli Apost. Ordin. Praemonstr. 21
Hundsdorf : Praepositura S. Crucis Canonicorum S. Sepulcri 190

Jani Franciscus, Praepositus Csornensis . . 12
Jánoshida : Praepositura S. Joannis Bapt. Ord. Praem. 43
Jászov : Praepositura S. Joannis Bapt. Ord. Praem. 22
— Eius Archivum exuritur 23
— Nundinas obtinet ; per Subditos vexatur 24
— Moenibus cingitur 25
— Eius Patronus civitas Cassoviensis . 27
— Praepositi 26
— Praeposituraе fata 29
— — Abolitio et restauratio . 31
Jaurini : Conventus Crucif. S. Joann. Bapt. . . 150
Illavae : Manseria Templariorum 167
Inged : Praepositura Ord. Praemonstr. . . . 22
Insula : Praepositura S. Lazari Ordinis Praemonstratensium 32
Insula B. Mariae V. iuxta Budam : Abbatia S. Michaëlis Archangeli Ordinis Cisterciens. 100
Insula Danubii : Abbatia S. Jacobi Ord. Cisterc. 99
Insula Leporum : Praepositura S. Michaëlis Archangeli Ord. Praemonstr. 33
— — In Abbatiam Cisterciensem non conversa ; nec Paulinis tradita 34
— S. Birgittae : Praepositura S. Augustini Ord. Praemonstratensium 33
— S. Andreae : Domus Ordinis Equit. Teutonicor. 174
Inter Hungariam et Poloniam. Vide : Candelis.
Joannis Bapt. (S) Conventus Cruciferor. Joannitarum 144

Kameniczky Augustinus Canoniam Csorn. aedificat 12
Kámonczy Gregorius, Praepositus Csornensis . 11
Kanisa (familia) ab ea Comitum de Osli derivatur 10

Pag.

Kapusfő : Praepositura Ord. Praemonstrat. . 35
Kaza : Prioratus S. Joannis Evang. Erem. S. Augustini 212
Kelemfölde : Conventus S. Elisabeth Cruciferor. Joannitarum 143
Keremfölde. Idem quod Kelemfölde.
Keresztény : Manseria Templariorum 170
Kers : Abbatia Ordinis Cisterciens 120
Késmark : Ecclesia B. Elisabeth Canonicorum S. Sepulcri 193
Kirbach : Praepositura S. Petri Canon. Superpellic. 200
Komár : Prioratus S. Elisabeth, Eremitarum S. Augustini 212
Komlós : Canonia S. Crucis Canonic. S. Sepulcri . . . . . , ... 186
Kóny possessio Templariorum 150
— — deinde Crucigerorum S. Joannis . 151
Koros : Manseria B. Mariae V. Templariorum . 165
Kő. Vide : Cašt.
Körmend : Prioratus Eremitarum S Augustini . 213
Krenfeld. Vide : Kelemfölde.

Ladislai (S.) Praepositura Canonicor. Superpellic. 197
Lampertus, episcopus Agriensis in Praepositum Hatvaniensem iniquus 20
Landek : Praepositura S. Nicolai Canonicorum S. Sepulcri 187
Leibitz : Ecclesia B. M. V. Canonic. S. Sepulcri. 192
Léka : Prioratus S. Nicolai Myrensis et Tolentini Eremitarum S. Augustini 213
Lelesz : Praepositura S. Crucis Ord. Praem. . 36
— Per Paloczios diripitur ; per Bebékios, tum Perényios occupatur 37
— Eius Archivum celebre ; Jus patronatus . 39
— Fata varia 40
Leuca. Vide : Léka.
Leukus Michaëlem Praepositum de Bozok letaliter sauciat 8
Linteati Canonici regulares 194
Loco regali (de) Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. 102
Lövő : Prioratus B. Mariae V. Eremit. S. Aug.. 214
Lucentiae : Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc.. 101

Magodlin : Praepositura B. Magdal. Ordinis Praem. 45
Majk : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. 44
Mallyó Josephus, Auctor Operis : Posthuma memoria S. Ordinis Praemonstrat. in Hungaria 67
Martini (S.) Manseria Templariorum 168
Melitenses Equites in Hungaria 136
Mellei fontis Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. 103

Pag

Monte (de) Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc.. 104
— Eius fata 107
Móriczhida : Praepositura S. Jacobi Ord. Praem. 46

Nagy-Baráti possessio olim nundinas habebat. 11
Nám. Vide : Zám.
Norbertus (S.) Fundator Ordinis Praemonstrat. 1
Nova Casa. Vide : Candelis.
Nova Curia : Conventus Crucifer. Joannitarum . 144
Nyir-Báthor 201
Nyir-Pályi : Praepositura S. Pauli Ord. Praem. 53

Ocra : Praepositura Ordinis Praemonstrat. . . 48
Ócsa : Praepositura B. M. V. Ord. Praemonstr. . 48
— Eadem cum Aicska 5
Ordines equestres in Hungaria 133
Ordo Hospitalariorum S. Joannis Hierosolymit. 134
Osl Comitum prosapia 10
Ostmach : Praepositura S. Crucis Ord. Praem. . 42

Palóczii Canoniam Lelesz diripiunt. 36
Pápocz : Prioratus B. Mariae V. Eremit. S. Augustini 215
Pásztó : Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. . 111
— Patroni, Fata. Abbates 112
Pauli (S.) Praepositura Ord. Praemonstr. . . 52
Pazmáni Cardinalis Elenchus Abbatiarum Cist. 129
— Canonicorum S. Sepulcri 193
— — Superpelliciatorum 201
— — Praemonstratensium . . . 67
— — Conventuum Cruciferorum S. Joannis 154
— — Prioratuum Eremitarum S. Augustini 224
Pestini : Conventus S. Nicolai Cruciferor. S. Joannis 149
Petri (S.) Conventus Crucifer. S. Joann. in Com. Zalad. 139
Philippus Pulcher, Galliarum rex in Templar. iniquus 158
Pilisio (de) Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc.. 113
Poklostói Matthaeus Praepos. Ságiensis seculo XVI. duo Stipendia scholastica fundat . . 55
Pornó : Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. . . 116
Praemonstratensium Ordo Sacer in Hungaria . 2
— Origo. Regula. Vestis . 1
— Incrementa 2
Promontorii M. Varad. Praepositura S. Stephani Protomart. Ord. Praemonstrat. 64
— Fata sinistra 65

Quinquecclesiis : Prioratus S. Augustini Erem. S. Augustini 218

Rajk : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem.. 49

Pag.
Rátóth : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. 50
Requisitores Literarum ad Archivum Lelesz . 38
Rhodii Equites 135
Rokeniti : Praepositura Ord. Praemonstr. . . 52
Rubea Stella (de) Ordo equestris 175
Ruthenis (de) Praepositura Ord. Praemonstr. . 52
— Eadem quae Rucensis 52

Saár : Prioratus Eremitarum S. Augustini . . 223
Sága : Praepositura Ord. Praemonstrat. . . . 56
Ságh : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praem. . 53
Sámbok : Praepositura S. Joannis Bapt. Ord. Praemonstratensium 57
Sámson : Praepositura S. Benedicti, Canon. S. Sepulcri 190
Sáros : Prioratus S. Stanislai Eremit. S. Aug. . 218
Sárospatak : Prioratus Eremit. S. Augustini . 219
Scepusio (de) Abbatia B. Mariae V. Ord. Cister. 85
— Prioratus S. Elisabeth. Eremit. S. Aug. 220
Schavnik. Vide : Scepusio.
Scheidun : Praepositura Ord. Praem. 57
Schemnicii : Manseria B. Mariae V. Templarior. 167
Schida. Vide : Scheidun.
Schlangenmund : Praepositura Ord. Praem. B. M. V. 57
Schöllingen Franc. Abbas Pernecensis Ordin. Praem. 11
Seminario Tyrnav. pars Bonorum Bozok, adiicitur. 9
Serrah : Conventus Crucif. S. Joannis 146
Simighio (de) Conventus Crucif. S. Joannis . . 140
Sopronii Conventus S. Joannis Bapt. Crucif. Joannit. 147
Steinbach : Praepositura Ord. Praemonstrat. . 57
Stiborius Fundator Praepos. de Vágujhely . . 195
Strigonii : Conventus S. Elisabeth Crucifer. S. Joannis 149
— S. Stephani Regis Crucif. S. Joannis . . 148
— Prioratus S. Annae Eremit. S. Augustini. 220
— Manseria S. Stephani Protomart. Templ. 166
Superpelliciati Canonici Regulares 194
Szenttamásy Matth. Praep. Csorn. Ecclesias erigit 12
Szepes-Várallja : Prioratus S. Elisabeth Erem. S. Augustini 221

Pag.
Telegd : Manseria Ordinis Templariorum . . 164
Templarii unde dicti? Eorum accusatio in Gallia 157
— Eorum persecutio. Inquisitio per Papam instituta 158
— Fassiones tormentis expressae . . . 158
— Iudicia super illis in Italia, Anglia, Hispania 159
— Supplicium Magistri totius Ordinis. Sententia Concilii Viennensis in Gallia . . 160
— In Hungaria 161
Teutonicus Ordo sacer 172
Thenő : Canonia S. Sepulcri 191
Thoub : Praepositura Ord. Superpelliciatorum . 194
Thurócz : Praepositura B. Mariae V. Ord. Praemonstratensium 58
— Eius Bona. Archivum publicum . 59
— Sera reformatio. Fata 60
Timár : dubia Manseria Ord. Templariorum . 170
Tisiboti : Abbatia Ordin. Cisterciens. 88
Titel : Praepositura S. Sapientiae Can. Superpelliciat. 198
Tolmács : Conventus Crucif. S. Joannis . . . 146
Topissa : Praepositura Can. Praemonstrat. . 57
Trapensis Congregatio Ord. Cisterciensium . . 73
Trium fontium de Beel : Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterciensium 79
Türe : Praepositura Can. Praemonstrat. . . . 64
Türje : Praepositura B. Mariae V. Can. Praem. 62

Ükör : Conventus S. Laurentii Cruciferorum S. Joannis 141

Vágujhely : Praepositura B. Mariae V. Can. Superpellic. 195
Valle Honesta (de) Abbatia Ord. Cisterc. . . . 118
Valle (de) Abbatia B. Mariae V. Ord. Cisterc. 117
— Paradisi : Abbatia Ord. Cisterc. 119
— Vesprimiensi (de) : Abbatia Ord. Cisterc. . 119
Végles : Canonia S. Sepulcri 192

Zám : Abbatia Ord. Cisterciensium 120
Zemlén : Praepositura Ord. Praemonstrat. . . 45
Zircz : Abbatia B. Mariae V. Ordinis Cisterciensium 123

ERRATA.

Pag.	*Col.*	*Lin.*		*Corrige:*	*Pag.*	*Col.*	*Lin.*		*Corrige:*
6	1	1	;)	')	84	1	a. f. 5	confirmatum	confirmatam
7	1	2	;)	')	85	—	ultima	Annal,	Annal.
13	—	penult	rudsra	rudera	164	—	a. f. 4	Bud	Buda
18	—	a. f. 3	monastterii	monasterii	177	2	8	preclarae	praeclarae
30	1	13	deturpatum	deturpatam	214	1	17	colluit	coluit
40	2	a. f. 13	1531	1521	222	1	24	populo	populi
72	2	13	solemni inter	solemnit er					